Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

NADAL

MEDITATIONES

IN EVANGELIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTHECÆ OMNIENSIS SOCIETATIS IESV

BIBL. FE. F. R.

# ADNOTATIONES ET MEDITATIONES IN EVANGELIA QVAE IN SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO TOTO ANNO LEGVNTVR;

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Bibl. Coll. Urb. S. I.

CVM EVANGELIORVM CONCORDANTIA historiæ integritati sufficienti.

*Accessit & Index historiam ipsam Euangelicam in ordinem temporis vitæ Christi distribuens.*

Secunda editio.

Auctore HIERONYMO NATALI Societatis IESV Theologo.

Antuerpiæ excudebat Martinus Nutius, Anno Domini. CIↃ. IↃ. XCV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTHECÆ OMNIENSIS SOCIETATIS IESV

# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO.

DIXERAT aliquando, Beatissime Pater, Hieronymo Natali, vni ex suis alumnis Parēs nostræ Societatis Ignatius, operæpretium facturū eum, qui ad perpetuam atq; paratā Religiosis eiusdē Societatis Scholaribus meditādi, orandiq; materiam ac segetem, Euangelia Quadragesima tota, Dominicisque per annum diebus inter sacrificandū recitari consueta, methodo quàm breuissima certos ad locos, seu capita meditantiū vtilitati accommodata redigeret: neque id solùm, sed etiam appositis imaginibus & adnotationibus illustraret. Fecit ille quod optimo Patri cordi esse cognouerat, hoc ordine videlicet: Cuique Euangelicæ lectioni historiam suam ex alijs etiam Euangelistis integrè collectam, imagineque expressam præfixit. Curauit deinde, vt quamlibet imaginē sequeretur ipsa Euangelica lectio cum aliorum Euangelistarum concordantia, non quidem integra, quia is non erat huius operis scopus, sed quæ ad historiæ intelligentiam, integritatem, & plenitudinem satis esse posset. Ad vnamquamque Euangelicam lectionem sua adscripta est adnotatio, quæ locum & tempus designat, quo mysteria salutis nostræ peracta fuēre, breuissima quidem illa, cum excellenti tamen Terræ Sanctæ descriptione, locis item nōnullis Euangelij difficilioribus interdum explicatis. Cuilibet autē adnotationi accessit meditatio nō minùs deuota, quàm erudita. Sub ipsis verò imaginibus capita illa seu puncta ad meditātium commoditatem subiecta sunt. Porrò historiam ipsam vniuersam auctor, prout plura aut pauciora mysteria singulis Euangelicis lectionibus continebātur, in 153. imagines distribuit, singulis suas Euangelicæ lectionis partes, adnotationesque, & meditationes tribuens. Verùm auctore ante aliquot annos vita functo, qui mihi superiorum permissu operis huius curam demandarat, operępretium visum fuit, si tāta imaginum moles ad ipsas adnotationes, atque ad earum ordinem redacta, & quasi inter eas abscondita non relinqueretur; sed suo ordine, ac volumine seorsum ederetur: nō ea tantùm ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione, vt Adnotationum ipsarum liber, qui piarum meditationum toto anno præbet materiam, & viliùs ab omnibus comparari, & faciliùs circumferri possit: sed multò magis, vt imaginibus ipsis ex ordine Dominicalium Euangeliorum, in ipsius Euãgelicæ historiæ, temporis scilicet vitæ Christi, ordinem translatis ac dispositis, tota Redẽptoris nostri Christi IESV vita, iuxta veram rerum gestarum ac temporum seriem, elegãtibus descripta imaginibus ob oculos haberetur. Opus planè aureum, vt superioribus optatissimum seculis, ita futuris iucundissimum; præfixo præsertim ad operis initium indice, ex quo facilè perspicere quisque possit, quæ quibus Dominicalibus Euangelijs respondeant imagines. Nè autem ipsarum imaginum multitudo satietatem cuipiam pareret, vnde suo fine, spirituali scilicet animarum fructu, opus ipsum frustraretur, si in æs incideretur parùm eleganti manu; sed potiùs vt opificij elegantia ac pulchritudo, simul cum maxima ipsius argumenti sanctitate atque excellentia, operisque pietate coniuncta, omnes ad illud euoluendum, assiduaque meditatione versandum inuitaret, necessarium omnino fuit, vt excellentissimi quique artifices operi tam eximio, quod ipsius Euangelij noua ac penè spirans imago est, adhiberentur; id quod sine magnis difficultatibus, maximaque impensa perfici non potuit. Omnes tamen difficultates superatæ, omnia impedimenta, Christo propitio, tuisque auspicijs, Beatissime Pater, sublata sunt; opus denique ipsum ad pietatem, & deuotionem excitandam maximè accommodatum, tuo tandem tempore in vulgus prodit, quod tibi alioqui maximè debebatur, quo cũ & in Deum pietas, & in Societatem nostram benignitas pariter creuit: sicut & cum viro grauissimo, eodemque sapientissimo Ioanne Bo. Me. Cardinale fratre tuo creuerat; cuius cum vestigia iam ante annos multos in minori fortuna sequereris, atque ego ab hac tua benignitate & pietate inuitatus, nonnulla ex primis operis huius imaginum delineamentis tibi omnium primo ostendissem, eam retuli pro minimo illo officio grati animi significationem, vt & te iam tum cui opus dedicaretur dignissimum iudicarim, & id mihi vt facere liceret, non mediocriter optarim. Nunc igitur quando me voti compotem facere dignatur Altissimus, hoc qualecunque perpetuæ in te nostræ Societatis obseruãtiæ monumentum libenter accipies; quam proinde vt fouere non desinis, ita & commendatam habere perges in Christo IESV. Vale.

Beatitudinis tuæ

Humillimus seruus,

*Iacobus Ximenez.*

# INTERDICITVR IMPRESSIO OPERIS QVONDAM HIERONYMI NATALIS, ADNOTATIONVM, MEDITATIONVM,

atque Imaginum in Euangelia, quæ in Missæ sacrificio toto anno recitantur: necnon Imaginum ipsarum seu earum aliquot extractio, delineatio, scalptio, extractarum item impressio, venditio, traditio, & retentio, sub mille ducatorum in toto quidem Statu Ecclesiastico; extra verò, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis.

## CLEMENS PAPA VIII.

AD Futuram rei memoriam. Cùm sicut accepimus, dilectus filius Martinus Nutius Typographus Antuerpiensis ad publicam omniũ fidelium vtilitatem opus quondam Hieronymi Natalis, dum in humanis ageret, Societatis IESV Theologi, Adnotationum, & Meditationum in Euangelia, quæ in Sacrosancto Missæ Sacrificio toto anno leguntur, typis dare intendat; & tam in eo opere, quàm in alterius insignis eius partis, Imaginum scilicet centum quinquaginta trium scalptura, quibus prædictus Hieronymus, totius operis author, historiam vitæ Christi IESV Domini nostri ex ipsis Euangelicis Missæ lectionibus, iuxta quatuor Euangelistarum veritatem, ac plenitudinem expresit; magna pecuniæ summa exposita iam sit, & adhuc vlterior sit exponenda: Nos tanti operis excellentiam plurimùm in Domino commendantes; eorumque indemnitati, qui ad operis huius editionẽ pecunias conquisitas impenderunt, prospicere cupientes, ne fortè contingat, vt vnde quis prodesse alijs studet, inde damnum, aut præiudicium sibi paret (quod sanè sequeretur maximum, si vel opus Adnotationum ab alijs imprimeretur, vel Imagines ipsæ, earúmue ordo, & inuentio, aut distributio extraheretur, seu recuderetur, quod iam à nonnullis intentari intelligimus; qui nuper ex Portorio nostro Vrbano centum triginta sex ex operis huius imaginibus, Antuerpia transmissis, suffurati sunt;) ipsumque Martinum à quibusuis Excommunicationis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, illius, aliorumque, quorum interest in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem Martino, ac alijs prædictis, quorum nomina & cognomina præsentibus pro expressis haberi volumus, authoritate Apostolica tenore prẽsentium concedimus & elargimur, ne quis, quauis ille fuerit dignitate, vel officio, aut priuilegio, vel facultate munitus, per decem annos à data præsentium computãdos, Imagines supradictas, vel earum ordinem, inuentionem, aut distributionem, etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam mutatis delineamentis,aut earum aliquot extrahere, delineare, ſcalpere; ſicuti nec Adnotationes, vel Meditationes ſupradictas ſimul, vel ſeorſum ab ipſis Imaginibus,vel earum aliquot;abſque expreſſa & in ſcriptis redacta ipſius Martini Nutij licentia, quouis quæſito colore, cauſa, vel prætextu ad cuiuſuis perſonæ inſtantiam imprimere ſeu excudere, aut extrahi, delineari,ſcalpi,imprimi,ſeu excudi quouis modo facere, aut in totum, aut in partem delineatas, ſculptas, impreſſas, ſeu excuſas in quouis loco vendere , ſeu venales exponere, apud ſe retinere, vel habere,ſeu alicui alteri tradere, aut cõcedere quouis modo præſumat;in hac quidem Vrbe noſtra, & in toto ſtatu Eccleſiaſtico ſub mille ducatorum auri de Camera,pro vna delatori, & alia Cameræ noſtrę Apoſtolicæ, ac reliqua tertijs partibus locis pijs irremiſſibiliter, necnon amiſſionis librorum,Imaginum,laminarum, ac delineamentorum quorumcũque ad opus huiuſmodi quomodolibet pertinentium ipſi Martino applicandorum: extra verò Vrbem ipſam, ac ditionem Eccleſiaſticam vbique locorum Excommunicationis latæ ſententiæ,à qua nullus præter Romanum Pontificem abſoluere poſsit,pœnis toties,quoties contrauentum fuerit,eo ipſo incurrendis, diſtrictiùs inhibemus. Et nihilominus vniuerſis & ſingulis Patriarchis , Archiepiſcopis, Epiſcopis,& alijs locorum Ordinarijs vbiq;,& in ſtatu noſtro temporali etiam Legatis,Vicelegatis, Gubernatoribus, & alijs Iuſtitiæ Miniſtris, præcipimus,& mandamus, vt durante dicto decennio quoties pro parte dicti Martini fuerint requiſiti, vel eorum aliquis fuerit requiſitus, ſibi in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſsiſtant, & ea obſeruari faciant, & contra inobedientes per prædictas & alias eis benè viſas ſententias, cenſuras, & pœnas appellatione remota procedant, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegijs quoque indultis,ac literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis & locis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis conceſsis, ac iteratis vicibus confirmatis, & innouatis . Quibus omnibus,etiamſi de illis ſpecialis mentio habenda foret,illorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes, hac vice ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt præſentium tranſumptis etiam impreſsis,manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris,die xiiij. Auguſti, M. D. XCIII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*M. Veſtrius Barbianus.*

# ADNOTATIONES ET MEDITATIONES IN DOMINICALIA ET QVADRAGESIMALIA

totius anni Euangelia.

## DOMINICA PRIMA ADVENTVS

Quę iudicium vniuerſale proximè præcedent.

MATTH. XXIIII. MAR. XIII. LVC. XXI.
ANNO CHRISTI XXXIII.

*In primam imaginem adnotatiuncula.* j. 98.

*A.* *Signa in cælo, ſole, luna & ſtellis,&c.*
*B.* *Chriſtum ad iudicium venientem præcedunt Crux, cæteraq; inſignia paſſionis, & Archangelus cum tuba.*
*C.* *Præcedit ignis orbem purgaturus.*
*D.* *Elementum ignis mundo quaſi minitatur.*
*E.* *Aëris ſuprema regio.*
*F.* *Aëris media regio.*
*G.* *Aëris infima regio, & in his omnibus terribilia ſigna.*
*H.* *Confuſio maris & fluctuum, &c.*
*I.* *Os Inferni apertum.*
*K.* *Etiam Purgatorij.*
*L.* *In terra rerum omnium horribilis facies, quæ orbi terrorem incutiet vehementiſſimum.*

*Alia ſigna non potuit capere imago.*

### EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH.XXIIII.

*Statim autem poſt tribulationẽ dierum illorũ*

*[a] Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuũ, & ſtellæ cadent de cælo.*

*Commouebuntur.*

LVC. XXI.

ERunt [a] ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ cõfuſione ſonitus [b] maris & fluctuũ ; areſcentibus hominibus [c d] præ [e f] timore, [g & h i k l] expectatione quæ ſuperueniẽt vniuerſo orbi. Nam virtutes [a] cælorum mouebuntur.

MAR.XIII.

*Sed in illis diebus, poſt tribulationẽ illam, Sol contenebrabitur , & luna non dabit ſplendorẽ ſuũ, & ſtellæ erunt decidentes.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXIIII. | LVC. XXI. | MAR. XIII. |
|---|---|---|
| *Et tunc apparebit* [b] *signũ filij hominis in cælo. Et tunc plangent omnes tribus terræ. In nubibus cæli,* | Et tunc videbunt[b] filium hominis veniẽtem in nube, cum potestate magna & maiestate. | *et gloria.* |
| *Et mittet Angelos suos cũ* [b] *tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorũ vsque ad terminos eorum.* | | *à summo terræ vsque ad summum cæli.* |
| *Ab arbore autẽ fici discite parabolam:* | His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem; Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructũ, scitis | *cum ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas.* |
| *omnia quia prope est in ianuis.* | quoniam propè est æstas: ita & vos, cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autẽ mea nõ transibunt. | *quod in proximo sit in ostijs.* |
| *hæc præteribunt.* | | *ista* |

## ADNOTATIO.

QVAE proximè iudicium vniuersale præcedent calamitates immenſe, eas cum ingenti terrore mortalibus Prophetæ prænunciarunt.

Pſa. 49. Dauid. Deus manifestè veniet: Deus noſter, & nõ ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocauit cælum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.

Pſal. 74. Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitãt in ea: ego confirmaui columnas eius.

Pſal. 75. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua. De cælo auditum feciſti iudicium: terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudicio Deus, vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.

Pſal. 96. Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia, & iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.

Cap. 13. Eſaias. Ecce dies Domini venit, crudelis, & indignatione plenus, & iræ, furoriſq; ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Quoniam ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.

Hieremias. Dies ille Domini Dei exercituũ, dies vltionis; vt ſumat vindictam de inimicis ſuis. Deuorabit gladius & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum. Cap. 46.

Ezechiel. Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ: nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponã contra te omnes abominationes tuas. Cap. 7.

Daniel. In tempore illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui; & veniet tempus quale non fuit, ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de ijs qui dormiũt in terræ puluere euigilabũt; alij in vitam Cap. 12.



vitam æternam, alij in opprobrium vt videant ſemper.

Cap. 4. Oſeas. Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea.

Cap. 13. Ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum. Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & conſumam eos ibi quaſi leo: beſtia agri ſcindet eos.

Cap. 1. Ioel. A, a, a dici; quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet.

Cap. 2. Cõturbẽtur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini, quia propè eſt dies tenebrarũ & caliginis, dies nubis & turbidinis. Magnus dies Domini & terribilis valdè, & quis ſuſtinebit eum?

Cap. 5. Amos. Veh deſiderantibus diem Domini. Ad quid eã vobis? Dies Domini iſta tenebræ, & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus; & ingrediatur domũ, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini, & nõ lux; & caligo, & nõ ſplẽdor in ea?

Abdias. Iuxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes: ſicut feciſti ſic fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.

Cap. 1. Michæas. Ecce Dominus egrediturde loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſumentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps.

Cap. 5. Et faciam in furore & indignatione vltionẽ in omnibus gentibus quæ non audierunt.

Cap. 3. Naum. Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficijs ſuis: ecce ego ad te, dicit Dominus exercituũ; & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam: & proijciam ſuper te abominationes, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum.

Cap 3. Abacuc. Viderunt te & doluerunt mõtes, gurges aquarum tranſijt, dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit. Sol & luna ſteterũt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarũ ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. In fremitu cõculcabis terram, & in furore obſtupefacies gẽtes. Audiui & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.

Cap. 1. Sophonias. Iuxtà eſt dies Domini magnus, iuxta eſt, & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpora eorum ſicut ſtercora. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationẽ cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.

Conuenite, congregamini gens non amabilis, priuſquàm pariat iuſſio quaſi puluerem tranſeuntem diem, antequàm veniat ſuper vos ira furoris Domini, antequàm veniat ſuper vos dies indignationis Domini. Cap. 2.

Aggeus. Ego mouebo cælum pariter & terram, & ſubuertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & ſubuertam quadrigam & aſcenſorem eius, & deſcendent equi & aſcenſores eorum. Cap. 2.

Zacharias. Et veniet Dominus Deus meus, omneſq; ſancti cum eo. Et erit, in die illa nõ erit lux, ſed frigus & gelu. Et erit dies vna quæ nota eſt Domino, non dies neque nox, & in tempore veſperi erit lux. Cap. 14.

Malachias. Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. Cap. 4.

Sapi. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tãquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſiliẽt, & à petroſa ira plenè mittentur grandines. Excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos, & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet ſedes potentium. Cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca



VERVM TERRORES IPSOS IN IMAGINE contemplemur.

Apoc.10 Esai.13. Ezec. 32. Ioel.3. Mat.24 Act. 2. Mat.24 Iob. 9.

*A. CAEli motu suo destituuntur, septem videlicet planetarum, sellatum, & mobile primum. Sol in tenebras cõuertitur, Luna in sanguinẽ. Planetæ alij & stellæ omnes nigrescunt. Angeli cælorum motores functionibus suis desertis, properant ad Christum, admiratione simul & veneratione pleni.*

Mat.24 & 5. Zac. 14. Isa.3. Iudas Mat.24 1.Cor. 15. 1. Thes. 4. Mat.24 Psal.49. Isai. 29. Mal, 4. Dan. 7. Basil. in Psal.29.

*B. Christus IESVS ad iudicandos viuos & mortuos venit in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate, & omnes Angeli & Sancti eius cum eo. Inter quos omnes principem locum tenet virgo Dei Mater Maria. Sanctorum animæ ad corpora resumenda iussæ descendunt. Complures Angeli ad ministerium resurrectionis mittuntur. Crux Christum præcedit cum passionis insignibus, flagellis, corona spinea, clauis, & lancea: quæ cum Cruce piè & coniungere, & meditari possumus. Sub Cruce Archangelus tuba nouissima; Surgite mortui, venite ad iudicium, horrendum in modum intonat.*

*C. Sub nubibus in quibus venit Christus, sæuus ignis vniuersum orbem purgaturus.*

*D. Ignis elementum conuertitur versus terram, flammas quasi mundo minitans.*

Mat.24. Mar.13 Sap. 5. Esai. 9. Sap.5. Ioel.2. Luc. 21. Psal.49. Esai.29. Sap.5. Ioel.2. Luc. 21. Luc. 21. Sap 5. Apo 20. 2. Pet.2.

*E. Aëris suprema regio, & in ea stellæ cadẽtes, feri cometæ, lanceæ ignitæ, tristia fulgetra. F. Ex aëris secunda regione vibrant cum tonitruis fulmina mixta grandine, igne, fumo, ac sanguine, pluuia præcipitat. G. Infima aëris regio, quæ terras & mare proximè cingit, ventis impetuosissimis terras, & maria flagellat. H. Mare horribili cõfusione sonitus & fluctum exæstuat, sæuissima tempestate iactatur; subuertit naues, mortuos homines, & emorientes pisces euomit. I. Os inferni apertum, eructans tetras damnatorum hominum animas, atque horridos Dæmones.*

Apo.20.

*K. Purgatorium dans animas, quæ vel tunc primùm erunt purgatæ, vel statim igne conflagrationis purgandæ.* 1.Cor.3.

*L. Postremò terra describitur, atque in ea horrenda rerum omnium facies: homines, vel mortui, vel emorientes, vel ex morte incipientes resurgere, vel qui exanimati & amentes præ timore plangunt, omnibus locis diffugiunt, in cauernis se se abscondunt. Arbores eradicantur & arescunt. Emori hic vide bruta animalia, illic furere moribunda, euerti vrbes, oppida, ædificia omnia passim. Inter hæc permixta infinita Dæmonia rabiosè furentia. Alia porrò erit facies, hinc horrifica, illinc admiranda aliorum hominum, qui ab initio vsque mundi mortui fuerint: quorum animæ adducentur, vel à Paradiso gloriosè, vel a Purgatorio, vel ab ipso Inferno cum suis pœnis. Congregabuntur corporum materiæ, parabuntur ad resurrectionem Angelorum ministerio. Beatorum quidem materia corporum purgabitur per ignem, Damnatorum non purgabitur. Viuentium autem exurentur corpora: & Sanctorum quidem purgabuntur, sed non affligentur; eorum videlicet qui sine vllo reatu pœnæ inuenti fuerint: malorum verò non purgabuntur, sed affligentur. Aliorum animæ & corpora à temporali pœna purgabũtur. Quarum rerum consideratio supra captum nostrum, & mira est, & horrenda: quasi videas Paradisum, & Infernum, & Purgatoriũ in terra versari in adductis animabus. Omnia tremorem & timorem orbi incutient supra quàm dici potest horrendum. Iudex Deus iratus, Angeli & Sancti vindictam contra impios postulantes, orbis terrarum armatus contra insensatos: Sed hæc omnia aduersus peccatores parata, illos incredibili dolore & cruciatu afficient: contrà verò, Iustis summam animi lætitiam afferent.* Mat. 8. Luc. 21

MEDI-



MEDITATIO.

ECce venisti tu domine IESV; sed humilis, mãsuetus, puer, paruulus, vagiens, frigens, à paupercula matre genitus in stabulo, omnium rerum egenus. Quid igitur est benigne & bone IESV, quod priusquã ad hæc mysteria veniamus, nos tam horribili rerum facie perterres, iudicij tui vniuersalis repræsentatione? Tuæ consulo vtilitati ô homo, tui animi infirmitati, tuæ mentis stupiditati; qui nisi concussus magno terrore à mea iustitia ad misericordiam confugias, ad illa natiuitatis meæ mysteria non penetrabis. Nascar humilis & mansuetus; sum tamen ille idem qui sum venturus ad iudicium, exerta mea, & Patris æterni potentia & seueritate. Veniam enim ad iudicium cum potestate magna & maiestate. Nascar puer, dabor paruulus, ego ille, qui cœlum & terrã impleo mea diuinitate. Hierem. 23. Nascar vagiens & frigens, sed is illè, qui rugiens horrendùm vt leo veniam, & ante quem ignis præcedet, & orbẽ purgabit vniuersum. Nascar ex paupercula matre, sed Deus omnipotens, sed ab excelsa super sydera virgine. In stabulo omnium rerũ ero indigens, at in me Coloss 2. habitabit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Mihi cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Rex ego sum Regum, & dominus dominantium. Credo Domine hæc ita esse omnia, & vtcumque intelligo: sed aridè, frigidè, & infructuosè. Da misericors Domine vt propter timorem tuũ in vtero cordis nostri cõcipiamus, parturiamus & pariamus spiritum salutis tuæ, quẽ fecisti super terrã. Introcamus in potẽtias & mirabilia tuæ humillimæ natiuitatis. Hinc nobis effulgeat veritas illa, & lux æternæ generationis, & dicat in corde nostro tibi Pater; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et illud; In splẽdoribus Sanctorũ ex vtero ante Luciferũ genui te. Illud etiam sapiamus in te quod dilectus tuus nobis tam altè intonat; In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, Amen. Esai.66. Apo. 19. Esai. 26. Exo.70. Psal. 76. Psal.2. Ps. 110. Ioan.1.

(· · ·)

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

## Mittit Ioannes duos discipulos ad IESVM.

MATH. XI. LVC. VII. ANNO XXXI.

*In secundam imaginem adnotatiuncula.* ij. 32.

*A. Macheruntis carcer in tribu Ruben, vnde mittit Ioannes discipulos.*
*B. Iordanis, post quem Macherus.*
*C. Duo discipuli Ioannis venientes.*
*D. Naim, vbi suscitatus fuerat filius viduæ, quæ causa fuit cur Ioannes discipulos mitteret.*
*E. Iesus cum discipulis suis.*
*F. Peruenium discipuli Ioannis.*
*G. Coràm eis sanat IESVS cæcos, claudos, &c.*
*H. Redeunt ad Ioannem eius quidem discipuli, sed iam magis Christi.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### MATTH. XI.

IOannes autem cum audisset in [a b] vinculis [d] opera Christi, [e] mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui [d] venturus es, an alium expectamus?

Et respõdens [f] IESVS, ait illis; Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis: [g] cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euãgelizantur; & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

Illis autẽ [h] abeuntibus cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne;

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?

Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.

Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

### LVC. VII.

*Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his, & cõuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad IESVM, dicens;*

*Cum autem [e] veniissent ad eum viri, dixerunt;*

*Ioãnes Baptista misit nos ad te, dicens;*

*Tu [d] es qui venturus es, an aliũ expectamus?*

*In ipsa autem hora multos [g] curauit à languoribus & plagis & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.*

*Quæ vidistis & audistis.*

*Quicunque*

*& [h] cum discessissent nuncij Ioannis,*

*mollibus vestimentis indutum?*

*ecce qui in veste preciosa sunt & in delicijs,*

ADNO-



## ADNOTATIO.

*Ioseph. lib. 7. de bell. ind. cap. 25. Plin. lib. 5. ca. 16.*

*A.* MAcherus oppidum in tribu Ruben, in Perea regione trans Iordanem, quæ-rat in Herodis Antipæ ditione, septem milliaribus distans ab Asphaltite, inter Arnonem & Iordanem; quod oppidum Herodes Antipas validissimè muniuit. Itaque secũda post arcem Hierosolymorum habebatur. Hic ab Antipa Herode Ioannes fuerat in carcerem coniectus. Vnde mittit duos discipulos ad IESVM, docẽs quid dicturi, quidue acturi essent.

*Ioseph. lib. 18. de Antiq. Iud. cap. 7.*

*B.* Iordanis fluuius, post quem Macherus, & carcer Ioannis.

*Luc. 7.*

*C.* Duo Ioannis discipuli iter facientes ad Christum versus Galilæam, cogitabundi, & dubio animo.

*D.* Naim ciuitas in tribu Issachar in Galilæa inferiori, vbi paucis illis diebus fuerat a Christo suscitatus a morte viduæ filius adolescens ad oppidi portam, & vulgatum longè lateque miraculum: quæ Ioanni fuit præcipua occasio mittendi discipulos ad IESVM; cũ alia etiam opera Christi à discipulis audiret, vnde animaduertebat eos zelo permoueri, nec satis retinere quæ ab ipso de IESV audierãt. Nihil igitur Ioãnes ipse re vera dubitauit, sed quasi rem melius exploraturus, vt illorum, siue dubitationẽ, siue zelum per Christum sanaret, id fuit cur ad IESVM mitteret.

*E. F.* IESVM contemplare, & duos discipulos Ioannis illum verecundè ac demissè interrogantes, astantes præterea Christi discipulos; IESVM verò primũ sanantem multos, deinde demonstrantem quos sanauerat. Diuinæ virtutis ostensione respondet primùm Christus tacens, deinde verbo. Non fuit quidem necessum Christũ operibus respondere, qui habebat verba vitæ æternæ, & quæ veritatem diuinam semper spirabant: sed ita instituit suam doctrinam & legẽ IESVS, vt faceret, deinde doceret. Quod cum ageret, idem volebat à suis esse præstandum; atque eo magis, quod cum verba non haberent ipsi ex se diuinitus potentia, bonis exemplis illam verborum iuuarent infirmitatem.

*G.* Cæci, claudi, surdi, leprosi, languidi, vlceribus affecti, à Dæmonibus vexati; tum discipuli, & alij pauperes qui euãgelium recipiebant. Animaduerte omnia plena luce, spiritu, animorum excitatione in Dei & Christi laudem & gloriam.

*H.* Ioannis discipuli Macherunta ad Ioannem reuertuntur delibuti gaudio spiritus, in fide Christi confirmati, expulsa dubitatione, reiecto zelo quem pro Ioanne conceperant humanum nescio quid passi. Fructum verò præclarum è Christi operibus & verbis retulerunt: intellexerũt enim in spiritu suauissimè, fuisse se cæcos, claudos, leprosos, surdos; paupertatem spiritus conceperunt, & humilitatis donum. Denique lucem acceperunt Euangelii; in qua luce, & cognoscerent se absque causa scandalizatos, & verissima esse quæ a Ioanne de Christo audierant. Denique venerant discipuli Ioannis, vix Christi; redierunt discipuli Ioannis quidem, sed magis Christi, toti Christi.

## MEDITATIO.

DOmine IESV Patris æterni sapientia infinita, nos quidem verbo & prædicatione non quærimus, non ambigimus an tu sis qui venisti, an tu qui venturus sis. Credimus quidem, & prædicamus te venisse in mundũ, humilem & mansuetum, venturum iudicem tremendum; & tamen reipsa, & vitæ spiritualis inertia atque stupiditate plusquam quærimus & ambigimus. Ita hebetes sumus mente & spiritu, ita desides. Nam si ita non est, cur non mouet nos ad amorem tuum, & cordis suauitatem & deuotionem tui primi aduentus humilitas? Cur non ad timorem tui aduentus secundi horrenda facies & seueritas? Cur hæc tã aridè credimus, meditamur, & loquimur; & tam infructuosè, quasi ita essent dicta & facta quæ in Euãgelio legimus, vt nos crederemus, alij facerent & imitarẽtur? Adiua nos sanctè & bonè IESV ne ita fiat; abige à nobis hunc mentis stuporem. Reuela & illustra sensuum interiorum aciem; vt corde & spiritu intelligamus, & quasi præsentes videamus quæ cernebant discipuli Ioannis, manus tuæ diuinæ mirabilia. Da domine vt inde ad ea erigamur, quæ illis externis sanationibus & virtutibus significabantur & gerebantur. Nam qui visum hunc exteriorem recipiebãt, eorum mens diuina luce illustrabatur. Claudi vim accipiebant, non solum vt pedum passibus progrederentur, sed vt cordis intentione ad salutem proficerent. Surdis aures etiam cordis aperiebãtur, languidis robur vtrumq;, & corporis & animi conferebatur. Vlceroſis integritas simùl & viuacitas actionum & po-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tentiarum restituebatur. Energumenorum fiebat vt non solùm corpora à vexatione spirituum immundorum liberarētur, sed etiam mentes ab illusionibus atque tentationibus protegerentur. Pauperes, pij & modesti homines, coram hominibus abiecti, apud Deū cęlestibus opibus ditabātur. Et quidem, tamersi singuli donorum tuorum excellentiam interiùs recipiebāt; omnibus tamē omnia illa dona simul suo gradu à te Domine IESV, sufficienter conferebantur. Hoc initium est sancte IESV tuorū in nos beneficiorū, vt quæ in alios cōtulisti dona, ea agnoscamus & quasi olfaciamus. *Cant. 1.* Fac pie IESV, vt ad odorē vnguētorum tuorum curramus, & similiter atque illi, sanemur interiùs; vt fides, & mēs nostra donis sapiētiæ, intellectus, consilij, atque *Ps. 118.* scientiæ illustretur. Curramus viam mandatorum tuorum expeditè tuis consilijs adiuti. Lepra habituum deprauatorum extergatur *Heb. 12.* in nobis. Audiamus sanguinis tui aspersionē melius loquentē quàm Abel; & suaue tuum & Patris tui verbum percipiamus, quòd semper clamat ad nos, nunquam tamē audimus, nisi si quandoque surdastri. Languet enim nostrum liberum arbitrium miris modis, & nostræ potentiæ. Illis robur tuum diuinum inseras, per eos languores quos portasti. Cùm verò fiat (heu nimiùm frequenter) vt & praui habitus nostri, & potentiarum infirmitas ac socordia nostra, non solùm non exscindātur vel sanentur, sed in vlcus & saniē excrescant, & fiant longè nocentiora; hoc quoque malum fac benigne IESV vt à nobis auertatur. Illud etiam concede, vt liberemur à malignorum spirituum insidijs omnibus atque importunitatibus. Nè permittas bone IESV vt tua doctrina, tuum verbū, tuæ sanitates, & miracula tua, humilitas tuæ passionis, virtutes tuæ diuinæ fiant nobis scandali petra & condemnatio; & vnde nostra deuotio debuerat sālutem animi & perfectionem referre, in de reportet malitia nostra & ignauia miserabile detrimentum: sed contrà fiat, vt de nostra salute & perfectione lætemur, & te in æternum laudemus. Amen.

# DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

## Mittunt Iudæi ad Ioannem.

IOANNIS I. ANNO XXIX.

*In tertiam imaginem adnotatiuncula.* iij.

*A.* Hierusalem, vnde mittunt Iudæi.
*B.* Venientes ad Ioannem legati.
*C.* Bethabara, siue Bethania, vbi Ioannes.
*D.* Duo Sacerdotes cum Leuitis ad Ioannem perueniunt.
*E.* Ioannes vestitus cilicio ex pilis camelorum, negat planissimè se esse Christum.
*F.* Eliam se esse negat Ioannes.
*G.* Negat se esse, quem Moyses in solitudine venturum prædixerat.
*H.* Profitetur tandem se esse vocem Dei clamantis in deserto.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOANNIS CAP. I.

Hoc est testimonium [e] Ioannis, quando miserunt Iudæi ab [a] Hierosolymis [b] Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu [d] quis es? Et confessus est, & non negauit: & [e] confessus est: quia non sum ego Christus. Et interrogauerūt eum; Quid ergo? [f] Elias es tu? Et dixit: Non sum. [g] Propheta es tu? & respondit; Non. Dixerunt ergo ei; Quis es? vt respōsum demus ijs qui miserunt nos: quid dicis de te ipso? Ait; Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei; Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; ipse est qui post me vēturus est, qui antè me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in [c] Bethania facta sunt trās Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. *Bethabara.*

## ADNOTATIO.

*A.* Hierusalem *in montibus posita, montibusque circundata, inde Iudæi mittunt Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. IESVS verò ibi appingitur, quòd Hierosolymis frequens inter Iudæos fuisset in festorum solennitatibus, vel alijs diebus, eo etiam anno, sed cùm se non manifestaret, incognitus.*

*B. Veniunt cum comitatu suo Sacerdotes & Leuitæ Bethabaram trans Iordanem ad Ioannē.*

*C. Bethabara, id est domus transitus, vicus trans Iordanem in tribu Ruben, vbi eo tempore baptizabat Ioannes. Qui locus celebris erat antiquitùs, nam illinc Iesus Naue cum populo vniuerso & Arca Dei; illinc Elias & Elisæus siccato Iordane transierant. Idem significat bethania, quasi domum vel locum nauis, qua fiebat transmissio in vtramque ripam: vt ducamus Bethaniam non ab* עָנָה *hanah, vnde illa Lazari, sed ab* אָנָה *anah, vnde* אֲנִיָּה *aniah: quæ vox nauim significat, non solùm magnam & marinam, sed fluuiatilem etiam. Isa. xxxiij. vt intelligunt Hierouimus & Cyrillus. Piscatoriā vertit Chaldæus interpres & exponūt Rabbini: quare paruā esse dicunt commentarij recentiores Catholicorū.*

*D. Duo Sacerdotes Iudæorum legati, eo cultu qui erat vsitatus inferioribus Sacerdotibus, Ioānem interrogantes: adsunt eis Leuitæ. Horū omnium statum iam considera, & animi peruersitatē;*

*Ioannis sanctimoniam, grauitatem, & humilitatem singularem.*

*E. Ioannes ita indutus vt tradunt Euangelistæ, vestimento è pilis camelorum, & zona præcinctus pellicea, intermittit baptizare vt sacerdotes audiat. Deinde illis planissimè ex animi sententia profitetur, & confirmat quod non sit Christus.*

*F. In curru igneo designatur Elias, quē se esse in carne quidē negabat Ioannes, non negabat in spiritu; verùm de hoc Iudæi non interrogabant.*

*G. Moyses in solitudine campestri trans Iordanem, exponens populo Israel quæ audierat in monte Oreb à Deo; Suscitādum Prophetam similem sui, quem essent audituri &c. Hunc item se esse negabat Ioannes, hoc est Christum, quem designauerat Moyses. Fecit enim Iudæorum insipientia vt rursum de Christo interrogarent, non intelligentes locum illum Moysi de Messia: quod illis posteà Christus exprobrauit. Itaque rursus respondet Ioannes, se non esse illum excellentem Propheta id est Christum, de quo Moyses erat vaticinatus.* *Deu. 18.*

*H. Desertum Iudææ, vbi primùm diuino mādato Ioannes incepit esse vox Dei in deserto clamantis. Quid autem fuistis facturi Iudæi, si se fuisset professus Ioannes Christum? Eratis ne in Ioannem crediturі? Nihil minùs. Vt enim signis*

*Orig. in cap. 1. Ioan. Chrisost. ho. 16. c. 1. Ioan. Hiero. de lo. Theophi. in. 1. cap. Io.*

*Hieron. ad Fabiolam.*

quæ in

Universidad de Deusto
Biblioteca



*quæ in natiuitate IESV sciebatis facta non credebatis, non ijs quæ ante xvij. annos in tẽplo, vel videratis, vel feciſſe intelligebatis, non prædicationi apertæ Ioannis de illo illis ijſdem diebus; ita minùs longè Ioanni de ſe prædicãti eratis creditu ri. Hæc igitur erat veſtra peruerſitas. Nec IESV credimus nec Ioanni; tamen ſuſcitemus calumniam IESV, animum Ioannis peruertamus, hunc aduerſus illum armemus; ita fiet vt & vtriuſque cõcidat exiſtimatio apud plebẽ cõcepta, & neuter nobis faceſſat negotium. Verùm vt Deus per ſe, & per Angelos, & per iuſtos homines i ludit Draconi quem formauit, ita ſolet peruerſitatem hominum, & iniqua conſilia in caput eorum retundere: vt vnde alijs illi perniciẽ machinabãtur, inde eorum calamitas proueniat. Iudæorum erat illa malitia; at Deus fecit vt ſibi ipſis vehemẽter illa interrogatione aduerſarẽtur. Nam cùm reſpondet Ioannes tam diſertè, tam cõſtanter; Non ſum ego Chriſtus; non ſum Elias, nõ ſum Propheta ille; Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quẽ vos neſcitis; Hic poſt me venturus eſt, qui antè me factus eſt, cuius ego non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti, tantùm abeſt vt me illi præferam: vbi hæc audiſtis Iudæi, intellexiſtis confutatam eſſe veſtram inſipientiam, contrà verò omnia quàm putabatis accidiſſe, conſecutum Ioannem eſſe ſuæ veritatis gloriam atque humilitatis, authoritatem IESV conciliatam eſſe illuſtriorem.*

## MEDITATIO.

SAlutaris planè doctrina hæc eſt, ſancte IESV, quã præſenti Euãgelio nobis proponis. Vtinàm ad eius myſteria penetremus te docente. Age bone IESV, quid nobis per Ioannem ſignificari voluiſti? Nonnè auxiliũ tuũ quod dicimus ſpeciale, & tuam præuenientem nos gratiam, & vocationem ad meliora? & huius nobis rationem & ſenſum explicaſti? Nam ſi ab hac gratia quæramus; tu quis es? confitebitur; nõ ſum ego Chriſtus; adhuc non ſum gratia iuſtificans, ſed ad iuſtificationem præparans, vel ad dona ſpiritus excellẽtiora inuitans. Elias ne es? reſpondebit, ſed dulciter & ſuauiter; non ſum. Zelo enim præparabat ad fidem Chriſti venturi Elias, fame, gladio, igne; non ita ego. Alioquin re Elias non ſum, efficacia ſum: ſiquidem vtor aliquando terroribus atque afflictionibus. Eriſnè igitur eximius ille Propheta? non ſum, reſpondebit. Is enim Chriſtus Dominus meus eſt, qui ego (vt dixi) non ſum. Quid igitur? quiſnàm es tu? ego, inquit, vox ſum clamantis Dei in deſerto animorum veſtrorum. Nõdum verbum, nondum perfecta notitia & ſalus, ſed tantùm vox, & verbi inditium. Quid autem per te clamat Deus? Parate viam Domino, diuinitati ipſi, verbo Dei. Prauitates veſtras corrigite, peruerſitates emendate, cõſcientias repurgate. Sed quo pacto hoc præſtare poterimus? vox Dei non ſolùm per me exeritur, ſed clamat, hoc eſt vehementer vos admonet & iuuat. Agite, ſurgite, accipite oblatam ſalũtem, cooperamini Dei virtuti. En illa in animis veſtris operatur, modò vos illam recipiatis, ac illi cooperemini. Singulare beneficium hoc eſt bone IESV, vt nos, qui ſumus adhuc in peccato, vel negligẽter dona tua ſequimur, & perfectioni virtutum nõ inſiſtimus, tua gratia præuenias, & quaſi ab alto ſomno excitatis inſeras vim tuam: qua non iuſtificamur quidẽ, ſed qua ad iuſtitiam nos præparemus te agente, ac diſponamus ad gratiam tuam, vel ad gratiæ tuæ augmentum; ſiue per ſacramenta, ſiue per pias operationes ex gratia tua efficaces conten lamus. Verùm illud quoque doces humilis & ſancte IESV, vt ſuauitatem humilitatis ſentiamus, te magnificemus, tua dona prædicemus, nihil nobis de tuis donis arrogemus; cognoſcamus verò noſtram confuſionem, & inertiã, & impoten tiam. Nihil voluit opinionis remanere in cordibus Iudæorum Ioãnes, quod ipſe eſſet Chriſtus, nihil ipſe cõmotus eſt illorum vel adulatione vel tentatione, ſed planè gloriam dedit Deo & Chriſto eius, ſuum miniſterium modeſtiſſimè eſt profeſſus. Da nobis Chriſte IESV, vt illum imitemur, & ita operemur, non vt ex nobis, ſed ex Dei gratia & virtute, plenã & ſolidam Deo de noſtris bonis gloriã demus. Profiteamur ſemper in cordibus noſtris ſeruos nos eſſe tuos, etſi inutiles. Nihil hæreat menti noſtræ interioris arrogãtiæ vel præſumptionis, vbi proſperè nobis cedũt noſtra ſpiritus exercitia & contemplationes. Caueamus ne vbi exultamus in ſpiritu, vbi in cõſolatione verſamur, Dæmonis aliqua fraus ſimili luce fucata ſubdolè ſurrepat. Nihil ſit nobis tutum, niſi quod plena humilitate condiatur atque nitatur in te.

DOMI-



# DOMINICA QVARTA

Aduentus. Ioannes concionatur.

MATH. III. MAR. I. LVC. III. IOAN. I. ANNO XXIX.

*In quartam imaginem adnotatiuncula.* iiij. 10.

*A.* Tiberius Cæſar.
*B.* Pontius Pilatus Præſes Iudææ.
*C.* Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ.
*D.* Philippus Herodis frater Tetrarcha Iturææ &c.
*E.* Lyſanias Abilinæ Tetrarcha. Hi ſuas prouincias repræſentant, & potentiam.
*F.* Duo ſummi Sacerdotes in templo.
*G.* Ioannes in deſerto & montanis Iudææ concionatur.
*H.* Concionatur deinde ad Bethabaram, ſiue Bethaniam trans Iordanem, & turbas ad benè & piè viuendum inſtituit.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. III. LVC. VII. MARC. I.

ANno autẽ quintodecimo imperij [a] Tiberij Cęſaris, procurante [b] Põtio Pilato Iudææ, Tetrarcha autẽ Galilææ [c] Herode, [d] Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituręæ & Trachonitidis regionis, & [e] Lyſania Abilinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotũ [f] Anna & Caipha, factum eſt verbum Dñi ſuper [g] Ioannẽ Zachariæ filiũ in deſerto. Et venit in omnem regionẽ Iordanis [h] prędicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

*Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & [e] dicens; Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnũ cælorũ.*

*Hic eſt enim de quo dictum eſt per Iſaiã prophetam dicentẽ;*

*Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuã Mal. 3. ante te.*

*Fuit Ioannes in deſerto [h] baptizans,*

Sicut ſcriptũ eſt in libro ſermonũ Iſaię prophetæ; Vox clamantis in deſerto; Parate viã Domini, rectas facite ſemitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas; & videbit omnis caro ſalutare Dei.

*Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentũ de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.*

*Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre.*

*Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius,*

*& locuſtas & mel ſylueſtre edebat.*

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. III. LVC. III. MAR. I.

h *Tunc exibat ad eũ Hieroſolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanẽ, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.*

*Videns autem multos Phariſeorum & Sadducæorũ venientes ad baptiſmum ſuum,*

*Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine.*

*Dixit eis;*

Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipſo;

*Progenies demõſtrauit*

Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?

*fructũ dignum pœnitentiæ: & ne velitis dicere intra vos;*

Facite ergo fructus dignos pœnitentię: & ne cœperitis dicere; Patrem habemus Abraham.

Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicẽ arborũ poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignẽ mittetur. Et interrogabant eũ turbę, dicentes; Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis; Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Venerunt autem & Publicani vt baptizarẽtur, & dixerũt ad illum; Magiſter, quid faciemus? At ille dixit ad illos; Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes; Quid faciemus & nos? Et ait illis; Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus;

*& prædicabat, dicens;*

Reſpondit Ioannes, dicens omnibus:

*Ego quidem baptizo vos in aqua in pœni-*

Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me poſt me, cuius non





MATTH. III. LVC. III. MARC. I.

*tentiã, qui autẽ poſt me venturus eſt fortior me eſt, cuius nõ ſum dignus calceamenta portare.*

ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.

*procumbens*

*& permundabit*

Ipſe vos baptizabit in Spiritu sãcto & igni: cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

*Ego baptizaui vos aqua; ille autẽ baptizabit vos Spiritu ſancto.*

## ADNOTATIO.

*A.* TIberius Cæſar Cæſaris Auguſti priuignus cum exercitu, vt ſimul Imperium Romanum repræſentetur. Et tamen Roma, vel Romanum Imperium (quod orbis terrarum eſſe Romani iactabant) nihil Indiarum, vel Perſidis, ni ſil plurium orientalium regionum, nihil vltrà Danubium obtinuit. Daniel tamen illum Monarchiam quartam deſcribit. Ita enim ſummę in terris potentię, & præter cæteras omnes eminentes, orbi imperaſſe exiſtimatæ ſunt ſemper.

*B.* Pontius Pilatus ciuis Romanus Iudææ Procurator ſeu Præſes, hoc eſt eius partis, quæ ceſſerat Archelao filio ex patris Herodis maioris teſtamento à Cæſare confirmato. Ea fuit dimidia pars ditionis quæ Herodis fuerat, vera ſcilicet Iudæa, hoc eſt tribus duæ, Iudæ & Beniamin; Idumea et præterea & Samaria, quæ complectebatur tribum Ephraim, & dimidiam Manaſſe. Etenim damnato Archelao tyrannidis à Tiberio Cæſare, accuſantibus Iudæis & Samaritanis, multato omni pecunia, & miſſo Viennam Galliæ prouinciæ in exilium (redacto eius regno & ethnarchia in prouinciam) miſſus eſt quintus Procurator Pontius Pilatus, ſuccedens Grato.

*C.* Herodes Antipas Herodis Antipatri ſiue maioris filius Galilææ Tetrarcha. Hic ex teſtamento patris, & confirmatione Tiberij Cæſaris obtinuit quartam partẽ regni Antipatri, dimidiam ſcilicet eius partis quæ reliqua erat, data Iudæa, Idumæa, & Samaria Archelao. Ea erat Galilæa & Perea, hoc eſt regio trans Iordanẽ, tribum ſcilicet Gad & Ruben, & dimidiam Manaſſe continens. Eam vocant nonnulli Peram, eius habitatores Ioſephus Tranſiordanenſes.

*D.* Philippus eiuſdem Antipatri filius Iturææ Tetrarcha & Trachonitidis regionis. Hic ſucceſſit ex patris teſtamento, & confirmatione Tiberij in Trachonitida, Auranitiden, Bethaniam, & Paneada. Quæ omnia Euangeliſta complectitur ſub Ituræa & Trachonitide. Cæterùm cum mirè hic varient ſcriptores, ſequenda eſt vnicè Euangelica veritas: alijs iure ſuo præponendus eſt Ioſephus. Ex Luca tamen non habemus quonam loco fuerint illæ regiones. Ioſephus Trachonitidem dicit habitaſſe Vs progenitorem Iob. Erit igitur Trachonitis trans Iordanem regio, ſupra mare Galilææ (vbi traditio ponit ſepulchrũ Iob) è regione Meron's lacus, excurrens ſupernè ad Paneada. Hanc locat Hieronymus ex Euſebio iuxtà deſertum Arabiæ, quod Boſræ iungitur. Exponit rurſus eſſe Trachonitida trans Boſrã Arabiæ ciuitatem, in deſerto contra auſtralẽ plagã, quaſi ad Damaſcum reſpiciens. Cæterùm Ituræa pars eſt Trachonitidis ad montem Antilibanũ; veluti ſi dicas ab Ituræa principiũ accipere Trachonitida, quò ſpectaſſe videtur Lucas.

*E.* Lyſanias. Hic non fuit Herodis Antipatri filius, qui tribus filijs diuiſit ſuam omnem ditionẽ, Archelao, Antipæ, & Philippo; ſed ex genere Ptolemei Mennæi, & Aſamonæorum. Nõ tamẽ fuit hic Lyſanias Tetrarcha filius Ptolemæi Mẽnei, vt credit quidam: ille enim ſucceſſit Ptolemæo patri, ſed interfectus eſt à Cleopatra, Antonio conniuente, longè ante Chriſtum, non ſoùm concionantem, ſed natum. Natus enim eſt Chriſtus xlij. Anno Imperij Auguſti Cæſaris. Fuit igitur alius Lyſanias, Ptolemæi ex hoc Lyſania nepos. Ptolemæum verò Dynaſtiã ſuam habuiſſe in monte Libano & vicina Cæle-Syria certum eſt ex Ioſepho, qui Ptolemæum dicit incolam Libani, & alibi Ptolemæum Mẽnei Dynaſtã Chalcidis, quæ ſita eſt in monte Libano. Regionem autem quæ eſt inter Libanum & Antilibanum, Abilinam vocari conſtat, ex vrbe Abila, quam in ea regione Hieronymus ſtatuit; Ptolemæus itẽ, & alij Geographi: quam ſimul Liſanium appellant

Ioſeph. lib. 17. cap. 12. Idem li. 17. Ant. cap. 15.

Idem li. 18. Ant. cap. 3.

Idem 17 Ant. ca. 10 & 13.

Idem li. 17. Ant. cap. 13.

li. 1. Antichonitidem dicit habitaſſe Vs progenitorem Iob. cap. 14. vel 7.

Ioſeph. Ant. 14. cap 23. Idẽ An. 15. cap. 4.

Idem de bel. Iud. 1. cap. 7.

De locis hebr.

Universidad de Deusto
Biblioteca



dant alij etiam recentiores, qui addunt vulgò Libanum dictum Abilinam. Regio ampla est si Libano & Antilibano iungas Cœles partem. Illud postremò attingendum, Tetrarchiam hoc loco accipi pro Ethnarchia, siue Dynastia, vt asolet.

F. Designantur duo summi sacerdotes in templo, Annas & Caiphas: ille exercens ministerium, quasi illius anni Pontifex; hic cessans à ministerio: vt alternas vices habuisse intelligantur
Lo.11. Annas & Caiphas; & Caiphas eius anni quo passus est Christus fuisse summus sacerdos, verus quidem, tametsi malis artibus in sacerdotium arrogatus. Et verò verbis Euangelistarum necessum est simpliciter niti. Nam ex historia externa parum lucis reperio. Tantùm Iosephus narLib. Ant. 20. cap. 18. rat successionem Pontificum vsque ad conflagrationem templi sub Tito; & ereptum quidem Pontificatũ ex prosapia Asamonæorum, hoc est Machabæorum ab Herode Antipatro, & concessum quibusuis ex Sacerdotum ordine, etiam obscuris hominibus. Hunc est imitatus Archelaus, & Romani, redacta in prouinciam Iudæa. Itaque tota potestas summi Pontificis eligendi in regia fuit potestate: inde stolæ Pontificalis asseruatio in Antonia, inde nundinatio summi sacerdotij, & varietas Pontificum. Vt quisque enim magis pecunia abundabat, & erat ambitiosus magis, eò
Ioseph. 18. Ant. cap. 4. erat frequentius Pontifex. Hinc illa Valerij Gratti, cui successit Pilatus, tam crebra Pontificum mutatio. Itaque rem eo simul videmus peruenisse, vt certum genus esset, quod Pontificij nundinationem sibi arrogaret; id dicebatur genus summi sacerdotij. Hoc est quod in actibus Apostolorum recenset Lucas, conuenisse Annam, Caiphã,
Cap.4. Ioannem, & Alexandrum, & quotquot, erant ex genere Sacerdotali; quod græcè est ὁυ γένους ἀρχιερατικῆς. In hoc genere primarij fuerunt Annas & Caiphas. Cum his faciunt quæ à doctoribus Ecclesiasticis traduntur. Quæ cum ita sint, simpliciter libet ad verbum interpretari, quo anno exorsus est suam prædicationem Ioannes, eo anno simul fuisse duos summos Sacerdotes, Annam & Caipham, & alternis functos sacerdotio, vt a-
11.cap. pertè ostendit Ioannes in Euangelio.

Hæc descriptio temporis tã accurata, quoad eius fieri potuit, suis imaginis partibus est designata. Celebratur autẽ initiũ Euangelij omnis potestatis humanæ cõmemoratione, vt significetur, excisum lapidem illũ è monte sine manibus, conceptũ videlicet sine viri opere Christũ de Spiritu sancto, qui omnia Orbis terrarũ Regna cõtereret & aboleret, Sacerdotiũ etiam Leuiticum abrogaret, & Regnũ suũ & Sacerdotiũ sempiternũ statueret.

G. Ioannes in deserto & montanis Iudææ, vbi primùm factum est ad ipsum verbum Domini, vnde ad prædicandam pœnitentiam, & baptizandum missus est in omnem regionem, & trans, & citra Iordanem, à Macherante Pellã vsque ad mare Tiberiadis. Missus enim erat Ioannes non ad prædicandum tantummodo, sed simul ad baptizandum. Propterea erat in deserto quidem, sed iuxta Iordanem, vel etiam in locis vbi esset copia aquarum, vt in regione Aenon iuxta Salim, non longe à lacu Geneareth: quasi videas Ioannem celebritati IESV cedere, & Bethabara, siue Bethania relicta ad superiora Iordanis prædicationem & baptismũ exercere.

H. Ioannes concionatur ad Bethaniam in ripa Iordanis. Erant Pharisæi auditores, Sadducæi, Publicani suspensis ad Zonam loculis, tenentes manu tabulas; milites armis insignes, tum turba plebis. Sensum hic mentis omnium contemplare: Ioannis excellentem vim spiritus, & virtutum omnium plenitudinem, summam authoritatem, grauitatem verendam, turbæ simplicitatẽ, animos Pharisæorum & Sadducæorum inter se dissidentes, sectarum variam curiositatem & ambitionem, dum vtriquæ patronum suæ hæreseos Ioannem exoptant; Publicanorum distractum animum, hinc perpetua lucri cupiditate, illinc conscientiæ stimulis; militum tædium bellandi; suspensos rei nouitate animos omnium, & ad aliquam vel pietatem, vel pietatis speciem erectos. Illud præterea animaduertendum, alias hominum nationes petere à Ioanne, quo pacto piè viuerent, non Pharisæorum & Sadducæorum. Illis respondet placidè Ioannes, hos acerbè reprehendit. Nos etiam docuit Ioannes vestitus, cibi, & eremi austeritate, pœnitentiam vt amplectamur, illam etiam exteriorem; doctrinæ verò sinceritate, vt iuxta suam vocationem singuli bonas actiones sectemur; tum baptismo, qui ad Christum viam parabat, vt bona opera etiam ad iustificationem præparatoria exerceamus. Deterret verò nos omnes, ne velimus confidere duntaxat, quòd Christiani sumus, quod in Christum credimus, quod Deus pro nobis mortuus est & resurrexit. Hæc quidem prosunt, si fructus dignos pœnitentiæ faciamus, sic̃; illa, quæ antea præscripsit Ioannes. Quæ si negligamus, audiemus absque vlla dubitatione quæ dixit seuerissimè Ioannes Pharisæis & Sadducæis; audiemus quæ Christus ipse comminatus est; Cur dicitis mihi Domine, Domine, & meam voluntatem non facitis? Amen dico vobis, nunquã noui vos; discedite à me omnes qui iniquitatẽ operamini.

MEDI-



## MEDITATIO.

QVænam est hæc bone IESV humanæ potentiæ tam accurata descriptio? Quorsum spectat? Tenet Imperium Romanum Tiberius Nero, procurat Iudææ Põtius Pilatus, Herodes, Philippus, Lysanias in Galilæa, in Ituræa & Trachonitide, in Abilina suos Principatus gerunt. Principes verò Sacerdotũ sunt duo, Annas & Caiphas; non est vnus, vt oportuit. Quid hęc sibi volunt Domine? Eras
Dan. 2. videlicet iam è monte excisus lapis tu Christe IESV, qui esses omnem Orbis potentiam
2.ad. Coloss. conteriturus. Incipis igitur hos omnes in triũphum producere. Incipis per Ioannis prædicationem exspoliare Principatus & Potestates, ac traducere confidenter, palàm triũphaturus omnes in temetipso è cruce. Et hos qui dem voluisti nominari Principes, sub quorũ Imperio vel Sacerdotio morte tua Mortem, Infernum, Sathanam, nedum hanc potentiã superasti. Illud verò grauissimè notasti, quòd ruinam Sacerdotij Mosaici portendebat; duos scilicet fuisse summos Sacerdotes: labes enim erat propediem extinguẽdi veteris Sacerdotij. Verùm quid paras aduersus mundi & Sathanæ potestatem? Quem mittis exercitum? Ego solus sum exercitus & acies Dei viuentis. Qui etsi nunc primùm visibilis appareo, gessi tamen anteà bellum aduersus alia omnia Regna, illa conculcaui per verbum meum, per mea mirabilia opera, per meos milites. Mitto autẽ hoc tẽpore ante me quasi Primipilũ, fortissimum militem Ioannem, qui hostes meos exagitet. Sed quid est Domine, quod paucos, quod singulares in aciem producis? Nunquã sunt pauci, nunquam singulares. Vt enim ego solus sum exercitus Regni cælestis, quia solus nunquam fui, nunquam sum; sed Pater & Spiritus sanctus mecum semper sunt, mecum belligerant, mihi prẽsto est omnis Angelica militia, mihi omnis creatura subseruit meo nutu. Ira quos mitto, soli non sunt, sed ego cum illis sum. Mitto etiã Angelos meos, qui illos comitentur & iuuent. Sed arma quibus bellum geris, magne IESV, & quibus serui tui, vellem quæ sint intelligere. Mea arma, verbum est meum, & mea potentia infinita; quæ vna eademque est Trinitatis diuinæ. Sed nolui solis his armis vti, nec sola potentia (quod poteram) debellare hostem Sathanam; sed infirmitatem, humilitatem, ignominiam, labores, mortem elegi, quibus armis cominus depugnarem & vincerem. Huiusmodi arma dedi meis. Per hæc vicerunt præteriti mei milites, per hæc loãnes superabit, per hæc futuri mei milites. Potentiam enim meam Ioanni communicaui; sed quam exercet (quemadmodum ego feci) per infirmitatem & humilitatem vitæ, & prædicationis efficaciam. Vixit in deserto à puero, abiectè vestitus est, atque adeò horridè; cibo vsus melle syluestri & locustis; pœnitentiam egit ad trigesimum vsque annum seuerissimam. Hinc progressus est ad parandam mihi viam, per baptismi, per confessionis peccatorum, & per emendationis vitæ prædicationem. Sic ad Regnum cælorum, quod ego eram in mundum inuecturus, corda hominũ præparabat; sed præparabat tantùm, quæ erant à me consummanda. Nam initia quædã erant baptismi mei, meæ confessionis, meæ pœnitentiæ, quę Ioannes prædicabat; non ipsa sacramenta, non ipsa mysteriorum perfectio. Fac benigne IESV, vt nobis imitatio Ioannis sit dulcis, sit efficax; ne vim vnquam & animi intẽtionem, & exercitium pœnitentiæ negligamus. Ita fac sancte Domine. Intercede tu etiã pro nobis plusquam prophera Ioannes, vt te totum concipiamus, tuos mores cordi imprimamus, gratiæ perfectæ nos paremus; vt Christi passiones, gloria, atque Euangelij prędicatio sit in nobis fructuosa. Verùm illud etiam vellẽ de tua gratia intelligere, suauis IESV; Quid est quod Ioannes nihil ferè vitæ perfectionis prædicat; tantùm debita singulis officia præscribit? Eleemosynã turbę, Publicanis vt statuta seruent illis tradita, militibus nè quenquam vel per concussionem, vel per calumniam lędant, vt sint suis stipendijs contenti. Non erat Ioannis munus perfectionẽ Euãgelicæ legis hominibus prędicare; sed tãtùm eius ministerium prępparatorium erat ad lucem, ad veritatem Euangelij, & Regni cęlorum, & vitę perfectionem quam ego eram instituturus. Illud prędicabat Ioannes, quod magnum habebat momentum ad vitę perfectionem capessendam. Si mandata Dei seruetis, si pœnitentiam sectemini, si eleemosynas erogetis: hęc facient vt agnoscatis deesse aliquid vobis, & audiatis me consulentem; Vade, vẽde omnia quæ habes, da pauperibus & sequere me. Ita est Domine IESV, ita est.

Da igitur sancte IESV, vt dignos pœnitentiæ fructus faciamus.

Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# NATIVITAS CHRISTI.

## Lvc. 11. Anno 1.

*In v. imaginem adnotatiuncula.* v. 3.

*A.* Bethlehem ciuitas Dauid.
*B.* Forum, vbi soluitur tributum.
*C.* Spelunca, vbi natus est Christus.
*D.* IESVS recens natus ante præsepe humi in fœno iacens, quem pannis virgo Mater inuoluit.
*E.* Angeli adorant puerum natum.
*F.* Ad præsepe bos & asinus nouo lumine commoti.
*G.* Lux è Christo nato fugat tenebras noctis.
*H.* Turris Heder, id est gregis.
*I.* Pastores ad turrim cum gregibus.
*K.* Angelus apparet Pastoribus, & cum eo militia cælestis exercitus.
*L.* Angelus, qui piè creditur missus in Limbum ad Patres nuncius.
*M.* Stella & Angelus ad Magos missi, eos primũ ad iter impellunt.

## EVANGELIVM MISSÆ.

FActum est autem in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt [b] describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ [c] Cirino. Et ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazareth, in Iudeam ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur [a] Bethlehem, eò quòd esset de domo & familia Dauid, vt [b] profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante. Factum est autem cùm essent [c] ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et [d] peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in [f] præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et [i] pastores erant in [h] regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce [k] Angelus Domini stetit iuxtà illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus; Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie vobis Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis Infantem pannis inuolutum, & positũ in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo [k] multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* Bethlehem, quæ est Ephrata, ciuitas Dauid in tribu Iuda ad Austrum, sex milliaribus ab Hierosolymis in monticulo sita. *Mich. 5. Hiero. in locis.*

*B.* Forum Bethlehem, vbi mense assidet Exactor tributi; vnus dissoluit, alij conueniunt soluturi.

*C.* Spelunca, Foramen etiam vocat Hieronymus, vbi natus est IESVS. In parte verò interiori excauatum in rupe erat præsepium. Est autem simile sepulchrum Christi; hic excauatur præsepe post spelũcam, illic sepulchrum. Loci sacratissimi humilitatem considera, simul & maiestatem. Nihil enim illinc potuit esse abiectius, nihil hinc augustiùs. *Hieroni. ad Marcell. & in epi. Pau. Beda in lib. de loc. sanct. Brocar.*

*D.* IESVS recens natus in spelunca ante præsepe fœno exceptus, humi vagiens, & manus ad matrem tendens: simul spiritus exultatione, atque animi suauitate plena virgo Mater, & adorabunda, pannis & fascijs quæ parauerat, infantem Deum frigentem aggreditur cõtinuò inuoluere & fouere. In his verò mysterijs Mariam contemplare suam virginalẽ integritatem tenentem, nullius muliebrium ministeriorum indigentem, excelsa mente in filij natiuitatem, tum æternam ex Patre, tum temporalẽ ex se, laudibus, & spiritus exultatione leuatam quidẽ, & mẽte & corde, obsequia tamẽ omnia in filium obeuntẽ officiosissimè: Ioseph verò totum esse in Pueri admiratione & adoratione.

*E.* Angeli è cælo ad Bethlehem & præsepiũ spectantes, & ex his plurimi aëra & terram tenentes adorant natum ex virgine puerum, Regẽ ipsorum & Dominum, & cælestia encomia illi concinunt.

*F.* Ad præsepe quod diximus excauatum in rupe, bos & asinus alligati, sed erectis capitibus, & ad locum natiuitatis conuersis, quasi sentiant insolitum quid stabulum pati.

*G.* Nox cum esset, ea aëris obscuritate repræsentatur, sed ita tamen, vt ex infante Deo, qui in orbem terrarum lucem afferebat cælestẽ, emicans lux speluncam illustret.

*H.* Turris Heder, id est gregis, ad quam tabernaculum extendit Iacob, & gregem pascere solebat, vno milliari à Bethlehem ad Orientem.

*I.* Ibi pastores vigilantes in agro, & custodientes vigilias noctis, siue excubias agentes super gregem, magno timore perculsi è visione Angeli. Greges & canes obstupescunt ad luminis nouitatem.

*K.* Supernè enim Pastoribus imminet Angelus, claritas Dei circumfulget eos, timent magno timore, recipiunt se à timore, audiunt ab Angelo esse Christum natum. Adest ad Angelum multitudo cælestis militiæ laudantium Deum, ac dicentium; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

*L.* Angelus, quem (vt piè meditamur) puer Deus mittit ad Patres in Limbum, vt nunciet ipsum recens natum hominem. Antrum autem non describitur quòd necessum fuerit terram aperiri vt locus daretur spiritui Angelico, sed vt sensus apprehendat penetrasse.

*M.* Stella, & Angelus qui illam mouebat: hic à puero IESV missus, illa tum primùm condita; cuius indicio, & Angeli reuelatione excitati Reges Magi, incipiunt se ad iter parare in suo Regno singuli. Statim enim nato Christo illa intelligimus facta; missum Angelum vnum ad Pastores, tum exercitum Angelorum, aliũ Angelum in Limbum ad Patres, tertium ad Magos Reges in Orientem. Ita omnium hominum generi manifestatus est Christus recens natus. Ita celebratur in terra, sub terra, & in cælis Dei infinita benignitas in mortales. Nam quis dubitet Angelos omnes in cælis Dei hominis natiuitatẽ celebrasse diuinis præconijs, vnde intelligebant ruinas suorum æqualium esse reficiendas gloriosissimè, per infantem Deum recens natum in terris? Non solùm ab Angelis in cælo, in terra ab hominibus, & sub terra præclaræ fiunt gratulationes Deo homini nato, sed quasi gestiunt cæli, elementa, creatura omnis adorare Deum natum, & gratulari: & quasi sentiunt se esse nobilitata diuinitatis consortio. Exultat cælum, terra, omnia: naturalis spes exuendæ corruptionis, vel corruptioni non seruiendi in omni creatura incitatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# IN NOCTE
# MEDITATIO.

NAsceris hodiè, patue puer IESV, ex humili Virgine in ſtabulo Bethlehemico, fœnoexciperis, vagiēs, frigēs, pauperculus, pannis inuolueris, reclinaris in præſepio, quia nō erat vobis locus, ne in diuerſorio quidem. *Luc.2.* Quid hic primùm mirabimur? Quid prædicabimus? Quid primùm contemplabimur? Acriter quidem hæc monent nos; verùm alia ſunt quæ nos attrahunt vehementiùs, vt per illa his vehemētiſsimè moueamur, & dulciſsimè reficiamur. Sed quænam illa ſunt vehementiora? Aliæ duæ natiuitates tuæ magne IESV. O rei ineffabilē magnitudinem & maieſtatem. Naſceris homo in ſtabulo, qui ſimul in æternitate naſceris lux infinita, verbum immenſum; hodie inquā à Patre generaris, Deus de Deo, Deus ipſe Patri conſubſtantialis. Nam in æternitate cum ſemper ſis natus, ſemper tamen naſceris, nunquàm naſci ex Patre deſinis. Eſt igitur infinita in hac tua humili natiuitate maieſtas, potentia, diuinitas; immenſa in æternitate natiuitas & generatio. Sed alia item fuit tua natiuitas incōparabilis myſterij, & ſecundum æternam generationem maximi, quando Deus ipſe omnipotens, ſplendor gloriæ, & figura immenſæ Patris ſubſtātiæ factus es homo ex ſolius virginis ſubſtantia, in eius vtero ex qua nunc naſceris. *Leo epi. 10.* Salua enim vtriuſque ſubſtantiæ proprietate, & in vnam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate tua humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate tua mortalitas. Hæc excelſa myſteria & infinita nos attrahunt. Debent quidem certè nos, vbi videmus Chriſtū naſci, vehemētiùs quàm quæ nō videmus cōmouere; vt his quæ videmus vehementiſſimè moueamur, & reficiamur ſuauiſſimè. Non commouent tamen, bone & ſancte Infans. Hæc quidem noſtra ſpiritus inertia eſt, noſtra fidei & donorum tuorum negligentia. Quis enim, ſi paulò diligentiùs Dei donis inſiſteret, non hîc impleretur cordis primùm ſuauitate & guſtu, deinde luce cœleſti, & quaſi diuinitate occuparetur? virtutem infinitam, gloriam, maieſtatem Dei immenſam contemplaretur, & diuino iubilo laudaret, per te Chriſte IESV in fœno exceptū, ex immaculatæ virginis vtero ſacroſancto natum, vagientem, pauperculum, frigentem, panniculis inuolutum? His nos tuis mirabilibus imbue bone puer IESV. Tū illud aueo ſcire, quid tu operabaris, quid faciebas in vtero Matris virginis totos nouem menſes? & quid ex vtero? Quid tu cenſes? credis quidem omnia quæ ego tibi exponam, ſed credis ieiunè & aridè, credis abſque præſenti, abſque idonea conſideratione. In vtero Matris cum eſſem, ſpirabā ego cū Patre vna ſpiratione, vn a virtute Spiritum ſanctum paracletum in æternitate; Angelos, cælum, orbem terræ vniuerſæ cum Patre & Spiritu ſancto infinita diuinitatis potentia & ſapientia conſeruabam & gubernabam; ego Angelis gloriam ęternam largiebar, Dæmonibus damnationem æternam irrogabā, regnabam in æternum Deus omnipotens, Matris virginis mentem, ſpiritum, animum, mea præſentia, mea virtute implebam. Suppeditabat illa mihi corporalem ſubſtantiam & nutritionem me agente; ego illam diuinæ meæ naturæ conſortem vberiùs in dies faciebam. Creſcebā ego ex illa in horas corpore, illa ſpiritu ex me. Ego in Matre, ex Matre viuebam, illa ex me & per me. Vtrinque in vtero clauſus generabar, illinc à Patre, hinc à matre; illinc infinitam plenitudinem diuinitatis accipiebam, hinc in plenitudine & perfectione humanitatis augmentum. Non operabātur corporis mei ſenſus præter communē hominum conſuetudinem vel naturam, operabatur ſupra, non ſolùm hominem, ſed Angelorum etiam naturam & facultatē mens mea diuinitùs. Erat enim anima mea in delicijs cę leſtis Paradiſi, erat ſumma felicitate donata. In duplici igitur eras ſinu, magne & parue IESV, in Patris æterno potentiſſimè, in Matris, vt humillimè, ita dulciſſimè. Nō loquebaris, viuebas in Matre, & tamē mortaliū ſalutē operabaris & merebaris apud Patrē. Verè tu eras Deus abſcōditus, Saluator ex vtero & in vtero & Patris & Matris. Aperuiſti mihi Domine excelſa myſteria; aperi reliqua per hæc benigne Paruule. Eram quidē in vtero Matris clauſus neceſſitate meæ humanitatis, verū ge ſtiebam atque exultabā vt gigas ad viam meā *Pſal.18.* currendam. Deſiderabam ex vtero dulciſſimo prodire, cupiebam naſci in veſtram hāc mortalitatem, bellum gerere cum Sathana, Mundo, Carne, Morte, & Inferno. Illinc in magnitudine virtutis, in indignatione iræ & zeli mei, terribilis omnibus Dæmonibus & hominibus; hinc in infirmitate humanitatis meæ humilis, & manſuetus, & infirmus. Naſcere:

Veni



ueni ad nos ſancte Puer. O inenarrabilem Diuinitatis benignitatem. O myſterium Dei excellentiſſimum. Peperit te Deum & hominem Virgo ſanctiſſima, inuiolata eius virginitate ſacroſancta. *Hier. cōtra Heluidium.* Nullus ibi dolor, nihil cæterarum neceſſitatum communium, nulla ibi obſtetrix, nulla mulierculārū ſedulitas interceſſit. Ipſa vegeta, & ſumma ſpiritus ſuauitate exultās Virgo Deum hominem parit, adorat, fouet, pannis inuoluit. Ipſa obſtetrix & mater eſt. Angeli famulātur Regi ſuo infanti & Reginæ Matri ſi quid miniſterij eſt obeūdū. Fœnum parant quo excipiatur, angelicis manibus excipiunt naſcentem, humi ſuper fœnum reponunt honorificentiſſimè Paruulum. Explica mihi obſecro, ſancte IESV, per Eſaiā, tuā natiuitatem. Natus hodie ſum humilis puer vobis mortalibus, non mihi, non Angelis, nō *Ad Titum 3.* Deo; vos ſoli mea natiuitate & humanitate egebatis. *Eſaiæ.9.* Propter vos homines apparuit mea humanitas. Neque ſolùm vobis mortalibus natus, ſed vobis datus ſum, id eſt propter vos, laboribus, pœnis, afflictionibus huius mortalitatis innumerabilibus. Traditus etiam truculentiſſimis latronibus ad mortem, ad contumelias infinitas & cruciatus. Hæc enim in veſtram vitam & ſalutem fuerunt omnia collocata atque tradita. Datus ſum vobis præterea qui veſter eram Dominus & Deus, vt ve- *Matth. 20.* ſter eſſem frater. Sum factus & amicus, & adiutor veſter, & miniſter: factus ſum veſter Ma- *Ioan, 13. 14.* giſter, veſtra via, ſalus, veritas & vita, virtus veſtra & gloria, veſtra ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. *1. Cor. 1. Col. 2.* Theſauri ſapientiæ, ſcientiæ, & diuinitatis, qui in me ſunt reconditi, per me, atque in me dati ſunt vobis, intra vos ſimiliter reconditi ſunt. Ego veſter ſum veſtitus cæleſtis. Denique ſum datus vobis in cibum & potum; ego veſtra ſum nutritio. A- *Cant. 5.* gite comedite, bibite, ſatiamini, inebriamini cariſſimi ab uberibus meæ cæleſtis & diuinæ ſapientiæ, & ſuauitatis, & gratiæ. Hæc omnia vobis data ſunt mecum & per me. Vtimini, cooperamini infinitæ virtuti quæ vobis mecum data eſt & per me: in vobis efficax erit ſi velitis. O ineffabilem tuam & adorandā, bo- *Pſal.81.* ne & ſancte IESV, in nos benignitat ē, ô immenſa beneficia. Hoc eſt videlicet quod referente Dauid loquutus eſt per te & in te Pater ęternus: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Ita eſt Domine; ſed terrent me quæ ſubdit: Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis. Niſi quod intelligo cōminationem hanc eſſe Patris tui, & prędictionem eorum qui pereunt. Quæ cōminatio, quæ prædictio facit, vt maiorem nos ſpem concipere debeamus in te. Nam propterea tam vehemēter Pater tuus loquitur, quod vehemēter noſtrā ſalutē appetat, & nos acriter deterrere à vitijs velit, & ad ſe allicere. Natus es ergo Ieſu benigne nobis, datus es nobis Sed quod das tuæ potentiæ inſigne? Principatus mei inſigne gero excellētiſſimū ſuper humerum meū, crucem meā. Illud enim primū *Eſai. 9.* prodiens in orbem terræ egi, quod ſemper in vtero matris egeram, ac ſemper deinde egi. Obtuli meam crucem & mortem Patri pro vobis. Hic eſt meus Principatus, hoc meum Imperium. Per hęc ego Sathanam, Infernum, Mortem, Peccatum triumphabo. Per hæc regnabo ego in æternum, ac ſedebo ad dexteram Patris, qui ſemper ſum in ſinu Patris. Per hæc mecum omnes Electi Patris mei regnabunt. In infirmitate itaque tua ſumma, hoc eſt morte ignominiæ plena feciſti virtutem Domine, & ſpem ac refugium nobis collocaſti. Sed quod nomē imponit tibi Pater naſcenti? Audiam ex te obſecro magne Puer. Video Domine, imponit nomina ſex, per quæ interpretatur quod iam de te prædixerat Eſaias, EMMANVEL, id eſt nobiſcum Deus: & Hie- *Hieron. in 9. cap. Eſai.* remias dixerat, DOMINVS IVSTITIA NOSTRA: & quod vocatum eſt *Eſai. 7.* ab Angelo priuſquàm in vtero concipereris, *Hier. 23* IESVS. Primùm igitur è ſex nominibus *33.* eſt, ADMIRABILIS. Reuera admirabile eſt nomen tuum, arduum, & ſublime, EMMANVEL noſter, Domine iuſte noſter, noſter IESV; ſupra & Angelorū & hominū captū. Nam nomē tibi יהוה tetragrammaton, ineffabile nomen, infinitum nomen, pelagus immēſum ſubſtantiæ infinitæ, quæ eſt tua & Patris diuinitas: hoc eſt tibi nomen in ęternum. Factum eſt planè tuum nomen in tua conceptione, in tua natiuitate, in tua vita, in morte, in alijs omnibus myſterijs mirabile & glorioſum. Atque adeò quid in te eſt quod miraculum Dei non ſit? Illinc Deus es, hinc homo; vnus tamen Chriſtus, vna perſona diuina. Operaris illinc vt Deus, quo quid eſt mirabilius? hinc vt homo, quod ſummum eſt miraculum; vt Deus opera noſtra opereris, & ſuſtineas infirmitates noſtras. Quod eſt prę- *Eſai.28.* terea nomen? CONSILIARIVS. Tu *Eſai. 9.* enim es ille magni conſilij Angelus. Mirabile planè & diuinum fuit conſilium tuę carnis *ex 70.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



œconomia, ſummæ miſerationis conſilium. Non enim alia via erat, redimendi mortales; ſed hanc tu ſolam elegiſti, vt tuæ gloriæ & bonitati honorificentiſſimam, iuſtitiæ tuæ conuenientiſſimã, hominibus verò fructuoſiſſimam, & ſummi exempli plenam. Tu autem illa etiam ratione nominatim huius excelſi myſterij diceris conſiliarius, quod in tua perſona erat futura hæc diſpenſatio humanitatis, & tuo ſanguine & cruce erat tibi luendũ quicquid in mortalitate noſtra eſſet peccati, ac promerendum quicquid gratiæ, quicquid donorum ſperarerur. Inde porrò peculiariter accepiſti Domine munus illud nobis conſulendi, nos ſemper ad meliora promouendi. Sed quod eſt aliud nomẽ tuũ, parue Puer? DEVS. Virtus infinita natus ſum ego, qui eram in principio apud Patrem eadem potentia. Eram Dei brachium immenſum, & digitus, vtrumque enim extendit Deus in natiuitate mea in hoſtes ſuos ad mortalium liberationem & ſalutem. Docuit manus meas ad præliandũ co-
*Pſ.143.* minùs in carne mea; digitos quaſi eminùs per meos milites ad gerendum bellũ & cõficiendum, ad conſummationem vſque ſæculi, quãdo ponam omnes inimicos ſub pedibus Patris. Magnum eſt hoc nomen tuum bone IESV. Expone mihi quartũ, hoc eſt FORTIS. Ego cum ſim Emmanuel, id eſt vobiſcũ Deus potens, ſũ ſimul vobis homo fortis vtraque fortitudine, & infinita Patris, & meæ natiuitatis, & paſſionum, & mortis quam paſſurus ſum. Finita quidem hac & creata; ſed quę Dei ſit, & meritum habeat infinitum. Sum ego for-
*Hier.20.* tis ille Gibbor, quem ſecum eſſe dixit Hieremias Propheta in perſona Eccleſiæ. Dominus (inquit) mecũ eſt, bellator fortis. Fortior enim
*Luc.11.* robuſtior, validior ego adueni, quã fortis Sathan armatus. Hunc ſuperueniens vincam, & arma illius vniuerſa auferam in quibus confidit, & ſpolia eius diſpenſabo. Duo remanent nomina; PATER futuri ſæculi, & PRINCEPS pacis, per quę me diuinitùs recreas benigne IESV. Vidi enim te hactenus naſcentem nobis, donatum nobis, vidi geſtãtem crucis tuę Imperium ſuper humerum tuum. Admirabilem te ſum contemplatus, conſiliũ & decretum redemptionis humanę orbi inferentem, potentem Deum, robuſtiſſimum hominem; quę omnia partim tuam humilitatẽ, partim tuam maieſtatem demonſtrant, tuam potentiam exerunt, tua prelia, tuas victorias prędicant. Per hęc autem duo vltima victorię tuę fructum communicas. Naſcéris enim Pater futuri ſęculi, id eſt futurę noſtrę ęternitatis auctor, & effector Regni cęlorum. Naſceris noſter puer & frater, ſed & ſimul efficeris noſtrę diuinę generationis, & vitę, & œconomię, & politię auctor & gubernator, futurę noſtræ beatitudinis generator. O rem omni admiratione ſuperiorem. Regnum ſuum æternũ vt Deus inferat, atque adeò inferat noſtræ mortalitati per diuina ſua dona; det filiũ qui vita ſit noſtra & ſalus ſempiterna, qui nos conſortes ſuæ naturæ faciat, qui nos in cælum aſſerat è terra, qui cælũ terræ coniungat. Verè tu Pater es magnus & omnipotẽs parue puer, omnis vitæ ſpiritualis, omnis gratiæ, omniũ donorũ cæleſtium, noſtræ æternæ beatitudinis & gloriæ. Nõ ſolùm enim gratia tua & veritate ſalutem peperiſti ſempiternam, ſed viæ nobis fuiſti dux, & magiſter, & princeps; ſine quo ad illam vitam contendere non poteramus. Eramus omnes tui & Patris æterni hoſtes, cum Sathana, mũdo, carne. Pro peccato, pro morte, pro inferno bellum contra te gere *Eph. 2.*
bamus: tu tamen ſolus pax noſtra factus es, *Eſa. 53.*
diſciplina pacis noſtræ in te incubuit, & cor- *Ad col.1*
rectio, & pœna qua pax noſtra pararetur. Tu pacificaſti per ſanguinem crucis tuæ ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. Tu poſuiſti fi- *Pſ. 147.*
nes Hieruſalem, id eſt Eccleſiæ tuæ, pacem. Tu *Io.14.*
reliquiſti nobis tuam pacem, & dediſti nobis. Geſſiſti igitur bellum, in acie confixiſti pro gloria Patris tui contra Sathanam, carnẽ, peccatum, mortem, Infernum; contra nos item, ſed ſimul pro nobis. Vim paſſus es & mortẽ in eo bello & prælio ab illis omnibus, tum à peccatis noſtris. Hæc enim te interemerunt per manus cõſceleratas teterrimorum hominum. Mortuus igitur planè es, verùm contra quàm in mortalium bellis ſolet. Non enim es per mortẽ ſuperatus, ſed contrà per mortẽ, hoc eſt per ſummã tuã infirmitatẽ atq; humilitatẽ omnes hoſtes tuos valentiſſimè & glorioſiſſimè ſuperaſti, interemiſti, & triũphaſti. Etenim mortis mors tua mors fuit, & inferni excidiũ. Sic enim per Oſeam locutus es olim: *Oſe. 13.*
Ero mors tua ô mors; morſus, ſiue exitiũ tuũ *1.Cor.*
Inferne. Per mortem tuã Sathanam qui ha- *15.*
bebat mortis imperium conculcaſti, de pecca- *Rom. 8.*
to, *περὶ ἁμαρτίας*, tua videlicet hoſtia pro pec- *6.*
cato dãnaſti peccatum, & corpus peccati deſtruxiſti, hominem noſtrum veterem ſimul *Rom.8.*
crucifixiſti, liberaſti nos à lege peccati & mortis. Tu igitur pax es noſtra, tu ſalus, tu vita ſempiterna.



piterna. Verè princeps pacis tu es: aſſeruiſti enim nos in veram libertatem à ſeruitute & regno Dæmonis, Carnis, Mortis, Inferni. Exſurgũt quidẽ hæc, tentãt paſſim, ſunt in mẽbris noſtris; ſed non regnant, ſed per te ſuperantur, ſed per te proueniunt ex illis virtutes & merita. Pacem tu nobis cum virtutibus & omni morum honeſtate, cum Angelis, cum Sanctis, tecum & cũ Patre tuo & cum Spiritu ſancto paracleto conciliaſti. Adoramus te nate nobis Puer, donate nobis fili Patris æterni, laudamus te & benedicimus in ſecula. Reſeciſti enim ſpiritum noſtrũ tuo imperio quod geſſiſti in humero tuo, & in virtute tua ſemper geris. Recreaſti nos tuis nominibus. Sed quid facias natus, quid rerum agas, id nos doce ſanctè puer. Intelligo benigne IESV. Iam enim primùm ſacrum thalamum glorioſæ virginis egreſſus, tanquam ſponſus copulaſti tibi Eccleſiam ſanctam Catholicã, diuina & perpetua vnione infinitæ virtutis tuæ, ac tribuiſti ei fœcunditatem generãdi filios innumerabiles in æternitatem. Mœrebat Eccleſia ſine te, ſciebat te ſibi datum iri in ſponſum, infinitis ſuſpirijs te præſtolabatur. Finem hic dies, hæc natiuitas fecit mœroris. Iam te ha- *1. Pet.1.*
bet, iam te fruitur, exultat in te lætitia inenarrabili & glorificata, reportans finem & fructũ fidei & deſiderij ſui, mortalium ſalutem æternã. Sed quid loco dotis Sponſæ obtuliſti mag ne IESV? O rem ſupra omnẽ Angelorũ prædicationem poſitam: obtuliſti illi tuos labores, egeſtatem, tribulationes, perſecutiones, cruciatus, ſanguinem, vitam, & mortem quaſi pro dote; ſed per hæc vitam & gloriam ſempiternam, & omnium bonorum infinitas opes in cælo repoſuiſti. Nec hæc oblatio, vel animus patiendi te deterruit à ſuſcepto itinere, *Pſal.18.*
ſed exultaſti potentiſſimè vt immẽſus gigas, ad currendam viam mandatorum quã à Patre acceperas; iam inde incipiens te in ſtudio redemptionis humanæ exercere. Hauſiſti aë- *Sap.7.*
rem hunc natus; ſed contaminatum huius mundi, & peccati infectione purgaſti; purgatum, & quaſi diuinum factum rurſum mundo reſpiraſti. Vnde deuotè intelligere poſſumus, noſtrum hunc aërem bonitate & ſanctificatione tua fuiſſe imbutum ac nobilitatum. Similiter tota vita in hoc mundo feciſti: lucẽ mundo huic intuliſti diuinam; quæ in tenebris tamen luceat ijs qui oculos habeant à te purgatos. Sed video ſimul te primam vocem emittere ploratum. Neque erat hic tuus fletus tantummodo naturalis, ſed è pleno & diuino vſu rationis perfectus; vt omnia quæ geſſiſti in infantia erant, nõ ſolùm ab æterna tua ſapiẽtia, ſed à creati tui ſpiritus & gratiæ ratione & ſapientia diſpenſata. A ſuperiori enim portione animæ tuæ perfectè omnia gubernabãtur, etſi ſenſus & inferior portio in ætatis erat officio & imbecillitate. Erat quidẽ ille luctus naturalis, vt à ſenſu; vt verò à ſuperiori tua ratione, & à tua ſapientia, ad dolorem quem capiebas de offenſis ab hominibus Patri tuo, à principio creaturæ ad finem vſque oblatis, referebatur. Pannis inuolueris, non purpura, nõ oſtro: declinaris in præſepio, quia ne in diuerſorio quidem locus erat tibi apud ciues tuos. Soluis Cæſari tributum vt ſubditus terrenæ poteſtati; friges, eſuris, conſecras in te ſtatum vitimę paupertatis, quam eras hominibus conſulturus. Vanitatem Mundi & ambitionem contemnendam demonſtras, & aliam rationem vitæ inſtituis à Mundo alienam, humilitatis, patientiæ, paupertatis. Hæc enim cum in te repræſentes, quid aliud quam facis illuſtria, pretioſa, diuina, amplexanda? Ne quæratis de cetero mortales in ſuperbia, in externis honoribus, in diuitijs & rerum externarũ affluentia dignitatẽ, vel voluptatem, vel fœlicitatem. In his enim nõ ſunt hæc, ſed qui in Mundum veniens iſtas veſtras inanitates & mala conculcauit, contraria verò nobilitauit. Vis autem videre quantus ſit iſte, per quem humilitas & paupertas celebrantur? Ex illa humilitate & paupertate, ex illo ſtabulo imperat deſcendere de cælo innumerabiles Angelos, & ſe adorare; & obediunt illi. Ex his mittit vnũ ad Paſtores in vicina regione vigilantes, & cuſtodias agentes in greges ſuos. Iubet conſequi ſtatim multitudinem exercitus cæleſtis. Deſtinat vnum ad Patres in Limbum, qui nunciet illis ſe natum Meſſiam; alium ad Magos mittit in Orientẽ; creat ſtellã ſplendidiſſimam, quam gubernandam attribuit Angelo. Itaque cæli, terræ, Infernorum, Angelorum omnium ſe demonſtrat eſſe Imperatorem ac Dominum. O admirabilem rerum varietatem, ô diuinam œconomiam, ô lucem lætam, iucundam, cæleſtem, rebus omnibus & mundo infuſam. Contemplare quaſi creaturam exultantem vniuerſam, animos ſanctorum hominum inſolito ſpiritus ſenſu & lætitia commotos geſtire. Senti[illegible] vt omnia Deum natum, vim diuinam, nouã, lucidã, &[illegible]luta-

Universidad de Deusto
Biblioteca



& salutarem. Nonnulli etiam Sancti singularem accipiunt (vt piè meditari possumus) de recenti Dei natiuitate reuelationem. Hæc cũ ita sint, quis erit tandem qui hæc meditans, hæc credens, hæc videns non inflammerur ad Christi recens nati imitationem? Quis amet honores, opes, dignitates mundi, magnificẽtiam, aliasque vanitates, qui contempletur quemadmodum Deus omnipotens nascitur? Exultemus igitur nos fratres mei; quibus quæ elegit Christus & nobilitauit nascens, illa summo beneficio dedit, non solùm animi promptitudine & desiderijs amplexanda, sed votis etiam consuluit confirmanda. O ineffabilem Dei nostri in nos benignitatem, misericordiam, gratiam. Amen.

## MEDITATIO ALTERA.

ORem nouam, sublimem, diuinam. Adeste Angeli, conuenite filiæ Syon, concurrite mortales omnes & admiramini. Date gloriam Deo in excelsis. Quis enim est Paruulus qui nascitur? Deus. Quis vagit? Deus. Quis friget? Deus. Quis fœno humi excipitur? Filius Dei. Quis in stabulo nascitur? Verbũ Patris æterni. Quis pannis inuoluitur? Deus, Filius Dei, Verbum Patris æterni. Quæ est ista quæ Deum parit? Illa quæ Deum conceperat de Spiritu sancto, virgo intemerata Maria. Quænam illa est quæ lacte nutrit Deum? virgo mater Maria. Sed cur factus est Deus homo? Cur natus est Deus homo? vt nos liberaret à Sathanæ tyrannide & à lue peccati, à morte perpetua & Inferno, vt diuinitatis suæ participes efficeret, & cælo donaret. Sed quo pacto? per mortem & crucem suam, per labores & passiones suas. O Dei misericordiam infinitam! ò ineffabile sacramentum! Laudate vos illud Angeli, laudate animæ beatæ, nos vestris laudibus illud celebrabimus. Quid autem nobis loqueris è cunis infans puer Deus? clamo ad vos meo exemplo humilitatem, paupertatẽ, mundi contemptum, charitatem. Clamo vt qui per me in baptismo renati estis, & vitam accepistis spiritualem, & vixistis deinde per me solum, per solam meam gratiam spiritualiter, donec vsum rationis accepistis, in lucem exeatis, & vitam illam exerceatis in me quidem, sed vobis etiam cooperantibus, & continenter bonis operibus insistentibus. Atque ita renascamini, & renouemini de die in diem, vsque ad perfectam illam natiuitatem, quæ reposita est vobis in cælo. O Puer omnipotens hoc operare in nobis, & da vt tecum semper cooperemur, & tua sit benedicta triplex natiuitas, à Patre æterna, à Matre in vtero, tum ex vtero in sempiternum. Amen.



# IN AVRORA NATALIS DOMINI.

De Pastoribus.

LVC. II. ANNO I.

*In* vj. *imaginem Adnotatiuncula.* vj. 4.

*A. Turris Heder, vbi Pastores colloquuntur.*
*B. Inuenium IESVM positum in præsepio.*
*C. Cognoscunt quæ erant dicta ipsis de Puero.*
*D. Reuersi ad suos narrant omnia.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

ET factum est vt discesserũt ab eis Angeli in cẽlũ, Pastores loquebãtur [a] ad inuicẽ, Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & [b] Infantem positum in præsepio. Videntes autem [c] cognouerunt de verbo quod dictũ erat illis de Puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, & de ijs quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabãt omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt [d] Pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

## ADNOTATIO.

*A. TVrris Heder, de qua dictum est, vbi colloquũtur Pastores; Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Sed hoc faciunt festini, vt festinanter intelligantur esse profecti.*

*B. Puer Iesus pannis inuolutus in præsepio positus, bos & asinus in eodem præsepio comedentes, simul afflatu calefacientes Infantem Deum. Maria & Ioseph Pueri curam summa cum deuotione gerunt officiosissimè.*

*C. Pastores cum reperissent Mariã, Ioseph, & Infantem in præsepio positum, & omnia essent attentè contemplati, aduerte vt vario corporum & oris gestu signa inter se dent sensus animorũ. Admissi enim ad Christi IESV cõspectum, ea viderunt præsentes Pastores atque intellexerunt, quæ ab Angelo nunciata, fide iam ante conceperant. O singularem Pastorum felicitatem: vident Christum in præsepio, Matrem eius & Iosephum. Primi ex hominibus fiunt Euangelij prædicatores. Quis non videat illorum mentem diuina luce excellenter illustratã fuisse? Quis non sentiat eorum corda cælesti suauitate delibutã? Sed quid videntes cognouerũt de verbo quod dictum erat illis per Angelum de Puero?*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Non ea solùm quæ oculis conspicua erant; natum Puerum pannis inuolutum esse, & in præsepio positum: sed ea simul quæ de illo erant ab Angelo dicta, & ab Angelis decantata renelante Infante IESV. Intellexerunt lucē quæ illos circumfulserat, lumen significare quod in orbem intulit Christus natus, quo lumine totam Ecclesiam erat illustraturus. Recolebant quemadmodum lux illa cælestis eos occupauerat tanta claritate & virtute, vt eam ferre non posset humanitas; ab Angelo tamen sibi restitutos illa luce & suauitate postea recreatos esse excellenter. Perceperunt per illud, Ecce, nouam rem, ac suprà hominum captum positam esse à Deo factam inter mortales, præclarissimum Nuntium hominibus afferre; Deum hominem factum; & quidem ad abolendum peccatum, & vitam sempiternam mortalibus comparandam. Gaudium præterea tale sibi esse nunciatum cognouerunt, quale antè oblatum hominibus nō erat; quod perfectum illum decorem,* Thr. 2. *& gaudium vniuersæ terræ superabat. Nam propter hoc verum gaudium, & hunc perfectum decorem, ille decōr tantus prædicatus est & tantum gaudium. Datum enim nunc est & communicatum gaudium infinitum hominibus, gloria sempiterna, Deus ipse, in Puero hoc nato. Nam quod in cordibus vestris exultat gaudium, illum habet fontem, inde fluit, illinc suam accipit claritatem & vitam. Sed quænam causa affertur tam incomparabilis gaudij? Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Natus est hodie ex vtero matris, qui in hodie sempiterno semper nascitur, semper natus est ex substantia Patris æterni. Et qui dem natus est hodie vobis Saluator. Iam inde enim non solùm ab hac natiuitate ex vtero matris, sed ab illa quæ fuit in vtero incarnatione, salutem mortalibus attulit sempiternā suo merito. Hic igitur Iesus tum Christus, tū* יהוה *Dominus est, & Deus omnipotens. Audierunt Pastores, & agnouerunt augustissimum hoc compēdium totius Euangelij, quod illis verbis continetur: Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Hic piè addi possunt Pastorum munera, si hædum vnus, alius libum, alius canistrum pomis refertum, alius castaneas, nuces, &c. in sacculo portet, & puerum IESVM muneretur.*

*D. Ad suos reuersi Pastores, quæ inuenerint & viderint narrāt, gaudio omnes exultant, Deum Israël collaudant.*

## MEDITATIO.

PAstores sumus & nos, si nihil aliud, certè nostrarum potentiarum, affectionum, operationum. Vigilemus igitur, & excubias agamus super nostros greges; & tunc maximè, si nox esse videatur, nec quicquam consolationis singularis sentiamus. Curemus vt in officio sint cuncti greges nostri. Nihil erret, nihil à lupo Dæmone diripiatur, nihil desidia tabescat, omnia suaui pascantur pabulo, & salutari aqua potentur. Tunc nobis Angelus tutelaris gaudium annunciabit magnum, & natum audiemus, & inueniemus Saluatorem Christum Dominum: tunc audiemus, & corde percipiemus cœleste illud Angelorum canticum; Gloria in excelsis Deo. &c. Amen.

# IN DIE SANCTI STEPHANI
## Protomartyris.

## MEDITATIO.

*Oratio præparatoria præponatur, qua postulemus à Deo gratiam quæ faciat, & alias omnes actiones nostras, & præsentem meditationem nobis salutarem. Historia accipiatur ex vi. & vij. Act: Apostolorum.*

CRescente numero discipulorum Hierosolymis murmur excitatum est Græcorū aduersus Hebræos; quod illorum viduæ nimis occuparentur in ministerio externo, & ratio maior videretur haberi viduarum Hebræorum. Duodecim Apostoli sedant murmur, rationem reddentes, à se nō debere ministerium illud expectari, sed verbi prædicationem & orationem. Statuunt inter se esse eligendos Diaconos, qui illas controuersias dirimant



rimant, & ministerio illi præsint. Conuocata discipulorum multitudine, inducunt vt considerent, & repræsentēt ipsis septem viros boni testimonij, Spiritu sancto plenos & sapientia. Placet omnibus propositio: proponunt in primis Stephanum, boni scilicet testimonij virum, sapientia & Spiritu sancto plenum & fide; tum alios sex. Hi procidentes ad pedes Apostolorum accipiunt manuum impositionem à Petro. Hoc facto magna est pax & spiritus consolatio cōsecuta. Crescebat verbum Dei, numerus discipulorum multiplicabatur in Hierusalem valdè, multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei, quæ erat singularis Christi gratia. Hæc ita habebant. Non potuit autem in tanto rerum successu & spiritus feruore, non eminere virtus Stephani diuina & fides. Apparebat enim in Stephano plenitudo, non solum Spiritus sancti, sapientiæ, fidei; sed & gratiæ & fortitudinis. Faciebat magna prodigia, magna signa, miracula illustria in populo. Eius virtutem qui videbantur æmulatores esse legis præcipui ferre nō potuerūt, ij præsertim qui ex synagoga erant Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Ciliciensium, Asianorum, in quibus erat Saulus vel præcipuus. Hi tantam spiritus vim, tantum diuinæ lucis splēdorem & gloriam cum ferre non possent, adoriuntur disputatione Stephanū, vt confutata eius doctrina, præstigiæ magicæ viderentur, quæ apparebant miracula. In his disceptatoribus eminebat non dubiè Saulus iuuenis doctus, & plenus Iudaicæ traditionis, zelo pernicioso & violēto. Nō poterant resistere tamen sapientiæ & spiritui qui in Stephano loquebatur. Victi disputatione subornant falsos testes, qui Stephanum blasphemiæ in Deum & Mosen, in templum & legem accusent. Seditionem concitant plebis, Seniorum, Scribarum aduersus Stephanum. Concurrunt in illum agmine facto, rapiunt, multant indignissimè, statuunt ad concilium Pontificum, offerunt falsos testes, accusant inuidiosissimè. Qui in concilio sedebant Iudices omnes, intuentes illius faciem tanto fulgore gloriæ emicantem, quasi Angeli faciem contēplabantur, ac stupebant. Itaque coacti sunt illum placidè audire disserentem. Habet apologiam Stephanus sapiētem, acrem, & planè angelicam. Auditur sic satis placidè, donec accensus zelo Dei in Iudæos inuehitur. Ibi verò dissecantur cordibus, & ferino more dentibus in eum stridٍent. Consumata hæc erat eorum malitia atque obstinatio. Stephanum contra ad sublimem quādam gloriam euehit Deus; vt suscepto vberiore spiritu ad cælum attingat, & videat Christum stantem ad dexteram virtutis Dei: nec videat solùm, sed profiteatur se videre vehementi quodam spiritus feruore. Tunc exclamant impij quasi ad latrocem blasphemiam, obturant aures, impetum faciunt, & ipsum vnanimiter eijciūt extra ciuitatem, proterunt, rapiant, conculcant, lapidibus appetunt durissimis. Lapidabāt primi scilicet testes, ijque deposuerunt vestes ad Saulum custodiendas. Hic enim non lapidabat quidem, sed in vi inferenda, & cæde patranda primas partes gerebat. In atrocitate autem lapidationis Stephanus continenter videbat Christum à dextris Dei, illum inuocabat, & orabat vt spiritum eius susciperet. Postremò redditurus Christo spiritum prouoluitur in genua; deuotiùs pro inimicis & interfectoribus orat quàm pro se ipso. Exauditus verò creditur cum pro alijs, tum pro Saulo. Nam oratio Stephani (inquit Augustinus) peperit Ecclesiæ Paulum. *Aug. ser 1. & 4. de S. Ste. Ambr. l. 1. de pœnit. ca. 9.*

## LOCI DESCRIPTIO.

HIerusalem, & Synagoga, vnde raptus est ad Concilium Stephanus, quod dicebatur hebraicè Gezit, & Sanhedrim, à græco nomine Synedrion, vbi exercebantur iudicia: tū porta vetus, siue iudiciaria, extrà quam illum protruserunt. Non longè inde est Golgotha, vbi Dominus crucifixus est. Quid igitur petendum in hac meditatione? Quod Ecclesia celebrat, quod me docet: vt imiter excellens martyrium beati Stephani, & eius perfectam charitatem, quæ fecit vt pro inimicis, & suis interfectoribus orauerit: vt desiderem mori pro Christi fide, pro Ecclesia Orthodoxa Romana, & inimicos charitate & oratione prosequar. Peto sapientiam, spiritus feruorem, zelum ingentem, ac sublimem contēplationem, quibus fuit ornatus Stephanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## PERSONARVM CONTEMPLATIO.

DEum contẽplare, & Christum ex cælo ad fidei exaltationẽ consecrantẽ primũ sanguinẽ pro fide effundendũ, atque ornantẽ celeberrimũ martyrium. Christum etiã quà homo prospicere quæ fiunt omnia. Vide Dæmones furiosos, Iudæos cæcos & obstinatè crudeles, Saulum in sua incredulitate & falso zelo feruidum: Apostolos considera, & Ecclesiam sollicitam, mœrentem & orantem; plenam tamen bonæ spei & viuæ. Stephanum verò plenum Dei virtute, summà animi constantia, alacritate, feruore spiritus inflammatum, & martyrij desiderio. Reflexione considerationis collige ex habitudine omni singularum personarum fructum in Christo.

Quid agitur? quid dicitur? Deus per Christum præest martyrio, facit illud illustrissimum, alios ad martyrij gloriã inflammat, permittit omnem immanitatem in Stephanum Diabolis & Iudæis, Saulum mira prouidentia tractat, mira permissione parat ad fidem & fidei martyrium; non permittit tamen ipsi vt manus sanguine sui vindicis, & suæ salutis secundum Deum authoris cruenter. Dæmonum tã multorum, quanta erat multitudo illa pestilẽtium Iudæorum, cõcursationes vide & insultationes, vim, rabiem in fortissimum martyrem: Iudæorum incredibilem malitiam, obstinationem & crudelitatem in sanctissimum hominem exertam impotentissimè.

Considera quid Christus dicat martyri Stephano, quid Apostolis, quid Ecclesiæ, quem illis spiritum immittat: quid Dæmones inter se dicant, quanta ferocitate se incitent ad nocendum Ecclesiç, ad interficiendum Stephanum, ad obligandos teterrimo facinore Iudęos: quam crudelis sit Iudęorum inter se conspiratio & consultatio, quam prœceps, quã pertinax: quid Saulus, quid agebat, quid dicebat. Feruebat zelo, inflammabatur iracundia, incitabat alios, se ducem dabat ad facinus. Putabat enim per ignorãtiam, offerre se summũ obsequium Deo. Hic inter primos disputabat cum Stephano. Hic, vt ingenuus erat, agnouit inter primos se à spiritu Stephani superatum. Hic inter primos ad accusationem & vim exarsit. Contemplare ac distingue pro tuo captu disputationem, quid Stephanus, quid Saulus afferat: coniungere cum Stephani animo, & totius orationis ratione, & illud gusta, quanta fuerit in eo vis doctrinæ, spiritus, & diuinitatis, vt solus multitudinem eo redigeret, vt se faterentur non posse resistere: profiterentur etiam qui sedebant in cõcilio, se eius faciem videre, non tãquam Mosis, sed tanquam Angeli. Eò autem ipsorum malitiam atque obstinationem horrebis magis, quod eum ad mortem deposcerent, à quo deberent fateri se esse victos tanquam ab Angelo. In his omnibus cõtemplare in luce Dei quid agant Angeli Iudæorũ: ab ijs quos abstinere à tanto scelere vellent longè stant, ab ipsis repulsi veluti mœrentes, piorum qui aderant spectaculo animos erigẽtes in spiritus & constantiæ fortitudinem. Stephani Angelus animum eius mira virtute, & excelso quodã robore mentis, & patientiæ, & magnanimitatis confirmat, & ad spiritus alacritatem erigit. Nec solùm in disputatione consiste, sed ad eius diuinam apologiam ingredere, in ea spiritum exerce, animum oblecta, singula excute, ex singulis frugem rei consentaneam excerpe. Fige verò illic mentis & intuitum & affectum, vbi est pars præcipua huius meditationis, quæ est glorioſa cataſtrophe. Si in tota oratione effulgebat beatissimi martyris facies vt Angeli, hoc est cælitùs ac diuinitùs, quid putas illic? qualis fuerit sermo, qualia verba, quæ oratio, quę vis, quis splendor, nonnè angelicus, cælestis, diuinus? Dissecabantur quidẽ cordibus suis tota fortissimi viri oratione, nõ poterant tamen occultam rabiem continere, cum veritatis mucrone sentirent conscientiam suam cruentari; vbi præsertim Stephanus orationis ac spiritus incitatione leuatus, zelo efferuescit, ac vehementer illos vrget & arguit. O homines duræ ceruicis, incircũcisos cordibus & auribus. Vos semper Spiritui sanctó restitistis, vt patres vestri. Ibi enim rabie efferati dentibus etiam in illum ferociter stridẽt, nẽcem nefariam spirantes. Stephanus verò videns se ad glorioſissimum finem martyrij peruenire, plenitudine spiritus excitus, intendit non mentem solùm, sed oculos etiam in cælum, vnde sibi auxilium imploraret, vt pleniùs & pro se, & pro persecutoribns precaretur. Et ecce tibi aperiuntur cæli oculis, orationi, inuocationi sanctissimi Protomartyris; cõtemplatur gloriam Dei, videt Christum IESVM stantem à dextris virtutis Dei. IESVM bone quam sublimis est huius mysterij meditatio? Sed quomodo cæli aperti? num hæc est



est curiositas meditanti? est. At sunt curiositates vel abigendæ è meditatione vbi primũ obueniunt, vel simplicitate deuota, si pergãt, reijciendæ. Sunt cæli tamen aperti vt voluit Deus, vel patuerunt cælestia, non intercisa cæli materia, quod Deo tam facile fuit, quàm cæ lum vniuersum creare, & sancto martyri magis glorioſum. Sed tamen qui cæli sunt Stephano aperti? non solùm corporei, sed spirituales etiam & diuini, in quibus Deus inhabitat. Transcenderunt enim Stephani oculi corporis & mens, nõ solùm cælos corporeos, orbes scilicet nouem, tum crystallinum, sed ad empireum etiam peruenerunt. Et ibi oculus quidem corporis se continuit beata corporis Christi contemplatione; verum mens altiùs euecta ad gloriam Dei attigit, hoc est tertium cælum, ad quod raptus est Paulus, ad quod Moyses in mentis excessu momentaneo, non viuentes quidem hanc vitam, sed diuino quodam sopore imbuti, raptim vitam diuinam in hac mortalitate præguſtantes. Quod priuilegium æquissimum est, vt aliquãdo ampliori manere credamus esse virgini Matri Dei communicatũ. Vidit igitur Christum, vidit Deum Stephanus, ad quem per martyrium vocabatur; vt primus martyr esset perfectus, testis diuinitatis & humanitatis Christi. Congratulari sunt illi omnes sancti & Angeli. Ex raptu momentaneo statim ad inferiora deductus conquieuit in Christi IESV contemplatione & corporis intuitu & mentis: quem non antea intermisit, quam est in cælis cum beata visione commutatus. O glorioſum martyriũ, in quo martyrum Imperator non solùm adest, pugnat, vincit; sed id facere, & mente videtur à martyre, & oculis cernitur. Vidit igitur IESVM, simul sensit dulcedinem salutis æternæ, fortitudinem cælestis pugnæ, gloriam speratæ victoriæ. Et quidem IESVM non sedentem tantùm, cũ semper tamen ad dexteram Patris omnipotentis sedeat; sed stantem in confessu suo vidit: simul enim Christus sedet & stat. Non enim est illa sessio, non illa statio corporalis, sed spiritualis, sed diuina; siquidem est à dextris diuinitatis. Stabat igitur à dextris virtutis Dei, vt qui præerat martyrio, pugnabat, superabat cum martyre: & simul sedebat, quod damnaret impietatis omnes interfectores. Saulum ad apostolatum & martyrium destinabat, alios ad fidem, multos ad mortẽ sempiternam adiudicabat. Viderat autem gloriã Dei, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei Stephanus, sed non vtrumque profitetur; non dicit se gloriam Dei vidisse, sed cælos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei. Illud etsi omittit, tamen in IESV visione ipse intelligit. Sed cur illud omisit, hoc dixit? Quia quærebat non quæ sua erant, sed quæ aliorum. Illud prodesse non poterat aliis, hoc poterat: vt illos à maleficio absterreret, vel certè comminaretur, & prædicaret Christi iudicium aduersus illos. Qua in re imitatus Christum est, qui similiter dixit in concilio, cum ad mortem accusaretur: Amodo, inquit, videbitis filium hominis sedentẽ à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Non potuit hanc Stephani vocem, hoc iudicium terribile Dęmon pati, quod simul sciebat ad se pertinere. Cruciatur, furit, specie zeli quasi aduersus blasphemiam inflammat ipsos ad parricidium. Similiter aduersus Christum concilium Pontificum concitauerat. Obturant aures sicut aspides surdæ, & venenum exacuunt in sanctum virum. Contemplare status eorum, mentis turbationem & cruciatum. Deus illos vocat ad sanitatem è cælo, terret iudicio: contra Dæmon illos vrget zeli præstigijs, ardore maleficij, odio in Christum. Hæc inueniunt animos exercitatos malitia, propensos ad sanguinem, assuetos ad Dæmonis obsequia. Rapiunt mansuetam ouem, extra ciuitatem propellunt, eodem ferè vbi fuerat Christus crucifixus, ad Caluariæ locum. Contemplare furorem, vim, concursum omnium; inter hos præcipuè insignem Saulum, exuentes se testes, vt qui primi erant in illum iaculaturi, vrgentem Saulum, recipientem in fidem & custodiam suam vestimenta testium. Parabant se quidem testes, colligebant durissimos & crudeles lapides, alij item omnes ad lapides currebant. Stantẽ interea contemplare fortissimum virum in Christum aspicientem, Christum adorantẽ, in Christum spem confirmantem. Coniunge te quæso cum Stephano, expecta, desidera, deposce lapides pro Christo pati, mortem pro Catholica fide oppetere. Iã ecce tibi incipiunt truculentissimi latrones iaculari certatim. Vide efferatum animum, impotẽtem conatum; conspice vulnera quæ accipit Stephanus, dolorem, sanguinis effusionem. Vide illum violentia sæuorum lapidum deijci in terram, vide rursum vi Spiritus & diuini roboris assurgentem. Considera simul quantam alacritatem

*Aug. lib. de viden do Deũ, & 12. in geneſi ad literam, ca. 13. & 20. & Thom. 2 2. q. 175. ar. 3. Particulariter verò Beda li. de tẽplo. cap. 20.*

*Matt. 26.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tem in ipsa lapidatione sentiat; vt singuli lapides adijciant sanctissimo viro ardentius martyrij desiderium. Audi quid in corde Stephani loquatur de cælo Christus, quàm dulciter, quàm suauiter illum soletur & animet, quantum roboris illi ingerat aduersus feritatem lapidum, quā apertè illi polliceatur gloriam. Non fuit longa lapidationis mora, & vix videtur maior fuisse, quam quo tempore dixit Stephanus stans; Domine IESV accipe spiritum meum: & rursum in genua prouolutus; Domine ne statuas illis hoc peccatum. Neque enim moram maiorem vel latronum ferocia & crudelitas dabat, vel permittebat benignitas Christi. Sed vide quid dicat; Domine IESV accipe spiritum meum; stans erecto animo & vultu, directis ad IESVM in cælum oculis. Sentiebat IESV omnipotens dominium & æternum, nomen יהוה tetragrammatō percipiebat, ac profitebatur simul gloriam redemptionis IESV, & potestatem quam acceperat quà homo, in cælo & in terra. Hinc concipiebat suauissimum gustum nominis IESV, qui suis diuinis influxionibus totum eius spiritum & animam reficiebat, suo item conspectu non animam solam, sed corpus etiam & carnem recreabat. Fecit hæc vis spiritus vt glorioſissimum triumphum ageret de lapidatoribus. Non fuit enim illi satis vt mortem suam illis condonaret, sed orat etiam pro ipsis. Nec vtcunque orat, sed flexis genibus, & clamans voce magna orat, cum pro se stans oraſſet, nec clamaſſet. Qua in re licet inuictissimi martyris admirari ingentem spiritus alacritatem ac robur, vt in morte ipsa confractus toto corpore ac dilaceratus stet, genua flectat, pleno spiritu ac voce, & clamore magno oret; & ipsum non possit ab his impedire procella lapidationis. O immensam Dei misericordiam, ô gloriam primi Martyris incomparabilem. Ita in manus Christi exhalauit inuictam animam glorioſissimus Martyr. Verùm illa non est hoc loco omittenda meditatio, orationem Stephani exauditam à IESV quidem pro multis ad salutem, pro Saulo etiam ad Apostolatum & martyrium. Quid agis Saule post mortem Stephani? Promoui, vrsi, consensi, confeci; exulto, & gaudio efferor hac parta victoria: deiecto autem fortissimo hoste ad reliquos me accingo. Deuastabo blasphemos, penetrabo ad eorum domos, rapiam, traham viros & mulieres, dabo in custodiam cruciandos, & mala morte mulctandos. Totus igitur spirabat minas & cædes in Apostolos, in discipulos, in diaconos, in nomen IESV Nazareni. Iā videtur sibi pro Dei gloria IESV sectatores euertisse. Sed vide Saule, exaudita est Stephani oratio pro te. Non diu eris Saulus, hoc est inquietus & turbulentus prædo. Fecit te Deus in prædestinatione suaPaulum, quietum, & veritatis suæ doctorem. In hoc glorioſo martyrio illud etiam studioſissimè animaduertendum, dedicatas omnium Christi Martyrum primitias, & exemplum propositum quod imitarentur futuri Martyres. Nec mirum esse quod tot priuilegiis primum martyrium Dominus exornauerit, qui tot aliis Martyribus tot fecerit, & tam excellentes prærogatiuas. *Aug. & Ambr.*

Gratiæ postremò Deo agendæ pro Stephani glorioſa martyrij corona, detestāda Iudęorum ac Dæmonum malitia, petenda imitatio feruoris Stephani, & vis agendi aduersus hæreticos, animus induendus in Christo, & desiderium moriendi pro Christi veritate & eius Ecclesiæ. Orandus beatissimus Protomartyr, vt qui pro lapidatoribus suis Dominum orauit, qui pro Paulo tantum priuilegium impetrauit, vt nobis exoret aliquam particulam sui spiritus & Paulini. Tum vt nobis Dominus illud gratificetur, ne noceant nobis lapides, quos in spiritum nostrum iaculatur Mundus, Caro, Dæmon, hoc est tentationes; sed potētissimos ictus recipiamus in corde nostro diuinarum inspirationum. Amen. Pater. Aue.

CIRCVN-

# CIRCVNCISIO CHRISTI.

LVC. II. ANNO I.

*In vij. imaginem adnotatiuncula.* vij.

*A. Synagoga, siue locus vbi circunciditur IESVS.*
*B. Sacerdotes cum cæremonijs circuncisionis.*
*C. Virgo mater dolet de vulnere filij, dolet Ioseph.*
*D. Pueri subseruientes.*
*E. Stella & Angelus viam Magis demonstrant.*
*F. Nomen IESV, quod adorant* 5
*G. Angeli,*
*H. Mortales,*
*I. Animæ Patrum in limbo, & quæ in Purgatorio.*
*K. Maria sinu fouens filium redit cum Ioseph.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. II.

ET postquàm consummati sunt dies octo vt [a b] circuncideretur puer, vocatū est nomē eius IESVS; quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero cōciperetur.

## ADNOTATIO.

*A. SYnagogam designat Bethlehemiticam, vbi infans IESVS circūciditur; siue velis locum esse natiuitatis & diuersorium, vbi alius intelligendus apparatus.*

*B. Sacerdotem præputium tenerrimi infantis Dei abscindentem; Leuitam item qui IESVM tenet ad circuncisionem. Porrò IESVM contemplare acerbè plorantem, ore lacrymis manante, oculis in matrem defixis, extensis ad eam brachijs, quasi auxilium imploret. Simul vide catinum super mensam, quo sanguis ex Christi IESV vulnere excipitur, simul & præputium sanguinolētum; quæ à virgine Matre & Ioseph vt cælestis thesaurus summa cum pietate reponuntur. Nouerant Dei esse illum sanguinem, illud præputium pretium esse salutis hominum sempiternæ.*

*C. Virginem matrem, quæ non potuit non dolere; sed moderatè id fecit pro virtutis suæ magnitudine, dolorem manu ad cor appositā comprimens: Ioſephum item oris & manuum gestu, tum lacrymis animi trisitiam declarantem.*

*D. Pueros qui præsto sunt, alij cum medicamētis & panniculis ad vulneris IESV curationē, alij cum aquā & mappa ad sacerdotis manus abluendas. Non potuit locus imaginis capere gesta duo, quæ ad meditationem sunt vtilia: alterum, vt pueri IESV plorātis vulneri medicina adhibeatur, vulnus liniatur & obligetur, Maria mater vt astet, fletum & dolorem filij verbis suauissimis demulcens, nec desit officio Ioseph: alterum, quemadmodum post factam medicinā puerum excipiat gremio mater, suauissimè complectatur, foueat, deosculetur, mammam illi offe-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nat: vt vicissim in illius sinu, complexu, vultu cõquiescat infantulus Deus, & lac suget virginis ab vbere de cælo pleno.

*E. Stellam*, sub qua Magi, qui iam in vnum comitatum conuenerant, in Iudæam properant.

*F. Nomen IESV*, quod antequam conciperetur in vtero, ab Angelo diuinitus in circunciſione Chriſto impoſitum eſt.

*G. Celeſtes ſpiritus* noviẽ *IESV* flexis ſuis genibus adorantes.

*H. Qui in terra habitant* idem præſtantes.

*I. Qui in Limbo Patrum* tunc erant, qui in Purgatorio, eandem latriam nomini IESV exhibentes. Vt enim natiuitatem nunciarunt ſanctis Patribus in Limbo Angeli, ita piè credimus reliqua myſteria & actiones eos denunciaſſe, & gratulationes in choro illo Sanctorũ actas viciſſim pijſſimas, celebrata myſteria diuinis laudibus. Qui luebãt reatus ſuos in Purgatorio, y etiã ſi fide ſua Deũ & Chriſtũ adorabant, nõ adeò certum eſt reuelationes de Chriſto habuiſſe, niſi dicamus per Angelos ſub quorum adhuc erant tutela. Hi quidem ex illa reuelatione non liberabantur à ſua pœna: vt fidem tamen, & ſpem, & charitatem confirmabant in Chriſtum & Deum: ita aliquod refrigerium inde vel ſentiebant, vel expectabant celeriùs afferendum.

Cæterum non eſt nomen IESVS, nomen tetragrammaton יהוה, vt quidam dixerunt; quod ne annotatum quidem oportuit. IESVS enim deriuatur à verbo quod ſaluare ſignificat; יהוה à verbo quod eſſe. Tetragrammaton quidem יהוה, eſſe ſignificat æternum: nam notas complectitur trium temporum ſimul, futuri, præſentis, & præteriti. Porro ſi velimus ex interpretatione litterarum illud nomen exponere (de qua interpretatione tanta cum alacritate exultat Hieronymus ad Paulam Vrbicam, cuius etiam vtilitatem oſtendit in præfatione in Hieremiam) diuinam lucẽ in ea inueniemus. Prima enim litera י. iod, principium ſignificat: ſecũda ה. he, iſtud: ו. vau tertia, & coniunctionem: ה. he quarta, iſtud. Quaſi dicatur nomen Dei tetragrammaton יהוה ſignificare Deum, in quo eſt principium iſtud, & iſtud: duplex videlicet emanatio & proceſſio, vna qua procedit & generatur à Patre Filius, altera qua Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit atque ſpiratur. Itaque proprium eſt nomẽ tetragrammatõ Dei veri, neque vlli creaturæ vnquam in ſcripturis datum eſt. Nomen autẽ יהוה tetragrammaton in nouo teſtamento citatur bis & vigeſies ex veteri, ſemper verò redditur per, Dominus, non ſuis literis exprimitur, vt ſolent alia vocabula hebraica, Amen, Alleluia, Sabaoth: vt intelligere poſſimus Chriſtum ita protuliſſe, & eius traditione auctores noui teſtamenti, & Eccleſiam vſurpaſſe, quod fuit perpetuum in lxx. interpretibus. Itaque neceſſarium nõ eſt, vt quoties occurrit nomẽ tetragrammaton, proferatur ſuis literis, ſed conſiſtendum potius in imitatione Chriſti, Apoſtolorum, Eccleſiæ. Iam verò nominis יֵשׁוּעַ Ieſuah, quod eſt ἰησοῦς græcè, latinè IESVS (ſic enim legere placet quinque litteris, vt Dauid pſal. lxi. & Iſai. cap. lxij. quibus etiam locis σωτηρα interpretantur lxx. tum ter Iſai. cap. xij. atque item Dauid ter pſal. cxvij. vbi propriè loquũtur de Meſſia Sancti Prophetæ) huius inquam nominis ſi ſcrutemur litteras, occurrẽt nobis litteræ tetragrãmati י iod, ו vau, ה he: eſt enim יהוה Dominus IESVS. Animaduertemus præterea in nomine יֵשׁוּעַ eſſe tres literas; ש ſchim, cum puncto in dextro cornu, ſimul ו vau, & ע hain: vt ſignificetur ſalus; à verbo יָשַׁע iaſchah prorſus alioqui inuſitato in ſcripturis. Eandẽ porro literã ש ſin, poſſumus intelligere cum puncto in ſiniſtro cornu: ita fiet vt ille trium literarum complexus ab עָשָׂה haſah deducatur, quod eſt fecit; cuius eſt participiũ paſſiuum ſignificans factum; vt poſſimus intelligere יְהוָה verum Deum ac Dominum eſſe factum. Sed quid factum? certè יֵשׁוּעַ Ieſeuah, id eſt ſalutem & ſaluatorem. Nam in ש ſin, duo puncta intelligere nihil prohibet, ad tantum præſertim myſterium demonſtrandum: ſi quidem ex ſe nullum punctum habet ש, & vtrumque recipere poteſt. Ad hanc expoſitionem reſpexiſſe videntur Iſai. & Dauid, cum de Chriſto dicunt; Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: vbi eſt tetragrammaton יְהוָה, primo loco, ſecundo יֵשׁוּעַ Ieſeuah, id eſt IESVS. Quaſi dicant Dominus יְהוָה factus eſt ſalus & ſaluator. Nam nihil impedit quod factum dicunt per verbum ſubſtantiuum hebraicè; frequẽter enim fit, per verbum ſubſtantiuum in ea lingua ſignificatur. Certè ita verterunt ſeptuaginta, & vulgata editio quæ eſt ſacroſancta. Ad idem aduertiſſe videtur Paulus, vbi dicit de Chriſto; Qui factus eſt ei ſecundum carnem. Eandem phraſim habet Ignatius in epiſtola ad Trallianos: Obturate autem aures veſtras, inquit, quando quis ſine IESV Chriſto filio Dei loquitur, qui factus eſt per Mariam ex ſemine Dauid.

Cap. 12. Pſa. 117.

Rom. 1.

Iob. 41.

*Ad illud item animus eſt aduertendus, eſſe quidem nomen* יֵשׁוּעַ *Ieſcuah, abſtractum, & ſignificare ſalutem; ſed in qua ſimul concretum, hoc eſt ſaluator intelligatur. Quod Angelus expoſuit*



poſuit Ioſepho Matth. primo; Ioſeph, inquit, fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuã, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet enim filium, & vocabis nomẽ eius יֵשׁוּעַ IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Declarat Deus per Angelum nomen Chriſto proprium. Filius quẽ coniux tua pariet, vocabitur quidem ſalus: ſed propterea vocabitur ſalus, quia ipſe conficiet ſalutem populo ſuo. Neque tamen aliam ſalutem conficiet, quam eam ipſam quæ ipſe eſt & per ipſum eſt, ſalutem ſempiternam, quam mortalibus communicabit. Diuina enim amplificatione dicitur Chriſtus, non ſolum ſaluator, ſed ſalus ipſa æterna & infinita. Ita Iſaias, quem dixerat ſi-

Iſai. 45. lutem, vocauit מושיע Meſciah, Saluatorem. Verè tu es, inquit, tu es Deus ab ſconditus, Deus Iſraël ſaluator, quod eſt מושיע Meſciah. Quo nomine ſæpe vocatur Chriſtus in ſcripturis, vt ſe-

pe יְשׁוּעָה ſalus.

Cæterum ex hac nominum coniunctione, ſalutis & ſaluatoris in Chriſto, oriri videtur illa

1. Cor. 1. meditatio, ſiue guſtus ſpiritualis, quem Paulus inſinuat, cum dicit; Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto IESV, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.

Chriſoſ. 1. Cor. 1. Sed cur non dixit Paulus, inquit Chriſoſtomus, ſapientes nos fecit, ſed factus eſt nobis ſapientia? vt ſcilicet myſteris illis ſalutem ſignificaret: ac ſi diceret, ſe ipſum nobis exhibuit. Deus enim in corde noſtro ingenerat ſpiritualem ſignificationem ac guſtum IESV Chriſti filij ſui. Sic deuotæ mentes ſolent in nomine IESV guſtare ſummã conſolationem, ac dicere: ſentire ſe in corde ſuo, cum incredibili ſplendore & ſuauitate, eſſe IESVM ipſis ſaluatorem & ſalutem, æternam. At enim ſobrie admodum & modeſtè de his ſenſibus ſpiritus eſt agendum, ac præuidenter de illis loquendum, ne ſuperſtuamus. Quod vitabimus Chriſto propitio, ſi nihil per illos tribuamus Deo indignum vel cogitemus, ſed intelligamus nihil horum ſenſuum vel guſtuum facere, vt Deus ipſe vniatur animæ vt cauſa formalis, vel in Deũ anima tranſeat, vel huiuſmodi quidpiam: ſed facere Deum ſua benignitate per virtutes & dona ſua, tum per fructus Spiritus ſancti ac beatitudines, vt illi ſenſus ſiue ſignificationes ſpirituales nobis communicentur per diuinam virtutem, quæ eſt in ipſis virtutibus & fructibus ac beatitudinibus. Similiter etiam fit, quocũque dono ſuo Deus velit animas noſtras viſitare.

*K. Mariam, filium puerum Deum geſtantem* comitè ſolo Ioſeph, quæ ad ſtabulum ſuum è Synagoga reuertitur: ſi quidem in Synagoga intelligatur facta circumci ſio.

## MEDITATIO

Pſ. 129. CVR infans IESV Deus ſanguinem cũ cruciatu fundis, cum nondum venerit hora tua? Copioſa eſt & abundans mea redẽptio; faciet hæc mea circumciſio vt vos efficiamini cordis circumciſio in ſpiritu, non in littera, non in carne. Intelligite fratres mei vobis eſſe quæ vigent in membris veſtris paſſiones circumcidendas, quod ſine vi fieri nõ poteſt. Violentos vos fieri oportet in vos: hanc vim dabit vobis mea virtus circumciſionis, ita eritis nominis mei participes, ſalutis meæ capaces, naturæ meæ conſortes, ita in corda veſtra ſuauitas ineffabilis, & vis nominis mei IESV influet. Ita ero vobis ſalus ſempiterna & vita. Amen.

Rom. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# ADVENTVS MAGORVM.

MATTH. II. ANNO. I.

*In viij. imaginem Adnotatiuncula.* viij.

*A.* Hierusalem, quo perueniunt Reges Magi.
*B.* Vrbis frequentia, vbi Magi inquirunt.
*C.* Horum vocibus turbatur Herodes, & Hierosolyma cum ipso.
*D.* Omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi Herodes congregat, & scisciatur ab eis vbi Christus nasceretur.
*E.* Herodes clam vocat Magos.
*F.* Magi dimissi ab Herode Bethlehem pergunt.
*G.* Stella lato aspectu rursum se ducem Magis offert.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. II.

Cum ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce [a] Magi ab Oriente venerunt [b] Hierosolymam, dicētes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorū? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autē [c] Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et [d] congregans omnes Principes Sacerdotū & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei; In Bethlehē Iudæ: sic enim scriptū est per Prophetā; Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquā minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meū Israël. Tunc Herodes [e] clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tēpus stellæ quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehē, dixit; Ite, & interrogate diligenter de puero; & cum inueneritis renūciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem, [f] abierūt: & ecce stella [g] quam viderant in Oriente, antecedebat eos.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* REges Magi cum regio comitatu Hierosolymam ab Oriente peruenīū: stella verò eripitur ab eorum conspectu, cuius ductu eò cursum direxerant. Neque id dicūtur ægrè tulisse: existimabant enim functam iam munere suo stellam, ostendisse vbi Rex Iudæorum esset natus. Erat quidem primum in eius officio, vt Hierosolymam illos duceret, vnde lucem acciperent scripturarum. Quod autem Reges fuerint qui dicuntur in Euāgelio Magi, docet, quod aperiunt thesauros & munerantur Regem. Confirmat verò traditio, & vsus Ecclesiæ constans & vetus in officijs Ecclesiasticis, vbi prophetia Dauidis vsurpatur: Reges Tharsis, id est maris, & Insulæ *Ps.71.* munera offerent; Reges שְׁבָא Arabum, & סְבָא *Cap. 60.* Saba dona adducent. Et Esaiæ: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Et rursum: Inundatio camelorum operiet te; dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Has inquam prophetias refert Ecclesia ad Magos Christum adorantes, & munera puero IESV offerentes. Nam si quis mysticè dicat Ecclesiam illas vsurpare: non dubium quin mysticè interpretetur. Sed hoc qui fieri potest, si nihil historici, &, vt dicimus, litteralis sensus illis locis tribuamus? Quare gentes quidem omnes, & Reges Orbis terrarum Christum esse adoraturos vaticinantur Dauid & Esaias, sed qui per Reges Magos significabantur. Adde plurimorum Doctorum consensum, non modo recentiorum, sed veterum, Tertulliani, Cypriani, Athanasij, Hieronymi, Augustini, Chrisostomi, Isidori, Gloss. Thomæ Aquinatis, Alberti Magni, Vincentij, Anton. Lyrani, Simonis, Dionisij Carthusiani, vt alij sileantur qui Reges fuisse prædicant Euangelicos Magos. Sed quid tandem adducunt qui contra sentiunt, quo minus Magi Reges fuisse credantur? Non scripsit Reges Matthæus. Quid tum? Nec Iebi consolatores scripserunt Moyses Reges fuisse, qui tamen Reges erant: quod longè post liber Tobiæ docuit. Omittere enim sacri scriptores solent aliqua, modo illa exponāt quæ propriè ad rem attinent; vt illic amicos fuisse ilos homines, hic hos Magos hoc est sapientes; vtrobique Reges fuisse (quod alioquin erat manifestum) omittunt. Magos verò ferè Orientem habuisse Reges confirmat Tertullianus. Passim enim in Oriente, in Arabia, in Syria, Mesopotamia, Chaldæa, regna occupabantur à potentioribus, ac longè facilius si ijdem essent sapientes, & qui non solùm opibus, sed sapientia continere in officio possent multitudinē. Hæc cum ita sint, non video quo pacto possint cōtrarium docere. Nam eò tandem recidunt omnia contraria argumenta: Non est scriptum, igitur verum non est. Quod genus argumenti quā sit infirmum & periculosum nullus nescit. Quod si cui placeat Magos semper appellare, non Reges; is ita faciat vt Matthæus, vt Doctores multi: sed simul in eo eos imitetur velim, quod non negarint esse Reges. Iam verò vnde ex Oriente venirent Magi quæri solet, cum certū sit in Oriente illis stellam apparuisse, ab Oriente eos venisse, incertum ex qua Orientis regione. Et quidem inter Doctores constat hos Magos traditionem habuisse Prophetiæ Balaam, & credidisse orituram, vel processuram stellam ex Iacob. Quod est Hebraicè דָּרַךְ כּוֹכָב מִיַּעֲקֹב id est incessit, siue iter habuit stella ex Iacob. Vnde ortam primum ex Bethlehem apparet, & inde missam per Angelum in Orientem. Quem motum cum obseruassent, & contulissent cum Prophetia Balaam Magi, fecit traditio, & eorum fides, & visa stella, vt Dei inspirationem pio animo susciperent. Ex Aran igitur, id est Syria, & vicinis regionibus dicamus venisse Magos, potius quàm ex longinquioribus. Nam habitauit Balaam in vrbe Pethor, quæ est ad flumen filiorum Ammon, iuxta scilicet Euphratem. Itaque dicitur vocatus ex montibus Orientis, ab Aran scilicet, & ex Pethor Mesopotamiæ, à Balac Rege Moab & Madian. Vnde fit verisimile habitasse Balaā non longè à ciuitate Arabiæ desertæ Sabe, ad montes Babyloniæ siue Caldææ, qui à Moabitis propriè dicebantur montes Orientis, in confinio Chaldææ & Mesopotamiæ. Rursum ex his & illud consentaneum est, horum Regum fuisse vnū Arabem, & fortasse Regem Sabe, vt eò possit illud psalmi referri; Reges Arabum & Saba dona adducent: & illud Isaiæ; Omnes de Sabe venient, hoc est ex Arabia: alium ex Chaldæa: tertium ex Mesopotamia & Chaldæa, non tantùm ex vicinia Sabe & Balaam, sed ex Abraham, qui vtrobique fuit celebris antiquitùs. Agere hic necessum fuit coniecturis, & tamen hoc ferè sequuntur Doctores Ecclesiastici: nisi quòd aliqui è Perside vsque venisse scribunt, quos Chaldæam arbitror intelligere Persidis nomine. Hæc faciunt vt cuiuis Geographo obuiam planè sit xiij. diebus, paucioribus etiam Reges Bethlehem peruenire potuisse. Præsertim cum Iacob decem diebus à

*Num. 22. & 23. Deu. 23.*

*Num. 25.*

*Ptol. ca. 17. & 20. tab. 4. Asiæ.*

*Lib. 9. Iudæos ser. de Christi bap q. 2. ad Reg. Antioch. In ps. 71. Ser. 43. ad Fra. in eremo, & de mirab. scrip. Hom. 6. in Matt. In 2. c. Mat. In præfat. Missæ. In 1. c. Matt. & 11. Ioan. Cap. 2.*

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus à Mesopotamia & Euphrate peruenerit ad montem Galaad, qui est in Trachonitide, in tribu Manasse trans Iordanem, maximis impedimentis armentorum, pecorum, mulierum, puerorum: Laban verò à loco vbi de fuga Iacob audiuit, septem diebus iter confecerit; etiam si vterque festinans. Denique Cameli non communes, sed qui appellantur dromades, seu dromedarij à cursus velocitate, omnem dubitationem auferuut, quibus tradunt illas regiones abundare, qui vno die iter mille stadiorum conficiunt. Ceterum tanta est Doctorum consensio venisse Magos xiij diebus Bethlehem, vt ferè integrum non videatur aliter sentire.

*Arist. 9. lib. de historia animalium cap. vlt. Philost. & alij.*

*B. Vrbis frequentia, & in ea inquirentes Reges vbi esset natus Iudæorum Rex.*

*C. Ad has voces turbatur Herodes, & vniuersa ciuitas.*

*D. Conuocat omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, siue Doctores, sciscitatur ab eis vbi Christus nasceretur. Vrbem declarant Herodi, sed tamen Prophetæ mysterium tacent. Locum verò Michææ citarũt quidem Iudæi Hebraicè; sed Euangelista spiritualem sensum refert, qui erat in illis verbis: Minima quidem diceris Bethlehem Ephrata, quæ es in tribu Iudæ, sed minima tamen non es; magnam enim te facit quòd ex te exiet Dux qui regat populum meum Israël. Erat quidem tempore Iosue Bethlehem in tribu Iuda, non solum in tribu Zabulon, & illam Moyses nominauerat; sed tamen propter eius paruitatem, vrbibus Iudæ non est annumerata Bethlehem in libro Iosue; vt neque Nazaret vrbibus Zabulon. Quæ ad humanitatis Christi humilitatem quidem terrenam spectant, significant verò mysticè cælestem atque diuinam amplitudinem. Porrò quod Iudæi Herodi integrum locum non proposuerint, & quod erat præcipuũ omiserint, videlicet; Et egressiones eius ab initio à diebus æternitatis, subdolè egerunt, ducti ea incredulitate qua & tunc laborarunt, & adhuc laborant. Nunquam enim in Christi diuinitatem crediderũt. Propterea Herodi homini Idumæo ac proselyto noluerunt illa proponere, vnde posset opinionem diuinæ excellentiæ nati Infantis concipere, contra eorum interpretationem, & à persecutione nati Regis retardari, contra quem non Herodes solùm, sed ipsi etiam impij incitabantur.*

*Gen. 31 & 48.*

*E. Herodes clam vocatis Magis, diligenter ab eis inquirit de omnibus, & tandem vafrè & crudeliter dissimulans, dimittit eos in Bethlehem.*

*F. Magi ex vrbe egredientes iter dirigunt Bethlehem.*

*G. Stella verò in aëre sublimis, læto aspectu rursum sese illis ducem offert. Vnde gaudent Reges gaudio magno valde, id est supra quam dici potest.*

## MEDITATIO.

Mitte item in corda nostra magne puer IESV, stellam tuam, & lucem veram, viuam, lætam, quæ ex contemplatione tui ortus ad perfectam nos manuducat tui cognitionem. Fac verò animum ne despõdeamus, si quando illam auferas lucem, modò luce scripturarum & Ecclesiæ nos doceas. Ita optimè erit benigne puer IESV, vt tu voles. Verum Ecclesiæ luci & scripturarum illam lucem rursum coniunge, & gratificare nobis aurum, thus, & myrrham quæ tibi offeramus, vt te Regem nostrum, te Deum nostrum, te pro nobis mortuum corde credamus, sapiamus, intelligamus, operibus exprimamus: eludamus autem omnium hostium tuorum & nostrorum insidias, & fraudes vitemus.

Amen.

MATTH.



# ADORATIO MAGORVM.

## MATTH. II. ANNO I.

*In ix. imaginem adnotatiuncula.* ix. 7.

*A.* Bethlehem, quo iter habent Magi.
*B.* Stella ostendit vbi IESVS erat.
*C.* Magi Bethlehem ingressi: extra vrbem enim illos oportuit describere, quemadmodum reliqua, vt essent conspicua.
*D.* Maria sola cum puero ad os speluncæ.
*E.* Bos & asinus ad præsepe.
*F.* Primus Rex IESVM adorat, & offert tria munera.
*G.* Alter se comparat ad adorationem, & munera totidem in promptu habet.
*H.* Tertius sua parans dona venerabundus expectat.
*I.* Aulici omnes similiter eminùs adorant.
*K.* Magi alia via domum reuertuntur.
*L.* Christi baptismus ad Bethabaram.
*M.* Nuptiæ in Cana Galilææ.

## EVANGELIVM MISSÆ.

### MATTH. II.

Vsque dum [a] veniens staret supra [b] vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valdè. Et [c] intrantes domum inuenerunt puerum cum [d] Maria matre eius, & [f g h] procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, [k] per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

## ADNOTATIO.

*A.* BEthlehem, quo Magi tendebant. Nam adoratio intra mœnia vrbis facta est, vbi erat stabulum: tametsi foris eam fuit necessarium repræsentari.

*Hiero. Chriso. Glossa. Thomas Bona.*

*B.* Stella supra specum stans, vbi erat puer (ibi enim, vt tradunt Doctores, erant Maria & Ioseph post circumcisionem) micantibus radijs Regem cælorum natum indicat.

*C.* Magi postquam vrbem sunt ingressi, descendunt ex dromadibus, secernunt suos comitatus, parant thesauros. Ad rem tam nouam, tàm insolitam stupent Bethlehemitæ ciues, & progredientes ad stabulum Magos reuerenter prosequuntur. Dromades foris expectantes, quos continent aliquot famuli, & pabulum eis præbent.

*Rabanus Remig. Anselm. in 2. cap. Matt.*

*D.* Mariam matrem considera, virgunculam vix annum xv. ingressam, solam (mysterio Domini factum est vt abesset tunc Ioseph) puerũ complexam. Namque processerat ad initium speluncæ, & assederat expectans Magorum aduentum, quos diuina reuelatione intelligebat venire, tamque ex ipso strepitu proximos esse semiebat.

*E.* Bos & asinus ad multitudinis strepitum & conspectum erecti stupent.

*F.* Primum Regem Magum, qui reliquis erat, vel ætate prouectior, vel potentiâ maior, vide vt depositio diademate (quod tenet puer) in terram procidat, & adoret puerum IESVM; vt mater pedem pueri offerat deosculandum: adstant pueri tres cum tribus muneribus expeditis.

Hoc loco adscribi non potuit quemadmodum Rex Magus tria munera, aurum, thus, & myrrhã Christo puero offerat, quemadmodum IESVS illa sereno vultu recipiat, & hilaritatis significatione Regi benedicat, ac Rex depositis ad pedes Mariæ muneribus, alijs det locum adoraturis.

*G.* Rex alter Magus se comparat ad adorationem,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*onẽ, se inclinat ad Puerum, diadema aufert puer, tres alij cum donis præsto sunt.*

*H. Tertius Rex vicem suæ adorationis venerabundus exspectat, pueri munera promunt.*

*I. Aulici proceres singulorum Regum cum suis Regibus simul eminùs adorant, flexis genibus, vultu demisso.*

*K. Discedunt alijs itineribus Magi, nec ad Herodem redeunt, ab Angelo admoniti in somnis.*

*L. Christi baptismus, cum in Iordane à Ioanne baptizatus est, annum agens xxx.*

*M. Nuptiæ in Cana Galilææ fiunt, quibus Christus trigesimo primo ætatis anno interfuit, & Maria virgo mater.*

## MEDITATIO.

*Oratio præparatoria esse poterit, qualis superiùs est habita.*

*Historia.* QVum primùm natus fuit Christus creauit stellã, omnibus quidem conspicuã, sed Magis etiam animaduersam. Erant hi tres Reges in Oriente, vt fuerant amici Iob, cuius *Nu.24.* retinebant traditionem, tum etiam Balaam prophetiam: pij verò homines deuotè expectabant quod nesciebant. Mittit IESVS Angelum qui portet stellam, & per eam gubernet iter Magorũ. Hic tutelaribus Magorũ Angelis indicat stellam, ac eius significationem. Demonstrat Magis natum, de quo loquutus fuerat Balaam, verbum Dei hominem factum hanc misisse stellam, aperit totũ mysterium, hortatur omnes vt celeriter omnia parent, & iter ingrediantur. Parant igitur comitatum, parant munera singuli terna, læti festinant, & pleni diuino spiritu ad stellam. Omnes primum ex suis regionibus ministerio & ducatu Angelorum conueniunt in vnum. Illam continuerat Angelus supra initium viæ, qua erat omnibus iter in Iudæam. Inde rursum fert sublimem per aërem versus Hierosolymam, sequuntur Angeli Magorum tutelares, hos Magi: xiij. diebus iter conficiũt, & iumentorum velocitate, & Christi beneficio. Ad Iudæam cum iam venissent Hierosolymam propiùs, fecit Angelus vt stellam ampliùs non viderent. Magi arbitrati defunctã officio, & regiam vrbem Iudææ indicasse; veniunt Hierosolymam, ingressi vrbem interrogant, vbi sit natus Rex Iudæorum: vidisse se in Oriente stellam eius, & propterea venisse, vt illum adorent. Impletur his vocibus ciuitas. Audit Rex Herodes Antipater, ac rei nouitate permotus, & hic, & vniuersa ciuitas turbantur. Iubet Herodes Magos expectare, se responsurum: congregat Principes sacerdotũ & Scribas, & scisciatur vbi Christus nasceretur. Respondent in Bethlehem Iudæ. Vocat Magos latenter, diligenter inuestigat tempus quo stella illis apparuerat, indicat etiam Bethlehem, eò indicit vt irent, & diligẽter de puero comperirent, & sibi renunciarent; velle se item illum puerum adorare. Audito Rege arripiunt iter Bethlehem. Et ecce rursus apparet illis stella, & rectà ducit illos, non solùm Bethlehem, sed ad domum vbi erat IESVS & Maria mater eius. Procidunt continuò ad terram ipsi & comitatus omnis. Accedunt verò propiùs Reges, singuli adorant eum, singuli apertis thesauris offerunt illi aurum, thus, & myrrham. Nec diutius morati eadem nocte accepto responso singuli à suis Angelis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

## LOCI DESCRIPTIO.

TRia Regna Oriẽtis quã ampla, quamque opulenta, quã fœlicia, quæ tales Reges haberent. Vrbes item considera, vnde discedunt, vias, flumina, montes, Hierosolymam, Bethlehem, domum, stabulum, præsepe, & aërem sublimem ne prætermittas, vnde Angeli tres ducebant Magos, quà alius Angelus stellam ferebat. Ex his sume fructum, quasi videas diuina virtute illa loca affici, ex mysterio quod in ipsis gerebatur, ex personis quę in ipsis versabantur; quæ esse deberet perpetua consideratio in similibus locis. Vt contra ex Mundo & actibus sæcularibus, & qui fiunt contra Dei voluntatẽ inficitur orbis, & propterea traderetur igni purgandus.

Quid hac meditatione tibi petendum est?

Vt mihi mea similiter appareat stella, & lux Angeli qui me ducat ad Christi recẽs nati contemplationem. Vt item doceant me scripturæ sacræ, & manifestent IESVM; vt inuẽtum adorem è corde meo, & luce tua Domine, & agnoscam verum hominẽ, verum Deum, & verè pro me mortuum, vt ex his fructum spiritus referam, vt Deo magno spiritu



& deuotione fidem offeram, spem, & charitatem; vota mea paupertatis, obedientiæ, & castitatis: quæ si nõ habeo, offeram spiritus paupertatem, membrorum & vitiorum mortificationem, coniunctam cum statu meo castitatem deuotam, atque feruẽtem orationem.

## PERSONARVM CONTEMPLATIO.

DVlcis est consideratio IESV, qui modo iacet in præsepio vt in cunis, modò illũ fouet sinu suo virgo Mater, modò lactat; Dolet IESV vulnus circumcisionis, lachrymatur nonnunquam, vbi vrget dolor. Videt ope rosos Magos veniẽtes, id matri inspirat, & reuelat eorum aduentum. Dolet Mater virgo de dolore filij IESV, illi compatitur, illum demulcet, illum fouet, lactat, illius conspectu diuinitùs alitur ipsa alens, recreatur recreans, lactatur diuino lacte lactans humano. Iosephus solicitus de rebus externis, quærit hospitium, non inuenit, dolet, est anxius, contẽplatur puerum, adorat, veneratur Matrem. Non adest tamẽ ad adorationem Magorum, sed redit antequam discedant Magi. Angeli adsunt frequentes, quos haud dubiè Maria videbat in spiritu, nonnunquam etiam Ioseph. Certè credebat ibi adesse præstò & Domino, & Dominæ Angelorum. Est summa frequẽtia conuenientiũ ad censum. Fit census Christi, Matris, Ioseph, pendunt tributum Cæsari Augusto. Stella emicat lucidissima, sed quæ sua item luce vim cælestem, ac splendorem diuinum, & spiritus singularem dulcedinem cordibus Magorum ingenerat. Angeli lætantur, vnus mouet stellam, alij sequuntur, & ex itinere Christum quem signabat stella in præsepio contemplãtur. Magi in alios viros mutati, sentire spiritus in se mirificam operationem, propensionem ad iter; intelligunt quæ sunt paranda munera Regi nato expositoribus Angelis. Iam inde adorant quem non vident. Regum comites non dubiè sunt pij, Angeli eorum lætantes, omnes bonæ spei pleni, prompti ad obedientiam, expediti ad iter.

Quid impij Spiritus? suspicantur, mœrent ex suspicione nouæ rei, dolent, timent omnia, & tamen vident se non posse impedire iter. Colligunt argumenta pro diuinitate Christi, & tamen facit eorum obstinatio, facit voluntas peruersissima, vt magis apud ipsos valeãt infirmitates pueri, circumcisio, præsepe, fletus, paupertas. Non potest superbus argumenta sumere ex humilitate ad rerum magnitudinem.

## CIRCA EA QVÆ DICVNTVR ET FIVNT MEDITATIO.

REges Magos sapientes fuisse nomen Magi docet; pios, electio Dei & dignatio. Hi sciebant doctrinam Iob, Prophetiam Balaam, traditiones Hebræorum qui captiui fuerãt in Babylone; & adhuc decem tribus in Orientis regionibus dispersæ erant. Tenebant prophetias Ezechielis, Danielis, Hieremiæ, ac etiam aliorum Prophetarum. Sciebant quid Sibylla Persica de Christo esset vaticinata. Itaq; expectabant deuoto animo Christum, & frequenter ea de re meditabantur, & inter se per litteras conferebant. Cum ecce tibi apparet stella, quæ & nouitate sua, & excellenti splendore oculos eorum occupauit ac mentes; stella quidem oculos, Angeli per stellam mẽtes. Quid dico Angeli per stellam? verbum IESV recens nati, ploranti, frigenti; IESVS ipse ploraus & frigens illam lucem operabatur, illa luce illustrabat dulciss. nè, & oculos Magorum, & corda. Ipse aderat in diuinitate, apparebat in humanitate. In hac enim Christum etiam contemplabãtur in spiritu, atque adorabant sancti Reges. Tam insolita rerum facie vehementer commoti, communicant miraculum cum suis Principibus. Concilio habito, decernunt iter singuli ex suo Regno. Rebus domi constitutis, certiores socios Reges faciunt, parant se ad iter, habẽt delectum comitum, & ex tota frequẽtia seliguntur optimi quique. Parant munera. Sed cur tria, & hæc trina? Id videlicet ex stellæ contemplatione à Christo per Angelum percipiebant.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Contemplandum quàm fuerit lætus eorum conuentus & iter, vbi in vnum comitatum Angelis ducentibus conuenerunt. Cõferunt inter se suas visiones, suas reuelationes, suos mentium motus. Illud simul inter se communicant, quod sibi contigisset diuino mysterio ea nocte esse insomnes. Contemplare etiam quomodo orta sit stella in Iudæa, & ad eos sublimis ac splendida accurrerit. Prosequũtur simul iter nouo spiritu, noua animorum iucunditate atque alacritate, ex spirituali videlicet rerum collatione, exultantibus inter ipsos Angelis eorum, & illo primario Duce, quem piè credere possumus fuisse ex suprema Hierarchia, vt omnes qui Christo seruiebant. Considera non solùm in hoc conuentu; sed in toto item itinere Regum & totius comitatus sedulitatem, pietatem, & mentis lætitiam. Simul Angelos animos eorum exhilarantes. His omnibus te coniunge animo, hæc alacritas spiritus, hæc lætitia, hic animorum & spirituum consensus te moueat ac ducat ad præsepium. Non es quidem dignus qui in tam sancto sis comitatu, sequere tamen illum verecundè, plenus spei bonæ, futurumque spera vt per illum ad Christum adorandum admittaris, & illi Reges intercedãt apud Deum ne excludaris. Verùm animaduerte quæso celeritatem itinerum: tredecim diebus perueniunt Bethlehem, & tamen aliquid temporis insumpserant dum se parant ad iter, dum responsum Hierosolymis expectant. Sed quid mirum in Regibus tanto miraculo inuitatis, quos stella, quos Angeli ducunt, quos Christus vocat? cum illud etiam iter è Persia vsque, eo tempore conficere potuisset veredarius cõmuni & vsitato cursu, præsertim per dromades, camelos? Considera quàm frequenter in stellam oculos cõijciunt, quàm studiosè & dulciter illam contemplantur. Ex eius enim conspectu, & ab ipsa, & a Principe Angelo, & à suis Angelis, & à Christi luce diuina mirificè recreabãtur. Veniunt in Iudæam stella duce, & ecce tibi amplius illam non vident; eam enim Angelus à Christo admonitus occultauerat, radios scilicet illius continebat, ne ad oculos Magorum permearent. Sed num antea num postea illa fuit stella conspicua alijs hominibus, præter quàm Magis & eorum comitatui? In his, vt ex libera meditatione, vbi nihil certi vel è scripturis, vel à traditione, vel omninò ex Doctoribus accepimus, piè exponimus ac meditamur ea quæ deuotio suggerit. Quod fuerint tres Magi, traditionem sequimur: quod Reges, si non traditionem, certè Doctores & consensum Ecclesiæ. Stellam cum Chrysostomo meditari possumus omnibus apparuisse, non tamẽ ab omnibus, vel animaduersam, vel intellectam. Etenim ex ijs qui aduerterunt pauci cõmoti sunt, nisi curiositate. Pij tamen qui viderunt, & ij præsertim qui expectabant ex Iudæis redemptionem, permoti quidem sunt, qualis Simeon, qualis Anna, quales ij de quibus, & quibus loquebatur Anna, quales Pastores, & quos Pastores docuerant. Ablata à Magorum conspectu stella, absque dubitatione sunt vehementer commoti subito casu. Verùm aderat ipsis ille idem Princeps Angelus, aderat Christi diuinitas. Colligunt igitur animum, & fideliter interpretantur, & boni consulunt stellæ defectionem. Ineunt autem consilium eundi Hierosolymam; in ciuitate Regia existimant Regem Iudæorum natum. Verùm hæc stellæ occultatio Iudæorum est notatio vehemens; vt qui lumen verum scripturarum non agnoscerent, iudicaret Deus cælesti illustratione esse indignos. Mysterio autem eximio factum, vt Magi stella destituti Hierosolymam venirent; vt discerent haurire ex scripturis fidei veritatem, nõ semper signa expectarent. Eadem esse discerent quæ signa prædicant, & quæ docent scripturæ. Signa dari incredulis, credentibus scripturas; illa cogere ad fidem, has in fide etiam instituere. Adde quod in confusionem Iudæorum, & in vaticinium futuræ eorum incredulitatis, & gentium vocationis voluerit Deus primam prædicationem Euangelij fieri quidem per Pastores, humiles homines, Iudæis non credentibus nec crediturís; simul per Reges Gẽtilibus crediturís. Ingrediuntur vrbem Regiam cultu splẽdido, numeroso comitatu. Iam primũ hoc conuertit in ipsos Hierosolymitanorum & oculos & corda. Mirantur etiam Romani, qui censum exigebant ex Imperio Augusti Cæsaris, erigunt animos, mirantur inopinatum Regum aduentum, confidentiam, magnanimitatem; in alienum Regnum, in Regiã vrbem ausos penetrare inermes, ideſt cũ nullo exercitu. Contemnunt tandem. At Magi Imperatorem cælorum & orbis sequebantur, diuinitùs armati ac fortes. Illud etiam humana ac simplici mẽte putabant Magi, acceptissimos se venire ciuitati, qui eò venirent vt eorũ Regẽ adorarent, & eius ditioni se subijcerent.

Ingressi



Ingressi igitur vrbem Reges statim ipsi per se auidè ac instanter quidem, sed cum regia tamen dignitate prædicant natum se scire Regẽ Iudæorum, vbi natus sit id quærere. Vidisse se quidem in Oriente eius stellam, quæ in hanc vsque ciuitatem eos duxerit. Nunc non videre stellam, credere in hac regia ciuitate natum, desiderare sibi commostrari vbi natus sit. Venisse se vt illum adorent, Regem scilicet cælorum; vt qui stellam mittat ad suum in Orbem aduentum denunciandum. Hæc vox est Iudæi, quæ tum vestras mentes, tum Dæmonum omnium, qui vestram ciuitatẽ obsidebant, acerrimè verberauit. Hæc vox vestri Regis, vestrorum Principum corda perculsit, & totam ciuitatem perturbauit. Præcipites vndique accurrunt ad Regem, ad Principes Sacerdotum, ac frequentes nuncij; venisse Reges, nunciare Mesciam natum, illum quærere, illum vt adorent venisse. Vobis nil dico Dæmones, estis perditi, & estis deplorati atque execrati cum Principe vestro. Te conuenio Herodes, vos Iudæi Principes, quibus hæc potuerunt prodesse. Quid tandem timetis? Quid tu Herodes? Regnum Christi extimesco. At non est de hoc Mundo, hoc tempore; est spirituale. Primus est hic aduentus humilis, non secundus potens. Recipe Christum, profitere eius fidem. Tunc istud etiam Regnum tuum confirmari poterit, tunc verus esse poteris Iudæorum Rex; nunc es tyrannus. Iam enim ablatum est Regnum de tribu Iuda, & trãslatum verò in æternum Christi Regnum. Hoc tibi persuadeas, & te magis cõiungas, ac Christum verum hominem, Regem, Deum. & moriturum profitearis, & tunc vel tuum Regnum temporale depones, vel in eo confirmaberis. Sed superbia, crudelitas, malitia, atque impietas tua te agit transuersum. Nam nec Christum occidere poteris, & Regnum miserrimè cum execrabili morte commutabis. Debuisti cognoscere, & potuisti, te tyrannum esse non Regem: esse natum Regẽ seculorum, qui Regna non quæreret sed daret. Cur confidis Regni emendicato iuri & coacto, illinc ab Augusto, hinc à Iudæis, qui ab hoc Rege potes & Regnum, & Regni iusti tiam accipere & confirmationem? Tuum hoc Regnum non solum terrenum est, sed tyrannicum: a. si conuertas oculos tuos ad veram lucem Regis nati, si aperias cor tuum Christo nato, næ tu istud Regnum contemnes atque abijcies, æternum quæres & accipies. Quid vos Iudæi, quos cõfidentiùs conuenio & iustius, quid timetis? Quid turbamini? Nonne expectatis Mesciam Regem? Nonne intelligitis finem hebdomadarum Danielis adesse? Nonne propheticum Iacob impletam, qui in alienigenam Regem consensistis? Nonne videtis esse & consilium ex Iuda, quod dicebatis Sanhedrin ablatum? Nonne legistis Reges Tharsis, insulæ, Arabum, Saba venturos, dona oblaturos Regi Mesciæ? Quid igitur trepidatis ad vestrum Regem à vobis desideratum, & à gentibus vniuersis? Lux diuina oculos vestros lædit? Salus æterna offendit? Non aufert Christus gentem vestram. Non aufert cultum Dei vel Sacerdotium, sed confirmat, & sempiternum facit nouum ac diuinum sacrificium. Sed vos vestrum, quem sequuti ferè estis, patrem sequimini. Mauultis Barrabbã, Herodẽ, Cæsarem, quàm IESVM Nazarenum, verũ Mesciam, verum Redẽptorem & Regem. Amatis vestras cathedras, vestras ambitiones, lucem Dæmonis tetram sectamini. Iam nunc timere incipitis ne vestram tyrannidem, ne locum & gentem amittatis. Nec mirum si tã peruersè metuatis. Nam quid estis aliud vos omnes, quàm colluuies putrida impietatis Sadducæorum, & Pharisæorum hypocriseos? qui partim abnegatis verbum Dei, partim vestris falsis doctrinis inuertitis atque reijcitis? Submittite corda vestra ad verum sacerdotiũ, vt efficiamini gens sancta, & sacerdotium regale. Perturbatur igitur Herodes, turbatur vniuersa Hierosolyma. Quòd Herodes turbetur minùs mirum, minùs detestabile: quamquam & summè hoc detestandum. Rex erat recens receptus, alienigena, ignobilis, ambitiosus, crudelis; metus etiam supplicij eum terrebat. Sed vos quid timetis Iudei? Rex est vester. Id cæli prædicãt per stellam, id scripturæ vos docent, id Angeli per Pastores, quod fortassis non ignorastis. Quid vos perturbat? Non tam metus dominationis amittendæ, quam cordis vestri inueterata malitia. Plebs turbatur videns Regem, videns Principes suos turbatos. Verum alia erat mentium commotio in pijs, in Simeone, in Anna, in expectantibus redemptionem Israël. Iam responsum acceperat Simeon non visurum se mortem, nisi videret priùs Christum Domini. In natiuitate sensum aliquem spiritus, & ipse, & Anna, & alij acceperant. Intellexerant ex Pastoribus de Christi natiuitate, cognouerant de natiuitate Ioannis, erant omnia diuulgata per



Dan. 9.
Gen. 49.
Psal. 71.
Ioan. 18.
Luc. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



omnia montana Iudææ. Varia igitur erat hęc animorum permotio, pia, iucũda, spiritualis. Primum ergo Herodes destinat animo facinus, vt puerum interficiat; non posse regnum suum aliter stare. Idem Principes Iudęorum meditantur; non posse aliter suam potentiam consistere. Erat tanta horum omniũ nequitia, vt facilè quod Dęmones parabant ipsis persuadere possent. Quid in hac rerum commotione Magi? Stupent ad rerum insolitam faciem. Neque verò quicquam mali de Iudęis, quorum Regem adoratum venerant, iudicare poterant. Hærent & timent Herodem, tamen non desinunt quærere, donec Herodes iussit à se expectare responsum non ab alio, se esse puerum recens natum commonstraturũ. Expectant: verum Herodes inhiat sanguini, atrociter quidem, veteratoriè tamen. Cõgregat Principes, non vt ostendant quem adorent Magi, sed quem ipse illis indicantibus possit interficere. Parant scelerati Principes quid respondeant. Conspirant subdolè inter se vt respondeant quidem ex Michęa, non tamen integrum locum adducunt, qui est de Christi ęterna natiuitate; Nihil de Prophetia Iacob, nihil de Danielis hebdomadis. Respõdent ergo malignè, & partem prophetię omittunt, quod erat in Propheta potissimum; Et eius egressus ab initio à diebus æternitatis. Vt iam inde Christi diuinitatem auersarentur, vt timorem maleficij, & sibi, & Herodi adimerent. Non crediderunt quem prædicabant Magi esse Mesciam: & quid mirum illos tunc non credidisse narrantibus gentilibus hominibus vidisse se stellam, qui post tantam lucẽ doctrinæ, post tam stupenda miracula, non solùm non crediderunt, sed etiam crucifixerũt? Erant scilicet iam obcæcati, erant à Dæmonibus obsessi atque adeò possessi. Occultauerũt scripturæ intelligentiam sua peruersitate. Verùm ô admiranda diuinitatis consilia, & sapientiam adorandam. Magi è media gentium infidelitate credunt, Christum natum prædicant; Sacerdotes fidei magistri indicant quidẽ vbi nascatur, ipsi non credunt natum. Fuerũt ergo Iudæorum Apostoli gentiles homines, ab ijs audiunt fidem legis Doctores; fidelitas ab infidelitate. Sed contemplare animos, & impias Herodis & Iudæorum cogitationes. Sedent consuluturi de Christo. Iam tunc agũt Iudæi Iudæi, Herodes imitatur Pilatum; illi tradunt Christum, hic ad mortem destinat, ne dominationem amittat. Non est hoc maleficium tui temporis, non est; ne festines alienũ facinus occupare. Proponit Herodes, respondet perfidus Princeps Sacerdotum omnium nomine; in Bethlehem. Confirmant omnes eius responsum. Herodes credit natum Christũ, sed armatur aduersus ipsum impiè, quod facturus tam facilè non fuisset, si Iudæi subiecissent Christi æternã natiuitatem, si ex Prophetis regnum Christi æternum, non terrenum, non temporale; non esse quod timeret. Sed ea erat ipsorum malignitas, vt illa tantùm manifestarent quibus animati ad necem posset Herodes non deterreri. Dimittuntur ab Herode Principes; & ipsi quidem rem negligunt, vt qui non credebant natum Christũ, cuius sperabant aduentum, nõ humilem, sed sublimẽ. Erat ô peruersũ Iudæi sublimis eius aduentus. Quid enim sublimius quàm humilitas carnis à diuinitate sumpta? Sed vos omnes Scripturas corrumpitis, nec potestis diuinum consilium in humilitate Christi capere, nec vultis. Aduocat tandem concepto & destinato facinore Herodes Magorum simplicitatem, mentitur se velle Regem natum adorare, sed non licere per Regni negotia; venturum se cum regio comitatu ad maiorem pueri Regis celebritatem. Sed interim inquit intelligere se velle stellæ mysterium, quo tempore, vbi apparuisset, quorsum spectabat illa, quò ducebat. Exponunt omnia sancti Reges simplicissimè; concipit maiorem rabiem Herodes, & simulat maius obsequium. Quasi ex imperio illos mittit Bethlehem, & indicit vt puero inuento sibi renuncient; velle se similiter illum adorare. Ite, & interrogate, inquit, diligenter de puero; & cum inueneritis renũciate mihi, vt ego veniens adorem eum. Quid hæc sibi vult anxietas? hæc verborum accumulatio? Metuebat nè lateret, timebat ne elaberetur. Tibi erat impossibile Christum inuenire vt occideres, Magis facile vt adorarent. Pollicentur Magi, nihil mali suspicantes: & erant quidem renunciaturi, nisi fuissent ab Angelo admoniti ne id facerent. Abeunt Magi; Herodem cruciat Rex Christus natus, sperat tamen sua malitia illũ antea interficere quàm timeri possit. Sed cur non is tu cum Magis? Quod si tu ire nolis vel nõ audes, cur nõ mittis milites? Veterator es: vis interficere, sed elãculũ, quando noueris vbi fuerit. Verùm cur aliquem saltem cum Magis non misisti elancularium obseruatorem, vt saltem effugeres quod euenit, ne te insalutato abirent Magi?

*Aug. cap. 5. lib 2. de Syb. ad Catec. & cap 4. lib. 3 Hieronymus in 2. cap. Matt.*

*Michea. 5.*

Non



Non omnem malitiam permittit Deus Diabolo, sed pro sua prouidentia quando vult. Illud consilium non tibi suggessit Dæmon, quia Deus noluit. Egrediuntur sancti Reges ex vrbe, sancta quidem à patribus, à lege, à tẽplo, à sacrificijs, à cultu Dei; at iniqua & impia à Rege, à Sacerdotibus, à Scribis. Egressis ecce rursus apparet stella antea occultata. Retinuerunt quidem eius sensum interiorem Magi, stellam enim spiritualem nõ amiserãt, sed defectus externæ, mora ipsorum in vrbe, inquisitio, trepidatio Iudæorum primùm, deinde cunctatio respondendi, anxietas responsi Herodis, Dei mysterio fecerunt vt affligeretur eorum pietas, & desiderium moræ impatiens, & stella eorum interior, quasi occupatur harum rerum obnubilatione. Verùm solet permittere Deus piorum animos laborare & obnubilari, vt illos illustriori luce nobiliter & foletur. Visa igitur stella Magi gaudent vehementissimè. Nam gaudent primũ, ideſt agnoscunt priorem lucem animi & gaudium, gaudent gaudio magno valdè, quam magni gaudij maiorem magnitudinem faciebat spes breuis, desideriũ ferè expletum, Christus proximus. Quanta fuit Magorum exultatio ex conspectu pueri IESV, si, quando stella proximum illum significauit, eos gaudio magno valdè affecit? Illud scilicet fuit maius gaudium gaudio magno valdè. Hoc enim explicari potuit, etiamsi mysticè; quod vero gaudium Christus præsens, quod lumen æternum cordibus corũ infudit, explicari ne mysticè quidem potuit: fuit enim maius longè, quàm gaudium magnum valdè. Nam è præsentia Christi retulerunt Magi inenarrabilem cordis suauitatem & lucem. Gaudio igitur tam eximio delibuti sequuntur ducem stellã, principem Angelum, & suos tutelares. E sublimi autem stella demissa stat non solùm supra domum, sed supra vbi erat Puer, super stabulum vbi erat Maria cum Puero. Venit regius comitatus Bethlehem, hic nullus turbatur, & tamen erat frequentissimus populus qui ad censum conuenerat. Erant Romani censum agentes. Hi interrogant quid sit, quorsum Reges veniant. Intelligẽtes ad puerum Regem adorandum, contemnunt. Qui audierant à Pastoribus confirmant pietatem suam; alij non habẽt qui eos alliciant ad perturbationem, non Sacerdotes, non Herodem. Recta ad designatum locum à stella ingrediuntur Magi, reperiunt Puerum & Mariam Matrem eius; quo viso repleta sunt eorum corda luce incredibili, incomparabili gaudio exultauerunt. Iam non Angeli, non stella; iã non puer natus per illa, sed IESVS ipse per se fontem suæ bonitatis & gratiæ illis aperit, illis per se communicat, ad se raptis eorũ mentibus ostendit se verum Deum, verum hominem, & Regem seculorum ęternum, se pro mortalium salute crucifigendum, sepeliendũ, resurrecturum. Hæc fuit lætitia quę gaudium illud magnum valdè adeò excessit, vt explicari non potuerit: sed illud fecit quod solent veræ reuelationes in pias mentes, vt ex diuina luce & gratia ad perfectionem operum conuertantur. Procidunt ad terram, adorant, procidit totus comitatus, rei miraculo alij omnes reuerenter astant, non audent propiùs accedere, soli accedunt Reges: singuli ad terram rursùm prosternuntur, suam animam, corpus, vitam, regnum, opes, exercitus subijciunt Infantis maiestati. Osculantur manus ac pedes, profitentur hominem verum & Regem, Deum verum, mortalem, morteméque pro mortalibus oppeditarum. Quæ erant professi muneribus confestantur, aperiunt singuli thesauros, singuli proferunt aurũ, thus, & myrrham, singuli suam fidem tribus muneribus testificantur.

O felices Magos. Orbis est vniuersus in tetra caligine erroris. Iudæi qui lucem habere poterant scripturarum & fidei, ad lucis illius splendorem obcæcantur. Vos stella, vos Angeli illuminant, vos illustrant scripturæ; vos Iudæis, vos Herodi Regi, vos Romanis, vos Hierosolymis, vos Bethlehem Christum IESVM prędicatis. Vos estis & Iudęorum & gentium Apostoli. Iudęi IESVM Christũ miraculis coruscantem non solum non adorauerunt, sed cruci affixerunt atrocissimè: vos infantem pauperculum in stabulo abiectum adorastis, hominem, Deum, & mortalem estis professi. Vos oculis vestris vidistis, perspexistis, contrectastis manibus vestris quod fuit ab initio verbum æternũ, ęterni Patris Filium.

Adorato Christo quis nos prohibere potest quin meditemur, vt secundum Regẽ natum, matrem eius Reginam adorarint Reges? illi sua obsequia vt Reginę Matri obtulerint? Quid Christus puer cum hęc Magi? Non loquitur quidem exterius, sed verbo suo ęterno loquitur in corde altissimè, loquitur suauissimè, clementer intuetur, gratum sibi esse obsequium significat, adorationem ac fidẽ, mu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nera eorum esse accepta, memorem se eorum deuotionis ac pietatis fore. Maria verò virgo summa cum modestia breuissimè eorum animum collaudauit, iussitque expectari à filio suo cælestia. Quid comitatus Regum? eminùs idem profitentur quod Reges, animo idē offerunt quod Reges, suam accipiunt animi consolationem ac lucem. Tantæ celebritati Ioseph creditur abfuisse; neque caret mysterio, vel quòd non aderat, vel quòd eius nulla fiat mentio si aderat. Verum cur abfuit? Num illud fuit, quod Deus sua sapientia prouidit, vt quem scirent Magi non esse patrem pueri, is sua absentia idem repræsentaret, ac quasi profiteretur se patrem non esse, Christum patrē nullum habere in terris, habere æternum in cælis, solam matrem in terris? Quid postea Magi? laudant Deum, exultant spiritu. Quum autem sciret Deus eos ex simplicitate cordis de reditu ad Herodē cogitare, in somnis misso Angelo admonuit ne id facerent, sed per aliam viam in suam regionem reuerterentur. Intellecta Dei voluntate, salutato cum summa deuotione Puero ac Matre, pleni suauitate & gaudio, pleni fide reuersi sunt per aliam viam in suam regionem singuli.

## QVÆ SEQVVNTVR ELICI POSSUNT ex meditatione.

AGnouerunt Gentiles spiritu puerū Deū infantem. Tu post miracula puerū Deū non agnoscis? Deplora tui animi duritiam, & conuertere ad Magos, & ad Angelos qui illos ducebant: implora eorum auxilium, nec illos dimittas donec te ducāt ad Christum in præsepium, donec tibi aliquam internam lucem impetrauerint, qua agnoscas IESVM natum. Sequere Magos; ecce ipsi te deducūt, ipsi præeunt. Contemplare stellam internam in corde tuo, in qua est ministerium Angeli, virtus Pueri nati; respice ad illam lucem, illam sequere. Verùm ne negligas scripturas, ne Ecclesiæ traditiones & doctrinam accipere à Præsidibus Ecclesiæ, idest veritatem fidei. Vides à pessimis etiam Iudæis benè esse edoctos Magos, ad eos quos Peruersos sciebat Deus, missos instruendos, quos ipse iam edocuerat. Exerce vtrumque in corde, & internam illuminationem, & scripturarum veritatem, atque Ecclesiæ Romanæ interpretationem. Ita in spiritu Christum inuenies in præsepio, in humilitate scilicet magnum, in infirmitate potentem, in humanitate Deum. Deum verum profiteberis intima animi tui deuotione, & hominem verum; qui & mortalis fuit, ac pro mortalibus mortuus, viuit autem in æternum. Offeras verò illi fidem, spem, & charitatem, & per has virtutes omnes alias; offeras tua vota, paupertatis in auro, in myrrha castitatis, in thure obedientiæ: vel spiritus paupertatem, mortificationis, debitæ castitatis, & feruentis orationis studium. Adora virginem Matrem Dei, illi offeras tuam deuotionem & perpetuam seruitutem. Ora vt tibi exhibeat IESVM infantem deuotè adorandum, vt Magis obtulit.

DOMI-

# DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.



## Cum Doctoribus disputat IESVS.

LVC. II. ANNO XII.

*In x. Imaginem adnotatiuncula.* x. 9.

*A.* IESVS eleemosynam petens, & accipiens.
*B.* Comitatus duo, virorum & mulierum, Hierosolymis redeuntium.
*C.* Pagus, quo primo die perueniunt.
*D.* Ampla exedra, vbi Doctores disputabant.
*E.* Disserit IESVS cum Doctoribus.
*F.* Maria & Ioseph reuersi inueniunt IESVM in medio consessu Doctorum.
*G.* Venit IESVS ad Matrem relictis Doctoribus.
*H.* Redeunt Nazaret, & erat subditus illis.

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. II.

ET ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierosolymā secundum consuetudinē diei festi, cōsummatisque diebus cū redirēt, remansit [a] puer IESVS in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in [b] comitatu, venerunt iter diei, & [c] requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, [d] requirentes eum. Et factum est, post triduum [f] inuenerunt illum in [d] templo sedentem in medio Doctorum, [e] audientem illos, & interrogantem. Stupebant autem omnes qui eū audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater eius ad illum; Fili, [g] quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos; Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod loquutus est ad eos. Et descendit cum eis, & [h] venit Nazareth: & erat subditus illis. Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et IESVS proficiebat sapiētia & ætate & gratia apud Deum & homines.

## ADNOTATIO.

Bernar. Bonauentura. Ludolphus.

*A.* PVer IESVS mendiculus stipem petens, & accipiens. Nam id triduum pane mentur inter pauperes in templo, vt eius modi res sequæ nec scripturæ repugnant, nec Doctorum auctoritati.

*B.* Duo agmina vel comitatus, virorum alter, alter fœminarū, versus Septentrionē iter habentes in Galilæam: qui erat mos euntium Iudæorum ad sua festa, & redeuntium, tum publicè ad templum vel Synagogas orantium, vt elici potest ex xij. cap. Zachariæ Prophetæ.

*C.* Pagus itinere diei vnius ab Hierosolymis distans, quò cum peruenissent Ioseph & Maria virgo Mater, cum existimasset vterque IESVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



*esse in altero comitatu, in vtroque eum quærebant, inter cognatos & notos.*

*D. Ampla exedra Hierosolymis in templo ad porticum Salomonis, in qua disputare de lege solebant Iudæi, & è cathedra docere populum.*

*E. Huc venit tertio post die puer IESVS, cum essent congregati Doctores, & disputarent de aduentu Messiæ. Audiens primum quid dicerent, cœpit illos interrogare, & respondere, & cum illis disserere tam sapienter, tanta omnium admiratione, vt cunctorum animis commotis, illum iuberent in cathedra sedere, vt plenius, & maiore cum dignitate vel disputaret vel doceret. Doctorum alij audiunt, alij inquirunt scripturas, vnus ex omnibus doctissimus cum Christo disserit, omnes stupent, ac Deū Israël laudāt.*

*Ceterum quod in cathedra sedeat IESVS, is est vsus communis in Ecclesijs: ille enim in medio esse dicitur (vt inquit Augustinus) cui honor præcipuus adhibetur. Et ad hoc alludit Beda;* Pſ. 108. *Quasi sapientiæ, inquit, fons sedet in medio Doctorum. Certè in Susannæ historia Danielem* Dan. 13. *iubēt Seniores populi sedere in eorum medio, vt de duobus illis sceleratis senibus iudicet: & in* Gen. 23. *Genesi habitat Ephron in medio filiorum Heth:* 3. Reg. 3. *& Salomon est in medio populi Israël: & in Ec-* Cap 10. *clesiastico; In medio fratrum Rector illorum est in honore. Est igitur cur receptam imaginem retineamus.*

*F. Maria virgo, & Ioseph Hierosolymam postridie quam discesserant reuersi, IESVM inquirunt mœrentes & solliciti. Post tertiam denique diem inueniunt eum in templo summa cū animi voluptate atque admiratione, in medio Doctorum disceptantem vehementi totius consessus applausu. Hos videns IESVS puer finem dicendi facit, & bona venia Doctorum discedit ad Matrem.*

*G. Venit IESVS ad Matrem, se illi dedit; Mater illum complectitur suauissimè, manus eius tenet: ipse vicissim cor matris diuina iucunditate replet. Ibi verò supra humanum captum illa facta est interrogatio & responsio; Fili quid feciſti nobis sic? Mos hic fuit dulcissimus veræ & pijssimæ Matris in verum & suauissimum filium, & interrogatio ab excellenti securitate, & sancta præsumptione profecta, quod fuit filio acceptissimū. Quid Christus? Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quod in ijs quæ Patris mei sunt oportet me esse? Nihil erat quod me quæreretis, dispensatione enim mea factum est, vt tunc non animaduerteretis, quod alioqui non ignorabatis, me Deum esse simul & hominē. Illinc nihil esse mihi timendum, per omnia vero fidendum: hinc existimandum, quod me Dei mandatum explere oportebat. Nam Matrem non reliquissem, nisi propter Patrem meum cœlestē. Quæ cum diceret IESVS, eorum mentes diuina suauitate & luce replebat; Matris præsertim. Hoc verò fecit vt Maria virgo Mater diuino gaudio, & spiritus exultatione tota in filij diuinitatem absorberetur.*

*Quod autem dicitur; Et ipsi non intellexerūt, dictū propter solū Ioseph piè exponere possumus (quemadmodum aliqui per synecdochen locum exponunt) Quod non incōmodè confirmari potest ex illo loco Exodi: Vsquequò non vultis cu-* Cap. 16. *stodire præcepta mea & legem meam? qui de alijs intelligitur, non de Moyse cui loquebatur Dominus: præsertim cum de Maria sola subdatur, quod cōseruaret omnia verba hæc conferens in corde suo. Porrò astabat Ioseph audiens hæc cum animi exultatione, & Deum, & Christum eius laudibus celebrans.*

*H. Redeunt Nazareth in Galilæam Ioseph & Maria virgo cum puero IESV pedestres: nisi meditari libeat iumentum illos aliquod duxisse, vel conduxisse ad leuandum itineris labore puerum IESVM, & Mariam virginem. Et erat illis subditus IESVS vsque ad anni xxx. initium: tunc enim oportuit eum planè esse in ijs quæ Patris sui erant, & opus diuinissimum perficere ad quod erat missus, mortaliū redemptionem, & vitam sempiternam. Quo tempore offert se se materia ingēs ad meditationē & deuotionē piè ac religiosè liberā. Quid enim fecerit Christus xvij. annis, nihil particulatim tradit scriptura. Quid, qua ætate, quæ obsequia matris, quæ patris putatiui obierit, quāta sapiētia, simul quā singulari humilitate vixerit & simplicitate, quanta gratia valuerit, quanta cum laude omnia fecerit: etiam si videri poterat otiosus, neque quicquam magni designare, præsertim adulta ætate, & mirum videretur quod Ioseph iunaret in fabrili (quam etiam artem meditari possumus illum exercuisse mortuo Ioseph) summo semper in honore matrem habuisse, iuuisse cognatos & tribules, omnibus sese exhibuisse placidissimum. Denique crescebat, confortabatur, proficiebat ætate, sapientia & gratia, apud Deū quidem, quod pro eius ætatis incremento actiones omnes fortitudinis, sapientiæ, gratiæ, omniū virtutum, omnium donorum gratissimæ supra modum humanum semper essent Deo; pūs verò hominibus essent gratiosæ, amabiles, admirabiles. Illud autē semper fuit in eo excellenti laude ac vene-*



*ac veneratione dignum, quòd in tanta sapientia, in tanta virtute, tam esset profunda eius & humilitas & simplicitas, tam eximia humanitas. Crescebant verò hæc omnia iuxta ætatis conuenientiam, & prodibant in opera perfectiora.*

## MEDITATIO.

QVid est sancte puer IESV, quòd Matrem, & putatiuum patrem relinquis? Vt essem in ijs quæ æterni & solius Patris mei erant: & simul docerem, apros esse posse etiam pueros Regno Dei, & Euangelicæ perfectionis statui capessendo. Quid præterea docuisti? Mater quidem mea, vel etiam Ioseph innocenter me amiserunt, ego illos reliqui sanctissimè: proptrea dulcissimè quasi expostulauit mecum Mater suum dolorem, vt solent Iudith. 6. & 9. Sancti de Dei benignitate præsumere. Ego illos suauissimè consolatus sum, eos excusans, & meam illis diuinitatem, & humanitatis officium exponens. At vos ferè me vestra culpa perditis, etiā vbi parum in vobis adoleui: ne igitur cunctemini, quærite statim me inter Sanctos meos, redite ad orationem & pietatis officia. Ita fiet vt audiatis me prius quidem vos arguentem, dein etiam docētem quemadmodum deinceps me retinere possitis.

DO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA SECVNDA POST Epiphaniam. Nuptiæ ad Cana Galilææ.

IOANNIS II. ANNO XXXI.

*In xi. imaginem adnotatiuncula.* xi. 15.

*A* *Triclinium ornatum.*
*B* *Mensa virorum, vbi Ioannes Sponsus, & IESVS.*
*C.* *Mensa mulierum, vbi Sponsa.*
*D.* *Pincerna videt nihil esse vini reliquum.*
*E.* *Virgo mater ad aurem significat IESV defecisse vinum.*
*F.* *Famulus excurrit, vt faciat quæ IESVS imperarat.*
*G.* *Alij sunt solliciti.*
*H.* *Hauriunt aquam, & implent Hydrias.*
*I.* *Architriclinus miratur vini bonitatem &c.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOANNIS II.

N[a] Vptiæ factæ sunt in [a]Cana Galilææ: & erat Mater IESV ibi. Vocatus est autem & [b]IESVS,& discipuli eius ad nuptias. Et [d] deficiente vino , dicit [e]Mater IESV ad eum; Vinum non habent. Et dicit ei IESVS; [e]Quid mihi &tibi est mulier? nondũ venit hora mea. Dicit mater eius [f]ministris; Quodcunque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis IESVS; [g]Implete hydrias aqua: & [h]impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis IESVS; Haurite nunc,& ferte Architriclino. Et tulerunt. Vt autem [i]gustauit Architriclinus aquam vinum factam,& non sciebat vnde esset, (ministri autem sciebant qui hauserant aquam) : vocat Sponsum Architriclinus, & dicit ei Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum IESVS in Cana Galilææ, & manifestauit gloriã suam; & crediderunt in eum discipuli eius.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* TRicliniũ ornatum ad nuptias Ioannis, Mariæ virginis ex sorore Maria Salome nepotis, consobrini Christi, quem ipse Dominus vocauit è matrimonio ad Apostolatum. Hoc erat in Cana minore, vico Galilææ: nam erat oppidum eodem nomine, quod Cana maior dicebatur, non longè à Sidone in tribu Aser. Cana autem minor est quidem in tribu Zabulon, non longe tamen à finibus Aser (ita fortasse conciliabimus Eusebio vel Hieronymo alios Chorographos) decem milliaribus à Nazareth ad occidentem & septentrionem. *Iosu. 19. Hieron. de loc. heb. Brocar. & alij Brocar. Arand. Tom. 7.*

Iamverò Ioannem filium Zebedæi fuisse spõsum tradit Beda, Rupertus Tuitiensis, Gloss. Thomus adiungi potest qui præponitur Gloss. prologus in Ioannem, siue Hieronymi sit, siue Augustini: & iam hæc sententia venit in consensum communem, vt etiam tempore Bædæ & Tuitiensis. Quòd verò fuerit filius Zebedæi Ioannes, nullus negare potest; nec item quod mater filiorum Zebedæi fuerit dicta Salome: ita enim exponit Marcus Matthæum. Hic enim inter mulieres quæ secutæ fuerant à Galilæa Christum, & stabãt longè à Cruce, ponit matrem filiorum Zebedæi: Marcus cum idem narrat, eam dicit Salome. Quod possumus interpretari, Mariam filiam Salome aui Ioannis. Neque est ambigendum quòd Salome possit esse nomen viri: ita enim appellatur in libro Numerorum, pater principis diuisoris terræ de tribu Aser. שלמי id est Salome, siue græcè scribas, siue latinè: nam retineri solẽt nomina hebraica seruata proprietate literarum. Neque vsquã est nomẽ in veteri testamẽto Salome pro fœmina. Quòd si contendas esse Salome in Marco nomẽ fœminæ, id ita concedendum tibi, si vicissim fatearis eam à patre Salome esse dictam Salomen. *In 2. cap. Ioan. 2. q. 186. ar. 4. Cap. 27. Cap. 34.*

Quòd verò eadem Maria appelletur, innuit Marcus: nam cum dixisset Matthæus; Maria Iacobi, & Mater filiorum Zebedæi; subdit Marcus, Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, & Salome. Quid Salome? Maria scilicet Salome; sicut illa Cephæ filia, ita hæc Salome: illa vxor Alphæi, & mater Iacobi minoris, Ioseph, Simonis, & Thaddæi; hæc vxor Zebedæi, mater Iacobi maioris & Ioannis. Nam quod Cleophas fuerit maritus Mariæ, ex Egesippo non habetur, si sincerè locus citatus ab Eusebio latinè vertitur : reddi enim non debuit; Maria Cleophæ, vt est in Euangelio Ioannis: quam concludit Hieronymus asseuerantem fuisse vxorem Alphæi, dici verò à Ioanne Cleophæ, siue à patre, siue ex gentilitate, siue alia quacunque causa. Consentaneũ autem est vt à patre dicatur, vt constet etiam quòd filius sit Simon Cleophæ, quod dicit Egesippus, hoc est nepos ex matre.

Hanc porrò quæ Salome dicitur, fuisse tertiam Mariam, illud etiam probat: nam cum nullus non confiteatur præter Mariam matrẽ Dei, tres celebres Marias fuisse Christum ex Galilæa secutas; & duæ compertæ sint, Maria Magdalene, & Maria Cleophæ, siue mater Iacobi minoris & Ioseph; consequens est vt sit tertia Maria Salome, siue mater filiorum Zebedæi.

Quod verò Hieronymus Mariam Cleophæ aliam scribit, aliam Mariam matrem Iacobi & Ioseph, non asseuerat: eadem enim hæc est quæ sõror Mariæ virginis, matertera Christi, vt idem subdit: & ita non admit tertium locum huic Mariæ Salome.

Ceterum hanc Mariam matrem Iacobi & Ioannis, fuisse sororem Mariæ virginis matris, Christi materteram, potest existimari communis sententia Doctorum. Nam ita censet Thomas, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Abulensis, Syluester in xx. cap. Matthæi. Et quidem hoc dicunt absque vlla hæsitatione vel disputatione, quasi rem planam ac probatam communiter. Quamuis autem antiqui Doctores hoc non tradant, facilè intelligi potest multa esse in Ecclesia Dei, quæ veteribus Patribus vel non constabant, vel in quibus sua studia non collocabant, contenti dogmatum & doctrinæ constantia & claritate. Ita enim & decebat, & oportebat, sanctos viros, & doctissimos homines contra hæreticorum insanias falsas & pessimas artes Ecclesiam & fidem propugnare. Posteriora verò tempora, vt fuerũt quietiora, ita maius otium dederunt alijs meditationibus & studijs. Tametsi coniecturam possemus aliquam accipere ex dictis Hilarij cognationis Mariæ Salome ad Christum: sic enim inquit Hilarius; In matre filiorum Zebedæi lex intelligitur, quæ confidentia priuilegij sui pro credentibus ex se populis deprecatur. Hunc locũ etiam si non vrgeo, prætermittere nolui. *In Mat. 20. Can.*

*B.* Mensa, vbi ad conuiuium discumbunt honestissimo loco Ioannes Sponsus, & alij inuitati, inter quos discipuli IESV, & IESVS ipse, cuius nondum celebre erat nomen.

*C.* Mensa sponsæ, & mulierum quæ erãt ad nuptias

Universidad de Deusto
Biblioteca



*nuptias vocatæ, inter quas non sedebat Maria virgo; erat enim in ministerio nuptiarum occupata, opem ferens sorori.*

*D. Pincerna petens ab vrceo vinum, nihil fundit tamen: simul vas aliud euersum iacet, vnde intelligitur vinum deesse.*

*E. Virgo mater ad aurem filio renunciat vinum deesse. IESVS ipsi respondet: sunt parati famuli & soliciti. Igitur vino deficiente, & periclitante nuptiali conuiuio, accurrunt ad matrẽ, orant vt per filium succurrat eorum necessitati, se ad extremam esse infamiam coniectos. Illa sciens in spiritu quid esset facturus filius, & omnia ad mysterium spectare, & nuptias, & sponsum, & vini defectum, & quod erat editurus miraculum Christus, subseruit libens negotio. Omnia enim in gloriam Christi & eius Patris sciebat redundare: Tribuendum autem non esse miraculum vel sibi, vel filij sui soli humanitati. Non enim ita faciebat miracula Christus vt Prophetæ fecerunt, Apostoli, & Sancti erant facturi. Christus enim sua virtute, hoc est diuinitatis suæ potentia miracula operabatur, quæ eadem erat, & est quæ Patris. Puri verò homines nõ sua, sed Dei virtute miracula designabant. Itaque accepta fuit responsio Christi à matre vt summũ beneficium. Intelligebat enim filium suam diuinitatem asserere ac manifestare, & qui erant præsentes intellecturos, si quidem facturus esset miraculum IESVS, non virtute humanitatis esse facturum, sed diuinitatis. Fuerunt ergò in his nuptijs patrata eximia mysteria, confirmatũ matrimonium, prælata matrimonio virginitas, vocatus ad religionis statum sponsus: excellentissimum verò illud, quod ostendit Christus se Deum, & diuina virtute hoc miraculum edere, & reliqua esse editurum. In hoc enim totus erat Ioannes, vt Christi diuinitatem hominibus euangelizaret.*

*Dicit igitur Christo Maria mater virgo; Vinum non habẽt. Respondet Christus; Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Acerrima scilicet fuit illa assertio diuinitatis, tum humanitatis vehemens; Nihil mihi & tibi mulier. Non enim illic mater: neque enim mihi tecum commune quicquam quà Deus sum. Sed simul homo; quod illa hora mea faciet planum, quando in horto sudorem sanguineum præ timore & tristitia sudabo, & quando à Iudæis cruci affigar & in cruce moriar. Hæc cum audisset virgo mater, & filij voluntatem percepisset, dicit ministris; Quodcunque dixerit vobis facite. Illi exequuntur Christi præceptum. Similiter respondet orationibus nostris sancta virgo, vbi ad eam vt intercedat pro nobis apud filium accurrimus; Seruate filij mei præcepta; ita fiet vt meas intercessiones pro vobis filius meus exaudiat, & respondeat vobis salutaria.*

*F. Famulus vnus præcedit curriculo, ad IESV mandatum exequendum.*

*G. Alij festinant.*

*H. Hauriunt ministri è puteo aquam, implent hydrias: rursum ex hydrijs vinum depromunt iubente IESV. Nam verisimile est in tenui domo iuxta mensam fuisse puteum, vel omnino in triclinio, vt asolet; & facilè audire rursus potuisse famulos ex Christo; Haurite nunc, & ferte Architriclino.*

*I. Architriclinus gustato vino ex aqua facto, bonitatem admiratur, & vocat sponsum: illum increpat quòd optimum vinum ad finem conuiuij reseruauerit: audit miraculum totus consessus, stupent omnes, credunt in Christum discipuli.*

## MEDITATIO PRIMA.

*Hier. Tho. Beda Rup. Tuit. Glos. Canti. Cant. Matt. 22. 25. Ap. 19. Eph. 5. Zach. 9.*

HOnestatem quidem nuptiarum confirmat sua præsentia Christus; sed præstare virginitatem ostendit, vbi Ioannem spõsum à nuptijs ad virginitatem vocat, vbi vino spiritualis gaudij illas destituit, & vinum propter illã per miraculũ supplet. Ceterùm animũ al tiùs leuemus ad nuptias Agni cælestis filij Dei, ideſt ad vnionem cum Ecclesia per incarnationem suam, & cum pijs animis: ibi vinũ cæleste ac lætum, ibi vinum germinans virgines. Neque verò vereamur postulare quod nobis deest vinum spiritualis consolationis; illud orat pro nobis mater Dei Maria, & refert à filio suauissimum illud responsum; Quid mihi & tibi mulier? Quo responso Deus se ipsius filium significat: nec nunc addit; Nõdum venit hora mea, crucis, quæ videlicet præterijt, & efficax semper est. Verum intelligamus nobis præscribi à matre misericordię si velimus à filio exaudiri, vt quodcunque nobis ille dixerit faciamus.

MEDI-



## MEDITATIO SECVNDA.

Oratio præparatoria.

*Historia eadem Ioannis secundo: Et die tertia nuptiæ factæ sunt &c.*

## LOCI COMPOSITIO.

CONsidera Galilæam, & in ea tribum Zabulon, & in hac pagum Cana: hic paupere domum, & paratum triclinium & mensas. Est Galilæa, volubilis; Zabulon, habitaculum; Cana, Zelus vel possessio. Considera locorum qualitatem, situm, circumstantias, nominum significationes, quæ tibi ad meditationem subseruiant.

Quid quæres hac meditatione? Internam huius mysterij & miraculi cognitionem, vt inde possis ad maiorem amorem & imitationẽ Christi IESV adspirare, & nuptias spirituales celebrare cum Christo.

## PERSONARVM CONSIDERATIO.

PErsonæ hîc sunt, externæ quidem, tribus Zabulon, & pagi Cana: Propriæ IESVS, virgo Mater, Discipuli, inuitati, ministri. Qualitates harum sunt considerandæ, perfectio, mentis status, exterior etiam cultus: peculiaris etiam consideratio habeatur Sponsi, qui creditur fuisse Ioannes filius Zebedæi, frater Iacobi, consobrinus Christi, nepos ex sorore virginis Mariæ. Sponsam, licet nesciamus quænam fuerit è persona, scimus è cognatione, iuxta præscriptum legis. Ex hac pia consideratione collige fructum in mente tua & spiritu. Extrancarum personarum mores & statum mentis refugias prouidenter: Christi, Mariæ, & aliorum Sanctorum auidè imbibas, cordi imprimas, imitationem mediteris, atque animo proponas.

## CONSIDERATIO VERBORVM ET FACTORVM.

ERat ibi mater IESV, vocata priùs: deinde vocatur IESVS cum discipulis, qui inceperant illum sequi, non plenè adhuc receperant vocationem.

Considera nuptiarum, conuiuij, rerum omnium dignitarem ac sanctitatem, quas Christus, virgo Mater, Discipuli IESV celebrant. Sed ne tantùm hæreas illis nuptijs externis, quæ tamen confirmãtur propter futuros Hæreticos, sed leua mentem ad vnionem verbi cum humanitate, vnde factæ nuptiæ sunt Christi cum Ecclesia, & pijs Sanctorum mẽtibus. Respice simul quod iam tum vocando à nuptijs ad virginitatem Ioannem, Apostolis præscribebat quòd erant facturi, vt relinquerent vsum rei vxoriæ, si qui erant etiam mariti. Hinc fructum cõcipe ex vnione Christi hypostatica, ex vnione ad Ecclesiam, ad animas sanctas. Agnosce bonum quidem matrimonium, meliorem cœlibatum, optimam virginitatem; & animum applica ad meliora. Adfuit Christus primum cæremonijs nuptiarum, dein conuiuij: designauit sacramẽtum matrimonij, gratiam vinculo matrimonij adijciendam, conuiuium edixit ita debere celebrari, vt Christi præsentia non sit indignum, esse mala conuiuia quæ Christi spiritus non honestat. Contemplare Christi dignitatem & diuinam modestiam: in conuiuio assidentium suam piam omnium, & spiritalem hilaritatem, omnia plena luce & sanctitate. Vide paupertatem nuptiarum piscatoris. Habebant quidem vinum, sed modicum; vt quod post initia mensæ defecit, & ignobile, quod eo magis visum est, quia nobile & præcipuum vinũ ex aqua fecit Christus. Accurrunt ad Mariam ministri; ipsa ad Christum. Contemplare anxietatem ministrorum & fidem. Veniunt nõ ad Sponsum, non ad Architriclinum, quorum esse debuerat præcipua vini procuratio,

Universidad de Deusto
Biblioteca



sed ad Mariã: vel si ipsi ad Mariã nõ venerint, Mariæ virginis solicitudinẽ vide & prouidentiã, tũ indulgentiã charitatis, quæ ne in confusionem veniretur prouidebat. Quod & nõ dubium quin faciebat, animo complectens quod futurum esset, quid esset significatura illa mutatio aquæ in vinum. Venit ad Christum, efficacissimè orat, cũ summa fide summam humilitatem coniungens, tantùm necessitatem aperit, reliqua omnia in eius bonitate & sapientia reponens dulcissimè, voluntatem etiam suam. Profitetur Deum, vt qui possit aquam in vinum mutare, vel vinum planè creare: simul hominem, à quo Mater petere audeat. Respõdet IESVS, Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

Gloria hæc est Christi, & Matris dignatio, vt profiteatur priùs suam Deitatẽ absque miraculo, quod fuit iucundissimum Matri. Significat ergo vtrumque; sum Deus, & tamen tu es mater mea, quod intellexit virgo; hoc verò tunc planè profitebor, cum mysterium redemptionis humanæ moriens complebo. Ibi confirmabo me hominẽ, te matrem meam esse. Non enim habeo ex te vnde miracula, sed vnde mortem obire possim. Sed cur est hac phrasi vsus, quæ videtur conciliatior esse vel asperior? Nihil planè fuit conciliatum, nihil asperum; suauissimè ad cor matris respondit. Sciebat enim ipse facturum se miraculum, sciebat ex eius reuelatione Mater virgo. Matri suauissimum erat audire filium asserentem suam diuinitatem, magna item cõsolatio, nondum venisse horam passionis eius. Tu hæc nouisti mater, simul intelligis esse necessum me prouidenter loqui. Nam si miraculum fecero, qui intellexerint me te rogante id fecisse, perclarari apud eos poterit fides meæ Diuinitatis, & miraculum hoc existimari humano priuilegio, non diuina mea virtute factum. Quod si accideret in primo miraculo, facilè derogaretur futuris omnibus fides: nihil enim ferè facturus sum virtute Patris mei & mea, quod non fecerint puri homines. Simul autem agnosco te matrem, & in gratiam tuam illud faciam miraculum; testatus tamen me meæ diuinitatis virtute illud miraculum parare. Dixit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis facite. Ostendit mysticè ad praxim illius Diuinitatẽ. Nihil moueamini, faciet. Sed non ex eo quod à me sumpsit, sed ex eo quod à Patre cælesti habet. Quodcunque igitur dixerit vobis facite, obedientiam illius omnipotentiæ date; cuius est præscribere quę vult omnia vt fiant, nõ tantum vt credantur. Vos Lutherani hoc nõ creditis, qui verba Christi non vt facienda, sed vt credenda solùm valere contenditis. Audite miseri, sunt facienda omnia verba Christi ex eius gratia, vt nostra aqua fiat vinum, idest fluxiles nostræ actiones meritum vitę æternę. Veniamus ergo ad Mariam, vt nostræ fluxæ & frigidæ operationes fiant feruenter spirituales, per ipsius intercessionem. Vult frequẽter Dominus per matrem nobis dona largiri, sed qui ad Christum venit per matrem, obseruet quid dixerit mater; Quodcunque dixerit vobis facite: quasi dixerit, si velitis vestras petitiones consequi, facite quodcunque filius meus vobis dixit. Hi ministri quid aliud quã repræsentant Euangelij, & Ecclesiæ Catholicæ futuros ministros, & eos præsertim qui ad perfectionem homines essent adducturi? Sex hydriæ, sex sunt ætates ad finem vsque mundi: duæ metretæ, duo genera operum, quibus præcepta Dei & Ecclesiæ obire debemus, qui est necessarius numerus. Tertius est non necessarius singulis, consiliorum. Hæc quãtumcunque conemur nos, aqua est, non nutrit, non roborat, non lætificat: gratia Christi facit vinum ex nostra aqua. Et hoc quidem omni ætate fecerat Deus, verùm ita fecerat, vt si ad Euangelicam perfectionem conferas, illud vinum deterius fuerit. Propterea inducitur vt Architriclinus sua admiratione profiteatur, melius esse vinum noui quam veteris testamenti, vberiorem gratiam, perfectiùs in nouo obseruari præcepta atque cõsilia. Adde quod hoc miraculo Christus docuit, præstantiorem esse virginitatem castitate tori: illam esse vinum, hanc aquam. Sed ita tamen vt à Christo in vinum possit speciali priuilegio cõuerti; vt ratum matrimonium in Religionis statum, soluto vinculo: torum etiam in omnem continentiam vinculo stante, vt in Apostolis, in alijs item pijs hominibus solet.

Hoc fecit initium signorum &c.

Quo signo maxima mysteria confirmauit Christus, veritatem suæ & Diuinitatis, & carnis asseruit, præceptorum ac consiliorum doctrinã docuit præclarissimè, probauit matrimonium, prætulit illi virginitatem, luxum mundi & delicias emendauit, orationem ad Sanctos, & horum intercessionem approbauit; breuiter legem suam & gratiam quasi quodam compendio præstruxit.

Ad



Ad præsentiã, ad actiones, ad verba IESV, virginis Matris, & aliorum applica sensum spiritus, id est mentem deuotam & piam; collige inde amorem in Christum, imitationis desiderium, animum maiorem illum sequẽdi, Mariæ laudes canes, miraberis omnia, miscebis te ministris, summa cum humilitate inseruies Christo ad mensam ac discipulis, sedulo aderis virgini Matri ad omne ministerium.

## ELICIENDA EX MEDITATIONE.

QVid per te non sperabimus sacrosancta virgo Mater, quę à filio etiam vinum pro nuptiis impetrasti, & sic impetrasti, vt esset illa mutatio plena mysteriis? Impetra aquam nostram, pia mater misericordiæ, in vinũ mutari, idest nostras fluxas, frigidas, & effœtas operationes in omnem perfectionem conuerti, & amorem sæcularis vitæ in Religionis & perfectionis, & carnis propagationem in spiritus. Omnia per ipsam petamus fratres à filio, firma spe pleni quod simus omnia consecuturi. Verum audiamus quid ministris responderit, ac similiter credamus nobis à sancta Virgine responderi; si velimus ipsam pro nobis orare, si à filio impetrare, illam vim impetrandi adhibeamus nostris orationibus quæ est maxima: faciamus quæcunque nobis dixerit filius. Qua spe confirmati, & singuli vocationi suæ insistentes, petamus à Christo, petamus per Mariam matrem omnem vitæ emendationem, omnem vitę perfectionem, ad maiorem gloriam Dei omnipotentis, & plurium animarum salutem & perfectionem.

Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Mundatur Leprosus.

MATH. VIII. MAR. I. LVC. V. ANNO XXXI.

*In xij. imaginem adnotatiuncula.* xij. 26.

*A.* Thabor mons, vbi Christus Apostolos docuerat.
*B.* Locus campestris ad montis radicem.
*C.* Capharnaum, quo iter habebat IESVS.
*D.* Domuncula leprosi extra Capharnaum.
*E.* Leprosus adorans Christum sanatur.
*F.* Leprosus Hierosolymam iussus proficiscitur.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. I. MATTH. VIII. LVC. V.

CVm autẽ descendisset IESVS de [a] monte, [b] secutæ sunt eum turbæ multæ.

*Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dicit ei;*

Et ecce [d] Leprosus veniens [c] Adorabat eum, dicens;
Domine, si vis potes me mundare.

*IESVS autem misertus eius extendit manum suam, & tangens eum ait illi;*

Et [e] extendens IESVS manum, tetigit eum, dicens;
Volo: mundare.

*Et cum dixisset, statim discessit ab eo*

Et confestim [e] mundata est lepra eius.

*Et comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dicit ei;*

Et ait illi IESVS;
Vide nemini dixeris:

*Et ipse [e] præcepit illi vt nemini diceret:*

*Principi Sacerdotum, & offer pro emundatione tua*

sed [f] vade,
Ostende te Sacerdoti,
Et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.

*Et factum est cum esset in [c] vna Ciuitatũ, & ecce vir plenus lepra, & [d] videns IESVM, & [e] procidens in faciem rogauit eũ,*

ADNO-



## ADNOTATIO.

*Brocar. Masius Hieron. de lo. Abul. in Iosuæ 19.*

*A.* THabor mons in finibus Zabulon & Issachar, in Galilæa scilicet inferiori, à Nazareth vi. aut vij. milliaribus ad orientẽ, vbi habuit sermonem IESVS ad duodecim Apostolos, Matth. v.

*Hiero. Brocar. Beda.*

*B.* Locus campestris ad Thabor montis radicem: est enim Thabor situs in magno campo Galilææ Esdrelon, in quo descendens de monte cum Apostolis stetit IESVS, & eundem ferè sermonem iterauit ad turbam discipulorum, & copiosam plebis multitudinem.

*Matt. 4. Brocar.*

*C.* Capharnaum celebris eo tempore vrbs in finibus Zabulon & Nephtalim, quinque milliaribus post maris Galilææ initium, ad eius ripam ab occidente, quo iter habet IESVS cum descendisset de mõte, & turbam docuisset in loco campestri.

*D.* Domuncula extra Capharnaum, habitaculum leprosi, vnde videns IESVM venientẽ, ad eum processerat leprosus.

*E.* Leprosus primùm genuflectit, deinde in faciem procidens adorat IESVM, & ait supplicter; Domine, si vis potes me mundare. IESVS verò benignissimè extendit in eum manum, & dicit; Volo: mundare. Describitur verò Leprosus incipiens mundari superiori corporis parte, vt intelligatur qui Leprosus fuerat fuisse mundatum. Circumstant Christum Apostoli, discipuli, turba.

*F.* Discedens leprosus Hierosolymam vt Sacerdoti se ostenderet, & munus offerret quemadmodum iusserat Christus: narrat miraculum obuijs, quanquam Christus illi interdixerat.

Vt ad rem magnam & nouam, quasi repentinam & miram addunt; Ecce, duo Euangelistæ; Ecce leprosus. Ad longè maiora quidem vsurpatur; Ecce: Ecce virgo concipiet; Ecce Magi ab Oriente venerunt; Ecce aperti sunt ei cæli: & ecce vox de cælis dicens &c. Ecce ego mitto Angelum meum; Ecce ascendimus Hierosolymã; Ecce ancilla Domini; Ecce euangelizo vobis gaudium magnum; Ecce positus est hic in ruinam; Ecce merces vestra multa est in cælis; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; Ecce filius tuus, ecce mater tua. Magna sunt hæc omnia Ecce, noua, quasi repentina & mira, magna continent mysteria. Sed suam etiam habet magnitudinem, suum mysterium Ecce hic nostri leprosi. Venit enim ad IESVM, traxit eum Pater æternus, agnouit eius esse Filium IESVM; propterea illi genu flectit, ante illum proijcit se in faciem, ita illum orat, ita ab illo petit vt à Deo. Nonne hæc magna sunt, noua, inusitata, insperata? An non magna cognitio, quæ tam difficulter, tam rarò alijs contigit, non facilè etiam Apostolis? Ad hæc nondum dixerat Apostolis; Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: non dixerat Petro; Tibi dabo claues Regni cælorum: non illa verba quibus instituit Pœnitentiæ Sacramentum; Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: & iam per miraculum leprosi designat Pœnitentiæ Sacramentum, & quasi primis lineis effigiat. Quor sum enim attinet homo plenus lepra, nisi vt hominem significet peccati corruptione infectum? Quid veniens ad IESVM, nisi quòd ex cognitione peccati venit ad Medicum? Ad IESVM enim venit peccator, vbi ad Sacerdotem venit confessurus sua peccata. Quid verò est videns IESVM? nonne IESVM cognoscens, & eius misericordiam, eius diuinitatis virtutem in illum conijciens omnem spem suam, illius amorem cordi imprimẽs? Ex hac porrò cognitione se se abijcit coram IESV, illum adorat, illum vt auctorem bonorum omnium veneratur: quod non solum ex parte facit genu flectens, sed toto animo, tota mente, tota voluntate, omnibus viribus in terram se proijciens; qui esse debet peccatoris in contritione sensus, vt Deum reuereatur & amet, & illum se offendisse agnoscens peccator, se toto pectore abyciat, ac peccata defleat coram Deo & Christo eius. Nam quod plenus lepra hæc faciebat, id significat esse sacerdoti manifestanda peccata omnia particulatim. Addit orationem, etiam si superiora iam fuerunt orationes, dicens, id est corde & verbo pronuncians; Domine יהוה. Non enim aliam potentiam appello, quàm tuam voluntatem. Tua potentia tua est voluntas; in tua voluntate est omnis virtus & potentia. Tu es enim vis infinita Patris. Do tuæ voluntati omnem gloriam. Nã peto vt me mundes quia veni ad te, quia in te sunt conjecti & confidentes oculi mei, non quia genu flexi, non quòd proieci me ad pedes tuos omni ex parte supplex; quæ omnia meam exprimũt petitionem & meum animum, non quod te deprecer, quod te rogem: sed ad tuam voluntatem omnia confero, omnia illi subijcio, vnde hæc omnia valent quod valent, quod vis vt valeant: vis autem per tuam passionem & mortem. Fac igitur, munda me propter temetipsum Domine:

*Matth. 1.2.3. Mar. 1. 10. Luc. 1.2. 12. Ioan. 2.*

*Orig. hom. 5. ad auersos.*

*Chrisost. in 8. cap. Matth. Glos. ord. Theoph. Euth. in idem caput.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*fac propter tuam voluntatem, illi sit totius meæ salutis gloria. Similiter peccator mundari cupiens à lepra dicat: dicere quidem debet. Quid ad hæc IESVS? misertus eius extendit manum suam, & tangens eum ait illi; Volo, mundare. Quæ cum dixisset, statim discessit ab eo lepra. Mysteria eximia hæc sunt, & mysteria similia in sacramento Pœnitentiæ designant. Miseretur leprosi primùm Christus, & eius videt contritionem & orationem, & communicat illi suam misericordiam, applicat illi passionem suam, & suscipit in se eius peccata. Extendit videlicet in animam peccatoris vim suæ passionis, qua illam tangit, hoc est animæ eius gratiam suam infundit. Hæc explicantur cum deinde dicit; volo. A mea voluntate tua sanitas & salus pendet: hanc voluntatem tibi applico, vim videlicet infinitam, qua & tui sum misertus, & extendi ad te manum meam, & tetigi te. Esto igitur mundus à lepra tua, à peccatis tuis, quod significat sacramenti formam; Absoluo te à peccatis tuis. Subditur autem; Statim discessit ab eo lepra; quæ efficacia est sacramenti, & operis operati. Ipso enim facto sacramẽti dimittuntur peccata diuina virtute. Hæc sunt mysteria illius, Ecce: magnum planè Ecce.*

*Ceterum quod apud Marcum comminatur sanato leproso Christus, & illum eyçit, vim illam habet: præcipiebat Christus leproso ne cuiquam diceret miraculum, sed priùs ostenderet se Sacerdoti secundum legem, quam voluit omnino ab eo seruari. Non enim soluebat leprosum lege quæ erat de leprosis, nec volebat fieri libertatem à legis obseruatione discedendi, propter dona quæ accipiebant qui sanabantur: nobis vero exemplum ponebat sapiens IESVS, & doctrinam tradebat, ne quo pacto ex donis à Deo acceptis in altum tolleremur, & ab Ecclesiæ obedientia discederemus: simul prouidebat, vt non necessariam occasionẽ ne daret Iudæis, vnde offendi possent, præsertim ad initia Euangelicæ prædicationis.*

## MEDITATIO.

SInè lepra quidem creatus est Adã, sed nos omnes heû, leprosi generamur, in peccato scilicet per illius peccatum. Peccati verò leprã etiamsi baptismus sanet, relinquitur tamen in nobis alia lepra ex peccato profecta, & ad peccatum inclinans insolenter, concupiscentia. Leprosa est anima nostra, leprosæ potentiæ, addimus nos continenter nostras operationum & habituum nostrorum lepras. Infelices, quis nos liberabit à corpore mortis huius & leprarum? Gratia Christi, similiter atq; illum leprosum à sua lepra, modo similiter aspiciamus ad IESVM, eum adoremus, genua cordis ante ipsum flectamus, ante ipsum procidamus, similiter atque ille oremus, excelso quodam sensu fidei & professione. Tua potentia IESV Christe est tua voluntas; vtraque est infinita. Velis me mundare Domine, & fac vt ne ego impediã ne velis quod semper vis: & ecce mundor attactu tuæ virtutis. Tange cor meum Domine, & non nocebit mihi concupiscentia, sed ad virtutem exercebit potius, & aliæ lepræ sanabuntur omnes.

# EADEM DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Sanatur seruus Centurionis.

MATTH. VIII. LVC. VII. ANNO XXXI.

*In xiij. imaginem adnotatiuncula.* xiij. 27.

*A. Capharnaum.*
*B. Seniores Iudæorum, quos primum miserat Centurio.*
*C. Hi, tum alij quos rursum miserat, orantes IESVM.*
*D. Centurio ipse consequitur & orat IESVM.*
*E. Fidem eius IESVS miratur & laudat.*
*F. Domi puer Centurionis illo absente sanatur.*
*G. Reuertuntur omnes domum.*

EVAN-



MATTH. VIII.

CVm autem introisset [a] Capharnaum.

LVC. VII.

*Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis intrauit [a] Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus.*

*Et cum audisset de IESV, misit ad eum [b] Seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius. At illi cum venissent ad IESVM rogabant solicitè, dicentes ei; Quia dignus est vt hoc illi præstes, diligit enim gẽtem nostrã, & synagogam ipse ædificauit nobis. IESVS autem ibat cum illis: & cum iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens; Domine noli vexari, non enim sum dignus vt sub tectum meum intres: propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te:*

Accessit ad eum [d] Centurio rogans eum, & dicens; Domine, puer meus iacet in [f] domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi IESVS; Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait; Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum,

sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit.

*sed dic verbo,*

Audiens autem IESVS [e] miratus est: & sequentibus se dixit;

*Quo audito IESVS & conuersus sequentibus se turbis*

[e] Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit IESVS Centurioni; Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

*Nec in Israël tantam fidem inueni.*

[f] *Et reuersi q... missi fuerant domum, inuenerunt seruum qui languerat sanum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A* Capharnaum, de qua vrbe ſuperiori annotatione dictum eſt.

*B.* Seniores Iudæorum quos miſerat Centurio, Chriſtum ſolicitè rogantes vt veniret, & ſeruũ ipſius paralyticum ſanaret. Venit IESVS cum Senioribus verſus Centurionis domum.

*C.* Seniores illi, tum alij amici quos denuò miſerat Centurio cum non longè ab eius domo abeſſet IESVS, rogantes IESVM.

Chryſoſ. in ca. 8. Matth. Theoph. ibidem. Euthy.

*D.* Poſtremò Centurio ipſe anxio animo ſubſecutus eſt, & ad genua IESV prouolutus exponit aliud nihil, quàm puerum ſuum paralyſi male torqueri.

*E.* IESVS verò, cum obtuliſſet ſe venturũ & ſanaturum eum, & Centurionis audiſſet reſponſum, conuertitur ad turbam prædicans Centurionis fidem, & continuo famulum ſanat abſentem. Quod annotatur veniſſe ipſum Centurionem, non miſiſſe tantùm ſeniores deinde amicos, pulchrè exponit Euthymius. Placet alioquin ratio illa, vt ſi quando videantur nonnihil Euangeliſtæ diſcrepare, aut aliter narrare hiſtoriam, eo ſpectemus, ſi ſimul vtrumque conſtare poſſit: vt hoc loco, nihil eſt incommodi ſi vtrumque aſſeramus, & per alios, & per ſe acceſiſſe Centurionẽ. Certè quod ſcribit Matthæus dixiſſe IESVM Centurioni; Vade, ſicut credidiſti fiat tibi, aptius videtur illi conuenire pro ſua perſona, quam ſenioribus vel amicis pro aliena. Iam quod hic non ſurgitur, Ecce, vt in mundatione leproſi, cum hic res item magna, noua, ſubita, & myſterio plena enuncietur (Nam Centurio hic gentes magna fide Euangelium recepturas apertè ſignificat) facit admiratio Chriſti; ad rem ſcilicet magnam, nouam, ſubitam, ad myſterium: facit Chriſti laudatio, qua fides gentũ credituraru̇ anteponitur Iudæorum fidei. Quod enim, Ecce, maius dici potuit quam iſtud, Chriſti ore non dictum, ſed reipſa luculenter expoſitum? Ceterum Chriſti admiratio illa vera erat, vt verè profecit IESVS ætate, ſapientia, & gratia. Nam præterquam quòd ipſe perfectè nouerat omnia antequàm fierent, nouerat ſimul quæ fiebant cognitione per ſenſus ex rebus ipſis accepta. Perfectè enim ſimul operabantur ipſius ſenſus externi, interni, intellectus agens, item poſsibilis; & voluntas in perfectiora opera exibat. Huiuſmodi verò Chriſti operationum ratio accipiebatur ex rerum quæ occurrebant exigentia & ratione. Hoc verò loco res admirationem exigebat: quare Chriſtus verè admiratus eſt, etiã ſi alias nov admirabatur: ornabatur enim anima Chriſti varietate excellentium operationum præclariſsima.

*F.* Domus & cubile vbi iacebat paralyticus, vnde ad verbum Chriſti ſurgit incolumis: rei miraculo ſtupent domeſtici.

*G.* Serui Centurionis, quos veriſimile eſt miſſos vt renunciarent hero ſanitatem pueri, ad Centurionem veniunt; deinde Centurio, & quos miſerat omnes domum reuertuntur, & inueniunt ſeruum qui languerat ſanum.

## MEDITATIO.

NON ſumus ſolum leproſi è peccato, ſed paralytici etiam ſancte IESV: paralyticum eſt liberum arbitrium noſtrum ſine te & attenuatum; Videmus, agnoſcimus, deploramus. Sana illud Domine gratia & virtute tua. Ecce per ſanctos tuos oramus, rurſus opera pia ad te mittimus, animaduertimus per hæc te moueri, & ad nos venire: en occurrimus tuæ benignitati, oramus ipſi pro nobis. Noſtræ potentiæ bone IESV, in hoc corporis carcere iacent paralyticæ, nihil te dignum, atque adeo omnia contra quàm debent operãtur. Reliqua etiamſi taceamus tu ſcis, & quid tacentes clamemus audis & vides: omnia potes, infinitè bonus & benignus es. Suauiſſimè reſpondebit nobis IESVS; Veniam in animam veſtram, illam ego ſanabo præſens. Hic ſenſus ſpiritualis, & gratia excitata humilitate facit, vt vis diuina noſtris potentiis ingeneretur, ſanet potentias noſtras Chriſtus, ornet noſtram fidem, noſtras virtutes, noſtras operationes acceptas habeat ſua benignitate infinita.

DOMI-



# DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Sedat procellam maris IESVS.

MATTH. VIII. MARC. IIII. LVC. VIII. ANNO. XXXI.

*In xiiij. imaginem adnotatiuncula.* xiiij. 29.

*A.* Capharnaum, vnde IESVS nauim conſcendit.
*B.* Regio Geraſenorum.
*C.* Quatuor venti è ſuis ſedibus erumpunt.
*D.* Mare atroci tempeſtate agitatur.
*E.* Nauis impletur fluctibus, periclitantur.
*F.* IESVS dormit in puppi.
*G.* Diſcipuli perterrefacti excitant eum, petunt opem, conſequitur tranquillitas.
*H.* Aliæ naues idem paſſæ.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. IIII. MATTH. VIII. LVC. VIII.

| | | |
|---|---|---|
| | [a] Ascendente IESV in nauiculam ſecuti ſunt eũ diſcipuli eius. | *Factum eſt autẽ in vna dierum; & ipſe aſcendit in naviculam, & diſcipuli eius:* |
| *Et ait illis in illa die cũ ſero eſſet factum; Tranſeamus [b] contra.* | | *Tranſfretemus trans [b] ſtagnum.* |
| *Et dimittentes turbã, aſſumunt eum ita vt erat in naui:* | | *Et aſcenderunt.* |
| *& aliæ [b] naues erant cũ illo.* | | |
| | | *Et nauigantibus illis obdormiuit.* |
| *Et facta eſt procella magna vẽti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.* | Et ecce motus magnus factus eſt in [d] mari, [e] ita vt nauicula operiretur fluctibus; ipſe [f] vero [g] dormiebat. | *Et deſcendit [c] procella venti in ſtagnum, & complebãtur, & [e] periclitabantur.* |
| *Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens:* | | |
| *& excitant eum, & dicunt illi; Magiſter, non ad te pertinet quia perimus?* | Et acceſſerũt ad eũ [g] diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes; Domine, ſalua nos, perimus. | *Accedentes autem Præceptor, perimus.* |
| | Et dicit eis IESVS; Quid timidi eſtis modicæ fidei? | |
| *Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari; tace, obmuteſce.* | Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, | *At ille ſurgens increpauit ventum & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit,* |
| *Et ceſſauit ventus:* | | |

MAR-

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MAR. IIII. | MATTH. VIII. | LVC. VIII. |
|---|---|---|
| | & facta est tranquillitas magna. | *& facta est tranquillitas.* |
| *& ait illis;* | | *Dixit autem illis;* |
| *Quid timidi estis?* | | *Vbi est fides vestra?* |
| *necdum habetis fidem?* | Porrò homines mirati sunt, | *Qui timentes mirati sunt,* |
| | | *ad invicem dicentes;* |
| *Et timuerunt timore magno:* | | |
| *& dicebant ad alterutrum;* | Dicentes; | |
| *Quis putas est iste?* | Qualis est hic? | *Quis putas hic est?* |
| *quia ventus* | quia venti & mari obediunt ei. | *quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei.* |

## ADNOTATIO.

*A CApharnaum, vnde creditur nauim conscedisse IESVS cum discipulis, vt trãsmitteret in regionem Gerasenorum.*

*B. Regio Gerasenorum, in aduerso maris littore ad Orientem.*

*C. Quatuor venti à quatuor cardinibus cæli in mare sæuientes.*

*D. Mare atroci tempestate iactatum, vndæ ingentes, horrifica rerum facies.*

*E. Nauis non solum tempestate exagitatur, sed fermè fluctibus irruentibus impletur: omnia in extremo periculo.*

*F. Discipuli cum non possent violentiæ marijs obsistere, nec clauum tenere gubernator, perterrefacti omnes IESVM excitant à somno, ac turbulenter exanimati clamant, alij; Domine, salua nos, perimus, alij; Magister, non est tibi curæ quòd perimus? alij; Præceptor perimus. Ingens metus & trepidatio expromebat animorũ sensus, & exponebat fidei imperfectionem, qua laborabant magis quàm metu. Nam in; Domine salua nos, fides est: in perimus, fidei infirmitas. Rursum in Magister, aliquid est fidei, non plena fides vt quæ agnoscit solam doctrinam, non salutẽ. Nũ est tibi curæ, prouidẽtiã lædit: perimus, diffidentiã prodit: denique, perimus, vtrũque.*

*Matt. 8. Mar. 4. Luc. 8.*

*G. IESVM cõsidera, prius quidẽ suauissimè in puppi declinato capite in ceruical, vulgare scilicet & nauticũ puluinar, domientẽ: nisi velis ligneũ fuisse ceruical in puppi fabrefactũ ex Theophilacto & Euthymio: deinde placidissimè oculos aperientẽ ad clamorẽ discipulorũ: dein surgentẽ, & discipulos è vestigio increpantẽ, mari pro imperio minitantẽ, obiurgantẽ vẽtos & mare; Tace, obmutesce. Ad hæc verba IESV ventus cessat, fluctus subsidunt, mare cõponitur, fit amenissima trãquillitas. Christus autẽ rursum obiurgat discipulos. Initio quidẽ vsus est increpatione, vt illorũ animos liberaret à metu, & disponerentur ad miraculũ excipiendũ & intelligendũ: postea verò eo attinet obiurgatio, vt animo iã quieto intelligant suã fidei infirmitatẽ, & fidem cõfirment, ac parati sint ad alias animi perturbationes fidei perfectione, & animorũ alacritate in Christo superandas. Mirantur homines etiam qui simul nauigabãt, præcipuè verò Apostoli qui vim miraculi senserat: quod planè significat Lucas, qui vbi posuit Christi secundã increpationẽ; Vbi est fides vestra? timentes inquit, & timore quidem magno, addit Marcus, mirati sunt. Rectè timor hic magnus dicitur, quia timor erat profectus ex fidei perfectione, erat timor qui ad excellentem venerationem Christi, & sui abiectionẽ spectabat. Fecerat enim magnitudo miraculi, & efficacia reprehensionis Christi, vt in Dei maiorẽ cognitionẽ & Christi leuarẽtur, & se indignos planè reputarẽt qui cum tãta maiestate essent. Successerat timori perfectio imperfectioni. Aliorũ erat timor imperfectus, sed mirabantur omnes; Apostoli tamen admiratione quadã laudis & deuotionis. Suspensi enim potentiæ diuinæ cõtemplatione, infinitatẽ eius laudibãt, quæ captũ omnẽ humanũ superabat: vnde summã animi pietatẽ & deuotionẽ cõcipiebãt, atque exultationẽ in Christo. Quis putas hic est? Nos nõ intelligimus, credimus tantũ; vnde nõnihil intelligentiæ nobis aperitur: sed quæremus semper cũ summa admiratione; Quis est hic? Quin Angeli, qui similes eius facti sunt, & vident eum sicuti est, perpetuò dicunt, Quis est hic? & continenter Deũ*



*Dei magnitudinẽ admirantur, quia nullus eius videt diuinitatẽ quantum videri potest, hoc est planè infinitè. Propterea de se Deus nõ capit admirationẽ, creatura omnis capit. Omnis creatura semper dicit; Quis est hic?*

*H. Aliæ nauiculæ quæ simul nauigabant, idẽ passæ atque illa Christi, eadem malacia & tranquillitate fruentes.*

## MEDITATIO.

AD Ecclesiam quidem, ad eius pastores, ad Christum permittentem tẽpestates Ecclesiæ & sedantem hæc referri possunt: sed nos ad nos applicemus. Sanat quidem nostram lepram, & nostram paralysim IESVS pro hac mortalitate; sed vult nos nauigare, laborare, contendere per hoc mare in terram viuentium: præsens quidem nobis est, sed nõnunquam aufert spiritus consolationem & sensibilem gratiam, quasi nobis obdormiat, vel nostra culpa, vel sua prouidentia in nos. Consolatione verò destituti facilè tentamur & periclitamur. Quid igitur? agnoscamus semper nostram infirmitatem, & periculum nobis semper impẽdens. Assuescamus quoad poterimus continenter intimo sensu ad Christum clamare; Domine salua nos, perimus. Excitabit Christum humilis oratio, & nostri periculi viuida conscientia. Sedabitur tentationum tempestas, nostra anima in tranquillo nauigabit, agnoscet suæ fidei & virtutum imbecillitatem, parabit se ad futuram tempestatem superandam.

DOMI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

Parabola de Zizanijs.

MATTH. XIII. ANNO XXXII.

*In xv. imaginem adnotatiuncula.* XV. 39.

*A. IESVS è naui ad Capharnaum docet.*
*B. Paterfamilias bonum semen seminans.*
*C. Demm Zizania seminat ibidem noctu.*
*D. Seges maturescens.*
*E. Serui miratur nata esse zizania, eaque volunt eradicare, & agrum à noxijs herbis perpurgare.*
*F. Paterfamilias prohibet fieri.*
*G. Seges matura.*
*H. Paterfamilias iubet*
*I. Zizania collecta comburi:*
*K. Triticum condi in horreum.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XIII.

ALIAM parabolam [a] proposuit illis dicẽs; Simile factũ est Regnum cælorum [b] homini qui seminauit bonũ semen in agro suo: cum autem dormirent homines venit [c] inimicus eius, & superseminauit zizaniã in medio tritici, & abijt. Cum autem creuisset [d] herba & fructum feciſset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem [e] serui patrifamilias, dixerunt ei; Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei; Vis imus, & colligemus ea? & ait; [f] Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad [g] messem: & in tempore messis dicam messoribus; Colligite primùm zizania, & [h i] alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem [h i] congregate in [k] horreum meum. Tunc dimissis turbis venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes; Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait illis; Qui seminat bonũ semen, est [b] filius hominis. Ager autem est [c] mundus. Bonũ verò semẽ, hi sunt filij Regni. Zizania autem filij [f] sunt nequã. Inimicus autẽ qui seminauit ea, est [c] Diabolus. Messis verò [g] consummatio sæculi est. Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur; sic erit in consummatione seculi. [h] Mittet filius hominis Angelos suos, & [i] colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminũ ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc [k] iusti fulgebunt sicuti Sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. IESVS in naui ad littus alligata apud Capharnaum sedens & docens, iuxta ipsum astant discipuli, in littore verò plurima hominum turba: ibi enim dixit zizaniorum, & alias parabolas. Porrò zizanium lolium esse scribit Basilius in v. Homilia hexameri, & Ambrosius in suo hexamero cap. x. lib. iij. Quæ igitur est ἄιρα Dioscoridi, id est, zizanium; ita dictũ græcè, quòd frumentum corrumpat. Et tamen si Theophrasto credimus, mutatur nonnunquam æra in triticum, rursum in æram triticum: qualem mutationem probare videtur Basilius eodem loco; nam triticum mutat in triticum nigrum, quod ἄιρον vocat, & rursum in frumentum dicit redire. Ad quod alludere videtur Chrysostomus exponens hanc parabolam: inquit enim; Quid est quod ait, ne eradicetis simul & triticum? Certè aut quia si arma capitis, necesse est cum hæreticos trucidatis multos simul sanctorum interire, aut quia ab ipsis zizanijs verisimile est multos in triticum conuertendos. Si ergo prænuntiatis euellitis, & frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizanijs prouenirent. De quo Chrysostomi loco inferius. Verum subdit apertè Basilius superiori loco zizania non tritico mutato, sed ex origine sua principioque nasci, propriumque suũ obtinere semen. Quare de hoc zizanio intelligenda erit parabola Euangelij, hoc est de hac ratione æræ siue lolij, non de Theophrasti: quæ tamẽ non tam est mutatio naturæ vnius in aliam, quã eiusdem depravatio & restitutio. Illam igitur esse rationem zizaniorum apertè ex descriptione parabolæ atque eius expositione colligitur. Facit enim suam sementem Diabolus, & Christus suam. Christi semen est omnis propagatio boni, Diaboli omnis mali. Porrò lolij si multum accipiat panis, inebriat, caput graui somno & vertigine afficit, visum obtenebrat: quæ nostri zizanij declarant effectus diserte, hæresis præcipuè, tum omnis etiam peccati. Nec multum necessum est adesse zizanij, vt hæc mala prouenient; omnis enim hæresis, & omne peccatum illas generat pessimas animi deprauationes, eò copiosius quò est grauius.*

Matthiol. in Dioscor.

Mar. 4.

*B. Paterfamilias, qui bonum semen in agro suo seminauerat.*

*C. Ager, vbi sementem bonam seuerat Paterfamilias, & in eodem teterrimus Dæmon zizania noctu, cum homines dormirent, spargens.*

*D. Idem ager, vbi iam herba creuerat, & iam seges ad maturitatem appetebat. Non enim potuit eodem loco sementis & seges describi.*

*E. Serui mirantur nata esse zizania, & illa volunt herbescentia adhuc colligere, atque agrũ noxijs herbis expurgare.*

*F. Paterfamilias illud fieri prohibet, ne forte simul triticum cum zizanijs eradicetur: sed potius sinenda zizania ad messem vsque crescere. Nihil autem hinc verendum ne de hæreticis supplicium accipi non possit & debeat: neque enim Christus prohibet zizania eradicari, nisi si aliter extirpari non possint, quàm eradicato simul tritico. Quare si exscindit hæreticus ita possit, vt non solum non simul exscindatur Catholicus, sed conseruetur etiam in fide & pietate, ac proficiat; quis non intelliget hoc voluisse Christum, & hanc esse rationem qua sapienter & piè vtitur Ecclesia in damnatione hæreticorũ, ex germana Christi & pura doctrina? Nam si non potest animaduertere in hæreticos sine sua iactura; non animaduertit. Atque adeò cum semper damnet hæreticos culpæ grauissimæ, & gladio suo feriat spirituali, non semper capitis pœna plectit. Nam eorum multitudo aliquando, vel potentia facit, vt in illos vltimam pœnam persequi non possint Catholici Principes, vel sine graui detrimento nõ possint. Ad quod respexit Chrysostomus, quẽadmodum ad illud, vt spem non extinguant, si qua haberi possit de hæreticorum conuersione. Quod etiam Ecclesia curat magna cum charitate & sapientia, vbi hæreticos priusquam damnandos capitis tradat, ad pœnitentiam inuitat; nec punit, donec iudicet nihil præterea esse expectandum. Quòd etiam Inquisitores vsurpant, vbi delatos hæreseos in carcere diu detinent, & frequenter admonent salutariter & mansuetè, & ipsorum aliqui oportunè pœnitentiam recipiunt. Denique nihil in hæreticos designatur, quod ex doctrina & verbo Christi non accipiat auctoritatem: cuius rei iudicium atque arbitrium planè videtur reliquisse Ecclesiæ suæ sponsæ Christus. Nam cum reliquas partes parabolæ exponat, illud tamen quod erat in parabola non declarat, quid sit quòd serui Patrisfamilias volunt ante messem zizania colligere. Quod cum non facit aliter quàm parabola indicat, absque dubitatione relinquit iudicandum Præpositis Ecclesiæ suæ, quæ sint relinquenda zizania ad consummationem seculorum. Illud tamen diserte denunciat; qui pœnas non dederint ante mortem, illos nisi resipiscant, post mortem esse daturos, nec vllum illis futurum effugium à facie iræ Domini.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*G. Seges matura.*
*H. Paterfamilias imperat ſeruis vt primùm zizania colligant, & alligata in faſciculos comburant; triticum verò condant in horreum.*
*I. Iuſſa exequũtur ſerui, & cõburunt zizania.*
*K. Triticum autem condunt in horreum.*

## MEDITATIO.

PLanè ſapienter atque vtiliter facis bone IESV, vbi in mundum, in Eccleſiam etiã immitti à Diabolo mala permittis, & ea ſinis creſcere ad conſummationem vſque ſeculorum, ne iacturam ſcilicet faciãt Electi tui vtilitatis, quam illinc de tua gratia capeſſere poſſunt. Ita elucet tua iuſtitia, tua benignitas, prouidentia tua infinita. Similiter Domine in nobis agnoſcimus à te fieri; ſæuit in nos relicta ex originali peccato concupiſcentia, ſæuiunt alia peccata, & corruptiones ex his prouenientes, infert tentator Dæmon tentationes ac perturbationes: carnem, mundum, quid mali in nos non armat? Sed hæc ille facit ſua malitia, tu permittis tua bonitate & prouidentia. At inſenſati nos turbamur, quaſi illa nobis non ſint ſalutaria, & quæ ad meliora nos quaſi adigant. Omne igitur gaudium exiſtimabimus magne IESV, per te, & in te, vbi in varias tentationes inciderimus: tu nobis adſis, nobis fructum tentationis reponas optatum tua benignitate infinita.

Iacob.

# DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

De conuentione ex denario diurno.

MATTH. XX. ANNO XXXIII.

*In* xvj. *imaginem adnotatiuncula.* xvj. 72.

*A. IESVS in itinere à Galilæa ad fines Iudææ trans Iordanem docet.*
*B. Paterfamilias primo mane conducit operarios.*
*C. Idem facit hora tertia.*
*D. Idem ſexta.*
*E. Idem nona.*
*F. Tandem circa horam vndecimam idem facit. Deſignantur autem horæ in circulis per ſolem ſuper horizontem.*
*G. Vinea, quò mittuntur operarij, & variè occupantur.*
*H. Dominus vineæ, ſiue Paterfamilias præſcribens Procuratori.*
*I. Procurator exequitur mandatum, & æqualiter omnibus enumerat: primi conqueruntur &c.*

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XX.

IN illo [a] tẽpore dixit IESVS diſcipulis ſuis: Simile eſt regnũ cælorum homini [b] Patrifamilias, qui exijt primo [b] mane conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cũ operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineã ſuã. Et egreſſus circa [c] horã tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa [d] ſextã & [e] nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa [f] vndecimam verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei; Quia nemo nos conduxit. Dicit illis; Ite & vos in vineam meam. Cum ſerò autem factum eſſet, dicit [h] Dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cum veniſſent ergo qui circa [i] vndecimam horam venerant, [i] acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & [b] primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi; acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant aduerſum Patremfamilias, dicentes; Hi [i] nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos [b] nobis feciſti qui portauimus pondus diei & æſtus. At [b] ille reſpõdens vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic [i] nouiſſimo dare ſicut & [b] tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequã eſt quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

## ADNOTATIO.

*Mat. 19 A. IESVS cum diſcipulis in itinere à Galilæa ad fines Iudææ trans Iordanem, vbi hanc parabolam dixit paulò antequam Lazarum ſuſcitaret mortuum. Appoſitè autem & ſalutariter in Septuageſima hoc Euangelium proponit ſancta mater Eccleſia, ad animos filiorum ſuorũ ad pœnitentiam reuocandos. Incipit enim Miſſa à terrore mortis & Inferni, qui ſtimulus ad pœnitentiam eſt vehemens. Cum enim ſint plurimi qui toto anno, vel nihil, vel tenuiter de pœnitentiæ virtute, quæ eſt dolor peccatorum vindex, cogitent, nihil de pœnitentiæ Sacramento, nihil de huius partibus; alij verò ſint qui pœnitentiam exercent: vtroſq; grauiſsimè officij admonet parabola Euangelica. Hos, ne nimium ſibi fidant, ſed in humilitate, cum timore & tremore ſuam ſalutem operentur: illos, ne propterea animos deſpondeant quòd tardè videantur ad pœnitentiæ opera venire; ad gratiam eſſe reſpiciendum, & tempus acceptabile: nihil benignitatis à Deo non conſecuturos, modo Deum etiam vltima hora anni audiant, ad operandum in vinea ſua, quæ anima noſtra eſt, vocantem: futurũ vt illis etiam æquentur, qui nullo anni tempore pœnitentiam neglexiſſe videntur. Illud tamen ſciant, ſe vltimi hac hora vocanti ſingulari benignitate Chriſto debere ſingulari ſtudio reſpondere, nec quicquam prætermittere eorum, quæ ab induſtrio & robuſto vinitore deſiderantur. Cum enim vim det Deus nobis omnibus ſi quid boni agimus, virtute etiam nos præueniat & gratia ſua, & excitet ad benè agendum; homini tamen ſimul exerenda ſua virtus eſt, Deo freta, & ex Deo potens; & plantanda in corde vis eſt à Deo*

Universidad de Deusto
Biblioteca



oblata: paſtinandum deinde eſt, & vis illa quaſi in ſcrobes, ideſt in profundum cordis defigenda & reclinanda, vt ex ea vis cordis noſtri progagetur, & vires ſuas exequatur, in gemmas exeat, vuam oſtendat exorientem, initium videlicet contritionis & iuſtificationis. Quam cordis terram ſi fodias, ſi ſtercores, ſi occes, & glebas conteras crebra foſſione: hoc eſt acriore contritione peccatorum vtaris, ſi pampines, & quæ non ſunt vtilia perfecto fructui pœnitentiæ abſcias, fiet vt vuam pœnitentiæ colligas, cum labore quidē & cura, lætam tamen & Deo gratam, peccatorū nimirum remiſionem per eius miſericordiam & gratiam. Illud verò eſt ſummo ſtudio animaduertendū, quod omnipotens Paterfamilias Deus dicit; Nonne ex denario cōueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade: volo huic nouiſsimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum? Aures cordis, & oculi ad Chriſti voluntatem, ad omnipotentiam & bonitatem conuertendi. Ille voluit nos mereri, & ſibi nobiſcum conuenire de denario, id eſt mercede noſtris meritis reddenda, cuius eſt voluntas omnipotēs: voluit autem, quia bonus eſt Paterfamilias, & animam poſuit pro familia ſua. Ad hoc igitur ſpectandum, & huius Patrisfamilias meritis fidendum dum operamur, non noſtris quaſi è nobis, non diuturnitati temporis, vel operis difficultati, vt illi facere videntur qui dicunt; portauimus pondus diei & æſtus. Quæ ſi valent, ſi augent meritum, vt valent & augent; eam vim non habent ex temporis diuturnitate, non ex difficultate, ſed ex Dei & Chriſti voluntate, bonitate & gratia. Quo fit vt qui ſynceriorem & pleniorem fidem, & maiorem ſpei & charitatis affectum adducit ad breuis temporis opera, quæ proinde videri poſſunt faciliora, is nihil mirum ſi illis æquetur in premio, qui prolixiùs quidem operati ſunt, tepidiùs tamen Chriſto gloriam ſui operis dederunt, & diuturnitatis ac laboris priuilegium imperfecta cogitatione extollunt. Hæc verò ſignificantur in illa parabolica murmuratione. Vt enim qui nimiùm ſua opera extollit, vel illorum potiorem rationē haberi exiſtimat quàm gratiæ, quam Dei voluntatis, is certè de Dei prouidētia & miſericordia, de meriti Chriſti excellentia non rectè ſentit: ſic qui gloriam quidem Deo ex ſuis meritis tribuit, potiorem diuinæ gratiæ rationem habendam ducit quàm ſuorum operū, miniméque ſua extollit merita; ſed hæc tamen facit exiliter & imperfectè, præmio quidem non excidet; verum illud ita obtinebit, vt qui pleniùs, qui perfectiùs minore tempore ſint in Chriſto operati, illi vel æquentur, vel præponantur. In merito igitur noſtro quod habemus in Chriſto, docemur grauiſsimè hac parabola primas partes eſſe Chriſti & eius gratiæ, atque adeo quicquid in nobis habet, rationē meriti, id ex virtute & merito Chriſti habet, quod per eius gratiam nobis communicatur, atque in nos quaſi à capite in membra, & à vite in palmites influit. Hinc diuturnitas temporis, hinc operationum difficultas præmium habet, hinc liberum arbitrium ſuam laudem. Contendendum itaque ſingulis eſt vt ſpiritu illud intelligant, & dicant, & agant; Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Cum enim Chriſto confixus ſum cruci, viuo, & non viuo: viuo vitam potentiarum mearum, quæ quidem operantur ſpiritualiter; ſed cum illa vita ſit gratiæ, non vita humana ſed diuina, non vita carnalis, mundana, vſitata, ſed ſpiritualis, cæleſtis, noua, ſit vita Chriſti, quæ per gratiam, & virtutes, & ſpiritus ſancti dona mea eſt facta; vt factus nobis eſt Chriſtus ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio; ſapienter dicitur non mea vita, ſed Chriſti. Quare viuo quidem ego, ſed non viuo per me, ex me; nihil enim eſt in me ex me quod ſit principium vitæ, ſed in Chriſto. Quare viuit in me Chriſtus, & propterea ego non viuo, ſed ipſe in me: forma enim dat eſſe, dat etiam operari. Formam, qua ſum ſpiritualiter & operor, non habeo ego ex me, ſed eam dat mihi Deus. Illa verò eſt inhærens gratia: in ea vim exerit Chriſtus in me, quæ eſt efficax ex eius vita & merito. Nam ſi dixit Chriſtus quam docebat doctrinam eſſe ſuam & non ſuam; ſuam, quia ipſe eſt ſapientia infinita; non ſuam, quia illam à patre acceperat per æternam generationem: ſua proportione viuimus nos & non viuimus. Potentiæ enim noſtræ verè ſe mouent & viuunt, vis tamen vnde viuunt, vnde ſe monent Chriſti eſt, Chriſtus eſt, gratia eius eſt, meritum eius paſſionis eſt. Hanc vitam cum viuamus, agnoſcere ſemper debemus in ſpiritu vim in qua & per quam viuimus; & quod viuimus, in illa vi & gratia nos viuere; vnde meritum noſtrum concipimus & exerimus. Nam meritum noſtrum exercitium eſt vitæ noſtræ ſpiritualis, & actionis in Chriſto. Meremur nos; nam verè noſtræ potentiæ gratiæ cooperantur: non meremur, ſed meretur in nobis Chriſtus, vt viuit: nam ex illa vita hoc meritum exoritur. Merito igitur Chriſti meremur nos, non noſtro è nobis; vt illius vita viuimus, non noſtra è nobis. Charitas enim Chriſti hæc eſt, quæ in cordibus noſtris eſt diffuſa, in qua eſt ſpiritus ſanctus, qui per eam datus eſt nobis. Hæc intimo cordis ſenſui imprimamus, & ſumma cum cautione & attentione de noſtrorum operum, vel labore, vel difficultate, vel diuturnitate & loquemur & cogitabimus. Quo enim perfectius eam rationem quam diximus exprimemus, eò erit maius noſtrum meritum & maior merces; nec verebimur vt nos Paterfamilias æquales aliis qui minus laborauerunt faciat. Neque enim obliuiſcitur operis vel laboris noſtri, modò ea videat à nobis præſtari, quæ ipſe dat vt poſſimus, & iubet vt debeamus, & exigit quaſi dona ſua, & debita noſtra & merita.

1. Cor. 1.



B. Paterfamilias primo mane conducens in vineam operarios. Commodè porrò ex ſole diſtributo pro altitudine ſuper horizontem in circulis deſignatæ ſunt horæ, matutina, tertia, ſexta, nona, vndecima, & Paterfamilias quibus horis operarios conducit. In primo igitur circulo eſt ſol in horizonte, ita vt primum mane indicetur.

C. Idem Paterfamilias conducens homines hora tertia, hoc eſt ſole exiſtente in fine primi quadrantis ſuper horizontem. Vtebantur enim Iudæi horologio horarum inæqualium, ideſt curſu ſolis ſuper horizontem diuiſo in duodecim æquales partes, ſimiliter ſub horizonte.

D. Idem operarios vocans ſexta hora, id eſt meridie, ſole occupante finem ſecundi quadrantis, ideſt meridianum.

E. Idem ſimiliter mittit ad vineam hora nona, hoc eſt ſub finem tertij quadrantis.

F. Tandem hora vndecima, hoc eſt ſole ad occaſum properante, in ſecundo triente quadrantis quarti.

G. Vinea, vbi operantur conductitij vinitores.

H. Dominus vineæ, præſcribens Diſpenſatori vt operarijs omnibus ex æquo ſingulos denarios numeret pro ſtipēdio: ſimul refutans eos qui per inuidiam conquerebantur, ſe, qui totius diei pondus ſuſtinuerant, nihil accipere amplius quā alios qui vndecima venerant.

I. Diſpenſator exequens imperium Domini, & ſingulis denarium in manum erogans.

## MEDITATIO.

Ad Eph. 6. Ad Philippen. 2.

COnfortemur fratres in Domino, & in potentia virtutis eius, & miſericordiæ, atque in timore & tremore ſalutem noſtram operemur optima ſpe pleni. Qui enim omnia in nobis ex ſua eudocia & gratia operatur Deus, cum hominibus tamen conuentionem de æterna mercede operibus eorum reddenda facit. Quid hoc eſt miraculi? Illud videlicet; meretur Chriſtus Dei filius pro nobis, nos in ipſo ac per ipſum vitam æternam. Non ſolum autem, ſed abundāt eius miſerationes in nos. Nam cum initio ipſi cum omnibus mortalibus conueniſſet de eorum operibus, & de operum præmio, nec pactum illi tenerent, auxit tamen in illos ſuam gratiam identidem, & iuſtitiam ſuam apertius obtulit, per Noë, per Abraham, per Moyſem, per Prophetas. Poſtremò cum potius reijciendi viderentur omnes mortales, vniuerſos tamen maiori benignitate complexus eſt Deus per filium ſuum, longè maiora præſidia ad pietatem dedit: vt temporis prolixitate opus non ſit ad promerendam beatitudinē, in tanta abundantia & ſplendore diuinæ gratiæ. Gratias Deo agamus ex toto corde, quibus dedit, vt in acceptabile tempus, in tempus tantæ ſalutis incideremus, & agnoſcamus ſimiles in nobis, atque in illis fieri vocationes. Vocat enim per omnem ætatem nos Deus, ſemper tamen ipſi exiſtimemus vltimam eſſe noſtram horam, & benigniſſimam Dei vocationem auidè arripiamus. Quod ſi negligamus, finis diei nos occupabit; claudetur ianua, excludemur, interibimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Parabola seminantis.

MATTH. XIII. LVC. VIII. MARC. IIII. ANNO XXXII.

*In xvij. imaginem adnotatiuncula.* xvij. 38.

*A. IESVS sedens in naui ad litus iuxta Capharnaum docet.*
*B. Agricola sementem faciens.*
*C. Cadit semen in viam.*
*D. Cadit in petrosa.*
*E. Cadit in spinetum.*
*F. Cadit in terram bonam; & facit vnum centesimum fructum, aliud sexagesimum &c. Parabolam explicat Christus.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

| MATTH. XIII. | LVC. VIII. | MAR. IIII. |
|---|---|---|
| *In illo die exiens IESVS de domo, sedebat secus mare.* | | *Et iterũ cœpit docere ad mare:* |
| *Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ,* | [a] Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, | *& congregata est ad eum turba multa,* |
| *ita vt in nauiculam ascẽdens [a] sederet;* | | *nauim ascendens sederet in mari,* |
| *& omnis turba stabat in littore:* | | *& omnis turba circa mare super terram erat.* |
| *& locutus est eis multa in parabolis, dicens;* | dixit per similitudinem; | *Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua;* |
| *Ecce* | [b] Exijt qui seminat seminare semen suum; | *Audite. Ecce exijt seminans ad seminandum.* |
| *quædam ceciderunt secus viã,* | & [b] dum seminat, aliud cecidit secus [c] viã, | *circa viam,* |
| *& venerunt volucres cæli & comederunt ea.* | & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. | |
| *Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam;* | Et aliud cecidit supra [d] petram; | *Aliud verò cecidit super petrosa, vbi non habuit terram multam;* |
| *& continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.* | | *& statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ:* |
| *Sole autem orto æstuauerunt,* | | *& quando exortus est sol, exæstuauit,* |
| *& quia non habebant radicem, aruerunt.* | & natum aruit, quia non habebat humorem. | *& eò quòd non habebat radicem exaruit.* |

MATTH.



| MATT. XIII. | LVC. VIII. | MARC. IIII. |
|---|---|---|
| *Alia autem ceciderunt in spinas;* | Et aliud cecidit inter [e] spinas, | *in spinas,* |
| *& creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea.* | & simul exortę spinæ suffocauerunt illud. | *& ascenderunt spinæ, & fructum non dedit.* |
| *Alia autem ceciderunt in terram bonam,* | Et aliud cecidit in terram [f] bonam; | |
| *& dabant fructum,* | & ortum fecit fructum | *& dabat fructum* |
| *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* | centuplum. | *ascendentem & crescentem; & afferebat vnum triginta, & vnum sexaginta, & vnum centum.* |
| | Hæc dicens clamabat; Qui habet aures audiẽdi audiat. | *Et dicebat;* |
| *Et accedentes discipuli dixerunt ei;* | Interrogabant autem eũ discipuli eius, | *Et cum esset singularis, interrogauerunt eum hi qui cum eo erant duodecim,* |
| *Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis;* | quæ esset hæc parabola. | *parabolam.* |
| *Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.* | Quibus ipse dixit; Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, | *Et dicebat eis;* |
| *Qui enim habet dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* | | *illis autem qui foris sunt* |
| *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident,* | cæteris autẽ in parabolis; vt videntes non videant, | *in parabolis omnia fiunt;* |
| *& audientes non audiunt, neque intelligunt:* | & audientes non intelligant. | *vt videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant:* |
| *vt adimpleatur in eis prophetia Isaiæ dicens; Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt;* | | |
| *nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos. Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* | | *nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* |

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XIII. | LVC. VIII. | MARC. IIII. |
|---|---|---|
| *vos ergo audite parabolam seminantis.* | | *Et ait illis; Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?* |
| | Est autem hæc parabola: | |
| | Semen est [d e f] verbū Dei. | *Qui [b] seminat, verbum seminat.* |
| | Qui autem secus viam, | *Hi autem sunt qui circa viam,* |
| | hi [c] sunt qui audiunt, | *vbi seminatur verbum,* |
| *Omnis qui audit verbum regni & non intelligit,* | | |
| *venit malus,* | deinde venit diabolus, | *& cum audierint, confestim venit Satanas,* |
| *& rapit quod seminatum est in corde eius.* | &tollit verbum de corde eorum, | *& aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.* |
| *Hic est qui secus viam seminatus est.* | ne credentes salui fiant. | |
| *Qui autem super petrosa seminatus est,* | Nam [d] qui supra petram, | *Et hi [d] sunt similiter qui super petrosa seminantur, verbum,* |
| *hic est qui verbum audit,* | qui cum audierint, | |
| *& continuò cum gaudio accipit illud;* | cum gaudio suscipiunt verbum; | *statim cum gaudio accipiunt illud,* |
| *non habet autem in se radicem,* | & hi radices non habent, | *& non habent radicem in se,* |
| *sed est temporalis:* | quia ad tempus credunt, | *sed temporales sunt;* |
| *facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizantur.* | &in tempore tentationis recedunt. | *deinde orta tribulatione & persecutione propter verbū, confestim scandalizantur.* |
| *Qui autem seminatus est in spinis,* | Quod autem in spinas cecidit, | *Et alij sunt qui in spinis seminantur;* |
| *hic est qui verbum audit,* | hi [c] sunt qui audierunt, | *qui verbum audiunt,* |
| *& solicitudo seculi istius,* | & à solicitudinibus, | *& ærumnæ sæculi,* |
| *& fallacia diuitiarum* | & diuitiis, | *& deceptio diuitiarum,* |
| | & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, | *& circa reliqua concupiscentiæ introëuntes* |
| *suffocat verbum,* | & non referunt fructum. | *suffocant verbum,* |
| *& sinè fructu efficitur.* | | *& sine fructu efficitur.* |
| *Qui verò in terram bonam seminatus est,* | Quod autē in terrā bonā, | *Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt,* |
| *hic est qui audit verbum,* | hi [f] sunt qui in corde bono & optimo audientes | *Qui audiunt verbum* |
| *& intelligit,* | | *& suscipiunt,* |
| *& fructum adfert,* | verbum retinent, & fructum adferunt in patientia. | *& fructificant,* |
| *& facit aliud quidem [f] centesimum,* | | *vnum [f] triginta,* |
| *aliud autem [f] sexagesimum,* | | *vnum [f] sexaginta,* |
| *aliud verò [f] tricesimum.* | | *& vnum [f] centum.* |

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. IESVS sedēs in nauì ad littus maris Galilææ iuxta Capharnaū, ad turbā cōcionatur in parabolis; cū ipso sunt discipuli. Vtebatur verò parabolis & similitudinibus Christus magno mysterio, singulari beneficio. Nam cum omnem doctrinam suam miraculis confirmaret, hoc est diuino testimonio, quod erat in miraculis, & adeius doctrinam confluerent partim qui erāt mali, partim qui erant bonæ voluntatis homines; propter hos quidem, vel vsus non esset figurato sermone, vel illum explicasset in ipsa concione: sed illi in causa fuerunt vt loqueretur per parabolas, atque vt ne publicè eas exponeret: ne scilicet, quod docuerat Apostolos, sanctum daret canibus, & margaritas spargeret ante porcos. Sat habuit, si quæ ad fundendum Euangelium erant necessaria, ea clarè doceret, & quæ ad doctrinā spiritualem alia pertinebant, ea discipulis seorsum aperiret. Propterea cur in parabolis loqueretur, causam Christus retulit ad eos qui non poterant aliter audire, & contrariam afferebant animi dispositionem ad audiendum Christum, qui & obicē opponebant spiritui qui loquebatur.

Mysterium igitur hoc fuit. Beneficium autem, vt qui boni animi aliquid afferebant, hi cū principium aliquod ipsis offerretur vnde interrogarent (quod habet ratio similitudinis & parabolæ) illud arriperent, & curarent doceri; quod fecerunt Apostoli. Et credi potest alios auditores itidem petijsse expositionem parabolarum, vel à Christo ipso, vel ab Apostolis; & inde etiam motos vt Christum sequerentur. Hostes verò verbi & rerum spiritualium, ij beneficium item accipiebant. Nam cum non essent apertam rem recepturi, sed potius oppugnaturi, prouidebat Christus ne diuinam doctrinam conculcarent, & se, vel Apostolos virulentiùs persequerentur. Cōsulebat igitur immeritis & ingratis hominibus ne grauius peccarent, & vt minore cū pœna perirent. Fuit autem hæc semper Ecclesiæ prouidentia & Apostolorum, ea vsus est Paulus, ea Dionysius Areopagita. Sed quid est quòd ad hanc, & ad aliam nullam parabolam adiungitur; Ecce, quasi ad rem magnam, nouam, & admiratione dignam? Nam quòd aliæ per partes mysteria Christianæ fidei proponunt, hæc simul omnia cōplectitur; filij Dei æternam generationem, & reliquorum omnium fructum? Nam exijt, egressum vnum dicit quo ab initio à diebus æternitatis verbum Dei prodijt, alterum verò egressum quo venit in mundum, & semen infinitum in vtero Virginis sacrosanctæ homo factum est. Et verè quidem semen dicitur, vt ex quo est origo omnis fructus spiritualis, quod in terra cōditum est Virginis, & suæ carnis siue humanitatis; vt esset Deus absconditus Saluator: tum etiam quod mortuum hoc semen fuit in humanitate sua, vnde tulit fructū multum, mortaliū salutem. Cū autem incarnatio totius sit opus Trinitatis, seminans in sua incarnatione fuit idem Dei verbum. Ex his autem alia omnia prodeunt mysteria, omnis fructus Euangelij Dei, hinc omnes parabolæ. Quare illud Ecce, ad hāc cum attineat excellentissimam, ex eo ad omnes parabolas pertinet. Ceterum vt ex ratione productionis verbi Dei, quæ manifestationem dicit in splendoribus sanctitatis, & infinita luce diuinitatis in Deo, ita in omni verbo Dei creato, & diuinitùs reuelata doctrina illa extat ratio, vt diuina virtus in ea manifestetur & exeratur ad animorum salutē. Iam quod Lucas cum non scribat, Ecce, dicat Christum dicentem parabolam clamasse; Qui habet aures audiendi audiat, ad eandem parabolæ maiestatem exprimendam attinet. Porrò autem cum quater scriptum sit dixisse Christum in Euangelio suo; Qui habet aures audiēdi audiat, quæ est vehemens exhortatio vt veris auribus, hoc est cordis & spiritus audiant, non tātùm carnalibus, & tantummodo in hac parabola id inclamauerit; non ab sque magno mysterio id fecit verbum infinitum. Voluit namque intelligentiā parabolæ è sua infinita productione ad corda nostra penetrare & imprimi. Nec sinè mysterio terpræterea idem dixit Dominus. In Matth. quidem, vbi prædicans dignitatem Ioannis Baptistæ, dixit à diebus Ioannis Regnum cælorum vimpati, & violentos rapere illud; quod attinet ad principium vitæ spiritualis. In Luca, vbi de perfectione vitæ disserit, toto videlicet capite, sed præsertim ex eo loco; Si quis venit ad me, ad finem vsque. In Marco, quando docet excellentem viam superandi tentationes, & conseruandi vitam spiritualem, vel etiam eius perfectionem. Nam hæc est doctrina, vbi dicit; Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quæ ex corde exeunt; ne continuò ad omnem tentationem terreamini, vel animum despondeatis: nulla tentatio vobis nocere potest nisi vos velitis. Cap. 11. Cap. 14. Cap. 7.

Ceterum præsentis Euangelij parabola omnes homines, tum status omnes Ecclesiæ instituuntur, & in quouis statu quæ impediunt designantur. Nam primum docentur omnes vt à diuina inspiratione,

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratione, quæ est verbũ Dei & diuinũ semen, animũ ne auertant: ne ita fiat vt corde nõ intelligãt, & rapiatur illud semẽ à præparatis ad escam rugientibus Diabolis, & pereat fundamentũ spiritualis ædificij. Vnde intelligimus perire illos, qui vel negligunt, vel cõtemnunt audire Christi doctrinã & corde recipere, siue infideles, siue fideles sint. Neque rursus esse satis si corde intelligãt atque recipiant semen, nisi cordis duritiem abijciant interiorẽ, & promptitudinẽ obedientiæ ac deuotionẽ adhibeant, sine quibus exaresci t semẽ. Postremò etiam si hæc adsint omnia, & profundè semen recipiatur, tamẽ quæ acriter vrgere solẽt è mundo & carne impedimenta nisi strenuè superauerint, suffocabitur illis semen. Vt igitur verbũ Dei fructum afferat, qui in statu est seculari, eum oportet singularẽ animi virtutẽ adducere in Christo, vt illas omnes superet difficultates, & corde recipiat verbum Dei, & deuotionem addat in medijs impedimentis & distractionibus; vt ne superetur ab animi & secularium rerum perturbationibus atque ariditatibus, tum à carnis & mundi spinis, inter quas versatur; etiã si pungatur, ne transfigatur tamẽ. Neque dubitandũ est huiusmodi virtutẽ præstare posse homines in seculo viuentes, vel etiã in matrimonio, Christo iuuante; quod exempla etiã docent & antiquæ & quotidiana: verũ summa est illic difficultas, singularis gratia est necessaria. Nam si difficilius est diuites in Regnum Dei transire, quàm camelum per acus foramen, quid illis fiet quos omnia seculi impedimenta oppugnãt incessanter? Propter has autẽ difficultates in rẽ necessariã incurrentes, singulari beneficio consuluit Christus paupertatẽ, castitatẽ, obedientiã, & perfectionis statũ. Quod cõsiliũ si accipiatur, fiet primum vt inspirationes Dei corde recipiãtur, corda prætereavt emolliantur ad deuotionẽ intimã, Eccl. 51.

& statũ etiã perfectionis capessendũ, dein pauertas, & castitas, & obedientia animo proponatur; & fiet tandẽ vt votis cõfirmentur hæc omnia: quo simul fiet vt voluntatis & intellectus distractiones, & siccitates, & errores, tum carnis importunitates & spinæ, singulari Christi vocantis gratia superentur. Si qui verò hunc statũ non adeunt, si illum tamen imitantur, & ad suã vitæ perfectionẽ cõtendant in humilitate, ad aliquã perfectionẽ vitæ euadere possunt in suo statu, centesimũ etiã nonnumquã fructum afferre. Cõtraverò, qui in excellenti sunt statu, si illa impedimenta nõ abigant, & quæ ad statum attinẽt non obseruent, ne ad trigesimum quidẽ fructum attingent: qui obseruant, hos pro ratione suæ infirmitatis in trigesimo subsidere contingit, cũ ad centesimum & assurgere possint & debeant. Et tamen matrimonium ad trigesimum, viduitas ad sexagesimum, virginitas ad centesimum ascendit, vt Hieronymus subinde docet: vel vt alij trigesimus fructus est Laicorũ, sexagesimus Clericorum, centesimus Religiosorum.

*B.* Agricola sementem faciens; cadit verò semen secus viam, super petrosa, inter spinas, in terram bonam.

*C.* Via publica, in quam quod semen cecidit, à mulionibus, ab aurigis, à viatoribus conculcatur, diripitur ab inuolantibus volucribus.

*D.* Petrosa terra, vnde exortum statim semen feriente sole exaresc it.

*E.* Spinetum sentibus & vepribus horridũ, in quod infersum est semen, quod exortum suffocatur.

*F.* Terra bona ac frugifera, reddens centesimum, sexagesimũ, trigesimum fructum: quæ varietas declaratur varia segetum altitudine & densitate. Parabolam explicat Christus ipse.

## MEDITATIO.

CLama ad nos benigne IESV, aperi aures nostras, expone parabolam, & cordi nostro insere vim tuæ excellentis doctrinæ: ita facies nos terram bonam & optimam, nec ad salutem solum nos parabis, sed ad vitę perfectionem eriges. Clamor tuus virtus est tua, & misericordia in nos exerta, viua, efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. Huic, ipsa iuuante, cor aperiamus fratres, ad diuini verbi inspirationes recipiendas intimè, atque operibus exprimendas. Nec ad superficiẽ verbum recipiamus: eò enim aduolat facilè dæmon, & verbum eripit, cogitationes prauæ verbum conculcant: profundè verbum recipiamus, ne ardor tentationis eò pertingat. Neque sinamus delicias quascunque nobis esse iucundiores quàm verbum ipsum: illæ enim cum voluptatem nobis afferunt, spiritum cruentant. Reiectis igitur noxiis omnibus impedimentis, siue desolati sumus, siue consolati, in terra cordis nostri verbi Dei virtutem cælestem recipiamus: illi cooperemur in Christo, vt etiamsi meritum vitæ æternæ pro ratione nostrę cooperationis, nunc exile, nunc mediocre, nunc summum reportetur; ad summũ nos tamen semper contendamus.

DOMI-



# DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

Prænunciat IESVS suam crucem Apostolis.

MATTH. XX. MARC. X. LVC. XVIII. ANNO XXXIII.

*In xviij. imaginem adnotatiuncula.* xviij. 80.

*A.* Ephrem vrbs, quo secesserat Christus post suscitatum Lazarum.
*B.* Hyerosolima, vbi habetur concilium apud Caipham de nece Christi IESV.
*C.* Christus Ierichuntem, & Hierosolymam ascendẽs, mira alacritate discipulos præit.
*D.* Conuersus secretò eis suam ipsius mortem prænunciat.
*E.* A Iuda proditur, traditur gentibus.
*F.* Mortis damnatur a Principibus &c.
*G.* Traditur Pilato Præsidi.
*H.* Flagellatur.
*I.* Coronatur spinis, quod intelligitur verbo illuditur.
*K.* Conspuitur, arundine, colaphis, alapis verberatur.
*L.* Crucifigitur.
*M.* Gloriose resurgit à mortuis.

## EVANGELIVM MISSÆ.

| MATTH. XX. | LVC. XVIII. | MAR. X. |
|---|---|---|
| Et [a] ascendens IESVS [b] Hierosolymam, | | Erant autem in via ascendentes [b] Hyerosolimã, & [c] præcedebat illos IESVS, & stupebant, |
| Assumpsit duodecim discipulos [d] secretò, & ait illis; | Assumpsit autem IESVS duodecim, & ait illis; | & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, |
| | Ecce ascendimus [a] Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. | cæpit illis dicere quæ essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Hierosolymam, |
| & filius hominis [e] tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, condemnabunt & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, | Tradetur [g] enim gẽtibus, & [i k] illudetur, & [h] flagellabitur, & conspuetur; | & filius hominis tradetur [e] Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & [f] damnabunt eum morte, & [g] tradent eum gentibus, & illudent ei, |
| [l] & crucifigendum, & tertia die resurget. | &postquã flagellauerint, occident eum, & tertia die [m] resurget. | & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum; |
| | Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud abscõditum ab eis, & non intelligebãt quæ dicebantur. | |

ADNO.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ioh.11. A. EPhrem vrbs cîtra Iordanem iuxta aliquorum sententiam, siqui velint idem esse Ephrem & Ephron, infra mare Galilææ, non longe à Iordane & Iaboc torrente, & Ennon oppido, iuxtà quod Ioannes baptizauerat, quò secesserat ad aliquot dies IESVS, postquam suscitato Lazaro sciebat conspirasse Iudæos in ipsius necem.

Ioseph. lib.12. antiq. cap. 12.

Io.11. B. Hierosolymis consessus Pontificum & Phariseorum, vbi contendit Caiphas, & prophetat interficiendum IESVM, ne gens tota Iudæorum pereat.

C. IESVS expeditè & alacriter præcedit Apostolos versus Hiericho & Hierosolymam tendens, stupent sequentes discipuli.

D. Intellige substitisse Christum, & conuersum ad discipulos, solis ipsis secretò denunciare disertè quidem & considenter; Ecce ascendimus Hierosolymam, &c. Quæ verò prædicit se esse passurum, ea significantur totidem circulis. Iam antea bis in Galilæa denunciauerat discipulis idem IESVS, tametsi non ita particulatim, nõ tradendum gentibus ad illudendum, vel flagellandum, vel crucifigendum; sed duntaxat multa passurum, occidendum, & resurrecturum. Et

cap.16. primùm quidem apud Matth. post præclarissimam illam Petri confessionem; Tu es Christus filius Dei viui: exinde, inquit Euangelista, cœpit IESVS ostendere discipulis quia oportet eũ venire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Vbi operæpretium est audire quid Petrus fecerit, quidue dixerit. Primo assumit IESVM zelo accensus, & seorsum eum abducit, & incipit illum increpare, amica quidem obiurgatione cum summa amoris significatione, sed inconsiderata tamen; Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Christus verò eius animum auersatus & verba, conuersus ad discipulos dixit Petro, vehementer illum obiurgans; Vade post me Satana, id est aduersarie, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Offendis tu quidem me improuido tuo isto zelo, qui è Dei volũtate non prodit, sed ab humano affectu contra Dei spiritum. Eadem refert Marcus, & addit palàm esse locutum

cap.8. Luc.c.9. IESVM. Lucas post confessionem Petri subdit; At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc; quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & Principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & die tertia resurgere. Ioannes nihil de hac re. Innuit Lucas causam nollet palam fieri quòd esset ipse Messias filius Dei, ne videlicet aliquod foret impedimentum suæ passionis. Alioqui nolebat Euangelij sui summum mysterium ab alio quàm à se prædicari, sed Apostolos, & discipulos subseruire sibi ad alia ministeria, & præire ad omnem locũ quo erat ipse venturus, quasi ipsius præcursores. Simul alia erat causa. Nam si summum hoc mysterium passim prædicassent Apostoli, tempus fuisset passionis eius præueniendum, nec suauis dispositio Patris expectanda; cuius tamen temporis Christus tantam habuit rationem, vt cum sciret concilium iniuisse de sua nece Iudeos, secesserit aliquot dies in ciuitatem Ephrem ad desertum, & alias se ab ipsis absconderit.

Sed cur nunc intelligere significantur Apostoli nec timere, cum posteà vbi idem ferè audiunt, non intelligent, & timent tamen? Nunc intelligunt, quia secundum ipsa verba exteriora & humanum captum rem præcipiunt; non timent, quia præoccupauerat eos zelus humano more, & spes depulsionis periculi eos tenebat adhuc; quæ etiã quod vtcunque intelligerent efficiebat. Iterum idem prædixit Christus non longè post illud tempus: post transfigurationem itẽ in Galilæa. Conuersantibus autem eis in Galilæa, inquit Matthæus, dixit illis IESVS; Filius hominis tradendus est in manus hominũ, & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. Marcus verò; Et exinde, inquit, profecti (ex radicè scilicet montis Thabor, post sanatum dæmoniacum) prætergrediebantur Galilæam, id est transmittebant Galilæam expeditè, donec ad eius finem ad orientem Capharnaum venirent. Nec volebat quemquam scire. Docebat autem discipulos, & dicebat illis; Quoniam filius hominis tradetur in manus hominũ, & occident eum, & occisus tertia die resurget. Et illi ignorabant verbum, & timebant interrogare. Lucas porrò post pueri liberationem à Dæmone; Stupebant autẽ omnes, inquit, in magnitudine Dei omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos; Ponite vos in cordibus vestris sermones istos; filius enim hominis futurũ est vt tradatur in manus hominũ. At illi ignorabant verbum, & erat velatũ ante eos, vt non sentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc verbo. Omnes dicunt traditum iri, quod hactenus non dixerant, nec à quo, nec quibus. Et Matth. quidem videtur significare quòd Apostoli rem intellexissent, nam scribit



bit contristatos vehementer: Marcus & Lucas scribunt ignorasse eos verbum: addit Lucas; Et erat velatum ante eos, vt non sentirent illud. Neque tamen hæc pugnant cum Matthæo, sed aliam negant intelligentiam, qualem mysteria passionis & mortis requirebant, è corde & sensu spiritus profectam. Quod clarè ex Luca colligitur, vbi dicit Christus; Ponite in cordibus vestris sermones istos & rursum; Erat velatũ verbum ante eos, vt non sentirent; quod de sensu spirituali & fidei intelligitur. Cum autem vehementer essent mœsti, neque possent verborum sensum assequi, & iam fuissent acriter obiurgati ante non multos dies de eadem re à Christo, mirum non est si inuasit eos timor, & non auderent Christum interrogare, quẽadmodũ solebant de parabolis. Tandem cum iam vltimò ascenderet Hierosolymam IESVS, reuertens ab secessu Ephrem, qua de re agit præsens Euangelium, clarius idem denunciat Apostolis & articulatiùs.

20.cap. Et ascendens, inquit Matthæus, Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis; Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eũ

10.cap. gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & die tertia resurget. Marcus; Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos IESVS, & stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent, & con-

18.cap. spuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & die tertia resurget. Lucas, Assumpsit autem IESVS duodecim, & ait illis; Ecce ascendimus Hierosolymã, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gẽtibus, & illudetur, & flagellabitur, & cõspuetur, & occident eum; & tertia die resurget. Et ipsi nihil eorum intellexerunt, & erat verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Tertiùm igitur Euangelistæ idem narrant, & vehementiùs, & articulatiùs. Mouet verò Apostolos quod eos præcedit IESVS ascendens Hierosolymam, videlicet ad mortem, quod idem iam bis audierant. Ad tantam eius alacritatem animi stupent boni Apostoli, sequuntur tamen: ita perculsos abducit à multitudine, quibus rebus vehementer mouebantur eorum animi ad audientiam. Et ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam. Addunt omnes, Ecce, quod ante non fecerant, ad rem magnã & insolitam, ad rem supra omnium hominum captum positam, & proximam quidem; vt quem credebant Deum, is cum tanta contumelia interficeretur. Excitat autem illos vbi dicit IESVS, ascendimus Hierosolymam, quasi leuans eorum mentẽ ad rerũ quæ dicebãtur sublimẽ intelligentiam. Neque enim Christi passionẽ & crucẽ cotemplari fructuosè qui quã potuit vnquã, absque luce cælestis Hierusalẽ. Ascendimus, inquit, Hierusalẽ terrenã quidẽ, in qua tamẽ fiet per mortẽ meam veræ & cælestis pacis visio: ego enim pacem & reconciliationem mortalium & Hierosolymæ cælestis apud Deum facturus sum. Ascendite & vos Hierosolymam, vt pacis meæ mysterium videatis. Sed quo pacto hæc pax fiet? Hoc pacto; Futurum est Hierosolymis vt tradar Principibus Sacerdotum, Scribis & Senioribus. Hi primùm me mortis reum iudicabunt: per quẽ verò illis tradar, nihil est quod nunc quæratis: vbi deinde tradent me gentibus ad crucem & mortem. Gentes quidem mihi illudent, me flagellabunt & conspuent, non solùm crucifigent: quæ tamen & Iudæos dico esse facturos, non solũ vt harum rerum omnium causam, sed etiã quia ipsi multa horum facient. Neque propterea animum despondeatis; non erit diuturna mea mors, tertia enim die è mortuis resurgam, & de inimicis meis omnibus triumphabo gloriosissimè, & pacem parabo mortalibus sempiternam, & veram Hierusalem. Consumibuntur enim omnia quæ per Prophetas de me scripta sunt.

Hæc cum tanto pondere & vi prædixisset Apostolis, post duas eadem de re prædictiones, post doctrinæ diuinitatem post tot miracula, post cõfessionem illam Petri & omnium, post gloriam transfigurationis; tamen non intellexerunt Apostoli, & erat absconditum ab eis verbum, & non intelligebant quæ dicebantur. Illa enim doctrinæ, miraculorum, & gloriæ manifestas faciebat, vt quæ intelligebant non intelligerent; vt ea solent in quibus magnam sentimus difficultatem, vel à quibus sumus maximè alieni. Quæ enim maximè nolumus, ea etiam si ad superficiẽ verborum cognoscamus, intelligere vix possumus; certè corde non intelligimus, & si quid ibi est difficultatis vel mysterij, id verò non percipimus.

E. Aluda Iscariote proditur IESVS Iudeis, traditur deinde Gentibus.

F. Mortis damnatur à Principibus Sacerdotum, Scribis, & Senioribus in Concilio.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*G. Traditur Pontio Pilato Præsidi.*
*H. Flagellatur.*
*I. Corona spinea coronatur, quod intelligitur sub, illudetur.*
*K. Illuditur, conspuitur, arundine, colaphis, alapis verberatur.*
*L. Crucifigitur.*
*M. Resurgit à mortuis gloriosè.*

## MEDITATIO.

PRæcedentem alacriter, & ad crucem properantem IESVM stupentes ac timidi sequebantur Apostoli: exponentem verò secretò ipsis passionis cursum, & mortis, & resurrectionis, non intelligunt, non sentiunt quæ dicebantur. Nostri est hæc increpatio stuporis & timoris, nostræ ignorantiæ spiritualis, & fatuitatis confutatio. Quotus enim quisque Christum crucifixum sequitur? & non stupet potius, & horret ob oblatæ crucis vel mentionem, vel sensum? Quis penetrat ad sensum illum passionis, & crucis Christi omni virtute, & omnibus gratiis plenissimum? Age benigne IESV, da vt baiulemus alacriter, fortiter, & suauiter crucem nostram, & te sequamur; tua cruce nostrã fulciamus, in ea vitijs moriamur. Insinua cordi nostro sensum tuæ passionis intimum, vt in te continenter morientes, semper viuamus vitam cælestem tuæ resurrectionis.

EADEM



# EADEM DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Sanatur vnus cæcus ante Iericho, & duo post Iericho.

LVC. XVIII. ANNO XXXIII.

*In xix. imaginem adnotatiuncula.* XIX. 83.

*A. Iericho vrbs palmarum.*
*B. Turba præcedens IESVM.*
*C. Turba sequens.*
*D. Cæcus iuxta viam sedens, à præcedentibus vt taceat increpatur.*
*E. IESVS ad miserabilem clamorem cæci substitit.*
*F. Adducitur cæcus iussu Christi, & ab eodem sanatur.*
*G. Deum plebs vniuersa collaudat.*

*Sanationi duorum cæcorum post Iericho subseruire possunt hæ annotatiunculæ, vt imago.*

## EVANGELII MISSÆ SECVNDA PARS.

### LVC XVIII.

FActum est autem cum appropinquaret [a] Iericho, [d] cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret [b] turbam [c] prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quòd IESVS Nazarenus transiret. Et [d] clamauit dicens; IESV fili Dauid miserere mei. Et qui præibant increpabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat; fili Dauid miserere mei. [e] Stans autem IESVS iussit illum [f] adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum dicens; Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt videam. Et IESVS dixit ei; Respice; fides tua te saluum fecit. Et [f] confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deũ: & omnis [g] plebs vt vidit dedit laudem Deo.

## EADEM DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

De duobus cæcis in egressu ab Iericho sanatis.

MATT. XX.

*Et egredientibus illis ab Iericho, secuta eũ turba multa.*
*Et ecce, duo cæci sedentes secus viam*
*audierunt quia IESVS transiret, & clamauerunt dicentes;*
*Domine, miserere nostri fili Dauid.*
*Turba autem increpabat eos, vt tacerent.*
*At illi magis clamabant, dicentes,*
*Domine, miserere nostri fili Dauid*

MARC. X.

*Et proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudine,*
*filius Timei Bartimæus cæcus sedebat iuxta viam mendicans.*
*Qui cum audisset, quia IESVS Nazarenus est, cæpit clamare, & dicere;*
*IESV fili Dauid miserere mei.*
*& comminabantur illi multi vt taceret.*
*At ille multò magis clamabat,*
*Fili Dauid miserere mei.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XX. | MARC. X. |
|---|---|
| *Et stetit IESVS, & vocauit eos,* | *Et stans IESVS præcepit illum vocari: & vocant cæcum, dicentes ei;* |
| | *Animæquior esto, surge, vocat te.* |
| | *Qui proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum.* |
| *& ait;* | *Et respondens IESVS, dixit illi,* |
| *Quid vultis vt faciam vobis?* | *Quid tibi vis faciam?* |
| *dicunt illi;* | *Cæcus autem dixit ei,* |
| *Domine, vt aperiantur oculi nostri.* | *Rabboni, vt videam.* |
| *Misertus autem eorum IESVS tetigit oculos eorum,* | *IESVS autem ait illi,* |
| | *Vade, fides tua te saluum fecit.* |
| *& confestim viderunt,* | *Et confestim vidit,* |
| *& secuti sunt eum.* | *& sequebatur eum in via.* |

## ADNOTATIO.

*Ioseph. l. 5. de bell. Ind. Beda de loc. sanc. Deu. 34. 2. Par. 28.*

*A. IEricho vrbs opulenta, palmarum & balsami copiosè ferax, ab Hierosolymis xix. milliarijs ad Orientem in planitie sita, seu ab Iordane; quam appellant sacræ literæ ciuitatem palmarum. Huic vrbi cum appropinquaret IESVS veniens ex Ephrem, cæcum sanauit.*

*B. Turba hominum quæ IESVM præcedit.*

*C. Turba sequens. Præcedentium considera feruorem, sequentium animi deuotionem & modestiam.*

*D. Cæcus iuxta viam sedens primùm quidem stipem emendicat, dein sentiens turbam præterciitium, interrogat quidnã illud esset, animo iam interius à Christo commotus. Vbi verò audit IESVM esse Nazarenum qui transiret, exit animus ille in inuocationem, & clamat cæcus; IESV fili Dauid miserere mei. Increpabant illum priores, at ille tãto magis clamabat; IESV fili Dauid miserere mei.*

*E. Consistit IESVS ad miserabilem cæci clamorem, iubet illum ad se adduci.*

*F. Adducitur cæcus, prouoluitur in genua ad IESVM, audit suauissima illa verba; Quid tibi vis faciam? Quibus verbis offert voluntatem suam IESVS, cæci allicit diuinitùs. Sanantur ad Christi verbum cæci interni simul & externi oculi, sequitur Christum magnificans Deum.*

*G. Dat Deo laudem plebs vniuersa. Ceterùm egrediente IESV è Iericho duos cæcos sanatos tradit Matthæus, quorum alterum celebriorem recenset Marcus. Verò quem non moueat huius cæci illuminatio vtrorumque oculorum antequã egrederetur IESVS Iericho, duorum item cæcorum post quam est egressus, tum Zacchæi internorum oculorum dum transit per vrbem? Quem non excitet ad lucem oculorum interiorum desiderandam instanter, ac confidenter petendam? O rem admirabilem. Lumen conscientiæ accipit publicanus, tribus cæcis datur vterque visus. Cum tam paucis recitent Euangelistæ particulatim cæcis visum dedisse Christum (tres enim narrat Matthæus ante hos, Marcus vnum, Lucas nullum, vnum præterea Ioannes, & varijs quidem temporibus) hic vno die tres, atque etiã quatuor, si tribus adiungas Zacchæum, illuminantur.*

*Cur autem cæci illuminantur ab Iericho ascendente Hierosolymam ad crucem & mortem IESV? Cur præterea ascendebat per Iericho, qui alia via poterat? Magnum est mysterium in descensu ad Iericho & ex ea ascensu, magnum in cæcorum illuminatione. Descendit primus homo ab Hierusalem, hoc est ex sua pacis visione & paradiso, & desciuit à iustitia Dei per peccatũ. Hinc initium superbiæ & omnis peccati prouenit. Hic à Deo discessus semper est ad Iericho, hoc est ad mutabilitatem omnem. Incurrit igitur primus homo in hoc recessu à Deo, in omnes pœnas tum animi tũ corporis. Apostatauit priùs à Deo Sathan, & in grauiorem Ierichunta incidit, in grauiores pœnas, & eas quidem insanabiles, quia & eius peccatum fuit absque vllo remedio; peccauit enim in termino viæ suæ. At verò homo in initio viæ suæ peccauit, neque desperatus fuit eius discessus ab Hierusalem, sed cum descendens vulneratus esset atrociter, transiens reperit illum Samaritanus ille, æternus custos & Saluator*



*Rom 8. Saluator filius Dei. Qui & ipse egressus ab Hierusalem, à lumine infinito & pace immensi æterni patris, venit in Iericho, in similitudinem carnis peccati factus verus homo quemadmodum nos, & verè nostras pœnas assumpsit, quæ naturã humanam totam consequuntur propter peccatũ, passibilitatem, famem, sitim, alterationẽ, mortem, & alia huiusmodi; tum animæ nostræ passiones, non quæ eius animum perturbarent, sed quæ affligerent.*

*Hæc est Iericho Christi IESV, per quam tamen medicinam attulit cælestem mortalibus. Sed quo pacto? Ascendit per Iericho rursum Hierosolymam, quod facere non potuit Adam, hoc est per durissimas pœnas, crucem & mortem, in cælestem Hierusalem: quo ascensu omnia ad seipsum traxit, & sanauit omnia vulnera nostra, omnia peccata, quod in ipso fuit, si nos gratiæ nõ defimus dimisit. Hoc est mysterium descensus è Hierosolyma ad Iericho, & è Iericho Hierosolymam ascensus.*

*Sed quid est quòd hic tres aut quatuor, paulò post in templo illuminantur cæci omnes? Ascendebat IESVS ad passionem & crucem Hierosolymis subeundam: voluit ergo significare lumine cælesti opus esse ad meditationem crucis & passionis suæ, & fructum eius percipiendum. Lumine gratiæ, fidei, virtutum, esse obsidendã priùs Iericho, & expugnandam. Hæ sunt tubæ, hic repetitus circuitus, hæc vociferatio; illam vim voluit nos adducere Christus ad muros nostræ Iericho subuertendos, illud lumen ad tenebras Ierichuntis depellendas: & illud præterea, vt euersa Iericho, Zacchæum, id est mundum cor ex hac expugnatione reportemus. Sic & ascendemus Hierusalem, & omnem mentis illuminationem assequemur.*

## MEDITATIO.

ADeste omnes quotquot luce orationis, & rerum spiritualium cognitione estis destituti, audite Euangelicum cæcum, aperientur oculi cordis vestri. Doce nos cæce sancte. Audite igitur ô boni, quæ ego vos doceo ex ijs quæ mihi diuina virtute obtigerũt. Primum quidem posse vos videre veram lucem credite; non videre tamen id simul profitemini. Cæci vobis estote, dein ope Ecclesiæ vos egere sentite, obsidete verò eos qui in Ecclesia viam tenent iustitiæ, & à quibus spiritualiter iuuari possitis; ab his petite suppetias solicitè, & quod vobis dederint consilij, illud accipite, eo vtimini. In hoc exercitio si perseueretis, fiet vt audiatis Christi mysterium in Ecclesia sua. Alij enim eum præcedunt, non sequuntur, non imitantur: alij hæc omnia faciunt. Christus verò hos ducit ad pacis visionem, ad mentis illustrationem, ad Crucis sensum, & vitæ perfectionem. Cum igitur ad hæc aures vestræ aperientur, clamate ad IESVM filium omnipotentis Dei, eius misericordiam implorate, nec vos remorentur vestræ imperfectiones, vel alia incurrentia impedimenta: contrà potiùs ex horum occasione vehementiùs clamate, deuotiùs orate, diligentiùs operibus pijs incumbite; subsistet ad vos diuina virtus, efficaciam dabit ijs qui pro vobis orant, vestræ item pietati; ad eum adducemini, dulcissimam eius vocem audietis vos excitantem ad veram orationem: respondebitis singuli; audio quidem te, sentio tua mysteria, sed Domine non video, lux mihi deest cælestis, eam peto ô lux infinita. Intelligo benigne IESV, respicio lætum lucis tuæ radium: te sequar, te laudabo in æternum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# IN PVRIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

## LVCÆ II. ANNO I.

*In xx. Imaginem adnotatiuncula.* xx. 8.

*A. Templum cum atrijs.*
*B. Simeon venit in templum.*
*C. Anna Prophetissa prodit.*
*D. Ad introitum secundi atrij procedunt obuiã Christo, Mariæ, & Ioseph.*
*E. Incipit Anna pijs hominibus de Christo loqui.*
*F. G. H. Procedunt versus sanctuarium & atrium Sacerdotum.*
*I. Perueniunt omnes ad portam atrij primi, hinc Maria & Ioseph, illinc Sacerdotes & Leuita, fiunt oblationes.*
*K. Hic rursus confitetur Domino Anna, & de Christo loquitur.*
*L. Virgo Mater cum puero & Ioseph in Galilæam reuertitur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### LVC. II.

ET postquã impleti sunt dies purgationis eius secundũ legẽ Moysi, tulerunt illum in [a] Hierusalẽ, vt sisterent eum Dño, (sicut scriptũ est in lege Domini; quia omne masculinũ adaperiens vuluã sanctum Dño vocabitur.) Et vt darent hostiã secundũ quod dictum est in lege Dñi, par turturum, aut duos pullos columbarũ. Et ecce, homo erat in Hierusalem cui nomen [b] Simeon; & homo iste iustus & timoratus, expectans cõsolationẽ Israël; & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, nõ visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templũ. Et cum [d] inducerent puerum IESVM parentes eius, vt [i] facerent secundum consuetudinẽ legis pro eo; & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit;

Nunc dimittis seruum tuũ Domine, secundũ verbum tuũ in pace.
Quia viderunt oculi mei salutare tuum,
Quod parasti ante faciem omnium populorum:
Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Et erãt pater eius & mater eius mirãtes super his quæ dicebãtur de illo. Et benedixit illis Simeõ, & dixit ad Mariã matrẽ eius; Ecce positus est hic in ruinã & in resurrectionẽ multorũ in Israël, & in signũ cui cõtradicetur; & tuã ipsius animã pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat [c] Anna Prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hęc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septẽ à virginitate sua, & hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor: quæ nõ discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiẽs nocte ac die. Et hęc ipsa hora superueniens, [e] cõfitebatur [k] Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabãt redemptionem Israël. Et vt [f g h i] perfecerunt omnia secundum legem Domini, [l] reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatẽ suã Nazareth.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. TEmplum, quò venit Ioseph cum Maria matre Virgine & filio IESV, vt purificationis legem impleret cælestis Puerpera, simul vt redimeretur puer IESVS iuxta morẽ, tanquam primogenitus, etiam si lege neuter teneretur. Complectitur autem templum ipsa etiam atria.* Leu. 12. Exod. 13 Num. 8. & 18.

*B. Simeon iustus & timoratus, venerabilis senex, Spiritu Dei incitatus venit in Templum.*

*C. Annã præterea vidua, vel ab exedra sua, vel ab ostio tabernaculi vbi orabat, eodem Spiritus instinctu procedit vt Christo occurrat.*

*D. Ad primum introitum in templum sit obuiam venientibus exultans spiritu Simeon. Accedit Anna, sistit gradum Maria virgo Mater gestans in sinu filium Dominum, consistit & Iosephus, complentur omnes diuina cordis claritate; vicissim se agnoscunt antea ignoti, salutant modestissimè. Inclinat ex sinu matris ad Simeonem læto vultu IESVS puer, commouentur interiora Simeonis, illum in vlnas excipit, auzetur cordis eius alacritas, & splendor diuinæ lucis; benedicit & celebrat diuinam in se benignitatem, felicissimum item nuncium gentibus affert; nec his contentus benedicit Ioseph & Mariæ, laudis videlicet prædicatione. Huius verò cor perstringit prædictione Passionis Christi.*

*E. Anna item ipsi ijs qui, quasi ad nouæ rei miraculum, conuenierãt bonæ voluntatis hominibus, atque in spe aduentus Christi erectis prædicat Dei benignitatem, & aduentus Christi mysterium.*

*F. G. H. Hinc procedunt omnes versus sanctuarium primum, vbi erat altare holocausti. Anteeuntem Simeonem spectabilem senem, puerum Deum brachiis gestantem contemplare; cõcipe quid operetur IESVS eius cordi adhærens: sequitur Ioseph, consequitur virgo Mater & Anna, & alij pij Israëlitæ; admirantur Sacerdotes celebritatem oblationis, reuerentur etiam senis Simeonis & Annæ præsentiam; venerant enim ad ianuam sui atrij, vbi solebant accipere oblationes ad altare offerendas.*

*I. Perueniunt ad ianuam & Sacerdotes, offert Maria per Simeonem Sacerdoti ad altare offerendum puerum IESVM, recipitur oblatio, redimitur Dominator hominum & Angelorum, terræq; cælorumq;, quinque siclis, id est viginti drachmis, vt primogenitus quasi à morte redimeretur. Hos quinque siclos numerat Ioseph Sacerdoti, Maria verò ex canistro alteri item Sacerdoti duas columbas, vt ex pauperta-*

*te offert: nam quod aurum erat à Magis oblatum Regi puero IESV, in pauperes erogauerant, & ad suam tenuitatem hilariter & consultò redierant. Non tenebatur autem purgationis lege Maria mater, vt nec filius IESVS redemptionis illius, vel oblationis. Nam neque illa suscepto semine primogenitum genuerat, sed diuina Spiritus sancti obumbratione atque operatione, & fuerat facta sua voluntate sub lege Christus,* Gal. 4. *vt eos qui sub lege erant redimeret. Ex abundantia enim perfectionis illa quibus non obligabantur explebant.*

*K. Hic etiam confitebatur Annã Domino, & loquebatur de Christo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Illud autem hoc loco admiratione dignum, quo pacto nihil in tanta celebritate ac prædicatione Christi, nec Herodes Rex, nec ij qui regnum vel regium vrbem eius nomine gubernabant (siquidem Herodes Romã discesserat, citatus in iudicium ad Cæsarem Augustum) mouerint, vel clam, vel aperta vi, vel ausi fuerint in IESVM. Illud certè fuit quod voluit Christus; nihilq; in se tunc vel Dæmonibus, vel hominibus permisit.*

*L. Cum omnia secundum legem summa cum animorum consolatione perfecissent, ac Simeonis & Annæ, & aliorum cordia omni suauitate repleßet IESVS, & illis læto vultu extensa dextra benedixisset, reuersi sunt in Galilæam ad ciuitatem suam Nazareth, eo scilicet iter ingressi. In itinere tamẽ admonitus ab Angelo reflexit iter, & fugit in Ægyptum Ioseph cum Maria matre virgine & puero IESV. Vel planè è Hierosolymis fugerũt in Ægyptum, vt intellexit Matth. & ab Ægypto in Galilæam redijsse intelligit Lucas, vt Matth.*

*Non potuit Imago exprimere distinctionem atriorum maiorem, nec eorum ornamenta: sat nunc esto quod designatum est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

*Gal.4.3. 2.cor.5.* ERAS tu quidem magne IESV, Dominus sabbati & legis, sed tamen factus es sub lege, factus es maledictum, factus es peccatum, vt nostra tolleres peccata. O ineffabiles Dei nostri miserationes? Quid igitur mirum si nunc legem imples, eamque impleri etiam à Matre vis, qua nō tenebamini? Redimeris tu quasi à morte quinque siclis, Mater duobus pullis columbarum quasi purificatur. Non fuit illa tui redemptio, etiam si fuit tuum meritum, sed nostri: non Matris illa purificatio, etiam si & hæc Matris meritum; sed nobis etiam ab ipsa in te & per te applicata. Euge facte Puer, quos sanguine tuo redemisti purificà nos, vt Simeonem imitati te in vlnas cordis nostri recipiamus, ad pectus, & ad interiora cordis te foueamus & imprimamus. Hinc cæleste illud tuæ diuinitatis lumen menti nostræ inseretur, reuelabuntur tenebræ nostræ, te videbimus, te fruemur, quæ in mundo sunt omnia nobis præ te sordescent, ad te aspirabimus, dimitti ex hoc carcere desiderabimus, & tecum esse quando tu voles suauissime IESV.

# FERIA QVARTA CINERVM.
## DE IEIVNIO.

MATTH. VI. ANNO XXXI.

*In xxi. imaginem adnotatiuncula.* xxi. 21.

*A.* Sedens IESVS in mōte Thabor docet discipulos.
*B.* Hypocrita exterminata facie ostentat ieiunium, cuius caput obsidet Dæmon.
*C.* Alter homo hilari facie & candido animo ieiunā, cuius capiti Angelus imminet.
*D.* Ciuitas, vbi hæc solent notari.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. VI.

IN illo tempore dixit [a] IESVS discipulis suis: Cum ieiunatis, nolite fieri sicut [b] hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu [c] autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

## ADNOTATIO.

*A.* IN monte Thabor sedens Christus docet Apostolos plurima præclarissimè, hoc euangelio de perfectione ieiunij eximiam doctrinam. Certum est montem hunc Oliueti non esse, sed in Galilæa, vel Thabor, vel alium excelsum montē. Ita enim scribit Hieronimus; Excelsus porrò mons nullus est circa Capharnaum. Est alioqui valde consentaneum in monte celebri illum sermonem à Christo habitum, qui quod ad optimos mores pertinet, perfectum vitæ Christianæ continet modum, & omnibus præceptis quibus Christiana vita informatur est consummatus. Vt idem mons sit, in quo pernoctans Christus in oratione Dei, mane elegit duodecim ex discipulis, quos vocauit Apostolos, vt eos mitteret ad prædicandam; vbi dedit eis potestatem signa faciendi, & eos docuit illum sermonem excellentissimum: vnde descendit, & in loco campestri eadē ferè dixit ad multitudinem copiosam ab omni Iudæa, & Hierusalem, & trans Iordanem, & Galilæa, & Decapoli, & maritima, & Tyri, & Sidonis; qua frequentia nullam habuit maiorem Christus in concione, si ad nationum numerum spectes. Vt idem sit mons in quo transfiguratus fuit Christus postea, & vbi doctrinam hanc, & vniuersum Euangelium vox diserta Patris æterni confirmauit. Idem in quo omnibus Apostolis apparuit, & dixit; Data est mihi potestas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hunc montem prædicat Petrus Apostolus sanctum. Quis igitur est qui non putius hunc montem, in quo illum habuit Christus diuinum sermonem, quàm alium incertum dicat, præsertim cum hunc nominet Hieronymus, & alium nesciat? Qui si fuisset iuxta Capharnaum alius, illum, vt est verisimile, nō ignorasset Hieronymus, vt qui tam sciebat accuratè omnia loca in quibus insigne aliquod opus designauerat Christus.

*August. de cōsen. lib.2. cap.19. Ambr. Chrisost. Hieron. in 5.cap. Matth. Aug.lib. 1.de ser. Domini in monte cap.1. Matt.4. Luc.6. 2.Pet.1.*

*Adde quòd significatio nominis conuenit mysterio doctrinæ quæ in eo monte tradita est. Nā est Thabor adueniens lumen, non solùm Augustino & Bedæ, sed Hieronymo etiam, quod etymon indicat. Venit enim Ecclesiæ lumen diuinæ sapientiæ de Thabor, quam designasse videtur Oseas Propheta. Nam vbi prædicens peruersitatē doctrinæ Sacerdotum, & domus Israël ac Regis, meminit Thabor; Ego, inquit, eruditor omnium eorum, quos scilicet vos vestra doctrina subuertitis. Iam quod quidam dicunt vicinum montem Capharnaō, nulla ratio vt dicamus cogit. Nam quam præcipuè adducūt, IESVM intrasse è monte Capharnaum, non est necesse è vestigio intrasse, & Thabor distat à mari Galilææ non longe.*

*Psal. 88. Lib.de loc.sanc. In ca.5. Osea. cap.5.*

*B. Hominē hypocritā cōsidera, obscurata facie & confecta, immutato vultu, cultu corporis ad ambitiosam ostentationē ieiunij adornato; hæc enim erat simulatio Iudæorum. Nam cum dicant esse ieiunium ostensionem afflictionis, & substantiæ viriumque euacuationem, iactabant hoc illi vultus & corporis exterminatione, & naturæ suæ deiectione. Huic imminet pessimus Dæmon, vnguibus exertis vt illum perdat.*

*C. Alium hominem contemplare, simplici ac puro animo ieiunantem, vncto capite, loto vultu, nitido atque hilari aspectu, candorem animi & sinceritatem præseferentem. Virtus enim lucem habet, & nitidam animi hilaritatem, aperta omnia, clara, generosa: cōtra in vitio tenebræ sunt, animi mœstitia, obscura omnia & abiecta.*

*Nam etiamsi peruersi homines exultare videantur in rebus pessimis; non est illa exultatio animi,*

*Pron. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*animi, non mentis, non spiritus, sed carnis, sensuum, ventris. Capiti verò illius imminet Angelus tutelaris, de eius perfectione exultans, ac palmam ieiunij Deo offerens.*

*D. Ciuitas designatur, vbi hæc contingere possunt.*

## MEDITATIO.

Luc. 10

IN cilicio, in cinere etiam cordis nostri pœnitentiam agamus fratres, & ieiunij perfectionem sectemur: primùm quidē nihil plus cibi in prandio sumentes quam alijs diebus solemus, si non minus; nec ad vesperum, nisi ne noceat potus necessarius, quicquam sumamus: desit potus eo die, cibus non abundet. Vulgatam ieiunij rationem atque imperfectionem ne amemus. Neque verò gloriam apud homines, vel ex illo ieiunio, vel ex eo quo abstinere à peccatis debemus, appetamus, malis artibus nostra opera exterius commendantes: sed hilari, mūdo, ac simplici corde hæc etiam ieiunia Deo offeramus: reponet nobis cum alia singularia dona, tum vitam æternam benignus IESVS.

Porrò his ieiunijs non debemus esse contenti, sed ab illis præterea omnibus rebus ieiunemus, quę etiam si malæ non sint, possunt tamen nobis aliquam mentis impuritatem affricare. Alia gustatui cordis nostri non sint grata, quàm quæ ad perfectionem nos promouere possint. In his etiam ieiunij modestiam exerceamus, si quid nobis secretioris gratiæ concedat Christus, vt abstineamus ab ostētatione; ne per vanitatem nostram margaritam amittamus: sed dicamus potius; Dilectus meus mihi, & ego illi; gratias Deo agentes cum omni cordis nostri humilitate.

Cæl

# EADEM FERIA

## De thesaurizatione.

MATTH. VI. ANNO XXXI.

*In xxij. imaginem adnotatiuncula.* xxij.

*A. In monte Thabor docet IESVS Apostolos.*
*B. Auarum hominem, auro & diuitijs incubantem in terra Dæmon exagitat.*
*C. Fures effodiunt & furantur.*
*D. Vir excellenti animi pietate cælum spectat, ibi vi-*
*uit, ibi contemplatur.*
*E. Alter opera misericordiæ exercet, vtrumque regit Angelus thesaurizantem in cælo.*
*F. Thesauri in cælo coram Deo reponuntur.*

EVAN-



# EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. VI.

NOlite [b] thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur; & vbi [c] fures effodiunt & furantur. [d e] Thesaurizate autem vobis thesauros in [f] cælo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

## ADNOTATIO.

*A. THabor mons, vbi sedens IESVS docet discipulos.*

*B. Auarus & sordidus homo, auro & diuitijs immoriens, vide vt thesaurizet sibi in terra, vt condat thesauros, pretiosam vestem, aurū, argentum, gemmas, vasa materia & artificio eximia, Dæmone caput eius obsidente & mentē. Nam ille thesaurizare dicitur in terra, qui maiores quàm pro statu sui, vel necessitate, vel decentia congregat opes & abscondit, (id enim subindicat, & Hebraicè, & Græcè thesaurus) neque ad vllum honestum vsum applicat, nisi vt animum auritia corruptum alat luxuriē in suum pernicium. Quod si qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Quid illis obuenit qui de prauo animo volunt thesaurizare? Tum, si diuites tam est difficile intrare in regnū cælorum, qua pœna sufficiens erit ad tantam thesaurizantium prauitatem? Illud intelligimus diuinam esse Christi doctrinam, vt in cælorum, non terræ thesauros congregandos incumbamus; tum propter illorum perpetuitatem & Dei gloriam, tum propter nostræ omnis, voluntatis, spiritus nostri & carnis cælestem felicitatem. Sed quo pacto hos thesauros conficiemus? Citra perfectionem si velimus consistere, diuitiæ si affluant ne cor apponamus, sed simus pauperes spiritu, etiamsi externis copijs abundemus. Deinde, vt eleemosynæ erogandæ ex sincero animo simus studiosissimi: alioqui nolimus fieri diuites, propter pericula tum acquisitionis diuitiarum, tum vsus. Denique, omnium operum meritis thesaurū in cælo conficiamus. Quod si ad perfectionem contendendi sit animus, accipiamus Christi consilium; vendamus omnia quæ habemus & demus pauperibus, & thesaurum in cælo reperiemus, & certiorem & vberiorem; quod docuit, quod promisit, ad quod vocauit Christus.*

*C. Fures effodiunt omnia & furantur. Potes tineas demolitēs ad pretiosam vestem, ad præclara vasa æruginem affingere, quæ imago non potuit exprimere. Itaque quæ Dæmone instigante comparauit miser auarus, illa eodem procurante fures diripiunt; & non solùm auro non sunt vsui, sed in maiorem, & corporis, & animi afflictionem conuertuntur. Potes meditari eas diuitias in Inferno duriter cruciare miserrimum hominem.*

*D. Vir excellenti animi nobilitate, & verè Christiana, qui terrenas omnes diuitias & opes contemnens, totus in cælum inhiat ac suspirat: ibi est, ibi contemplatur cælestia, ibi cum Christo & Sanctis viuit, ibi suos thesauros reponit.*

*E. Alius item, qui opera omnia misericordiæ exercens, & vitam agens actiuam, similiter in cælo thesaurizat, operosè tamen. Vtriq; vide cohortatorem Angelum assistentem.*

*F. In cælis coram diuinitate & Angelis thesauri reponuntur ab vtroque: è terra enim in cælo collocantur bona piorum opera, & vitam æternam pariunt.*

*Quæ præterea depinguntur, ad decorem picturæ spectant, non sunt ad Euangelij doctrinam necessaria.*

## MEDITATIO.

EXstirpate è cordibus nostris omnem inanem gloriam benignissimè insistit Christus, & operum inserere perfectionem: quod & in ieiunio fecit, & in eleemosyna proximo Euangelio faciet. Simul ostendit quo pacto fiant meritoria opera nostra æternæ felicitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



tis. Idem postea in orationis & merito, & impetratione ostendit. Animaduertite porrò fratres, occinere odiosissimè cornu suo, hoc est superbiæ & inanis gloriæ, Dæmonem bonis nostris operibus, non solùm malis. Attendite cautè nè illi accinatis. Tubam humilitatis Christi, & sanctæ simplicitatis audiamus. Et primùm cor nostrum obtineamus ab omni vanitate purum, gloriemur verò de nostris infirmitatibus, ea nostra sit gloria: hoc est ignauiæ, cõfusionis, & miseriæ nostræ professio & sensus. Nostra bona opera ex Deo esse per Christum agnoscamus; illa ad Dei gloriam & Christi referamus. In his quò magis Deũ laudabimus, eò maiorẽ nostrã vilitatẽ & videbimus & profitebimur. Illud præterea sentiamus in Christo, esse nostra bona opera ex diuina gratia, quæ est virtutis infinitæ efficacia; nostrã autem cooperationem, etiam si verè sit, verè apud Deum illa mereamur; in virtute tamen gratiæ infinitę ita contineri, vt à nobis explicari vix possit, iactari nec debeat nec possit. Cererùm quod de thesaurizatione addit Christus in Euangelio, summam habet suauitatem & vim, & singularem dignitatem operum ostendit. Itaque intelligimus non solum nos posse mereri coram Deo per opera nostra in Christo, sed etiam cælestem thesaurum reponere, & in immensa Dei & infinita bonitatis eius abysso recondere. At scis tu Christe IESV, quoduis meritum nostrum esse thesaurum in cælo, quid ergo nos ad thesaurum inuitas meritorum? Volo vos contineatur augere merita vestra; quod facietis, si in terra nolitis thesaurizare, sed cor vestrum in thesauro & merito meo reponatis & gratia, vt de cælestem thesaurum vehementiori in dies studio contendatis, & vberiore prouentu.

*Pro feria v. post Cineres repetatur idem Euangelium, adnotatio & meditatio, quæ supra Dominica iij. post Epiphaniam. 52.*

# FERIA VI. POST CINERES.

De dilectione inimici.

MATT. V. LVC. VI. ANNO XXXI.

*In xxiij. imaginem adnotatiuncula.* xxiij. 20.

*A.* IESVS docens in monte Thabor.
*B.* Significantur conciones quibus Iudæi suas traditiones proponebant.
*C.* Homo qui pro ijs orat à quibus persecutionem patitur & calumniam.
*D.* Homo quem auersatur inimicus, cum tamen hũc benignè ille accipiat & benevolè.
*E.* Homo vanus, qui variis artibus ad ambitionẽ venditat eleemosynam.
*F.* Pauperes eleemosynam accipientes.
*G.* Spectatur undiq; vanissima eleemosyna.
*H.* Alter vir pius, qui occultè dat eleemosynam.
*F.* Sol & pluuia, quibus Deus bonis & malis benefacit.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. V. LVC. VI.

AVdistis [a] quia [b] dictum est; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

Ego autem dico vobis; [f] Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, & [c] orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui [i] solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonnè & ethnici hoc faciunt?

*sed vobis dico qui auditis;* [d] *benedicite maledicentibus vobis,*

*quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt.*

*Et si bene feceritis his qui vobis benefaciũt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis ijs à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.*

*Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date nihil inde sperãtes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos.*

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Cap. 6.

*Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.*

Attendite ne iustitiã vestrã faciatis coram [e] hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedẽ non habebitis apud Patrẽ vestrum qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynã, noli tuba canere ante te, sicut [e] hypocritæ faciunt in [f] Synagogis & in vicis, vt [h] honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat [h] sinistra tua quid faciat dextera tua; vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

## ADNOTATIO.

*A.* THabor mõs, vbi Christus docet discipulos.

*B.* Significantur conciones quibus suas traditiones populo proponebant Scribæ & Pharisæi. Erat autem hæc vna ex peruersis traditionibus quibus rescindebant verbum Dei propter suam doctrinam: Odio habebis inimicum tuum: nusquam enim è verbo Dei acceperant odio habendum inimicum. Illud audierant patres eorũ, vt septem illas gentes ad internecionem perderent, nec inirent cum eis pactum, nec eorũ misereren- Deut. 7. Mat. 15

Universidad de Deusto
Biblioteca



sererentur, neque inirent cum eis coniugia. Au-
Deu.23. dierant, ne facerent cum Ammonitis & Moa-
bitis pacem, nec quærerent eis bona cunctis die-
bus vitæ suæ in sempiternum. Audierant vt de-
Deu.25. lerent nomen Amalech sub cælo, & caverent ne
obliuiscerentur. Verum in his nihil ipsis odij ad-
uersus inimicos præcipiebatur, sed ministri dū-
taxat Dei iudiciorum constituebātur; simul ne
fœdus cum illis gentibus facerent in suā ruinam
prouidebatur. Ad mandata igitur Dei explenda
fideliter robur illis addebatur, ad bellum Domi-
ni fortiter gerendū; quod vt confidentiùs face-
Exo.23. rẽ possent, imperauit illis Dominus vt audirent
vocem Angeli principis, in quo erat nomen Dei;
ita futurum vt inimicus esset ipse inimicis eo-
rum, & affligentes eos affligeret. Nihil igitur
hinc habebant Iudæi, vnde illam elicerent tra-
ditionem. Nihil ex eo quod dixit Deus: Diliges
Leu.19. amicum sicut teipsum: nam si inde colligas esse
odio habendum inimicum, similiter ex eo quod
præcepit Deus, bouem errantem, vel asinum ini-
Exo.23. mici ad eum reducendum, conficies bouem aut
asinum amici non reducendum: similiter efficies
maledicendum audienti, & coram vidente po-
nendum offendiculum quia præcipitur surdo nō
esse maledicendum, & cæco non esse ponendum
offendiculum. Sunt huiusmodi loca infinita, ex
quibus nō licet ita colligere vt Iudæi ex illo Le-
uitici. Et tamen quod est Hebraicè רע non pro-
priè amicus est, sed vniuersalius significat;
Leui.19. & hoc loco proximum vertunt septuaginta, &
Exo.20. Chaldæus interpres, tum latinus bis alibi in eo-
Deut.5. dem cap. Quod vt non solùm pro gente sua in-
terpretari debuissent Hebræi, facit quia eodem
cap. prohibet Deus ne fiat calumnia proximo: hoc
verò de omni proximo, nō de Iudaico solùm ne-
cessariò intelligēdum est, vt in decalogo, vbi ter
repetitur רע id est proximus; ne eius desidere-
tur domus, ne vxor, ne seruus vel ancilla, ne bos
vel asinus, ne quicquid illius sit. Omnia verò hæc
de omni homine, non solùm de Iudæo accipere
nullus dubitare potuit. Quæ cum ita sint, per-
uersa fuit illa Iudæorum traditio: nam locus ille
Leuitici vniuersaliter de omni homine fuit in-
terpretandus. Quod si ita est, vt est, contra ver-
bum Dei fuit elicere inimicum esse odio haben-
dum, cum inimicum nemo possit deijcere de cō-
munione proximi. Sapienter igitur & necessa-
riò illorum errorem correxit Christus, & diuinæ
perfectionē charitatis erga proximum docuit.

C. Homo cui cum alij maledicant & calum-
nientur, ipse tamen pro illis Deum orat.

D. Homo alius qui læto ac placido vultu ini-
micum cōuenit, caput illi aperit comiter; ille ta-
men auersatur ac reijcit, odium spirans & iram.

E. Ambitiosus & vanus homo, qui venditat
suam eleemosynam, vulgò tuba iubet intonari
vt pauperes ad stipem conueniant accipiendam.
Erogat ipse in medio foro, allicit etiam homines
ad spectaculum.

F. Pauperes eleemosynam accipientes.

G. Vndique toto foro è tectis & fenestris
conueniēs turba ad pompam vanissimæ eleemo-
synæ spectandā; Dæmon capiti hominis insidens
eius mentem peruertit futilis gloriæ dementi
ambitione, & facit vt æternam mercedem cum
caduca illa commutet.

H. Alius est homo præterea qui occultè dat
eleemosynam, vbi ab hominibus minimè videa-
tur: manu dextera dat pauperi stipē, & sinistrā
in contrariam partē retrahit: quo significatur
pura animi intētione esse eleemosynā erogādam,
nihilque sinistræ cupiditatis vel gloriæ quæren-
dum, sed in Deum omnia esse referēda sincerè.

I. Sol & pluuia: hanc facit Deus descendere,
illum oriri super iustos & iniustos.

## MEDITATIO.

VErè pater noster es tu Domine Deus, in-
finita bonitas, infinita perfectio, immē-
sa charitas; quò nobis arduum magis videtur
tuam perfectionem imitari, & inimicos etiam
diligere. Erratis filij, vobis hoc difficile non
erit aut molestum si velitis. Filio meo fuit &
difficile & molestum vobis hanc facultatem
conficere, etiamsi gratissimum; qui pro vobis
inimicis acerbissimè mortuus est atque igno-
miniosissimè. Illum imitemini, & excelsas
eius virtutes, & me eritis imitati: ille enim
via est quæ ad me ducit. Induite Christum, &
hunc crucifixum, & dulce erit vobis inimicos
diligere. Benefacietis eis qui vos oderūt, ora-
bitis pro persequentibus & calumniantibus
vos. Est enim filij mei crux infinitus dilectio-
nis inimicorum splēdor. Incumbite in huius
amoris meditationem & praxim in omnibus
Dei & vestris inimicis; modò proximi vestri
sint, summa erga illos mansuetudine vtimi-
ni. Dein quod bonum est in eis amate, Dei
voluntatem de ipsis sectamini: mala verò
quacunque ratione possitis ab illis depel-
lite, virtutes illis procurate, vt ego in vobis
feci, ac continenter facio; ita in illis vos curate
& facite semper me authore.

SABBATO



# SABBATO POST CINERES.

Ambulat super mare Iesvs.

MATTH. XIIII. MAR. VI. IOAN. VI. ANNO XXXII.

*In xxiiij. imaginem adnotatiuncula.* xxiij.

A. *Multitudo deliberans de creando Rege IESV.* 44.
B. *Hoc cum sciret IESVS, primum præire Discipu-*
*los, & mare transmittere iubet.*
C. *Secedit deinde solus in montem vt oret.*
D. *Mare Galilææ, siue Thyberiadis, siue Gene-*
*zaret.*
E. *Nauis in medio mari iactatur fluctibus, laborant*
*remigando discipuli.*
F. *IESVS ambulans super mare, nauim præterire*
*velle se simulat.*
G. *Perturbantur discipuli, & quasi ad phantasma ex-*
*clamant.*
F. *Dicit illis IESVS, Ego sum, nolite timere.*
H. *Petrus concedente IESV desilit in mare, sinubās*
*incipit mergi, eum à præsenti periculo eripit*
*IESVS.*
I. *Appellunt in terram Genezareth.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XIIII. MAR. VI. IOAN. VI.

*IESVS ergo cum cognouisset*
*quia venturi essent, vt rape-*
*rent eum, & facerent eum Re-*
*gem,*

*Et statim iussit IESVS*
*discipulos ascendere in naui-*
*culam,*
*& præcedere eum*
*trans fretum,*
*donec dimitteret turbas.*

ET statim [b] coëgit discipulos suos ascēdere nauim,
vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

*Et dimissa turba,*
*ascendit in montē solus orare.*

Et cum dimisisset eos, abijt in [c] montem orare.

*[b] fugit iterum in montem ipse*
*solus.*

*Vespere autem factō*
*solus erat ibi.*

Et cum sero esset, erat nauis in medio [d] mari, & ipse solus in terra.

*Vt autem sero factum est, de-*
*scenderunt discipuli eius ad*
*[d] mare: & cum ascendissent*
*nauim, venerunt trans mare*
*in Capharnaum.*

*Nauicula autem in medio ma-*
*ri [e] iactabatur fluctibus:*

Et videns eos [e] laborātes in remigando (erat enim ventus contrarius eis)

*Et tenebræ iam factæ erant, &*
*non venerat ad eos IESVS.*
*Mare autē vento magno flan-*
*te [e] exurgebat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XIIII. MAR. VI. IOAN. VI.

*Quarta autem vigilia noctis*

& circa quartam vigiliã noctis venit ad eos [f] ambulans super mare,

*Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, [f] vident IESVM ambulantem super mare, & proximum naui fieri:*

& volebat præterire eos.

*Et videntes eum*

At illi vt viderunt eum ambulãtem supra mare, [g] putauerunt phantasma esse,

*turbati sunt, dicentes quia phantasma est; & præ timore clamauerunt.*

& [g] exclamarunt.

*& timuerunt.*

Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt.

*Statimque IESVS locutus est eis, dicens; Habete fiduciam.*

Et statim locutus est cum eis, & [f] dixit eis; Confidite, ego sum, nolite timere.

*Ille autem dicit eis;*

*Respondens autem [h] Petrus dixit: Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de naucula ambulabat super aquã, vt veniret ad IESVM. Videns verò ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens; Domine saluum me fac. Et continuo IESVS extendens manũ apprehendit eum, & ait illi; Modicæ fidei, quare dubitasti?*

*Et cum ascẽdisset in nauiculã,*

Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus,

*Voluerunt ergo cum accipere in nauim,*

*& statim nauis fuit ad terram, in quam ibant.*

*Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eũ, dicentes, Verè filius Dei es.*

Et plus magis intra se stupebant, non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum. Et cum transfretassent, venerunt in [i] terram Genezareth, & applicuerunt. Cumque egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum, & percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, vbi audiebant eum esse.

*in terram Genezar.*

*Et cum cognouissent eum viri loci illius, miserũt in vniuersam regionem illam,*

MATTH.



MATTH. XIIII. MARC. VI. IOAN. VI.

*& obtulerunt ei omnes male habentes:*

*& rogabant eum*

*& quicunque tetigerunt, salui facti sunt.*

Et quocunque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

## ADNOTATIO.

Ioan. 6. *A.* MVltitudo, quam in deserto ex quinque panibus & duobus piscibus saturauerat IESVS, quasi consultans inter se de eo rapiendo, & Rege creando.

*B.* Hoc cum sciret IESVS, primum iussit Mat. 14 plane (id enim est quod dixit Matthæus, com-Mar. 6. pulit, & Marcus, cõgit,) vt discipuli nauim conscenderent & transmitterent, eumq; præcederent versus Bethsaidam.

*C.* Dein secedit, atque adeo fugit in montem solus vt oret, & turba cogitare de Regno destinat, & domum vnusquisq; reuertatur.

Egesipp. *D.* Mare Galilææ siue Thyberiadis, hoc est l. 3. c. 26. stagnum Genezar, siue Genezareth, quod est Ioseph. l. mare Chinereth, siue Cineroth; quod efficit Ior-3. de bello danis fluuius nactus vallis amplitudinem. Eius Iudaico est aqua dulcis & salubris, piscium ferax varij cap. 18. generis, & singulari bonitate, amœnis circũsep-Plin. l. 5. tum oppidis; ad occidẽtem Capharnao, Bethsai-cap. 15. dam, Magdalo, Tyberiade, Tharicheis; ad orientem Corozaim, Gamala, Iuliade, Hippo. Eius initium distat ab aquis Meron, siue lacu Samachonitide xxxv. milliaribus, à fontibus Ior & Dan lxxv. terminus abest ab Asphaltite centũ, ab Hierosolymis xxxvi. Eius longitudo est xvi. passuum millium, latitudo sex. Hoc est sacrum illud mare & beatum, in quo nauigauit toties Christus IESVS, vnde pisces comedit, aquam bibit, iuxta quod habitauit, super quod ambulauit, cuius tempestates & ventos sedauit.

*E.* Nauis in medio lacu vento contrario & vehementi, intumescente mari iactatur fluctibus, laborant discipuli in tenebris remigando, sunt res afflictæ; eò tamen peruenire contendebant quò iusserat IESVS, nec poterant.

*F.* IESVS pedibus iter faciens super mare, præ se fert velle Apostolorum nauim præterire.

*G.* Discipuli ad rem nouam timore corripiũtur, turbantur, exanimati exclamant.

*F.* IESVS autem benignè illos confirmat; Ego, inquit, sum, homo Deus, IESVS Christus, vester magister & Dominus, vobis bene cupiens & faciens; confidite, ne timeatis.

*H.* Sedatis omnium animis, ne vehementius, non vt nihil timerent, audaciùs quàm fortiùs procedit Petrus; signum tamen petit & securitatem præsentiæ Christi, vt ipse similiter pedibus super mare ambulet. Cum hoc concessisset IESVS, & Petrus in mare desiliisset, & alij rei euentum suspensi exspectarent, titubat Petri animus videns ventum sæuientem, incipit mergi, tendit manus ad IESVM: clamat; Domine saluum me fac; clamant simul alij discipuli ex naui: extensa manu eum apprehendit IESVS, & facit saluũ. Conscendit vterque nauim, adorant omnes IESVM, profitentur filium Dei.

*I.* Appellunt pòst paulò in terram Genezareth.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

IVbes tu quoque benigne IESV, postquā nos doctrina tua & cibo cælesti refeciſti, vt ad tuum imperium, tuis donis freti nauigemus cum præfectis Eccleſiæ in huius naui, & ad terram viuentium, id eſt Capharnaū contendamus: ſubtrahis verò præſentem aliquādo ſpiritus conſolationem. Vis nos noſtras potentias exercere per tua dona, & noſtri animi ſpecimen dare: permittis verò ventum contrarium à Mundo, à Carne, à Dæmone excitari, & tenebras in nos effundi, exurgere mare, nauiculā etiam ſinis iactari, vis nos remigando laborare. Difficilis ſcilicet eſt virtutis vſus. Oras tu interim pro nobis Patrem prolixiùs nunc, quàm ea nocte feciſti, nec pateris nos grauiùs aut diutiùs laborare; venis ad nos laborantes, ſpiritus tui virtutem offers fluctibus tentationum ſuperiorem. At nos te non agnoſcimus bone IESV, virtutē tuam præſentem, & mari noſtro ſuperiorem non patimur; non capimus, noſtris perturbationibus occupati; ſed expaueſcimus potius, quaſi ad phantaſma & ſpectrum: nihil enim timidius fidei imperfectione & imbecillitate. Eſto nobis adiutor potens IESV, in opportunitatibus, in tribulatione; illumina tandē, & confirma corda noſtra claro, forti, & dulci fidei tuæ ſpiritu. Verùm cauendum nobis eſt fratres ne titubemus rurſum ad tentationum inſurgentium vehementiam; & qui tantummodo periclitabamur, mergi etiam incipiamus. Quod ſi accidat, exclamemus confeſtim maiori cum humilitate ad Chriſtum: benignus eſt & miſericors, frater noſter eſt; extendet non dubium potentiæ ſuæ dexteram, & increpata fidei noſtræ & conſtantiæ infirmitate, confirmabit nos rurſum ſolidabitque. Amen.

# DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Tentat Chriſtum Dæmon.

MATTH. IIII. MAR. I. LVC. IIII. ANNO XXX.

*In xxv. imaginem adnotatiuncula.* xxv. 12

*A.* IESV *baptizato à Ioanne & orante, Spiritus ſanctus columbæ ſpecie deſcendit, & vox Patris auditur.*
*B.* *Statim in deſertum à ſpiritu ducitur.*
*C.* *Mons deſertus ad fines Dommim, vbi* IESVS *ieiunauit.*
*D.* IESVS *ſedet vt eſuriens, poſt quadraginta dierum ieiunium.*
*E.* *Eſt* IESVS *cum beſtijs.*
*F.* *Princeps Dæmonum adoritur* IESVM *prima tentatione, Si Filius Dei es, dic &c.*
*D.* *Reſpondet Dæmoni* IESVS, *Nō in ſolo pane etc.*
*G.* *Angeli duellum Luciferi &* IESV *contemplantes, Dæmones item.*

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. I. MATTH. IIII. LVC. IIII.

*Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum.*

*Et erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus:*

*& tentabatur à Sathana, erat q. cum beſtijs.*

TVnc IESVS[a] ductus eſt in[b] deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo: & cum[c] ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus,
[d] poſtea eſurijt.
Et accedens[f] tentator dixit ei:
Si filius Dei es,
dic vt lapides iſti panes fiant.
Qui reſpondens dixit:
Scriptum eſt:
Non in ſolo[d] pane viuit homo,
ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

*IESVS autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à*[a] *Iordane, & agebatur in ſpiritu in deſerto,*

*& tentabatur à Diabolo. Et nihil*[c] *manducauit in diebus illis:*

*& conſummatis illis eſurijt.*

*Dixit autem illi*[f] *Diabolus;*

*dic lapidi huic vt panis fiat.*

*Et reſpondit ad illum IESVS;*

*quia non in ſolo pane viuit homo,*

*ſed in omni verbo Dei.*

## ADNOTATIO.

*A.* IESVS *in Iordane ad Bethabaram vicum à Ioanne cum eſſet baptizatus, conſeſtim aſcendit ex aqua & orat. Eo orante aperti ſunt cæli, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba, & vox de cælo facta eſt; Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Hanc columbam viderunt, hanc etiam audierūt vocem vterque,* IESVS *& Ioannes: adeſt turba alia quæ ad baptiſmum conuenerat.*

*B.* *Hinc* IESVS *ſtatim impulſu ac ductu diuini ſpiritus ſeceſſit in deſertum.*

*C.* *Mons aſper, deſertus, præruptus, ad finem eorum montium qui inter Hieroſolymam & planitiem Iericho intercedunt, qui Dommi dicebātur, propter frequentiam latrocinij & cædes hominum. In hoc monte ieiunauit, eſuriit, & tentatus eſt à Dæmone Chriſtus.* Hier. ad Euſtoch.

*D.* IESVM *contemplare, id eſt infinitam Patris æterni virtutem, ieiunio & fame läguentem die quadrageſimo primo poſt inchoatum ieiunium, & ſitu corporis & geſtu imbecillitatem præ ſe ferentem.*

*E.* *Genus omne ferarum ante Chriſtum paſcitur, ludit, eſt cum Chriſto.*

*F.* *Princeps Dæmoniorum omnium Lucifer, ſimulans ſe religioſum hominem, & ſi velis Eſſæum vel Eſſenum (Eſſeni enim non longe ad Aſphaltitem & montem Engaddi habitabant) alba veſte, capillo & barba promiſſa, nudo capite, calceis indutū, ſordibus oppletum: huiuſmodi enim erat ferè Eſſenorum cultus corporis. Per hanc ſimulationem adoritur Chriſtum Sathan primo telo, demonſtrat lapides aliquot præſentes; Hos, inquit, lapides verte in panes ne fame pereas, ſi filius Dei es, ſic conſequeris & gloriam & vitam. Non deſcribitur autem Sathan cornutus, vel monſtruoſis pedibus, quod fieri ſolet vt vulgus intelligat Diabolum eſſe; ſatis indicatur illum eſſe Dæmonem, cui multitudo Dæmonum ſuperne contingitur.* Ioſeph. I. 2. de bello Iud. Philo li. quòd omnes probi liberi.

*D. Oris gestum contra, & manuum, & corporis defessi & esurientis IESV situm & habitum considera, & audi ex scripturis respondentem: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Ita spiritum superbiæ & gulæ repellit gloriosissimè, & Luciferum confutat. Non, inquit, in solo pane sustentatur humanitas mea, sed in omni verbo quod ex ore Dei procedit: quod intelligebat Christus in verbo æterno humanitati suæ vnito hypostaticè. Itaque verè professus est quod Dæmon scire cupiebat, non intellexit ille tamen.*

*G. Angeli qui Christo semper assistebant plurimi, plures etiam qui è cælo ad duellum Christi & Satanæ in præsentia spectandum descenderant.*

# EADEM DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Secunda & tertia tentatio.

EISDEM CAP. ANNO XXX.

*In xxvi. imaginem adnotatiuncula.* xxvi. 13.

*A. Portat in aëra Dæmon IESVM Hierosolymam in templum.*
*B. Templum, & in hoc pinnacula, quasi alæ templi.*
*C. Statuit IESVM Diabolus in supremo pinnaculo templi, & tentat iterum, Si filius Dei es, mitte te &c.*
*D. Respondet IESVS, Non tentabis &c.*
*E. Rursus portat IESVM Dæmon in montem excelsum valdè.*
*F. Id est in montem Nebo.*
*G. Et eius verticem Phasga, trans Iordanem.*
*H. Ibi tentat IESVM tertio: Hæc omnia tibi dabo &c. Respondet, Vade Satana: scriptum est enim &c.*
*I. Proripit se Satan: cum suis Diabolis.*
*K. Christo triumphatori Satanæ epinicion cælestes Angeli canunt.*

SECVNDA



## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

MAR. I. MATTH. IIII. LVC. IIII.

TVNC[a] assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum[b] templi,
& dixit ei;
Si[c] filius Dei es, mitte te deorsum:
scriptum est enim,
Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.
Ait[d] illi IESVS rursum;
Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.
Iterum assumpsit eum Diabolus in[e] mõtem[f] excelsum[g] valde, & ostendit illi omnia regna mundi, & gloriã eorum.
& [h] dixit ei;
Hæc omnia tibi dabo,
si cadens adoraueris me.
Tunc dicit ei IESVS; Vade Satana:
scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.
Tunc
[i] reliquit eum diabolus.

*& duxit illum in Hierusalem, super pinnam templi,*
*quòd Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te, & quia in manibus tollent te,*
*& respondens IESVS, ait illi; Dictum est;*
*Et duxit illum Diabolus in montem excelsum,*
*regna orbis terræ in momento temporis:*
*& ait illi;*
*Tibi dabo potestatem hãc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa.*
*Tu ergo procidès si adoraueris coram me, erunt tua omnia.*
*Et respondens IESVS dixit illi;*
*Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.*

## ADNOTATIO.

*A.* SAtanas per aëra gestat extenta manu humilem IESVM, decenter quidem, neque enim aliter illi permittebatur, ex Dominimm monte Hierosolymam ad templum.

3. Reg. 6. *B. Templum, & exterius vtraque ex parte tria tabulata siue ambitus, ita extructi, vt superior quisque in maiorem exiret latitudinẽ: vnde facile intelligitur cur dicta fuerint πτερύγια, id est pinnacula, quasi templi alæ.*

*C. In supremo pinnaculo statuit IESVM Satanas,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*tanas, vt emineret altius, & esset magis conspicuus multitudini quæ ante templum erat frequens: putabat enim Christum ab omnibus cerni, quod non erat. Ibi secundũ telum intorquet, fatuum quidem, sed diabolicum: solet enim malitia, non homines modo, sed Dæmones item infatuare; Mitte, inquit, te hinc deorsum, si filius Dei es. Quid stultius dici potuit? Illa potius esset honestior tentatio; vola, ito in cælum: sed eius inuidia & superbia illud ferre non poterat.*

*D. Repellit & hoc telum spiritu virtutis suæ Christus per scripturam; Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Quibus verbis & se cõfessus est Deum, nec à Dæmone vel à quoquam esse tentandum. At ne hic quidem intellexit Dæmon quod cupidè inquirebat: itaque illũ quasi contemnens præse, parat adoriri tertium.*

*E. Ducit per aërem similiter atque modo dicebatur, in montem excelsum valde.*

*F. Mons Nebo, & vertex eius Phasga trãs Iordanem cõtra Iericho, vnde Dominus terram quam Abrahæ promiserat, Mosi ostendit. Huc est verisimile ductum à Dæmone IESVM, propter allusionem ad Mosen & Deum.*

*G. In vertice Phasga vide vt statuat IESVM Lucifer: & illi depicta quasi in cosmographica tabula repræsentet regna omnia orbis terrarũ, & eorum potẽtiam, opes, gloriam. Nec amplius ingerit, si filius Dei es, Christum videlicet asseruatum, vt diximus.*

*H. Sed ambitione tentat veluti hominem; mentitur verò, vt mendacij parens; Omnia hæc dabo, mea sunt, cui volo do. Omnia mentiris turpissime & pessime Dæmon. Sed quid Christus? Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Id est, quæ Deo debetur adoratio, ea illi soli exhibenda est. Quo responso similiter intelligere licet, Christum se profiteri Deum, quod nunquam capere potuit Dæmon. Nihil verò vltra permissum fuit Satanæ in IESVM. Propterea pro imperio illum abigit Christus ad tẽpus, donec alia via per vxorem Pilati, fusticatus sibi perniciem vltimam, & vincula per Crucem Christi imminere, voluit Pilato persuadere ne IESVM necaret.*

*I. Victus cum suis Diabolis sese proripit Satanas.*

*K. Angeli, qui longè constiterant ad spectaculum pugnæ, accedentes ad Christum cantãt epinicion cæleste Christo IESV diabolicæ potestatis triumphatori. IESVM præterea interrogant vnde velit sibi cibos parari & exhiberi; audiunt, à matre virgine. Ad eam igitur properant multi Nazareth in Galilæam.*

## MEDITATIO.

HEV, heu, heu Domine IESV, quid de nobis fiet, si te ausus est tentare Satan? Quid in nos non audebit? Nolite considerare quid ille audeat fratres mei, sed quid detrimenti fecerit per meam tentationem, quid vos gratiæ sitis adepti, illud cogitate. Illius conciderunt vires, vobis factæ sunt. Confidite victoriæ mearum tentationum, & vicistis; si legitimè tamen pugnetis meis armis: & tãto glorioſiùs vincetis, quanto plura in vos audebit Dæmon: neque enim plura ego illi permittam, quàm vos superare possitis. Pugnauit ille in cælo contra me, vici ego illum per Michaëlem, & Angelos eius, & è cælo deturbaui. Rursus insurrexit contra me, superaui ego illum per humanitatem & crucẽ meam, & detrusi in Infernum colligatum. In cælo contendit contra meam diuinitatem, in terra contra humanitatem; vt scilicet per peccatum desinerem esse homo. Est quidem bestia truculenta, sed victa & confutata; à qua nemo potest vinci nisi velit. At verò Domine ex Inferno sæuit in nos, & tandem in fine temporum soluetur, & atrociùs ferociet. At ego semper adiutor vobis præsto sum omnipotens in oportunitatibus, in tribulatione. Aperite semper oculos, quis ego vester protector, quis ille sit vester oppugnator, & hostẽ contemnetis meæ virtutis præsentia. Et illud animaduertite, vicisse me pro vobis hoc meo duello præcipuas tentationes & dolos Dæmonis, superbiæ, gulæ, & auaritiæ; quæ capita sunt omnis præuaricationis: in prima tentationem gulæ, in tertia auaritiæ, in omnibus superbiæ; in secunda etiam tentationis Dei: in omnibus item Dæmonem conculcaui. Vim ex hac mea victoria peculiarem accipite, illi cooperamini, & reportabitis de horum vitiorum tentationibus victoriã, hinc de aliorum.

EADEM



# EADEM DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

## Angeli ministrant Christo.

EISDEM CAP. ANNO XXX.

*In xxvij. imaginem adnotatiuncula,* xxvij. 14.

*A. Solenni pompa ferunt prandium Christo Angeli per aëra.*

*B. Mons Nebo, quò feruntur cibi.*

*C. Sedet Christus, prandet, ministrant Angeli.*

## TERTIA PARS EVANGELII MISSÆ.

MATTH. IIII.

Et ecce [k] Angeli
accesserunt,
& [a b c] ministrabant ei.

## ADNOTATIO.

*MVlta occurrunt in vita Christi, quæ cum ab Euangelistis non explicentur, pie tamẽ meditamur, citra vllum doctrinæ vel religionis incommodum, vt quæ in Aegypto Christus, quæ Nazareth in Galilæa egit, & ante duodecimum, & vsque ad trigesimum annum, & alia id genus plurima, vbi præsertim est aliquid ex Euangelio quo niti possimus: vt alibi legimus; Et erat subditus illis: hoc autem loco: Accesserunt Angeli, & ministrabant ei, cibum nimirum Christo. Poterimus igitur meditari cibum Christo Angelorum ministerio allatum, siue è cælo, siue à Matre virgine; quod & nonnulli sancti Doctores meditati sunt.*

*A. Asserunt Angeli cibaria, suam singuli partem: vnus autem Archangelus princeps munia gerit Oeconomi. Pompam Angelicam secta aera secantem, & tenentem iam montem, vbi Christus famelicus expectabat.*

*B. Montem eundem credere possumus, vbi fuit tertiùm tentatus Christus: nam consentaneum est aliò non discessisse fame imbecillum.*

*C. Sedens IESVS, Angeli illi ministrantes, vnus mantile super saxum pro mensa extendit, alius panem & cultrum apponit, ille in scutella offam ex legumine, hic piscículos, alius potum in cyatho, officiosissime omnia, suo loco & ordine, summa cum decentia, summa cum humilitate ac reuerentia. Affice Christum comedentem diuina quadam modestia ac temperantia, & refice spiritum tuum.*

FERIA

Universidad de Deusto
Biblioteca



# FERIA SECVNDA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

## Iudicium vniuersale.

MATTH. XXV. ANNO XXXIII.

*In xxviij. imaginem adnotatiuncula.* xxviij. 99.

A. IESVS in throno gloriæ sedens iudicium exercet.
B. Cœli, planetæ, & stellæ longè illustriores quàm antea.
C. Circumstant IESVM omnes Angelorum ordines.
D. Assidet filio virgo Mater, & suo gradu electi omnes.
E. Elementa noua, purissimum & liquidissimum ignis elementum.
F. Aër is lucidum, amœnum, pacatissimum, nulla regionum diuersitate.
G. Aquæ purgatissimum, clarum, tranquillum.
H. Terræ purum ac simplex, omnibus tum natura, tum artis operibus liberum.
I. Ministerio Angelorum, & Imperio Christi boni à malis separantur.
K. Boni audiunt à Christo, Venite benedicti &c. Mali, Ite maledicti.
L. Infernj horrendum os apertum damnatos cum Diabolis deuorat.
M. Peracto Judicio Christus intelligitur ascendere in Empyreum cælum, cum Angelis & sanctis omnibus regnaturus in æternum.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XXV.

CVM autē[a] venerit filius hominis in [b c f g h] maiestate sua, & omnes[c] Angeli cum eo: tunc sedebit [d] super sedem maiestatis suæ, & [i] congregabuntur ante eum omnes gentes, & [i] separabit eos ab inuicē, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autē à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à[k] dextris eius erūt: Venite benedicti patris mei, possidete paratū vobis regnū à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes; Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis; Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à[k] sinistris erunt; Discedite à me maledicti in ignē æternū, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes erā, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes; Domine, quādo te vidimus esurientē, aut sitientē, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere; & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis dicens; Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in[l] supplicium æternum: iusti autem in [m] vitam æternam.

ADNO-



## ADNOTATIO.

PRima imago, quæ prima Dominica Aduentus facta est, ad illa attinet quæ Iudicium vniuersale proximè præcedent: hæc ad ea quæ erunt comunicta cum ipso Iudicio. Illic venit ad iudicandos viuos & mortuos Christus: hic sedet in Iudicio. Illic mittit Angelos ad ministerium resurrectionis: moriuntur, resurgunt, adducuntur in vallem Iosaphat homines: hic omnes iam resurrexerunt à mortuis, & sunt ante Christum ad thronum maiestatis eius congregati. Illic minantur omnes creaturæ mortalibus, malis præsertim: hic illarum minarum est finis. Exercetur verò iudicium in malos horrendum, in bonos suauissimum. Denique ignis incendio, qui præcedet Christum, totus orbis, & opera eius conflagrasse, & purgata esse omnia intelliguntur; aliud nihil remanere, quàm cœlos, elementa, homines, Dæmones; hos in Infernum detrudendos, illos iudicandos, vel in vitam æternam, vel in æternum ignem.

*A.* IESVM contemplare in nubibus cœli, & throno gloriæ maiestatis suæ sedentem, iudicium exercentem, aperientem libros vbi acta singulorum hominum conscripta erunt. Hæc enim omnia fient palàm hominibus omnibus, Angelis, Dæmonibus. Disceptatio contra malos præcipuè agetur: vrgebunt Dæmones damnationem, Angeli testimonium contra eos ferent. Christus supra quàm dici potest in illos se iratum ostendet, separabuntur à bonis mali; erit teterrima ipsorum calamitas & desperatio. Contrà verò bonorum erit diuersa ratio iudicij: benignissimè cum ipsis Christus aget, probans eorum benefacta & laudās. Angeli præclarum dabunt testimonium, Dæmones repellentur: erit speciosissima & iucundissima horum iudicij facies. Tandemi, etiamsi breuissimè, omne est consummandū iudicium: feret sententiam Christus, vt mali in ignē eant & supplicium æternum, in gloriam boni & vitam æternam: illi cum horrendo Lucifero & eius assecłis Dæmonibus omnibus; hi cum Christo, & Sanctis omnibus, & Angelis eius triumphantes.

*B.* Cœli vndecim, septem videlicet Planetarum, octauum stellarum fixarum, nonum mobile primum, decimum crystallinum cœlum, vltimum empyreum, Regia Dei & Beatorum. Nullum quidem cœlum purgabitur igne conflagrationis, sed tamen omnium augebitur splendor vehementer. Sol enim septuplo erit clarior, id est longè quàm ante ea vnquam splendidior: sua inde proportione Luna, & planetæ alij; omnes stellæ erunt fulgentiores. Accedet gloriosum lumen cœlo empyreo à corpore Christi & virginis Matris, paulò pòst etiam Beatorum. Erit enim cœlum plane dignitate, & gloria, & splendore nouum.

*C.* Circumstant Christum Seraphim supernè ad latera Cherubim, sub pedibus Throni, aliorum ordinum Angeli alij assistunt, alij subseruiunt Iudicij actioni.

*D.* Assidet Christo Ioannes Baptista, & Apostoli, & omnes qui propter regnum cœlorum perfectionem vitæ, & consilia Christi secłati fuerint. Hi enim sedebunt quasi Iudices assessores cum ingenti honore. Supra omnes assidebit Iudici filio, Iudex ipsa primaria virgo mater Maria.

*E.* Ignis elementum, non iam minax vt antè, sed igne etiam conflagrationis purgatum, splendidius, placidas flammas vibrans quietissimè.

*F.* Aër lucidus, amœnus, pacatissimus, nulla diuisus regionum diuersitate, absque omni volucri.

*G.* Aquæ elementum vt vitrum purgatissimum, clarum, tranquillum, sine piscibus.

*H.* Terra crystallo similis, saxis, arboribus, & herbis omnibus, & virgultis nudata, omni metallo leuata, omni viuente liberata, nondum tamen hominibus. Terra enim, & eius omnia opera igne exurēda sunt: existet verò ipsa pura, nitida, quasi exultans, vt ab omni corruptione libera.

*I.* Vide Angelorum ministerio, ex Imperio Christi IESV separari bonos à malis: illos rapi in aëra ad dexteram Christi: alios detrudi in ignē paratum, vbi iam ardebunt Dæmones omnes.

*K.* Illi audiunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Contrà hi, Ite maledicti in ignem æternum.

*L.* Terræ apertum os horrendum, ingens; tartarus hians ignem & tenebras eructat: coniunguntur verò inferni flammæ cum igne conflagrationis. Hic est omni spurcitia, & excrementis orbis purgatione contractis contaminatus & horrendus. In hunc ignem & baratrum conijciuntur Dæmones primum, deinde mali homines. Ignem præterea considera cum damnatis hominibus & Dæmonibus, in centrum terræ, & locum Inferni proprium præcipitandum, claudendam terram. Illic absque vlla vel Dei, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sanctorum, vel Angelorum misericordia, ablata omni spe veniæ, in æternum cruciãdos cum teterrimis Dæmonibus infelicissimos homines.*

*M. Simul illud considerandum, quemadmodum peracto omni iudicio, ad cælũ cum Matre Maria Virgine, cum Angelis & Sanctis omnibus, gloriosissimo triumpho, ascendat Christus IESVS, regnaturus cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Nec creatum aliud quicquam tandem remanebit, quàm Infernus cum Diabolis & damnatis hominibus: Limbus puerorum, assumptis ex resurrectione corporibus (ad quos nihil plane eorũ quæ diximus pertinebit:) quatuor elementa, Cæli, Angeli, & beati homines, paradisus cælestis.*

## MEDITATIO.

VTilem in primis viam mortalibus Deus proposuit ad salutem fratres, hinc metũ, inde spem; vt ille ad hanc nos propellat, & quò acrior metus sit, eò vehementius ad spẽ, & virtutis amorem & exercitium compellamur. En vobis, fratres, ostendit antea Deus signa horrenda, quæ præcedent Iudiciũ vniuersale orbis terrarum; nunc ita conterritos, & in angustias extremas compulsos mortales statuit ante Iudicem Christum, Deum omnipotentem, iratum. Vbi apparere audebis ô homo, etiamsi nil tibi conscius fueris, si tamen non fueris? Vbi verò qui malitia & vitijs erunt contaminati? Cælum hinc erit apertum, illinc Infernus: è Cælo gloria sempiterna lætam futurorum bonorum significationem exhibebit, Inferni os immane, horrendum, conspicietur apertum, flammas eructãs tarrareas. Quid hîc facies ô homo? summum putabas præcedentem terrorem eorum quæ vidisti veniente Christo ad Iudicium; at longè hic est maior, quem incutiet Christus ex throno maiestatis suæ. Illi terrores erant nuncij huius horrẽdi & extremi Iudicij. Illic creaturæ minantur, Creator etiam ipse, nihil tamen adhuc aliud quàm iratus comminatur: hîc verò furore suo excandescentem, nec tantùm minantem conspicimus Creatorem ipsum filium Dei omnipotentis, Deum ipsum omnipotentem, & coæternum Patri, sed etiam separantem iam bonos à malis, & ferentem extremi Iudicij perpetuam sententiam, vt illi in Paradisum eant, hi in æternum Inferni ignem cum teterrimis Dæmonibus contrudantur. Si credis hæc, vt credis, contende vt ne fiat fides tua speculatiua solum; quod non est, nec esse debet: ex qua scilicet nihil moueatur cor tuum, nihil sensus tui interiores, nihil spiritus; sed adnitere vt practica sit fides, qualis est, & esse omnibus debet; vt his rebus repræsentatis & creditis, moueris acriter ad timorem primum, etiam seruilem, qui vtilis esse & solet & potest; inde in spẽ erigaris, vnde ad charitatem progressum facias, & sanctum Dei timorem. Cor tuum ardeat amore in Deum & proximum, sensus interiores intenti sint ad gloriam electis repræsentatam, ad eam te recipias, ad Christum, ad Sanctorum in aëra societatem te aggreges; vt Spiritus Christi IESV bonitate & misericordia fruaris in iucunditate Dei. Magnam verò existimate fratres confusionem, & animæ detrimentum, si ad hæc Dei iudicia per socordiã non timeatis: ita enim reputabimini Dæmonibus ipsis esse in hac parte stupidiores. Hi enim credunt & contremiscunt, nec portant *sua* aduersum se execrabile iudicium: mouentur tamen, non ad salutem, sed ad desperationem & impatientiam, & Dei blasphemiam, & eius iustitiæ detestationem. At nos cõtrà, vbi tempus habemus, vbi clausa nobis non est ianua (vt Diabolo & asseclis eius) ad tantam salutem & perfectionem animarum nostrarum, quæ nobis per hæc mysteria & terrores Dei offertur, per timorem, per spem, per charitatem, per bona & sancta opera festinemus ad meliora continenter, & ad perfectiora contendamus in Christo IESV Domino nostro.





# FERIA TERTIA POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMÆ.

Eijcit iterum IESVS vendentes de templo.

MATTH. XXI. MAR. XI. LVC. XIX. ANNO XXXIII.

*In xxix. imaginem adnotatiuncula.* *xxix.* 88.

*A. Templum, & in eo atrium tertium.*
*B. Christi splendor è vultu, & maiestas quæ terret omnes.*
*C. Ad eius vocem fugantur oues, & boues dissipantur &c. Ementes se proripiunt.*
*D. Verbo euertit nummulariorum mensas, & ea effundit.*
*E. Subuertit sedes vendentium columbas, tolluntur columbæ.*
*F. Sanantur cæci & claudi.*
*G. Canunt pueri: Osanna Christo IESV.*
*H. Principes & Seniores hæc egerrimè ferunt.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. XI. MATTH. XXI. LVC. XIX.

*Et veniunt Hierosolymam.*

ET cum intrasset IESVS Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.

*Et cum introisset in templum, cæpit eijcere vendentes & ementes*

Et intrauit [b] IESVS in [a] templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & [d] mensas nummulariorum, & [e] cathedras vendentium columbas euertit.

*Et ingressus in templum, cæpit eijcere vendentes in illo & ementes.*

*& non sinebat vt quisquam transferret vas per templum: & docebat, dicens eis;*

Et dicit eis:
Scriptum est;
Domus mea, domus orationis vocabitur;

*Nonne scriptum est,*

*omnibus gentibus?*

vos autem fecistis illam speluncam latronum.

*Quo audito, Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.*

Et accesserũt ad eum [f] cæci & claudi in templo, & sanauit eos.

MAR. XI. MATTH. XXI. LVC. XIX.

Videntes autem [h] Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit; & [g] pueros clamantes in templo & dicentes; Osanna filio Dauid:
[h] indignati sunt, & dixerunt ei:
Audis quid isti dicunt?
IESVS autem dixit eis; Vtique: nũquam legistis, quia ex ore infantiũ, & lactentium perfecisti laudem?

*Et circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exijt in Bethaniam cum duodecim.*

Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniã, ibique mansit.

## ADNOTATIO.

*BIS eiecit Christus vendentes è templo; ad initium prædicationis, & ad finem, paucis diebus ante quam crucifigeretur. Illic apud Ioãnem addit flagellum imperio; & euertit sedes vendentium columbas, neque eiecit ementes: hic absque flagello vtrosque expellit, & vendentes & ementes, & sedes vendentium columbas subuertit. Ad eiectionem secundam pertinet hæc imago. Mitius videlicet in prima eiectione egit, vt in initio prædicationis; nam flagellũ ad oues & boues eyciendos tantùm, vel si ad ementes & vendentes etiam retulit, id intendens tantùm fecit, non autem cædens.*

*A. Templum, vnde eiecit omnes vendentes & ementes, diuina quadam auctoritate, & cui contradicere nemo poterat.*

*B. Christus diuinum splendorem è vultu & oculis emittens, indignabundus, extenta manu imperat vendentibus & ementibus vt abeant.*

*C. Ad Christi imperantis vocem dispergũtur cõsternatæ oues, boues, & quicquid erat gregis: conterriti diffugiunt pastores: qui verò hæc vendebant vel emebant, attoniti dissipantur.*

*D. Verbo euertit Christus mensas nummulariorum, æs proiectum colligunt collybistæ.*

*E. Cum etiam sedes eorum qui vendebant columbas subuertisset Christus, auferuntur columbæ, vel pauidæ euolant; neque vas aliquod sinit per templum transferri. Neque mirum si ad eius vocem perturbantur hæc ac tremiscunt, quæ intercidit flammam ignis, & concutit desertum & orbem.*

*F. Sanantur cæci & claudi.*

*G. Clamant pueri in templo;*
*Osanna filio Dauid.*

*H. Rumpuntur inuidia & dolore Principes Sacerdotum, adeunt ad Christum, nec vim tamẽ audent inferre; increpant, & expostulant cur illas laudes patiatur de se prædicari. Christus verò laudes non refutat, sed ab infantibus & lactentibus perfectas proficisci laudes, hoc est à puris & simplicibus animis, docet.*

## MEDITATIO.

EN Domine IESV, qui es Deus benedictus in sæcula, quemadmodum ostendisti velle te, & alio, & hoc Euangelio, vt quotquot reliquimus omnia, nihil in Ecclesia, vel commutemus, vel permutemus, vel quæramus beneficiorum, vel desideremus. Hæc vt ita faciamus, de tua benignitate accipimus. Conserua, & auge in nobis hanc voluntatem benigne IESV. Tua est hæc gratia, non nostrum meritum. Serui tui indigni, & inutiles sumus, & nihili. Verùm alia mala surrepserũt de nostra miseria in animum nostrum, aliæ commutationes, permutationes, emptiones, negotiationes. Quotus enim quisque non adhuc desiderat: ab illis non ita mouetur, atque si nullum esset aliud præmium, vel aliud nihil per se desiderandum? Contra verò, si obturbent desolationes & tribulationes, quis est qui non fatiscat? qui animum non despondeat ac debilitetur? deuotionem, actiones pias vel non prætermittat, vel non agat desidiosè? postremò non ita se gerat, quasi in consolationibus sit summum bonum, in desolationibus malum summum? Quod nõ est. Creaturæ enim vtræque sunt nobis dispensatæ à Deo, vt illis adminiculis ad nostram vtilitatẽ, & Dei gloriam vtamur sapienter, sobriè, ac patienter. Magnum nobis indies periculum, sancte IESV, imminet ab his consolationum & desolationum vicissitudinibus: identidem enim in harum desiderio vel fuga cęcutimus, & in earum vsu ab scopo & veritate aberramus. Doce cor nostrum sancte IESV. Audio Domine consolationem bonam quidem esse & vtilem nobis; sed non minus bonam & vtilem desolationem; nonnunquam esse vtiliorem, vt tibi placet Domine. Vtendum sapienter consolatione ac sobriè: desolatione patienter atque alacriter: vtrâque perfectè. Consolatio, vt promoueat potentias nostras ad virtutem, non absorbeat voluptate; ne sistamus in illa, sed ex illa in Deum, & voluntatem eius faciendam feramur; indignos esse nos consolatione omni existimemus, desolationem omne gaudium esse deputemus, in illa gloriemur, per illam nos IESV esse imitatores sciamus: illam esse crucem nostram, qua sine non possumus Christi esse discipuli, nec intrare in regnum cælorum sine tribulationibus. Ne despondeamus animum fratres: in tribulatione enim posita est salus nostra in Christo. Communicatio est eius passionum tribulatio: non enim glorificabimur cum Christo, nisi cum eo compatiamur. In tribulatione nobiscum est Deus, adiuuat nos, dilatat cor nostrum: dat lucem oculis mentis desolatio, si quis illa scitè vtatur. Quàm multa nos prætereunt! in quàm multis erramus in consolatione! non de ipsa, sed de nobis, quibus in consolatione omnia videntur bona per abusum consolationis. Contra verò aperit nobis oculos mentis desolatio, & multa tunc videmus in nobis, vel vitanda, vel emẽdanda, quæ in consolatione non animaduertebamus. O sanctam & dulcem desolationem, & admirabilem ijs quos interius doces Domine. Da mihi hoc donum Christe IESV benigne, & habebo paradisum in hac valle miseriarum. Neque enim nostra est tribulatio, vt tua in Cruce fuit, vbi absque consolatione vlla à Patre fuisti derelictus. Nostræ tribulationes non eiusmodi sunt; etenim harum acerbitatem sustulit illa tua extrema, & aliæ bonæ IESV: & nunc continenter tuo merito, tua oratione apud Patrem illas lenis, tuas reputas semper omnes nostras passiones, nostra etiam peccata. Illa continenter Patri per passionem tuam, & omne vitæ tuæ meritum repræsentas: & exaudiris quidẽ semper pro tua reuerentia & dignitate. Amen.

Iacob. 1.

# FERIA QVARTA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

## Quærunt signa à IESV Iudæi.

MATTH. XII. LVC. XI. ANNO XXXII.

*In xxx. imaginem adnotatiuncula.* xxx 46.

*A. Domus in Capharnaum.*
*B. Malitiosè signum petunt quidam de Scribis & Phariseis.*
*C. Christus zelo spiritus respondet illis seuerè: Generatio mala &c.*
*D. Ionas fugit, absorbetur & euomitur à ceto, vemit Niniuem, concionatur.*
*E. Salomon in throno gloriæ suæ, ad quem venit Regina Saba.*
*F. Homo à quo vnus Dæmon exierat.*
*G. In eum irruunt septem alij nequiores Diaboli.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XII. LVC. XI.

[a]VNC responderunt ei quidam [b]de Scribis & Pharisæis dicentes; Magister, volumus à te signũ videre.

*Et alÿ tentantes,*

Qui respondens ait illis;
Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.

*signum de cælo quærebãt ab eo. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere; Generatio hæc, generatio nequam est;*

Sicut enim fuit [d]Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.
Viri Niniuitæ surgẽt in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ;
& ecce plus quàm Ionas hîc.

*Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit filius hominis generationi isti.*

*ad prædicationem Ionæ;*

Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & cõdẽnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam [e] Salomonis; & ecce plus quàm Salomon hîc.

*cum viris generationis huius, & condemnabit illos:*

Cum autem [f] immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.
Tunc dicit;
Reuertar in domũ meã vnde exiui: & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.
Tunc vadit, & [g] assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi:
& fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.
Sic erit & generationi huic pessimæ.

*de homine, per ambulat per loca inaquosa*

*& non inueniens dicit;*

*Et cum venerit inuenit*

*& ingressi*

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. DOmus in vrbe Capharnaum intelligitur, intra quam interrogatus à quibusdam Scribis & Pharisæis respondit Christus.

B. Scribæ & Pharisæi malitiosè signum aliquod à Christo flagitantes, cui non erant credituri, etiam si plura fecisset miracula quàm fecerat, vel esset facturus: & de cælo quidem petebant signum, similiter atque Elias & Samuel fecerunt.

C. Christus autem zelo spiritus sui illis respondet seuerè pro illorum merito: Vos praui homines estis, & adultera generatio, (quo verbo tam priorem patrum, quàm ipsorum præsentem infidelitatem designat, vt inquit Chrysostomus.) Quare indigni estis signo alio, quàm quo confundamini. Esto igitur vobis signum Ionas, ex cuius prædicatione sunt conuersi Niniuitæ: esto Regina Austri, id est Aethiopiæ & Saba, quæ venit è terræ finibus, vt sapientiam Salomonis audiret: & tamen videtis hic qui pœnitentiam, qui sapientiam vobis prædicat maiorem Ionâ, sapiẽtiorem Salomone, nec agnoscitis: illi igitur vos condemnabunt in resurrectione.

D. Ionas fugit à facie Domini in Tharsis, id est in mare incertum, vt nauigaret, modò à Iudæa fugeret. Quod (vt inquit Hieronymus in Ionam) magis conuenit fugitiuo & timido, non locum fugæ ociosè eligere, sed primã occasionem arripere fugiendi. Conscendit quidem nauim Ioppæ: excitata autem sæua tempestate, suo consilio in mare proiectus, ab ingenti ceto exceptus est, & triduo in ponto Euxino in terram expositus, vt refert Iosephus ex Hebræorum commentarijs, inde per Armeniam in Assyriam proximam regionem, & Niniuen peruenit. Certè si in Cappadociam, vel maiorem Armeniam est iectus, breuius potuit Niniuẽ peruenire, quàm si in quodcunque aliud littus. Cap. 1. Lib. 9. Ant. cap 11.

E. Salomon in throno suo, ad quem, vt eius celebrem sapientiam audiret, venit Regina Saba & Aethiopiæ, cum magno comitatu, & cum ingenti thesauro & opibus. Hæc fuit etiã Aegypti Regina, cuius erat regia initio Meroës Insula Nili, tempore autem Christi & Apostolorum dicebatur Regina illa Candace, nec obtinebat Aegyptum. Dicitur verò venisse à finibus terræ, quod ab interioribus Africæ, non longe ab æquinoctiali.

F. Homo repræsentatur à quo Dæmon vnus exierit.

G. Idem in quem rursus septem vtquiores atque importuniores Diaboli introeunt.

## MEDITATIO.

DOcuit nos sapientia Dei IESVS proximo Euangelio consolationes spirituales, & desolationes, vel tribulationes quo loco habendæ sint: hoc verò viam ostendit qua emendemus, si quid in illis rebus vtendis errari à nobis contingat. Audite fratres, audite pij omnes quid fieri soleat. Secedit quis ad exercitia spiritualia, quæ Societas IESV, vel etiam alij communicare solent, vel omnino ad seriam orationem: statim incurrit auiditas rerum supernaturalium, signorum, reuelationum, visionum. At vbi tunc humilitas? vbi simplicitas? Nonne etiam illud attinere interpretari possumus ad Dei tentationem, quasi Deò dicamus; Volumus à te signum videre? Nonne habere in animo videmur, non secuturos nos viam spiritualem, nisi temporales has consolationes simul acciperemus? His respondet Christus, dandum non esse signum, non dandas veras consolationes, peruersas esse & adulteras illas cogitationes: simplicitatem, humilitatem, & fidem esse in oratione & spiritualibus exercitijs amplectẽdas. Non dabitur igitur huiusmodi signum aliud nisi Ionæ, & Reginæ Saba, hoc est nisi pœnitentiæ vsus, & meditationis vitæ Christi, diuinæ scilicet sapientiæ. Vbi enim illæ vanitates in cor tuum ascendunt, cogitandum tibi seriò de tua est indignitate, de tuis peccatis, de pœnis quas pro his mereris. Tibi dictum esse ex Dei persona; Adhuc quadraginta dies, & quid scis an subuertaris & pereas? quid dico dies quadraginta? Quid scis an hodie? an nunc cũ illas inanitates persequeris? Hæc igitur te cogitatio adigat ad pœnitentiam, eo spiritu ingredere ad orationem, & opera tua exerce coram Deo ex spiritu pœnitentiæ, humilitatis, atque simplicitatis. Hinc rursum accipe aliud principium exemplo Reginæ Saba. Vehemẽs desiderium concipe audiendi verbum Dei, hoc incitatus veni ad Christum diuinum Salomonem, eius vitam meditare, præsentiam

omnium mysteriorum ante oculos mentis tuæ pone, inquire, scrutare, ora: fiet vt audias sapientiam Dei, & instruaris ad agnoscendas animi tui prauitates, tuos errores, tuas imperfectiones multas & magnas. Hæc signa pete, hæc persequere, non vanitates & insanias falsas. Nam si secus feceris, fiet vt desiderium illud tuum, cùm Deo non placeat, aperiat ianuã illusionibus, & à Diabolo excipiatur. Nã qui ita arroganter signa quærit, adducit rerũ insolitarum cupiditatẽ malo spiritu ductus, quæ quid aliud est quàm à Dæmone expetere vanitates & mentis deliria? Resistite igitur fratres Diabolo, & fugiet à vobis, & veras accipietis à Christo IESV consolationes, verum fructum orationum vestrarũ & actionum. Cauete verò ne vobis eueniat, quod Christus minatus est omnibus sua proportione, ne cùm exierit à vobis per veram pœnitentiam, vel Religionis ingressum Dæmon vnus, nec amplius crassis vitijs vos superet, tamen vires intendat Satan, & mittat vel plures tentatores, vel fortiorem aliquem spiritum, qui spiritualibus prauitatibus vos deludat atque euertat, & fiant vestra posteriora peiora prioribus, vt sunt vitia spiritualia carnalibus peiora atque difficiliora. Quod auertat malũ Christus IESVS, qui est benedictus in sęcula. Amen.

*Iacob. 4.*

*Ia.*

# FERIA V. POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

De Chananæa.

MATTH. XV. MAR. VII. ANNO XXXII.

*In xxxi. imaginem adnotatiuncula.* *xxxi. 61.*

*A.* Regio Tyri & Sidonis in Phœnice.
*B.* Domus in pago, vbi voluit latere IESVS.
*C.* Tyrus non longè.
*D.* IESVM primum intellige domum ingressum, quem secuta est mulier.
*E.* Egressum consequitur, clamat. rogant pro ea discipuli, respondet illi tandem IESVS, O mulier &c.
*F.* Domus Chananæa, & in ea liberata filia à Dæmonio.
*G.* Edunt catelli de micis cadentibus de mensa dominorum.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

| MATTH. XV. | MAR. VII. |
|---|---|
| ET egressus inde IESVS, secessit in [a] partes Tyri & Sidonis. | *Et inde surgens abijt in fines* |
| | *Et [d] ingressus [b] domũ, neminẽ voluit scire: & non potuit latere.* |
| Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, | *Mulier enim* |
| | *statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum,* |
| clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid; filia mea malè à Dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes [e] discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait; Non sum missus nisi ad oues quę perierunt domus Israël. | |
| At illa venit, & adorauit eum dicens; | *intrauit, & procidit ad pedes eius.* |
| Domine, adiuua me. | |
| | *Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum vt Dæmonium eiiceret de filia eius.* |
| Qui respondens, ait; Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. | *Qui dixit illi; Sine prius saturari filios:* |
| At illa dixit; Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. | *respondit, & dixit illi; Vtique Domine; nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.* |
| Tunc respondens IESVS ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. | *Et ait illi; Propter hunc sermonem vade; exyt Dæmonium de filia tua.* |
| Et sanata est filia eius ex illa hora. | *Et cum abijsset domũ, inuenit puellã iacentẽ supra lectũ, &c.* |

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. REgio Tyri & Sydonis in phœnicia, quò quasi secesserat ex Galilæa inferiori, & ciuitate Capharnao IESVS: erat verò illa regio Gentilium, ciuitates opulentæ & celebres.*

*B. Domus in pago nõ longè à Tyro: in ea voluit latere Christus, verùm non potuit: quod fecit fides quam sciebat magnam esse Gentilis mulieris, quæ fidei Gentium magnitudinem designabat.*

*C. Tyrus non longè trans pagum.*

*D. IESVM domum ingredientem spectat cum discipulis latenter, sed suo studio illum, diligentia, & fide inuestigauit mulier Syra ex Phœnicia Chananæa. Nam eam regionẽ & olim possederant Chananæi, & eò frequentes secesserant, cum aduersum eos bellum gererent Hebræi, atque eorum inferiores regiones vastarẽt. Hæc igitur mulier supplex subsecuta est in domum Apostolos & Christum, petens à vexatione Dæmonis filiam liberari. Nullum verbum illi respondet IESVS, ne in domo quidem.*

*E. Verum cum se non latere animaduerteret, domo egreditur; egressum prosequitur mulier clamans post Apostolos, rogant pro illa Apostoli, cõsistit Christus, prouoluitur ad pedes eius mulier. Ibi pulcherrimum illud Gentilis mulieris & Christi IESV colloquium factum est; in quo mulieris constans & humilis fides, & orationis præclara illa importunitas declaratur: elucet verò summa Christi IESV & sapientia & misericordia. Denique refert suæ fidei & orationis mulier præmium: expellitur à filia absente teter Dæmon.*

*F. Domus Chananæa, & in ea libera à Dæmone filia, exultantes domestici.*

*G. Edunt catelli de micis quæ cadũt de mensa dominorum suorum.*

*Aug. de cons. Euã. lib. 2. cap. 40. Glos. in 15. cap. Matt.*

## MEDITATIO.

MAgna est huius Euangelij, fratres, doctrina, plena est diuinæ virtutis & suauitatis; sit eius auctor IESVS in secula benedictus. Docet nos bonus & sanctus IESVS, quemadmodum magna fide spiritus & humilitate oremus & efficacia, exemplo Chananææ mulieris. Non repetam quæ illa fecit, sed sequar & imitabor. Primum quidem docuit vt agnoscam esse me mulierem, hoc est infirmæ naturæ & incõstantis, gentilem præterea, Chananæum, Syrophœnicem, id est moribus planè deprauatum, à vita spirituali, & terra viuentium extorrem. Hoc quidem sumus omnes ex nobis. Deinde concepta fide, spe, & amore in Christum, qui nobis sese offeret per exemplum Chananææ, prauitatem morum exuamus, vitia depellamus, bono animo in Christo ex illo exilio egrediamur, ad vitæ spiritualis, & terræ viuentium desiderium ingrediamur. Ibi IESVM reperiemus, ad illum clamemus pro filia nostra, pro nostris scilicet potentijs & actionibus, quæ continenter à Dæmone vexantur. Quò enim non penetrat veterator Diabolus? cui cogitationi non se immiscet? cui actioni non se intrudit? suas astutias, malitias, deprauationes vbi non machinatur? Nullum est tempus, nullus locus, nulla nostra actio quam non obseruet, quam non oppugnet, quam non corrumpere conetur impotenter. Clama ad Christum vt illum repellat cũ suis diabolicis vexationibus. Domine fili Dei omnipotentis, Deus ipse omnipotens, tuam misericordiam in me extende, nam filia mea à Dæmonio diuexatur. Magnum detrimentum potentiæ meæ, & meæ actiones patiuntur, nullus est qui me adiuuet, nisi tũ qui docuisti me per Chananæam vt orarem, & quo pacto orarem erudisti. Et quidem alias vt peterem à malo liberari præcipisti: pestilentissimum est malum Diabolus & exitiale. En oro te Domine, & tamen non respondes mihi verbum, me non exaudis: exercet in me tyrannidem truculentus hostis humanæ naturæ & tuus, sæuit magis in dies. Neque verò moueor admodum illius acerbitate, moueor quòd impuræ fiant meæ actiones, si nihil aliud, & impediatur spiritualis profectus ac vitæ perfectio. Intelligo te Domine velle orari per sanctos tuos, oro illos vt pro me apud te intercedant, vt meas tibi deprecationes repræsentent, vt pro me orent. Post illos te sequor, nunquam desinam orare, donec me exaudieris. Domine adiuua me, repelle à me hostem meum & tuum. At verò scio similiter respondere te sanctis pro me orantibus, atque pro Chananæa orantibus Apostolis:



Apostolis: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël: indignus est iste pro quo exaudiamini, non enim ad eam humilitatem & fidem peruenit, quæ impetrat quæ petuntur, & Israël faciunt hominem, id est apud Deum potentem. Ad illam fidem & humilitatem aspiro Domine. En adoro te, procido ad pedes misericordiæ tuæ in cælo cum Patre & Spiritu sancto regnantis. Adiuua me sancte IESV & benigne. Ecce sancti simul orant pro me. Quòd si mihi dicas (vt dignus sum cui dicas) te filios tuos spirituales exaudire, qui sedent in mensa tua, & tui spiritus consolatione, & cælesti cibo fruũtur, me canem esse, & indignum cuius aliquã rationem habeas id sanè verum est Domine, & arrogantia mea grandis esset si tuis amicis & conuiuis me annumerarem. Illi Domini mei sunt, ego illorum in te seruus: illi in mẽsa tua cælesti & diuina tui contemplatione pascuntur, liberati à Dæmonis tyrannide. Mihi sat erit Domine bone, si sum illorum canis & catellus, qui excipiam ea quæ illis de tua diuina largitate redundant: illa mihi sat erũt, illis ero contentus. Age Domine, hoc fac benigne Domine, ne mihi tam sint Dæmones molesti & importuni, contra meam enim voluntatem ea mihi offundunt quæ tu nosti, nec illos possum abigere. Quòd si hoc de tua prouidentia non placeat, illud saltem facias sancte IESV, vt mihil mihi noceant illæ importunitates quibus me oppugnat tetra illa bestia, sed in fructum animi mei potiùs conuertantur, & ad maius meritum coram te proficiant. Amen.

FERIA

Universidad de Deusto
Biblioteca



# FERIA VI. POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Sanatur languidus.

IOAN. V. ANNO XXXII.

*In xxxij. imaginem adnotatiuncula.* xxxij. 47.

A *Piscina Bethsaida Hierosolymis, iuxta portam gregis, vbi languidi, & pecora lauabantur.*
B. *Super ne adscribitur Angelus, qui in piscinam descendere solebat.*
C. *Venit ad piscinam IESVS, dicit languido, Vis sanus fieri?*
D. *Respondet languidus, Domine, hominem non habeo &c.*
C. *Sanat eum IESVS, & præcipit vt tollat grabatum suum.*
E. *Tollit grabatum suum paralyticus, & vadit domum, increpant eum Iudæi.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. V.

POST hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica[a] piscina, quæ cognominatur hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. [b] Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua: & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacúque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset [c] IESVS iacentẽ, & cognouisset quia iá multũ tempus haberet, dicit ei; Vis sanus fieri? [d] Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei IESVS; [e] Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & [e] sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat; [e] Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis; Qui me sanum fecit, ille mihi dixit; Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum; Quis est ille homo qui dixit tibi; Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset. IESVS enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum IESVS in templo, & dixit illi; Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis quia IESVS esset qui fecit eum sanum. Propterea persequebantur Iudæi IESVM, quia hæc faciebat in sabbatho.

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. PIscina Hierosolymis iuxta portam gregis: hanc quinque porticus circumsepiũt suis columnis, & intercolumnijs distinctæ. In porticibus est multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, id est eorum qui per se ad aquam accedere non possent; & tamen quauis infirmitas ibi sanabatur. Hæc piscina Probatica, id est pecualis dicebatur, quales Romani item pecorum appellabant. Iudæi hebraice Bethesda, vel Bethsaida: vtrumque enim significat domũ vel locum effusionis, quod ad piscinam aquæ pluuiales confluebant. Tametsi addit Bethsaida significationem à primario piscinæ officio, quod in ea obseruabat veluti venatores aquæ motum languidi, vt ad commotam accurrerent. In hac piscina lauabantur animalia quæ erant offerenda in templo, vt lota ad templum ducerentur: habent igitur aliquæ porticus greges qui sunt lauandi.

B. Adscribitur Angelus, non qui tunc è cælo descenderit, sed qui tunc, hoc est die Pentecostes quo solebat, non descenderit, nec amplius vnquam; quod quem significauerat venturum, & salutem æternam mortalibus allaturum per baptismum sanguinis & aquæ, iam vemisset in mundum, & baptismum prædicaret, cuius erat figura illa aqua, illa motio, illa sanatio. Erat autem illa piscinæ aqua rubra.

C. Venit ad piscinam IESVS cum discipulis, vt sanato insigni languido, ostenderet eum se esse qui per Angelum designabatur, & finem imponeret figuræ, ac signum statueret sui aduentus. Videt hominem triginta & octo annos in infirmitate agentem oculis suæ benignitatis & misericordiæ (Domine illis oculis nos vide plures enim, vel certè omnes annos vitæ nostræ egimus in infirmitate) & interrogat num sanus fieri velit: id est languidum excitat, & eius libertatem iuuat, offertq; plenam incolumitatem.

D. Languidus repente fit Theologus. Hominem plane confiteor me non habere, nihil enim est in me quo possim surgere, & ad salutem contendere: à te adiutus potero expedite quæ mihi ex me impossibilia sunt facere. Sic enim solent Doctores, quæ in verbis erat sententia, eam dare ijs qui sanabantur. Certè hic facit Tuitiensis languidum intelligere mysticum alium sensum. Ad hoc verbum, quasi iam cordis eius præparatio esset impleta,

C. Audit à Christo; Surge, tolle grabatum tuum, & ambula; sanatur, exurgit ad verbum Christi. Similiter sanat spiritualiter peccatorẽ IESVS, deinde iubet surgere, & tollere per virtutem exercitium difficultates in quibus iacuerat, & ad vitam æternam contendere.

E. Discedentem considera qui fuerat languidus, suum grabatum tollentem; insipientiam simul Iudæorum, qui illum obiurgabant quòd tolleret in sabbatho grabatum; vnde calumniæ occasionem arripuerant aduersus Christum. Illud postremò animaduertendũ: benignus IESVS paralyticum confirmat post datam salutem, etiã addita timoris seruilis vehementi comminatione: Propter peccata tua triginta & octo annos miserabilis infirmitate fuisti afflictus, deterius tibi continget nisi à peccatis in posterum te abstinueris. Hoc illi dixit IESVS cum postea paralyticum inuenisset in templo.

## MEDITATIO.

Apo. 13. OCcisus est agnus Dei Christus IESVS ab origine mundi in diuina acceptatione; semper fuit parata ad salutem piscina probatica Bethsaida & Bethesda aquæ rubræ, id est sanguinis agni immaculati, ex eius vulneribus effusi ad oues Dei lauandas & emundandas. Fuit hoc diuinum mysterium Hierosolymis per piscinam significatum, & baptismi futuri efficacia designata. Vt autem omnibus mortalibus fuit semper prestò sanguinis Christi meritum per fidem, ita singulare illud beneficium, etiam ante legem veterem, conferendi gratiam, & remittendi peccatum originale positum fuit in circuncisione, & ijs sacrificijs quæ ad peccatum originale expiandũ applicabantur. Dei autem per Christum in nos misericordia eo maioribus est præconijs extollenda, quæ illam sanguinis Christi piscinam & fontem omnibus mortalibus commonstrauit, & aperuit ad animarum salutem per sacramenta nouæ legis perfecta. Impleuit enim vniuersum mundum hac piscina, hac rubra aqua, hoc est Christi sanguine: omni creaturæ hæc est aperta ianua ad salutem per Ecclesiam: omnibus patet salus per Baptismũ. Nec est quòd quisquã dicat; Hominem non

Universidad de Deusto
Biblioteca



habeo; verbum enim Dei homo factus est, Christus IESVS sua gratia omnibus adest, inuitat etiam omnes ad salutem & perfectionem, singulis continenter inclamat; Vis sanus fieri? illud responsum eripit omnibus, hominem non habeo, hominem se offerens, offerens Ecclesiam, offerens Angelos & sanctos per inspirationes salutares, offerens concionatores & admonitores alios. Et quid ego hæc memoro? offert liberalissimè seipsum continenter auctorem, cooperatorem, effectorem nostræ salutis & perfectionis. Omnis enim terra plena est gloria redemptionis & salutis, gratiæ & veritatis per Christum factæ. Eò horribilius iudicium eis imminet, si qui tantam salutem, tam obuiam, tam facilè neglexerint. Verum aduertite fratres, atq; adeò omnes qui proximò iuuando operam datis, attendite nè sæpè fiat, vt dum aliorum salutē procuramus, nostram negligamus, in alios seueri simus iudices, & acres reprehensores, importuni etiā, in nostra verò salute & perfectione blandi & debiles, & negligentes: quasi non sit finis noster, vt simul & nostrarū animarum, & proximorum salutē & perfectionem cum gratia Domini impense procuremus, & quasi non mandarit Deus vnicuique de proximo suo. Quorus enim quisque nostrum non triginta & octo annos, id est omnes annos habuit in peccatis, in imperfectionibus, in passionibus suis? Et cum habeat paratam piscinam sanguine & gratia Christi IESV in omnes redundantem; semper tamen excusat, se hominem non habere, hoc est semper somnolentiæ & desidiæ indulget, nunquam audit, vis sanus fieri? nunquam videt, nunquam auscultat Christum præcipientem: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Tacemus semper in nostris miserijs, nunquam assurgimus ad meliora, nunquam tollimus peccata nostra per pœnitentiā perfectam, nunquam contendimus ad vitæ perfectionem seriò, nunquam verè proficimus, nunquam ad victoriam nostri euadimus, nūquam ad pacem spiritus attingimus, nunquā ad cœlestium rerum contemplationem, diuinumque lumen leuamur. Quid exspectamus fratres? Quid ampliùs potuit pro nobis Christus facere vel docere, quod non fecerit, quod non docuerit? Quid nunc non facit & docet ad nostram salutem & perfectionem? Quando aperiemus oculos ad diuinam lucem, & aures ad cœlestem doctrinam? Quando respondebimus Christo intimo ex corde, volo sanus fieri? quod animo dixit ille infirmus vehementer se cupere tot annos. Hoc igitur pleno cordis sensu tandem dicamus: simul fateamur facultatem nos nunquam habuisse de nostra segnitie atque socordia veniendi ad perfectam animæ nostræ sanitatem. Semper etiam (tamesi ad piscinam venire potuissemus) homines tamen nos non præbuisse Christo vocanti, Patri eius trahenti nunquā fuisse obedientes, nunquam gratiæ Dei esse ritè cooperatos. Itaque nunquam ad sanitatē & pacem animæ nostræ peruenire potuimus. Hanc nostram desidiā deploremus apud IESVM, & tam grauem somnum animi nostri & torporem illo auctore & adiutore excutiamus. En Christus è cælo cordi nostro sese insinuat, & nos inuitat; Vis sanus fieri? Ne illi amplius respondeas, Hominem non habeo; sed in humilitate & suauitate cordis tui responde: Volo Domine: nam hominem te habeo, qui me solo verbo ad piscinam illam immensam atque inexhaustam tui sanguinis & gratiæ immerges, vbi & à meis liberabor infirmitatibus, ne saltem mihi noceant, & inebriabor multitudine tuæ misericordiæ, suauitatis, & gloriæ; tua virtute tollam meum grabatum, id est meas difficultates: non enim illæ impedient, quin in via tuorum mandatorum & consiliorum ambulem cum alacritate & feruore spiritus tui; sis benedictus in sæcula.

Amen.

(.·.)

SABBA-



# SABBATHO POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

## Transfiguratio Christi.

MATTH. XVII. MAR. IX. LVC. IX. ANNO XXXIII.

*In xxxiij. imaginem adnotatiuncula.* xxxiij. 63.

A. *Paneas regio, vnde venit IESVS in Thabor montē.*
B. *Relictis aliis discipulis ad radices montis cum turba, Petrum, Iacobum, & Ioannem secum in cacumen assumpsit.*
C. *Thabor in campo magno Galilææ Esdrelon.*
D. *IESVS in planicie montis, cuius redundat gloria animæ in corpus, quæ fuit transfiguratio. Adsunt Moyses & Elias.*
E. *Euigilantes è somno discipuli vident IESVM transfiguratum, & Petrus ait: Bonum est nos hic esse &c.*
F. *Adhuc eo loquente, ecce nubes obumbrauit eos, & fit vox patris è cælo.*
G. *Moyses in Limbum.*
H. *Elias in Paradisum terrestrem raptus, cùm Apostoli ad vocem cecidissent in terram.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

| MAR. IX. | MATTH. XVII. | LVC. IX. |
|---|---|---|
| | ET [a] post dies sex assumpsit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in [b] montem [c] excelsum seorsum: | *Factum est autē post hæc verba ferè dies octo,* |
| [b] *solos.* | | *& ascendit in montem vt oraret.* |
| *coram ipsis.* | & [d] transfiguratus est ante eos. | *Et [d] facta est, dum oraret, species vultus eius altera;* |
| *Et [d] vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* | Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autē eius facta sunt alba sicut nix. | *& vestitus eius albus & refulgens.* |
| *Et apparuit illis Elias cū Moyse: & erant loquentes cum IESV.* | Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. | *Et ecce duo virī loquebantur cū illo: erant autem Moyses & Elias visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quē completurus erat in Hierusalem. Petrus verò, & qui cum illo erant, [e] grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.* |

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MARC. IX. | MATTH. XVII. | LVC. IX. |
|---|---|---|
| *Et respondens Petrus, ait IESV; Rabbi,* | Respondens autẽ Petrus, dixit ad IESVM: Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc [c] tria tabernacula; tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. | *Et factum est, cum [b] discederent ab illo, ait Petrus ad IESVM; Præceptor,* |
| *Nõ enim sciebat quid diceret; erant enim timore exterriti.* | | |
| *Et facta est nubes* | [f] Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida | *Hæc autem illo loquente, facta est nubes,* |
| *obumbrans eos:* | obumbrauit eos. | |
| *& venit vox de nube, dicens;* | Et ecce [c] vox de nube dicens; Hic est filius meus | *& timuerunt intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicẽs;* |
| *charissimus: audite illum.* | dilectus in quo mihi bene cõplacui: ipsũ audite. | |
| | Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & [f] timuerunt valdè. Et accessit IESVS, & tetigit eos, dixitque eis; Surgite, & nolite timere. | *Et dum fieret vox,* |
| *& statim circumspicientes, amplius, nisi IESVM tantùm secum.* | Leuãtes autẽ oculos suos, [g h] neminem viderunt nisi solum IESVM. | *inuentus est IESVS solus.* |
| | Et descendentibus illis de monte, præcepit eis IESVS, dicens; Nemini dixeritis visionẽ, donec filius hominis à mortuis resurgat. | |
| *ne cuiquam quæ vidissent, narrarent, nisi cum filius hominis resurrexerit.* | | |
| *Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset, cum à mortuis resurrexerit.* | | *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.* |

ADNO-



## ADNOTATIO.

Eg. sp. l. 3. c. 26. Ios. ph. 3 de bello Iu. c. 18.

A. IESVS in Paneade iuxta Cæsaream Philippi, vbi fontes quidẽ sunt Iordanis, Ior & Dan, sed quorum vnus est fons Phiala in Trachonitide ad montem Antilibanum. Ibi interrogauit ex discipulis Christus, quem dicerent homines vulgò ipsum esse: & respondit Petrus; Tu es Christus filius Dei viui. Hinc igitur venit ad Thabor montem, vt transfigurationis gloria, patrum testimonio, & voce æterni Patris excellentem illam Petri confessionem confirmaret.

B. Relicti ad radicem montis nouẽ discipuli, absente Christo laborant in expellẽdo Dæmone, nec valent expellere. Neque verò mirum, qui nõ potuerant in montem cum IESV conscendere,

Eg. sp. l. 4. cap. 4. Ios. ph. lib. 4. de bell. Ind. cap. 2. Brocard. Matt.

eos non potuisse spiritum nequam superare.

C. Thabor mons est in magno campo Galilææ Esdrelon, altitudine xxx. stadiorum, in vertice campestris, amplitudine vndique viginti trium: sex aut septem milliaribus à Nazareth, in finibus Issachar & Zabulon.

D. IESVS in planitie montis, non in aëre, sed stans humi, vt eum viderent discipuli cum Mose & Elia: resplendet verò eius facies vt sol, & alba vt nix sunt eius vestimenta; redundauit enim eius animæ gloria in corpus per dotẽ claritatis, quæ cohibebatur per miraculum, ad dispensationem vitæ mortalis. Neque tamen Apostolorum huius lucis magnitudo perstringebat oculos vel lædebat, & minus Eliæ, multo minus Moysis; sed incredibilem potius ingerebat suauitatem & vim, quod faciebat ratio luminis glorioſi. Cum IESV est Elias & Moyses: ille ex terrestri Paradiso Angeli ministerio aduectus, mortali corpore, vbi diuina voluntate & mysterio in Iudicium vsque vniuersale conseruatur; Moyses verò coaptato illi corpore diuinitùs, similiter ex Limbo ab Angelo eductus: vterque tamen suam maiestatem obtinens (visi enim sunt in maiestate) Moyses quali claruit cum ex monte descendit è Dei colloquio: Elias quali in cælum est ex Bethabara vico leuatus in aëra ad Paradisum terrestrem. Ad hanc insignium Prophetarum maiestatem accedebat illustris illa, quæ è gloria IESV deriuabatur. Colloquebãtur autem cum IESV Prophetæ de egressu eius, quem in Hierusalem completurus erat in quo exitu erat verus agnus immolandus, per eius sanguinem liberãdus verus Israel, prostigato Dæmone Pharaone.

E. Somno superati obdormierant quidẽ tres Apostoli, sed è maiestate gloriæ Christi excitati, & diuinum illum splendorem contemplati, primùm quidem terrentur, verùm suauitate cælestis luminis delibuti, cum animaduerterent discessuros Mosen & Eliã, petit à Christo Petrus, vt tria potiùs tabernacula parentur, nec discedant sancti Prophetæ. At enim nesciebat quid diceret, vt solent qui hilariori sunt animo in oratione abuti sua consolatione, nisi accuratiùs attendant.

F. Nondum finem fecerat loquendi Petrus, & ecce tibi nubes lucida è cælo omnes obumbrauit. Terrentur rursum Apostoli. Auditur vox Patris æterni è cælo; Hic est filius meus charissimus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Quibus verbis mysterium diuinitatis & humanitatis Christi suo testimonio confirmat Pater omnipotens; & imperat vt illi obediãt Apostoli, & per eos omnes mortales. Ad hanc Dei vocem vehementius timent Apostoli, cadunt consternati in facies suas, confirmantur à Christo, leuant oculos: abierant interea Prophetæ, deducit illos IESVS è monte.

G. Moses in Limbum reportatur à suo Angelo corpore exutus: ibi narrat Patribus Christi gloriam, & illis eius nomine salutem dicit. Apo. 11.

H. Elias ad Paradisum ab Angelo item deducitur. Ibidem

## MEDITATIO.

ADeste fratres mei in Christo, aduertite animum ad sublimia mysteria quæ hoc Euangelio nobis manifestantur. Doce nos hæc tua mysteria & beneficia bone & magne IESV. Sequimini me igitur ad montem excelsum, video enim vos semper humi repere, terrenis cogitationibus duci, imperfectionibus vitæ spiritualis detineri, passionibus sensus vestri perturbari. Vt autem leuare mẽtem & spiritum vestrum possitis ad veram orationem, solidumque eius fructum, en voco vos, sequimini me; volo vos ad montem meæ transfigurationis euehere. Hoc facite primũ, sequimini tres meos Apostolos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, & imitamini; eorum intercessionem implorate. Adijcite quod per ipsos significatur trium virtutum exercitium, fidei in me, tum confidentiæ quod per me ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



doctrina huius Euangelij sitis quæ in eo indicantur bona reportaturi. Addite suauitatē & familiaritatem charitatis in me. Ita vos ego assumam mecum in montem. Sed tamen ad culmen montis excelsi non peruenietis, nisi per iter accliue; ea enim debet esse vestri cordis meditatio, & spiritus contentio, qua difficultates superetis quæ spiritualibus exercitationibus euenire solēt. Animaduertite quòd me duce ascenditis in montem, me præsentem habetis adiutorem in meditationum difficultatibus. Considerate locum, adeste vt præsentes, totam historiam ante oculos ponite, cum fide & humilitate cordis singula mysteria perpendite: sed ita perpendite vt in oratione hoc est, sit cordis meditatio, quæ redoleat gratiarum actionem, petitionem spiret & obsecrationem, vt non tam sit speculatiua consideratio quàm practica, & spiritus affectu plena. Ita fiet me adiutore, vt ad mei corporis, vt tunc fuit glorificatū, euehamini contemplationē, & sacientini à manifestatione gloriæ meæ. Illa luce illustrabitur primū vester spiritus, dein mens, & voluntas, & cor vestrū, præterea anima tota, omnes vestræ potentiæ, omnia absorbebuntur exundantia gloriæ maiestatis meæ; vnde dissipentur omnes passiones vestræ, omnes difficultates vitæ spiritualis euanescāt, omnia fiant vobis splēdor lucis meæ, omnia pax, & vitæ æternæ pro hac mortalitate repræsentatio. Nam & illud dabitur vobis ex hac mei corporis gloria, vt considerantes fulgorē illum è gloria animæ meæ, & ex verbo meo & diuinitate emitti, ab hac gloriæ corporis speculatione, in splendorem cælestem, & diuinitatis lucem spiritus, transformemini à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Non solùm autem, sed etiam ineffabili quadam significatione spiritus fulgebit vobis mea æterna generatio, & intelligetis constanti etiamnum fide in spiritu mentis vestræ, quod Pater tunc dixit, & in æternitate semper dicit; Hic est filius meus dilectus. Et illud; Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et quod alibi; In splendoribus sanctorum, siue sanctitatis, ex vtero ante Luciferum genui te. Nec hoc solum percipietis per donum sapientiæ & intellectus; sed illud præterea cordi vestro imprimetur, mihi esse obediendum, & vim diuinam obediendi accipietis. Hæc etiamsi momentanea, tamen summa dona sunt. Hæc vbi vobis ego ero gratificatus, ne dicite, vt Petrus, Bonum est nobis hic esse, spectantes tantùm ad voluptatem & consolationem animi vestri præsentem, quasi fugientes crucem & persecutiones: sed illud concedo vobis vt dicatis; Bonum est nobis hîc esse quidem, hoc est in his donis, in hoc diuino fulgore, sed nō in his figere tabernacula, quasi his tántùm vsuri, in his habitaturi, sed sensum & vim illius gloriæ, & efficaciam retinentes, ad humilia descendite. Pugnate aduersus vitia vestra & proximorum, crucem amate, cum illa me sequimini, vestræ vocationi satisfacite, quò vobis amplior & fructuosior sit. Quòd si quæ vos docui ex contemplatione gloriæ meæ transfigurationis capitis, ea transferte omnia, & meditamini in gloriam quam hîc in cælo obtineo in æternitatem. Prouenient enim vobis maiora dona ex vberiore corporis mei gloria. Amen.

*Pro Dominica secunda Quadragesimæ est idem Euangelium, eadem Adnotatio & Meditatio. 63. pag. 111.*

# FERIA SECVNDA POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

## Incredulis prædicit damnationem IESVS.

IOAN. VIII. ANNO XXXII.

*In xxxiiij. imaginem adnotatiuncula.* xxxiiij. 55.

*A. Exterius atrium Templi, vbi Christus docebat.*
*B. IESVS acriter Iudæos vrget.*
*C. Respōdēt acerbè, Nunquid interficiet semetipsum?*
*D. Resurrectio.*
*E. Ascensio: de quibus significabat cum dicebat, Quò ego vado, vos non potestis &c.*
*F. Infernus paratus: quia dixerat, In peccato vestro moriemini.*
*G. Tabernacula appinguntur, erat enim festum Tabernaculorum.*

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. VIII.

IN illo[a g] tempore dixit IESVS turbis Iudæorum: Ego[b] vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego[b] vado, [d] vos[c] non potestis venire. Dicebāt ergo Iudæi; [c] Nunquid interficiet semetipsum? Quia dicit, Quò ego vado, vos non potestis venire. Et dicebat eis; Vos de deorsum estis: ego de supernis sum. Vos de Mundo hoc estis: ego non sum de hoc Mundo: dixi ergo vobis quia[f] moriemini in peccatis vestris. Si enim non erediderit is quia ego sum, [f] moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei; Tu quis es? Dixit eis IESVS; Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare: sed qui me misit, verax est; & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in Mundo. Et non cognouerunt quia patrem eis dicebat Deum. Dixit ergo eis IESVS; Cum[e] exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor: & qui me misit mecum est, & non reliquit me solum; quia ego quæ placita sunt ei facio semper.

## ADNOTATIO.

*A. EXterius atrium Templi, vbi gazophylacia; in eo atrio docebat Christus. Et quandoquidem vix aliquid est in hoc Euangelio quod imagine designari possit, quæ possunt pauca ea attingentur.*

*B. IESVS cum Apostolis, ante eum Scribæ & Pharisæi homines peruersi cum illo disceptantes, & illi insidiantes. His cum dicit Christus; Ego vado, indicat cælum, & suam ascensionem: & vrget acriter damnationē eorum comminatus.*

*C. Respondent acerbè; Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quò ego vado, vos non potestis venire?*

*D. E. Ascensio Christi: intelligi etiam potest resurrectio simul; ad cælum enim contēdebat IESVS per passionem & resurrectionem à mortuis.*

*F. Inferni os horrendum, in quod contruduntur scelerat orum hominum animæ: sic indicat Christus Scribis & Pharisæis in peccato illos morituros.*

*G. Tabernacula depinguntur; erat enim festum Tabernaculorū cum hæc gerebantur. Porrò locum illum huius Euāgelij, (Principium, qui & loquor vobis, qui græcè est, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.) mirum non est si multis difficilis esse videatur. Est sanè difficilis si ad verba græca inspicias. Mihi placet simpliciter vulgatam editionē sequi, quam sua interpretatione Cyrillus Alexādrinus probat; vt mirum sit græcum Doctorem in suo idiomate illam non sensisse difficultatem, quæ tantum negotij alijs suæ gentis faceſit. Sensum igitur vertit fideliter latinus interpres: nā Christus interrogationi Iudæorū diuinè, vt semper, respondit, etiam si illj per contemptū & malitiam interrogarent. Sed quid respondit? Principium, id est τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Vos, o mali, quæritis ex me quis sim: iam ego dixi vobis, quod sum: hoc enim nomen meum æternum. Substantia sum infinita & æterna, meum esse mea est essentia, vt docui Mosen, nomen ineffabile: nam* Exod. 3.
*vtrumque nomen Dei* אהיה *ehih*, & יהוה *Iehouah idē censetur. Illud enim cum dicat Deus, facit vt de illo hoc dicatur. Ambo tamen resoluuntur*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*uuntur in, Sum, quæ est infinita essentia, æternitas; & hodie, præsens, infinitum, omne tempus complectens, omne tempus excedens. Hæc iam significauit vobis Iudæi: sed prætera dico principium me esse æternum de æterno principio: principium Patrem & me Spiritus sancti; principiũ creaturarum omnium Patrem, me, & Spiritum sanctum. Nam nullus dubitare potest verbum (dico) & latinè, & græcè habere post se accusatiuum. Respondit,* אָמַר לָהֶם יְשׁוּעַ אֶת יְשׁית. *Vbi vim habet* אֶת *quemadmodum & græcus articulus. Iam quod subdit Christus græcè,* ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, *recte item vertitur latinè, Qui & loquor vobis. Nam articulus ὅ, sumi solet pro relatiuo, & τὶ esse adiectiuum, vim etiam addere. Quod verò ad sensum attinet; sum, dixit Christus, principiũ sum; addo prætera me esse hominem, vt qui vobis loquar, & vos doceam, vt per quem, & in quo loquatur vobis Deus, qui olim Hebr. 1. locutus est patribus vestris in Prophetis. Per hãc rursum meam humanitatẽ sum mortaliũ salutis principium: ex merito enim meo, tanquã à fontis plenitudine, omnis iustitia & meritum hominum vim accipit & consummationem.*

## MEDITATIO.

VEriſſimè dixiſti Chriſte IESV Iudæis, quòd quæſituri te eſſent, malo ſcilicet animo, & non inuenturi, ſed eſſent in eo præſertim peccato te malè quærendi morituri. Quid enim aliud illi fecerunt, cum ibas ad Patrem per doctrinam & paſſionem tuã, quàm te ſumma animi peruerſitate quærere. Primũ vt interficerent; quod vt fecerunt, nihil aliud quàm ſuum Meſciam quærunt, te reiecto qui verus Meſcias, ac veritas ipſa es: cum qua inquiſitione & animo comprobationem tuæ mortis coniungunt. In quo peccato, quod infinitorum peccatorũ eſt fons & origo, mortua eſt infinita Iudæorum fæx, & morientur omnes quotquot animum non mutabunt, & in te non credent. Nos fratres ad hos quoque ſubleuandos vocati ſumus, his iuuandis oratione & miniſterio verbi incumbamus. Interim verò ne arbitremur ad nos non pertinere hoc Euangelium: grauiſſimè enim nos & omnes admonet ſanctus ac magnus IESVS; comminatur etiam vehementer, niſi ad meliorem vitæ noſtræ frugem aſſurgamus. Animaduertite item fratres cum timore in humilitate cordis veſtri, quid religioſis omnibus ſimul dicat myſticè Dominus noſter IESVS. Ego quidem abij ad Patrem per miniſteria & myſteria omnia quæ dedit mihi Pater adimplenda, per doctrinã, exempla, miracula, paſſionem, mortem crucis, & reſurrectionẽ, per
*Ioan. 15.* Sacramentorum inſtitutionem, & in cælum aſcenſionem. Poſt hæc miſi ad vos Spiritum
*Mat. 28* ſanctum, qui maneat vobiſcum in æternum; atque adeo ego ipſe vobiſcum, & alijs multis modis, & in Sacramento Euchariſtiæ præſens realiter & ſubſtantialiter ſum vſque ad ſæculi conſummationem. Hæc cum acceperitis, tam multa & magna myſteria & dona; tamen quæritis quidem me per orationes & meditationes veſtras, per veſtram vitæ quam eſtis profeſſi conuerſationem: & tamen ita negligenter & deſidioſè quæritis, tot vitijs & imperfectionibus implicamini, vt vix vnquam ſpiritu proficiatis vel progrediamini. Itaque illud neceſſum eſt vobis accidere, vt regrediamini, & moriamini in veſtris imperfectionibus & vitijs: vel etiã ſi ſpernitis modica, paulatim decidatis in lethalia peccata, & interecatis, quod horrendum eſſet. Dico, prædico vobis, niſi diligenter & religioſè me quæratis, planè hæc vobis eſſe timenda quæ dixi in veſtris peccatis & imperfectionibus moriemini. Sed vt etiam fructum accipiatis ex illa inſana Iudæorum interrogatione: Nunquid interficiet ſemetipſum? audite: Ego quidem me non interfeci, ſed tradidi interficiendum pro vobis, vt vos ſimul mecum commoreremini *Rom. 6* & mecum conuiueretis: ſimul enim homo veſter vetus crucifixus eſt, vt deſtrueretur corpus peccati, & vltrà non ſeruiretis peccato, ſed in nouitate vitæ ambularetis. Itaque ſi vos meam mortem nolitis imitari, & ſequi, atque induere; niſi mortui peccatis & concupiſcentijs veſtris fueritis; tum reuera illa in vobis viuent, & vos mortui in illis eritis. Neque verò mihi dixeritis; Nos quidem commortui ſumus per baptiſmum, & conſepulti. Igitur ſi mortui eſtis, videte ne rurſus quaſi in peccato viuentes vitam vitiorũ viuatis, tam multis, & tam noxijs imperfectionibus indulgentes. Quotus enim quiſque perfectè vnum vitium ſuperauerit? quotus quiſque non deorſum aſpicit ad præſentia, & vitæ iſtius cõmoditates, & ad ea quæ pereũt? Cauete ne mundanis



danis cogitationibus ad neſcio quid honoris & exiſtimationis vanæ ducamini, & cum vos ad religioſæ vitæ perfectionem vocauerim, ad ſuperna, ad cælum; deorſum tendatis, quæ mundi ſunt, ijs incitemini. Hæc ergo mortificate per me, & gratiam vocationis veſtræ ſequimini, illi cooperamini, ad me in cælum, vbi ad dexteram Dei Patris omnipotentis ſedeo, accurrite. Hæc ſi non feceritis, quæ facilia quidem ſunt credenti & ſperanti in me & me amanti, per quæ leue onus meũ eſt, & iugum ſuaue: planè illud euenier vobis quod dico; Moriemini in vitijs & peccatis veſtris. Habetis multa ſubſidia & præſidia quibus vti poteſtis, quæ omnia ego dedi vobis per me, per meos Apoſtolos & Sanctos, per Eccleſiam meam, per veſtros ſuperiores: ſed illud nunc volo vobis exponere. Iudæis illis dixi vt crederent quia ego ſum, aliàs perirẽt. Vobis non dico vt ſimpliciter credatis; ſcio vos credere: verùm paulò attentiùs animum aduertite, & fidem veſtram examinate, num illa ſit ſpeculatiua, quaſi de rebus quæ ad vos nõ attineãt, & quæ vos ad praxim mouere non debeant, an lumen vllum in illa agnoſcatis, an vim in eà nullam, aut certè debilem ſentiatis; & tamẽ eſt fundamentum fides, & radix omnis iuſtificationis, cooperatrix omnis meriti. Nonne agnoſcitis in fide veſtra ſterilitatem operum veſtra ſocordia, cùm ipſa ſit bonorũ operum vis fœcundiſſima, & motio efficaciſſima per
*Iac. 1.* charitatem? Itaque cauete ne vos in fidei vſu ſimiles ſitis viro conſideranti vultum ſuæ natiuitatis in ſpeculo; conſiderauit enim ſe & abijit, & oblitus eſt qualis fuerit. Vos in me creditis, prædicatis fidem Catholicam, extollitis, magnificatis: proſpicite tamen ne ita in veſtris actionibus verſemini, ac ſi fidei ſitis obliti, moueamini verò à veſtris naturalibus facultatibus, à veſtris habitibus & conſuetudinibus, à carne potiùs quàm à ſpiritu profectis. Quis enim ex vobis lumen fidei inducit in omnia intelligibilia? Quis in tentatione ſcuto fidei, galea ſalutis, & ſpiritus gladio vtitur, & tentationes profligat & vincit? Quis ſua induſtria in Chriſto efficacem facit fidem in oratione? Reliqua de fidei perfectione prætermitto: his quæ audiſtis eſtote contenti. In illis interim exercemini deuotè, in illis creſcite per mea dona, & ſublimiora à me deinde expectate. Tantum illud vehementer cauete, ne Lutheranam certitudinem gratiæ particularem illam quæratis, nec in ſola fide huiuſmodi certitudinem ponatis, quam fides mea non dat. Non eſt Patris mei illa certitudo; eſt patris mendacij Satanæ, qui per fictitiam fidẽ & illuſoriam ex falſa luce, quę quidẽ lux non eſt, ſed Inferni fumus, certitudinem illam cõtendit efficere, & ex illa emẽtitâ fide molitur tartareus draco dogmata omnia Catholicæ fidei & Eccleſiæ debilitare atq; euertere. Meã fidem Catholicam, mea dogmata, tenete, non fidem Lutheranam, non dogmata, hoc eſt tenebras, & inſanias falſas furioſi illius Apoſtatæ, & ſupra quàm intelligi à vobis poſſit, miſeri & deteſtabilis. In veritate verò fidei Catholicæ & dogmatum, quam docuit ſemper vna Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & hierarchica, viuite, cuius fuit, eſt, erit vnus paſtor, meus Vicarius Petrus, vel Petri ſucceſſor: pro ea, eiuſque fide & dogmatis vitam veſtrã offeratis Deo, qui finis, ſi Domino placet, erit, & conſummatio veſtræ fidei, ſpei, charitatis, & bonorũ ex illis prodeuntiũ per me. Amẽn.

*Eph. 6.*

# FERIA III. POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Quomodo credendum docentibus Phariſæis & Scribis.

MATTH. XXIII. MAR. XII. LVC. XX. ANNO XXXIII.

*In xxxv. imaginem adnotatiuncula.* xxxv. 96.

*A. Atrium exterius, & in eo exedra, vbi verba ad plebem Scribæ & Phariſæi faciebant.*
*B. IESVS dicens: Quæcunque dixerint vobis, &c. è cathedra ſcilicet.*
*C. Arroganter cum phylacterijs & fimbrijs ſtolatus Phariſæus incedit.*
*D. Alius in conuiuio primum accubitum ambit.*
*E. Alius in Synagoga primas cathedras.*

EVAN-

Universidad de Deusto
Biblioteca



MAR. XII. MATTH. XXIII. LVC. XX.

*Et dicebat eis in doctrina sua:*

TVNC [a] IESVS locutus est ad turbas & ad discipulos suos, *Audiente autem omni populo dixit discipulis suis;*

dicens;

Super [b] cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite:

*Cauete à Scribis,*

secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. *Attendite à Scribis*

Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.

Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.

*qui volunt in stolis ambulare.*

Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

Amant autem primos recubitus in [d] cœnis, & primas cathedras in Synagogis,

*& salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & primos discubitus in cœnis.*

& salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. *& amant salutationes in foro, & primas cathedras in Synagogis, & primos discubitus in conuiuijs.*

Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.

Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri: quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrũ, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. ATrium exterius, vel ampla exedra, vbi Scribæ siue Doctores, & Pharisæi ad plebem verba facere solebant. In hoc atrio magnifica cathedra: ex ea Pharisæus docet populum onustus phylacteriis, circumdatus fimbrijs, circumfusa audientium turba. Erant autem phylacteria tabellæ conciniæ, quibus adscriptus erat decalogus, ad frontem applicitæ, tum ab extremo brachio pendentes. His ambitiosè ostentabant memoriam se retinere mandatorum Dei, fimbrijs item, quas ambitiosè dilatabant subinde, quasi admoneri ad legis diuinæ obseruationẽ viderentur: spinis etiam puncti vrgeri acrius. Erat autem hæc Iudæorum vanitas, verbũ Dei ad hypocrisim interpretantium.*

Hiero. in 23. cap. Matt. &c.

*B. IESVS doctorem illum splendidum Pharisæum demonstrat, præcipiens doctrinam è cathedra, & legitima auctoritate profectam, propter docentis improbitatem vel turpitudinem non esse contemnendam: sed ea facienda quæ bene docentur, quæ à docentibus male fiunt nõ esse seruanda.*

*C. Arroganter stolatus incedit stolidus Pharisæus.*

*D. Alius in conuiuio primum accubitum ambit.*

*E. Alius in Synagoga primas cathedras contentiosè inuadit.*

## MEDITATIO.

FRuctuosissima est huius Euangelij doctrina. Audite verò fratres, quid Iudæis Christus præscripserit; qui sedebant super Moysis Cathedram, hoc est qui legitima auctoritate docebant, horum doctrinam omnem seruãdam esse ac faciendam dixit: opera autem & actiones ipsorum non esse faciendas. Nam aliter docebant, & aliter faciebãt, quod ex Cathedra & doctrina Moysis non erat, sed ex animi ipsorum peruersitate. Itaque doctrinam probat quæ ex Cathedra verè diceretur; mores qui contra Cathedrã erãt, reprobat. At dicas; Ipse tamen eorum doctrinam damnauerat. Id quidem verum est, sed propterea Cathedram nunc addit, vt illud quod taxauerat, monstraret non docere Scribas ex Cathedra & doctrina Moysis, sed ex animi prauitate. Vnde igitur tunc cognoscere poterãt Iudæi, non esse ex Cathedra Pharisæorum doctrinã, sicubi hæsitarent? Ad IESVM videlicet referre debebant, qui doctrinam Pharisæorum reprehenderat & mores; & tamen quæ è doctrina essent Mosis iubebat seruare & facere. Sed animaduertendum fratres, quod ad nos attinet, quid significet benignus IESVS. Primùm quidem damnat hæreticos, qui propter mores damnare solent Catholicorum doctrinam. Simul increpat eos qui contra faciunt quàm docent, & cum benè doceant, malè viuendo faciunt vt nomen Domini & doctrina blasphemetur. Deinde cum à Christo esset illa Cathedra & lex Moysi per Euangelium antiquanda, tum adimplenda, & consummanda, atque in melius commutanda; damnata ambitione Scribarum & Pharisæorum instituit veros Euangelij Magistros, & Ecclesiæ Patres: eos videlicet qui in profunda humilitate fundamentum ponerent, nõ sentirẽt, gauderẽtve se vocari Magistros vel Patres: vnum verò Magistrum Christum IESVM omnis veræ doctrinæ auctorem, simul vnum patrem Domini nostri IESV Christi & nostrum agnoscerent in corde suo. Illud etiam docuit, vt sensus hic spiritualis ita cor occupet, vt non solum omnem arrogantiam è cordibus Magistrorum & Patrum in Ecclesia Dei expellat, sed faciat vt ad cor illo diuino humilitatis sensu occupatum ne penetret: totus verò sensus vel magisterij vel paternitatis in eo positus sit, vt diuino magisterio & virtute suas operas ad animas iuuandas conferant, in simplicitate & humilitate cordis in Christo. Ita fiet vt doceant, non quasi ex Cathedra Moysi, sed verè ex Christi; & eò excellentiùs, quò excellentior est eorum gratia qui Dei filium habent Præceptorem, & in eius Cathedra sedent non Moysis, cuius gloria vultus euacuata est, cuius erat ministratio literæ & damnationis. Habent Christum IESVM Magistrum, & ministratorem spiritus & iustitiæ, confectorem omnis gratiæ & veritatis. Quæ igitur hinc promanat lucem cordi imprimamus; ea faciet nos in humilitate bonis interpretationibus sacrarum scripturarum consentientes; & vt traditionem illam sacrosanctam, quã accepit Ecclesia Catholica à

Mat. 15

2. Cor. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ca à Christo & Apostolis, intelligentiæ scilicet & expositionis sacrarum literarum & traditionum, sequamur fideliter & deuotè. Vnde rursùm fiet, vt facilè subdamus iudicium, non solum Ecclesiæ ipsi, sed Doctorum consensui, communibus etiam opinionibus, in his quæ in opinione versantur. Concipiemus præterea ex hoc spiritu zelum feruidum, primùm contra hæreticos scripturarum peruersores, tum contra infidelitatẽ omnem & prauos mores. Postremò locum illum Pauli in-
2. Ti.3. telligemus in spiritus suauitate & luce: Omnis scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Neque tamen his contenti erimus; sed si Cathedram Christi conscendere, si ex illa docere velimus fructuosè, illud prouidebimus, nè nobis obijci possit; Dicunt, & non faciunt; bene iste docet, sed malè agit; & fiat pusillis scandalum pernicioſum, & nolint auditores illa facere quæ docentur, cùm ea non faciat qui docet; & necessum sit de nobis intelligi; Secundum opera eorum nolite facere: sed salutari exemplo omnibus, & bonis operibus præeamus; hæc enim bonam doctrinam illuminant. His omnibus accedat oportet Ecclesiæ legitima auctoritas, per quam collocat Christus Doctores suos in sua Cathedra. Per hunc enim gradum, Ecclesiæ scilicet missionem, ad illam Cathedram est ascendendum. Neque doctrinæ, vel etiam reuelationibus credere debemus, & ex illis quasi è Cathedra docere, absque Ecclesiæ consensu & facultate. In docendo autem mansuetudine ac sobrietate vti debemus, nec feruores nostros, vel mentis excessus plebi importunè obtrudere, sed pedetentim auditores ad perfectionem ducere insistamus in Christo, iuxta statuum rationem & modum. Reliqua docebit nos vnctio, si quæ attigi principia sequamur. Neque verò existimemus hic tantùm concionatores & professores Theologiæ instituj, sed Superiores etiam religiosos, qui Christũ & Apostolos eius debent imitari in gubernatione, & ea fugere quæ in Scribis notantur. Humilitate enim præstare debent Superiores; cuius erit rei signum, cum quis audit vel cogitat se esse Superiorem, vel sibi viderit reuerentiam exhiberi vt Superiori, si nihil prorsus moueatur interna philautia; sed tantùm ad opus & onus impositum respiciat; & ad indignitatem suam & ineptitudinem animũ aduertat. In obseruatione autem disciplinæ nulli sit secundus: in ratione gubernandi benignitatis ac mansuetudinis, charitatisque Christi, Petri, Pauliq́ue formulæ semper sit memor: ad hanc normam assiduè spectet, hunc spiritum sequatur, non timoris imprimat & seruitutis fratribus. Nam propterea in Societate nostra nulla est obligatio ad peccatum ex instituto, nisi quam vota inducunt, quod velimus nostros amore duci ad obseruantias nostras regulares, non timore. Nec; tamen non intelligimus mansuetudinẽ fieri robustiorẽ, si seueritatẽ, vbi necessitas postulat, adhibeãt opportunè. Ita igitur Magistros Euangelicos & Patres instituit Christus; vt non sit necessum dicere Christianis; secundũ opera eorum qui sedent in mea Cathedra nolite facere, sed potiùs eorum doctrinam & vitæ conuersationẽ probate & imitamini. Nec in animũ inducatis vt iudicetis vestros Magistros, vel Patres, cum neminem debeamus iudicare. Hæc tamen non eò spectant, vt sicubi, quod Deus auertat, in morum probitate deficerẽt, eorum vitia sectari deberemus; sed tunc quæ è Christi doctrina docerẽt, ea sequi, quæ facerẽt (consulto confessario) fugere deberemus. Quòd si in doctrina quoque errare viderentur, non nostro iudicio illos damnare liceret, sed confessarij, & doctorum hominũ, & Generalis Præpositi primùm; dein Inquisitoris; aliorumq́ue superiorum: tandẽ summi Pontificis, & sedis Apostolicæ, quæ in ijs quæ sunt fidei errare non potest.

Amen.

FERIA



# FERIA QVARTA POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

## Petitio matris filiorum Zebedæi.

MATTH. XX. MAR. X. ANNO XXXIII.

*In xxxvi. imaginem adnotationcula.* xxxvi. 82.

*A.* Regio circa Hierichunta, qua iter habebat IESVS antequam cæcum sanaret in Hiericho.
*B.* IESVS cum discipulis.
*C.* Maria Salome accedit, & petit à Christo pro filijs, vt sedeant, &c.
*B.* Respondet illis IESVS, Nescitis &c.
*D.* Herodes Agrippa interfecit Iacobum Hierosolymis.
*E.* Christus crucifixus: quia meminit calicis quem erat bibiturus.
*F.* Ioannes missus à Traiano in dolium feruentis olei Romæ ante portam Latinam.

## EVANGELIVM MISSÆ.

*Prior pars Euangelij huius posita est in Dominica Quinquagesimæ cum suis Adnotationibus & Meditationibus.*

## EVANGELII SECVNDA PARS.

MATTH. XX. MAR. X.

[a]TVNC accessit ad [b]eum [c]mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo.

*Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi,*

*dicentes:*
*Magister, volumus vt quodcũque petierimus facias nobis.*
*At ille dixit eis:*
*Quid vultis vt faciam vobis?*
*Et dixerunt;*
*Da nobis,*

Qui dixit ei;
Quid vis?
Ait illi:
Dic vt sedeant hi duo filij mei,

*vt vnus ad dexteram tuam,*

vnus ad dexteram tuam,
& vnus ad sinistram
in regno tuo.

*& alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.*
*IESVS autem ait eis;*

Respondens autem IESVS dixit;
[b]Nescitis quid petatis.
Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?

*bibo.*

Dicunt ei;
Possumus.

*aut baptismo quo ego baptizor baptizari?*
*At illi dixerunt ei:*

Ait illis;

*IESVS autem ait eis:*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XX. | MARC. X. |
|---|---|
| [e]Calicem quidem | |
| meum [f]bibetis, | *quem ego [d] bibo bibetis, & baptiſmo quo ego baptizor baptizabimini:* |
| ſedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à patre meo. | *vel ad ſiniſtram,* |
| Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. | *de Iacobo & Ioanne.* |
| IESVS autem vocauit eos ad ſe, & ait; | *IESVS autem vocans eos, ait illis:* |
| Scitis quia principes gentium dominantur eorum; | *Hi qui videtur principari gentibus, dominantur eis:* |
| & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. | *& Principes eorum poteſtatem habent ipſorum.* |
| Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: | *eſt in vobis,* |
| & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus: | *& quicunque in vobis erit omnium ſeruus.* |
| ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. | *Nam & filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret,* |

## ADNOTATIO.

*A. REgio circa Hierichunta, qua tranſibat IESVS cum ex Ephrē rediret Hieroſolymam, antequam ſanaret cæcum ad Hiericho.*

*B. IESVS cum ſuis Apoſtolis.*

*C. Vxor verò Zebedæi Maria Salome, Annæ filia, ſoror Mariæ virginis Matris, amita Chriſti, cum duobus filijs Iacobo & Ioanne, cum audiſſet à filijs demonſtraſſe IESVM ſe, poſtquàm multa eſſet paſſus à Iudæis, glorioſè reſurrecturum; gloriam Chriſti auidè animo retinens cum filijs, non ita paſsionis labores, facilè adductа eſt vt cũ illis peteret gloriæ Chriſti communionem, & quidem præ cæteris ampliorem: Dic, inquit, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexterã tuam, & vnus ad ſiniſtram tuam in regno tuo. Aſsiſtunt filij, probant petitionem matris; Apoſtoli reliqui ægrè ferunt illos velle ipſis præferri. Implentur omnia humanis affectibus.*

*B. IESVS autem verbis caſtigat duos fratres, & in ipſis matrem, ſignificans aliam non eſſe viam ad gloriam, niſi per imitationem calicis paſsionis ſuæ. Gloriam porrò non eſſe huius ſæculi appetendam, ſed eam quæ eſt parata in cælis à Patre æterno. Conuerſus rurſus ad alios Apoſtolos, à zelo eos reuocat ad animi modeſtiã & humilitatem.*

*D. Hieruſalem, vbi regnans Herodes Agrippa filius Ariſtobuli, frater flagitioſæ Herodiadis, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, comiecit in carcerē Petrum, afflixit quoſdam de Eccleſia. Qui percuſſus poſtea ab Angelo Cæſarea, & conſumptus à vermibus miſerrimè interyit. Hunc Agrippã Caius Cæſar, defunctо Tyberio è carcere in quē fuerat à Tyberio cōiectus eduxit, & Tetrarchiæ quæ fuerat Philippi Regem cōſtituit, adiecta Lyzaniæ quoq; Tetrarchia. Addidit deinde Galilææ & Perææ Tetrarchiam, Herodi Antipæ ademptam. Adiunxit præterea Claudius Cæſar Iudæam & Samariam. Hic ergo Herodes Agrippa imperium habebat in Iudæam & Galilæam, quare, vt in hominē Galilæum, & ſuæ etiam in Iudæa iuriſdictionis, animaduertit in Iacobum Hieroſolymis; neque enim erat Præſes Romanus qui eum poſſet impedire.*

*E. Crucifixus Chriſtus appictus eſt, quia meminit calicis quem erat bibiturus; is enim erat mors crucis.*

*F. Significatur Ioannes in dolium feruentis olei à Traiano coniectus Romæ, ad portam Latinam, vnde liberatus fuit diuino miraculo; calix tamen ille à Chriſto deputatus eſt.*



## MEDITATIO.

O Sancte & magne IESV, quàm propriè cordis noſtri ignorantias, & deſideriorũ prauitates perſtrinxiſti! Agnoſcimus nos eſſe non ſolum filios Zebedæi, ſed matrē. Anima quidē noſtra ſenſualis eſt & terrena; quæ ſunt mundi huius, eò inclinat, ijs conſentit, non mouetur rebus cæleſtibus, non ſpiritualibus; non amat mortificationem ſed abhorret, & illò fertur improuidè & impotenter, quò per labores, mortificationem, per vſum virtutum & merita contendendum eſt: illis ſcilicet neglectis, ſine quibus ad præmia peruenire nemo poteſt. His omnibus imbuit noſtra humanitas & anima filios tuos, intellectum & voluntatem, in quam concupiſcibilis vis & irascibilis redundat. Hæc natura noſtra, hæ potentiæ, hæ animæ vires, hēm miſeriam, cum non audiant iam futurum, ſicut Apoſtoli, vt tu crucifigaris pro nobis, ſed verè credant & ſentiant eſſe crucifixum, & legant omnibus locis de te, per Apoſtolos, ad crucem ferendam nos grauiſſimè adhortari; tamen ita accipiunt adhortamēta & mandata, atque ſi ad contraria incitarentur. Nihil cogitant de cruce, nihil de tribulationibus propter te ſufferendis, & pro noſtris peccatis, nihil de meritis, nihil de obedientia quā Deo & noſtris ſuperioribus debemus. Nonnè hoc in nobis experimur, & actionibus quotidianis repræſentamus? Nonne item in orationibus noſtris toti ſumus in gratijs petendis, & diuinis donis expetendis, & parum aut nihil cogitamus ea facere, per quæ illa eſt nobis Deus conceſſurus? Non oramus vt vires nobis Deus inſerat ad illa facienda. Nonnè hæc intolerabilis eſt arrogantia? Nonnè hæc Dei tentatio? Audite verò quemadmodum has noſtras deprauationes bonus IESVS caſtigat in Apoſtolis: Neſcitis, inquit, quid petatis. Cum grauiùs potuiſſet reprehendere, mānſuetudine vtitur: & tamen illorum interim taxat arrogantiam, minuit ſimul illorū peccatum, & reuocat ad lucem veritatis. Abijcite huius mūdi petitiones, Apoſtoli mei, & animum veritati potius meæ attendite, ad calicē quem ego ſum bibiturus, ad baptiſmum quo ego ſum baptizandus, animum aduertite, id eſt ad meam paſſionem & mortē. Animaduertite me gloriam meam non eſſe aditurū, niſi per illum calicem & baptiſmum. Videtis veſtram ignorantiā, & veſtra deſideria quorſum ſpectent? Sentitis quàm ſiniſtræ ſint veſtræ petitiones? Senſerunt Apoſtoli ſua reprehenſionis & eruditionis, & quò auerteret eorum animos Chriſtus ab eorum petitionis errore. Offerunt ſe conſtanter ad calicem & ad baptiſmum: interius ſcilicet erat iam in eis operatus IESVS. Iam cogitant de laboribus, de perſecutionibus, & morte ſubeunda pro Chriſto, ſed nondum à ſua petitione decedunt, atque adeò eam fortaſſis confirmabant. Poſt calicem noſtrum igitur, bone IESV, poſt baptiſmum petimus vt ſedeamus vnus ad dexteram tuam, alter ad ſiniſtram in regno tuo. Ab hac rurſum cogitatione illos reuocat. Alijs vos volo eſſe animatos mei diſcipuli; volo perfectiùs vos ſapere, & profundiùs humilibus conſentire; atque non ſolùm non quærere prærogatiuam præmij, ſed præmio omni ſentire debetis vos eſſe indignos, etiamſi calicem meum biberitis, etiamſi meo baptiſmo baptizemini, etiamſi omnia quæ vobis præcepta erunt feceritis. Et tamen eſtote alioqui certi, vobis præmium non defuturum, ſed quantum, & quale paratum eſt à Patre meo ijs qui voluntatem eius faciunt. Hoc igitur vobis concedo vt calicem meum bibatis: nam Ioannis dolium olei, & exiliũ pro calice deputo. At enim præmiũ, ſiue præmij prærogatiuam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus eſt paratum à Patre meo. Cur tuũ non eſt magne IESV? Vltra meum non eſt, vt doctrina mea non eſt mea; quia Patris & ego ſum, & mea omnia. Non enim ſum ego principium

Universidad de Deusto
Biblioteca



cipium prædestinationis à me, sed à Patre. Itaque & prædestinatio, & quæ cum ea coniũcta sunt, & quæ consequuntur, mea nõ sunt, quia à Patre sunt; & mea sunt, quia à Patre ego accepi ab æterno vt mea sint. Quid ergo est; Sed quibus paratum est à Patre meo? Connexa videlicet illa sunt ex Patris æterna prouidentia, bonitate, & iustitia, prædestinatio, merita, præmium. Non separantur hæc, etiamsi prædestinatio præcedat & meritum & præmiũ. Intelligite itaque quid petatis, nõ solum præmium petatis, sed in meritis consistite, & Dei adimplenda voluntate; reliqua à Patre sperate. Vos humilitati insistite, & præmiũ tamen si petatis, per hanc petite. Hanc doctrinam si sequamur fratres, fiet vt intelligamus in orationibus nostris, vbi dona à Deo petimus, vt non ad illa solùm spectemus, sed ad media quibus illa scimus Deũ velle concedere. Hæc cum fecerimus, tamen in humilitate & mortificatione consistamus cordis nostri, & toti illa absorbeamur petitione, fiat voluntas tua, Domine, sicut in cælo: sicut tu vis. Nihil enim volumus, Domine, nisi vt adueniat Regnum tuum, & in omnibus sanctificetur nomen tuum, & fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Amen.

# FERIA V. POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

## De diuite Epulone.

LVC. XVI. ANNO XXXIII.

*In xxxvij. imaginem adnotatiuncula.* xxxvij. 73.

*A. IESVS in finibus Iudææ trans Iordanem, vbi hæc docuit.*
*B. Epulonis conuiuium splendidum, ipse indutus purpura & byssо &c.*
*C. Symphoniaci psallunt ad epulas.*
*D. Dæmones auctores tantæ nequitiæ obsident cœnationem & domum.*
*E. Lazarum ad ianuam diuitis iacentem vlceribus plenum nemo reficit, ne micis quidem &c.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. XVI.

IN illo [a] tempore dixit IESVS discipulis suis: Homo quidam erat [b] diues, & induebatur purpura & byssо, & [b] epulabatur quotidiè [c d] splendidè. Et erat quidam mendicus nomine [e] Lazarus, qui iacebat ad ianuã eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. IESVS in finibus Iudææ trans Iordanem, vbi hæc & alia multa docuit; circumstant discipuli.*

*B. Domus Epulonis opulenta; ipse indutus pretiosa veste è purpura & byssо, magnifica & delicata, celebrat cum æqualibus conuiuiũ splendidum, multi occupati in ministerio mensæ, vina singulari nobilitate parata, offeruntur lautæ atque opiparæ dapes, aliæ expediuntur.*

*C. Symphoniaci pueri psallunt ad mensam, omnia plena luxu atque omniũ rerũ profusione.*

*D. Dæmones auctores tantæ intemperantiæ & nequitiæ circumuolant & obsidẽt domum & cœnationem Epulonis, illius luxuriæ & voracitatis sunt instigatores, gaudent eius flagitijs, simul obsident illius animam, vt in Infernum detrudatur.*

*E. Lazarus mendicus ad ianuam Epulonis vlceribus plenus iacet, fame laborans; petit cupide de micis quæ è mensa diuitis excidebant, vt satiari liceat, nec quisquam illum exaudit, nullus quicquam illi erogat; miserantur tamen canes quem homines reijciunt, solantur eius morbos, vlcera lingunt, & salutari saliua imbuunt.*

## MEDITATIO.

GAudeamus vehementer in humilitate cordis nostri fratres, & exultemus in Christo IESV, qui nobis sua benignitate dedit vt simus pauperes. Paupertatẽ susципiamus & amemus, & corde intimo amplectamur. Videte diuitẽ Epulonẽ, videte pauperẽ Lazarũ; vtriusque vitã, vtriusque mortẽ contemplemur. O derestabilẽ & miserũ diuitẽ! ô amabilẽ & beatũ pauperẽ! Illũ in Inferno sepeliunt Dæmones tetri, hunc læti portant Angeli in Abrahæ sinũ. Et quid mirũ si hoc exemplo paupertatẽ ornat Christus, qui se infinitũ exemplũ posuit paupertatis sectãdæ? 2 Cor. 8. Propter nos enim egens factus est cum esset diues, vt sua inopia nos faceret opulentos. Et aliæ quidẽ inopiæ Christi, vbi nascitur, viuit inter homines, patitur, moritur, summę sunt; sed quæ ex alia summa eius humiliate vim accipiunt & splendorẽ: illa est paupertas quã in vnione hypostatica verbi sui susцepit IESVS, vbi Deus factus est homo, id est vbi impassibilis, immortalis, infinitæ potentiæ, passibilis factus est, mortalis, debilis, imbecillus, fragilis. O immẽsam & ineffabilẽ paupertatẽ & humilitatẽ! ex hac enim aliæ fiunt summæ. Nam cur summæ sunt paupertates nasci Christũ, viuere inter homines, pati, mori tã abiectè, nisi quòd illæ sunt Dei per vnionem illam hypostaticã, & infinitam paupertatẽ? Sic porrò fecit Deus, vt summã paupertatem eucheret in diuitias & opes immensas. Paupertate enim incarnationis, vitæ, & mortis suæ, mundũ, infernum, peccatũ, mortẽ superauit IESVS, & confecit mortalibus vitam sempiternã. Sed ad nos hanc parabolam conuertamus. Si paupertatẽ amamus fratres, non illa solum vitemus quæ diuiti causa fuerunt æternæ mortis, nec ex animo nostro ea reijciamus solùm quæ propter Christũ reliquimus externa bona, & facultatẽ illam possidẽdi, sed desideriũ omne illorum, & illecebras extirpemus funditus; & simul ea omnia quæ paupertatẽ redolẽt diligamus, sectemur, atq; amplectamur. Diuitiæ sint nobis, contrà quã Epuloni, horrori; vestitus vilitatẽ amemus, mẽsa inops & ieiuna sit nobis in delicijs. Breuiter, nihil harum rerũ cordi nostro hæreat. Neque tamẽ hîc consistamus, sed esuriẽ & sitim desideremus pati, ieiunia etiam, si liceat per obedientiã, frequẽter sentiamus. Certè in ieiunijs Ecclesiasticis esuriẽ & sitim exerceamus. Addamus desiderium corporaliũ afflictionũ, has exerceamus: non enim negabunt nobis superiores flagellationũ, si non quã sæpe velimus, saltẽ aliquando vsum aliquem. His rebus nõ solũ pauperiẽ Lazari æmulabimur, sed Christi ipsius, qui pro nobis esurijt, sitijt, flagella acerbissima passus est. Hæc quæ hactenus diximus bona sunt & vtilia; sed ne aliquo modo superbię afflatu inficiantur, addenda est illa paupertas spiritus, hoc est spiritualis humilitas, & cordis submissio: hæc enim cũ illis Regnum cælorũ nobis conciliabit in Christo; nõ illud solũ quod in cælis expectamus, sed quale hîc etiã sua benignitate cõmunicat bonus & sanctus IESVS, gustũ scilicet aliquẽ & sensum cælestiũ bonorũ, & splendorẽ suauem & lætum, qui subinde recurrat in animum nostrum & spiritum, ac confirmet perfectam in nobis paupertatem, & faciat vt loco rerum omnium sit nobis Christus IESVS. Amen.

*Non potuit vna imagine depingi luxus Epulonis, mors tetra, & Infernus, propterea in tres imagines hæc distribuimus: superior vna est, sequuntur duæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# EADEM FERIA V. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

De morte Epulonis & Lazari.

LVC. XVI. ANNO XXXIII.

*In xxxviij. imaginem adnotatiuncula.* xxxviij. 74.

*A. Epulo cum morte luctatur, abripitur à diabolis eius anima, sepelitur in Inferno.*
*B. Miserè se afflixit vxor & tota familia.*
*C. Diripitur à furibus domus.*
*D. Effodiunt sepulchrum Epulonis in terra homines, vt in Inferno Dæmones.*
*E. Contrà, Lazarum morientem excipit lux & Angeli, portandum in Limbum Patrum.*

## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

FActum est autem vt moreretur [e] mendicus, & portaretur ab [e] Angelis in sinum Abrahæ. [a b c] Mortuus est autem & diues, & [d] sepultus est in Inferno.

## ADNOTATIO.

*A. EPulonis horrenda mors describitur: conueniunt truculenti Dæmones, exultant præda, terroribus atque spectris crudelibus fœdam animã exterrent, minantur infesti, flagitia omnia quibus se tota vita contaminauerat ante oculos ponunt, concidit illius fides ac spes omnis, si quæ erat residua: denique Dei permissu ante Infernũ & mortẽ infernaliter cruciatur viuus. Execrabilem simul hominem aspice toto corpore horrere, mente furere, cruciari horribiliter, non solum diabolicis illis tormẽtis, sed conspectu etiã vxoris, liberorum, diuitiarum, luxus, conuiuiorum, quæ inuitissimè relinquebat. Cernit domũ diripi, omnia luctu plena & confusione; exhalat animam horridam, impuram, tetram: ea recipitur à crudelissimo Dæmone, atque adeò extrahitur. Similiter moriuntur flagitiosi homines semper, nonnunquam etiam huiusmodi signa extrinsecus in eorum morte cernuntur.*

*B. Vxor simul miserabiliter mortem mariti luget exanimata, crinẽ euellit, dissipato ac neglecto cultu corporis est: eiulant communes liberi, dolorem incompositis fletibus augentes. Consolatrices adsunt matronæ; alibi etiam lugentes mulieres, funesta domus & familia, ac rerum omnium facies horrenda.*

*C. D. Diripiuntur à domesticis, vel à furibus alijs opes Epulonis, illo etiamnum spirãte & vidente.*

*E. Effodiunt illi sepulchrum in Inferno Dæmones: quod enim super terram faciunt homines, existima similiter in Inferno parari.*

*F. Contrà verò Lazarus placidissimè ac suauissimè moritur, vili quidem & paupere loco, sed quem cohonestat Angelorum frequentia, illustrat diuinum lumen è cælo. Epulonem terrent Dæmones fœdissimi; Lazarum solantur iucundissimo aspectu Angeli. Dæmones illi minantur Infernum; Angeli huic pollicentur Paradisum. Diaboli illius fidem & spem diripiunt; Angeli huius confirmant, simul & charitatem. Spiritus nequam distorquent nebulonem infernaliter ante Infernum; beati spiritus Lazaro repræsentãt gloriam cælestem ante Paradisum, & replent splendoribus animam iusti moriẽtis, imò deserentis vitam mortalem (quæ quid est aliud quàm prolixa mors?) & aspirantis ad veram & æternam vitam. Exhalat felicem animam Lazarus, recipitur ab Angelis: portatur in sinum Abrahæ, in habitaculum sanctorum Patrum; animam tetri Epulonis excipiunt fœdi Dæmones, atque in Inferno sepeliunt.*

EADEM



# EADEM FERIA V. DOMINICÆ SECVNDÆ QVADRAGESIMÆ.

Ex Inferno interpellat Abrahamum Epulo frustra.

LVC. XVI. ANNO XXXIII.

*In xxxix imaginem adnotatiuncula.* xxxix. 75.

*A. Id spatium terræ quod intercedit inter Limbum Patrum & terræ superficiem.*
*B. Limbus Patrum, vbi Abraham & Lazarus.*
*C. Limbus puerorum, quo nec lux è Limbo Patrum, neque ardor ex Purgatorio pertinet.*
*D. Purgatorium, vbi animæ diuina vi manúque purgantur.*
*E. Globus Inferni, vnde Abrahamum Epulo nequicquam rogat.*

## TERTIA PARS EVANGELII MISSÆ.

ELeuans autem oculos suos cùm esset in [c] tormentis, vidit [b] Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit; Pater Abraham miserere mei, & [c d] mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia [c] crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham; Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos [c d e] Chaos magnum firmatum est: vt qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait; Rogo ergo te Pater vt mittas eum in [a] domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abrahã; Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit; Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi; Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.

## ADNOTATIO.

*VT in conspectu poneretur Lazarus in sinu Abrahæ, commodè factum est, vt quasi in quatuor partes diuiso orbe terrarum in ascripto quadrante, pateant Inferni receptacula omnia. Sit igitur*

*A. Id spatium terræ, quod intercedit inter Limbum Patrum & terræ superficiem. Quatuor præterea succedunt subterranea loca, exercendæ iustitiæ Dei destinata, quæ creauit Deus initio: Infernus inferior circa centrum terræ; vastissima scilicet quædam sphæra. Circa hanc Purgatorij orbis. Tertio loco Limbus siue orbis puerorum, ambiens Purgatorium. Quarto & supremo loco Limbus vel orbis Patrum, puerorum Limbo circumfusus.*

*B. Limbus Patrum, qui sinus Abrahæ propter*

Universidad de Deusto
Biblioteca



priuilegium singulare fidei Abrahæ dicitur; vt intelligamus similiter credidisse de Messia, similiter operatos cooperante fide, quotquot vel post mortem fuerunt purgati, vel nulli culpæ obnoxij, neque pœnæ purgatoriæ vitam hãc cum morte commutarunt ante Christum passum & resurgentem, omnesq; ad Limbum eundem deductos. Fuit enim Christus primogenitus mortuorum, nec ante eius mortem quisquã hominũ Deum videre potuit. Neque verò in Limbo animæ Patrum quicquam pœnæ sentiebant, præterquã ex desiderio dilatæ gloriæ & aduentus Christi animi dolorem. Inuisebantur tamẽ frequenter ab alijs Angelis; item suos habebant adhuc Tutelares, accipiebant reuelationes permultas, spe magna magnum desiderium solabãtur: locus erat amœnus, placidissimus, diuino quodam lumine illustratus. Ibi animæ fide & spe nitentes, charitate in Deum & proximum inflammatæ, virtutibus ornatæ, inter se iucũdissimè de Christo, & de rebus diuinis colloquentes, Christi aduentum ad se præstolabantur, patiẽter quidem, & certa spe plenæ; auide tamen quod illis aliqua causa doloris erat. Hic inter alias animam vides Abrahæ; iuxta hunc Lazarum consolatione & iucunditate perfusum, vtrunque respicientem in Infernum ad Epulonem: Abraham etiã cum illo colloquentem.

C. Orbis vbi pueri qui absque Sacramento fidei aliquo ante rationis vsum è vita decedentes, nullum sensus dolorem vel pœnam percipiunt. Carebunt quidem diuina visione perpetuo; sed ob id nec soliciti erunt, nec aliquo afficiẽtur dolore. Ad hos non pertingit lux Limbi Patrum, nec ignis Purgatorij ardor, etiamsi inter hos orbes collocatæ sint infantium animæ. Ibi suis naturalibus potentijs dunta xat vtuntur, nec vlterius quicquam attingunt.

D. Orbis est in quo eodem quidem igne quo torquentur damnatorum animæ, iustorum expurgantur, non tam atrociter tamen, si quid impuritatis eluendum è viuis excedẽtes secum attulerint. Neque verò hæ animæ à Dæmonibus vel Angelis cruciantur, sed à sola potenti manu diuinitatis, quæ eos non tam torquet quàm emũdat: quamuis illa expurgatio sit longè grauior pœna, quàm quæ inter homines excogitari possunt grauissimæ. Inuisuntur hæ animæ ab Angelis, retinent adhuc suos Custodes, horum ministerio multa procurantur quæ ad eorum liberationem faciant. Multa ipsæ animæ cognoscunt, quæ illarum fidem spemq; confirmẽt, charitatem exhilarent. Et tamen inter hæc seuera in illas exercetur Dei omnipotentis iustitia. Iuuantur hæ orationibus, bonis operibus, satisfactionibus, Missæ sacrificijs, indulgentijs Ecclesiæ, & viuentium hominum suffragijs.

E. Globus est, siue sphæra circa terræ cẽtrum vastissimo & teterrimo hiatu. Hic ignis, fumus, tenebræ, frigus, vermis, fletus, horror, & alia tormenta sæuissima, quibus suam iustitiam exercet Deus in Dæmones, & damnatorum hominum animas, etiam ante Iudicium. Hos cruciatus intelligere supra hominum captum est: neq; enim inueniri potest in terris pœna, quam illi cruciatus non longo interuallo excedãt, qua sine vlla comparatione non sint acerbiores. Aliquid tamen sentire fortasis poterimus, si supra communẽ omnem, & vsitatam facultatem tormenta illa vires suas exercere imaginemur, & pœnas infligere singulari quadam Dei potentia; ac iustitiæ Dei & voluntati sese accommodare, ad acerbissimos & perpetuos impiorum cruciatus. Horrendum est autem incidere in manus Dei Hebr. 10 viuentis. Dæmones enim, & condemnati homines, vt aduersus eius infinitam bonitatem & potentiam in fine viæ suæ peccauerunt, ita illis ab infinita potentia sempiterna supplicia infliguntur. Hic est infernus, hîc vides vt Epulo per Chaos Inferni, & vastam præterea spatij magnitudinem, Purgatorij & Limbi puerorum, sufficiat Lazarum iucundè cum Abraham agentem; quod eius tormenta auget. Rursus quemadmodum Lazarus illum in cruciatibus Tartari intueatur: quod item ad ipsius consolationem attinet. Latatur enim iustus cum viderit vindictam. Sed hæc satis multa: de verbis Epulonis & Abrahæ alibi.

FERIA



# FERIA VI. POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Paterfamilias plantat vineam, & eam locat Agricolis.

MATTH. XXI. MAR. XII. LVC. XX. ANNO XXXIII.

*In xl. imaginem adnotatiuncula.* xl. 91.

A. Atrium templi, vbi IESVS hanc parabolam dixit post ingressum glorioſum in vrbem Hierosolymam.
B. Loquitur turbis Christus parabolam, audientibus Principibus & Phariseis.
C. Locat vineam Paterfamiliæ, mittit seruos ad colonos vt fructus accipiant.
D. Vinea, quam plãtauerat & pastinauerat, & in qua turrim & lacum ædificauerat Paterfamilias.
E. Ex ijs qui missi fuerant, aliqui cæduntur ab Agricolis, alij occiduntur, alij lapidantur.
F. Tandem filium mittit, & hunc extra vineam occidendum eiciunt.

## PRIMA PARS EVANGELII MISSÆ.

MAR. XII.

*Et cœpit illis in parabolis loqui;*

*Vineam pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum,*

*Et misit ad Agricolas in tempore seruum,*

*vt ab Agricolis acciperet de fructu vineæ.*

*Qui apprehensum eum cecíderunt, & dimiserunt vacuum.*
*Et iterum misit ad illos alium seruum, & illum in capite [c]vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt.*

MATTH. XXI.

IN illo tempore dixit [b] IESVS turbis Iudæorum. Aliam parabolã audite: Homo erat [c] paterfamilias qui plantauit [d] vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in eà torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam Agricolis, & peregrè profectus est.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad Agricolas,

vt acciperẽt fructus eius. Et Agricolæ [c] apprehẽsis seruis eius, aliũ [c] ecciderũt,

LVC. XX.

*Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc;*

*Homo quidam*

*colonis; & ipse peregrè fuit multis temporibus.*

*Et in tempore misit ad cultores seruum.*

*vt de fructu vineæ darent illi.*

*Qui cæsum dimiserunt eum inanem.*
*Et addidit alterum seruum mittere; illi autẽ hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia.*

MAR.

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MAR. XII. | MATTH. XXI. | LVC. XX. |
|---|---|---|
| *Et rursus alium misit; & illum occiderunt:* | alium [c] occiderunt, alium verò [c] lapidauerũt. Iterum misit alios seruos plures prioribus; & fecerunt illis similiter. | *dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt.* |
| *& plures alios, quosdam cædentes, alios verò occidentes.* | | |
| | | *Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam?* |
| *Adhuc ergo vnum habens filium charissimum; & illum misit ad eos nouissimum,* | Nouissimè autẽ misit ad eos [f] filium suum, dicens: Verebuntur fortè filium meum. | *Mittam filium meum dilectum:* |
| *quia reuerebuntur filium meum.* | | |
| *Coloni ad inuicem* | Agricolæ autem vidẽtes filium, dixerunt intra se; Hic est heres; | *Quem cum vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicẽtes* |
| *& nostra erit hæreditas.* | venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. | *vt nostra fiat hæreditas.* |

## ADNOTATIO.

*A. Hierosolyma: ibi enim in atrio templi, tertio die postquã gloriosè exceptus fuerat à turbis, hanc dixit parabolam Christus.*

*B. IESVS cum discipulis circumstãte plebe, astantibus Principibus Sacerdotum & Pharisæis, loquitur ad plebem, obliquè taxans omnes, præcipuè tamen Principes; & non obscurè significans quo pacto accepti fuerunt Dei Prophetæ & sapientes ab eorum maioribus, ac vehementer illorum animos in necem ipsius concitatos flagellans.*

*C. Paterfamilias peregrè profectus, mittit seruos vindemiæ tempore ad vineæ cõductores, vt fructum ex ea recipiat, & suum prouentum: mittit verò nunc paucos, nunc plures, & hi quidem fuerunt Prophetæ priores, & sapientes. Addit, pertæsus infidelitatis & malitiæ vinitorũ, destinare alium, qui instar multorum esset, Ioãnem videlicet Baptistam, & quo maior inter natos mulierum nullus surrexisset. Postremò inflammatus desiderio fructus ex vinea percipiẽdi, mittit vnigenitum filium sibi charissimum, cum certo periculo mortis, vt vel ea ratione fructus vineæ sibi proueniret.*

*D. Vinea, quam Paterfamilias plantauerat ac pastinauerat. Non solum plantasse vineam intelligendus est Paterfamilias, sed pastinasse ac coluisse. In vinea item turrim ædificauerat ad custodiam, torcular præterea, siue machinam ad vinum ex vuis exprimendum atque excipiendum, vineam sepe vndique munierat, denique Agricolis locauerat. Itaque nihil potuit facere vineæ suæ quod non fecerit, nihil conductoribus Agricolis commodare quod non commodauerit. Peregrè verò proficiscitur, vt intelligant Agricolæ studio suo, industria, labore colendam vineam, atque Patrifamilias prouentum summa cum probitate ac fide repræsentandum.*

*E. E variis locis vineæ serui exactores fructuum lapidibus appetũtur, cæduntur fustibus, gladijs vulnerantur, occiduntur.*

*F. Filium tandem patrisfamilias apprehendunt Agricolæ, eiciunt extra vineam interficiendum.*

MEDI-



## MEDITATIO.

AVdite agricolæ, quibus Deus vineam suam locauit, ac dedit vobis muniti̇ones omnes quibus vineã defenderetis & propugnaretis, dedit instrumenta quibus fructus vineæ colligeretis. Sed de his nobis non est dicendũ; Domini nostri sunt & Patres, quibus Deus suas Ecclesias dedit colendas, nos illorũ filij ac serui. Nostris igitur superioribus idem inclamemus. Audite vos superiores Societatis; videte quàm præclara dedit vobis præsidia Deus, quibus vestras vineas, vestras congregationes gubernetis, vt fructum Christo vinearum suarũ Domino repræsentetis. Sed præterquam quòd animum & calamũ meum reuocat pudor meus, & reuerentia quã meis superioribus & Patribus debeo, nihil ego in illis negligentiæ video, nihil quod non verè & sanctè sit religiosum. Ad meam igitur, ad meam vineã me necessariò conuerto. O anima mea animaduerte, quaso, quòd in te plãtauerit Deus vineam suam, tum primũ cum Baptismi Sacramentum suscepisti: suã enim vineam plantat in singulis animabus Deus, quemadmodum in vniuersali & particularibus Ecclesijs. Vt enim pro omnibus, ita pro singulis mortuus est Christus, & applicatur tota eius passio, vt omnibus, ita singulis; non pars vna vni, alteri altera. Eradicauit ex te malam illam vitem, peccatum scilicet originale, purgauit te, & fecit terram bonam; in ea plantauit per gratiam suam filium suum, qui vera, salutaris, & diuina est vitis. Hoc est enim *Iacob. 1.* insitum verbum, quod potest saluare animas nostras; ex qua vite propagatus palmes est vitæ tuæ spiritualis, vnde rursus multæ propagines prodierunt, virtutes scilicet infusæ & dona. Sepem præterea circumdedit tibi, custodiam Angeli tui custodis peculiarẽ. *Prou. 18* Addidit summum illud præsidium, turrim suam, diuinam scilicet protectionem & fortitudinem, suum nomen, & virtutem sublimem, cælestem, infinitam. Hanc parauit ad custodiam, & aduersariorum propulsationẽ: vitem verò Christum ad tuum palmitem emittendum, conseruandum, promouendum; ad folia, & flores, & vuas producẽdas, ex quibus vltimum fructum colligere posses. Et dedit torcular, suæ crucis diuinum mysterium, & meritum suæ passionis & mortis; per quod exprimere possis vinum meriti tui, & vitam æternam; quod ex tuo palmite tandem exacturus est Deus. Hæc dedit tibi Deus omnia, & conseruauit toto tempore tuæ innocentiæ ante discretionis annos. At verò vbi primum ad liberum vsum rationis venisti, redige in memoriam, & vide quoties qui in te plantauit vineam Deus officij tui te admonuit, vt vinum illi dares tuæ vineæ, meritum scilicet aliquod vitæ tuæ. Et id quidem fecit per institutionem in vita & doctrina Christiana, per inspirationes bonas, per concionatores, per bonas hominum piorum exhortationes & exempla, per alia infinita subsidia: & tamen non solùm nullum illi meritum repræsentasti, sed contrà diuina illa subsidia repulisti, nihil animi, nihil auxilij inde accipiens. Itaque vacuam illam gratiam reddidisti, &, quod ferè fecisti, iniurius illi gratiæ fuisti, primùm quidem illum malè accipiendo, & affligendo indignis modis, aliquando etiam planè extinxisti. Ita parum aut nihil illis inspirationibus & subsidijs Dei profecisti. Respice verò Dei benignitatem; vbi te vidit debilitatum, non modò non destitit subleuare, sed plures etiam motiones, tum externas, tũ internas, ac eriã necessitates in te contulit, vt cogeret ad fructũ vineæ tuæ conficiendũ: similiter tamẽ tu hæc subsidia atque priora accepisti. Vide porrò quid reliquũ sit; illud scilicet, vt neglectis ijs quæ ad virtutem te possent iuuare, ita animo & spiritu debiliteris, vt gratiam amittas, vitã animæ tuę, Christũ ipsum. Hoc verò est quod vltimo loco significatur: in peccatũ enim mortale cum sis tandẽ, nisi caueas, prolapsurus, sese tibi offert Christus; (debes tu quidem certè tibi illum repræsentare) is tibi ostendit sua vulnera, suam mortem, suum sanguinem: per hæc admonet ne pecces, ne filium Dei conculces, ne sanguinem sui testamenti pollutum duxeris, ne spiritui gratiæ contumeliam feceris: quæ patrabis omnia si lethaliter pecces. Tu tamen, quoties his prætermissis, vel etiã neglectis, filium Dei, quod in te est, interfecisti ac conculcasti, & contra Dei voluntatẽ peccasti? Quod cum faceres, quid aliud quã eius vineam exterminasti, & Diaboli vineam plantasti, atque ex illa fructũ Lucifero obtulisti? Quid igitur faciet Dominus vineæ quam in te plantauerat Deus, qui non cessat tamen fructum petere? Nec egò, nec tu scimus quando sit facturus quod facturum scimus, nisi ad te redeas. Potest enim *Hebr. 10*

quocun-

Universidad de Deusto
Biblioteca



quocunque momento te, tuumque palmitē arefactum exscindere, ac te dare in Infernum æterno igne concremandum. Caue miserrime, redi ad vitem, exstirpa vitem Dæmonis, inferet te rursum Christus viti salutari & cælesti. Si enim hoc feceris, iuuante Christo IESV, extrusisti Dæmonem. Pœnitentia tua per Sacramentum in Christo fecit, vt rursum aridus tuus palmes sit restitutus, virorem acceperit, folia rursus & vuas produxerit. Hæc Christus per torcular suum, per lacum sanguinis sui contulit ad iustificationem tuam, dein ad meritum vitæ æternæ. Quòd si adduxit te etiam ad religionis statum, & quasi tuū palmitem nobilitauit, ac fecit vberiorē, animaduerte nè hanc gratiā rursus negligas: vide nè obedientiæ tuorum Superiorum repugnes: illos enim mittit ad te Deus, qui requirāt fructum tui palmitis & vineæ, id est virtutū quas in te plantauit, ē quibus fructum exigit continenter. Ne item illas neglexeris internas meas inspirationes, in oratione, in Missa, in confessione, in Sacramentis, ne fratrum pia exempla contemnas. Cole vineam tuam diligenter; quod oratione facies, vsu virtutum omnium, mortificatione, humilitate & obedientia, simul actionibus & ministerijs tui instituti. In his si negligens fueris, scito verum esse quod Deus dixit: Qui modica spernit, paulatim decidet. Illa enim te negligentem, dubium nullum est, quin paulatim in lethale peccatum conijciāt, & vocationis tuæ obscuritatem, & grauissimas infirmitates, cæcitates animi, & obstinationes obducant: cum quibus apostasia coniuncta esse solet, & omne barathrum flagitiorū. Auferet verò à te Christus omnia quæ contulerat dona: dabit dirripiendum & conculcandum terrimis Dæmonijs: quæ auertat Deus. Amen.

# EADEM FERIA VI. POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

Extra vineam filium occidunt.

EISDEM CAP. ANNO XXXIII.

*In xli. imaginem adnotatiuncula.* xli. 92.

*A. Eiectum extra vineam filium interficiunt agricolæ. Extra portam enim crucifixus est Dominus.*
*B. IESVS interrogat Principes quid sit facturus Dominus vineæ.*
*C. Venit paterfamilias cum armatis, & malos agricolas malè perdit.*
*D. Locat vineam alijs agricolis, &c.*

SECVNDA



## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

MAR. XII. MATTH. XXI. LVC. XX.

*Et apprehendentes eum occiderunt, &*

ET apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & [a] occiderunt.
Cùm ergo venerit dominus vineæ,
quid faciet agricolis illis?
Aiunt illi;
Malos malè [c] perdet: & vineā suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

*Et eiectum illum extra vineam, occiderunt.*

*Quid ergo faciet illis dominus vineæ?*

*Veniet & perdet colonos istos, & [d] dabit vineā alijs.*
*Quo audito dixerunt illi; Absit. Ille autem aspiciens eos, ait:*

*Nec scripturam hanc legistis;*

Dicit illis IESVS;
Nunquam legistis in scripturis; Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

*Quid est ergo hoc quod scriptum est:*

Et qui [c] ceciderit super lapidē istum, confringetur:
super quem verò ceciderit, conteret eum.

*omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur.*
*super quem autem comminuet illum.*

Et cùm audissent Principes Sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerūt quòd de ipsis diceret:

*Et quærebant*

& quærentes eum tenere,

*Et quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ mittere in illum manus illa hora, populum.*

timuerunt turbas:
quoniam sicut Prophetam eum habebant.

M ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*NON potuit omnia complecti superior imago, propterea additur secunda.*

*A. Crudeliter interficiunt coloni filium Patrisfamilias è vinea exturbatum: extra pertam enim Christus Dominus crucifixus est.*

*B. IESVS interrogat Principes ac Pharisæos, quid pro tanta indignitate & maleficio facturum existiment dominum vineæ cùm venerit rationem à colonis exacturus. Respondent, sumpturum de illis colonis supplicium, vineam alijs locaturum. Idem respondet postea Christus: sed illi dicunt eneruate & languide, nec sentiũt quid dicant, vel mouetur illa veritate, quæ prolata à Christo illorum corda percussit acerbè. Propterea illa verba à Christo prolata exhorrẽt atque abominantur. Tange Christe IESV corda nostra, sed in bonum, nostri misertus, vt commoueamur vi ac dulcedine tuæ veritatis.*

*C. Venit dominus vineæ cum armatorum manu, extrudit à vinea sceleratos colonos, dissipat, atque interficit.*

*D. Locat alijs agricolis vineam suam, qui dent prouentum suo tempore. Vtramque imaginem potes ad spiritum referre, nam apertè exauctoratio Synagogæ describitur, & Ecclesiæ electio. Tamen grauissimè admonemur singuli, vt diuinas visitationes vel inspirationes nõ negligamus vel reijciamus, ne amissis donis, incidamus in Christi iustitiam per vitæ nostræ peruersitatem, & conquassentur vires nostræ & confringantur. In quas confractas incumbat & cadat Dei iustitia, & comminuat non charitatem solum, & dona spiritus sancti; sed fidem etiam aboleat & spem. Solet enim vita flagitiosa parere desperationem atque infidelitatem, vel omninò omnis boni neglectum.*

SABBA-



# SABBATHO POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

## De Prodigo adolescente.

LVC. XV. ANNO XXXIII.

*In alij imaginem adnotatiuncula.* xlij. 66.

*A. Ad Bethabaram post Encænia IESVS docet.*
*B. Contra inhumanitatem Pharisæorum Christus parabolam dicit.*
*C. Venit ad patrem adolescentior vecors filius, petit suam partem substantiæ.*
*D. Congregatis omnibus discedit à patre peregrè in regionem longinquam.*

## PRIMA PARS EVANGELII MISSÆ.

IN illo [a] tempore dixit [b] IESVS parabolam hanc. Homo quidam habuit duos filios; & dixit adolescentior [c] ex illis patri; Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregrè [d] profectus est in regionem longinquam.

## ADNOTATIO.

*ET hic oportuit quatuor imaginibus complecti parabolam Prodigi adolescentis.*

*A. Locus vbi hanc parabolam & alias dixit Christus, ad fines Iudææ trans Iordanẽ, vbi primum erat Ioannes baptizans, in tribu Ruben, ad Bethabaram vicum, post festum Encæniorum.*

*B. Turbis ad IESVM concurrentibus, cum id ægrè ferrent, atque obmurmurarent Pharisæi & Scribæ, compescuit illorum insipientiã & inhumanitatem IESVS parabolis illis de oue centesima, & decima drachma perdita. Addit excellentem hanc, qua animum abiectum & iacentem turbæ peccatricis, & nostrum omnium erigit bonus IESVS.*

*C. Venit ad patrem è duobus filijs adolescentior, hoc est lasciuiens & vecors, petit partem bonorum quæ illi proueniebat à patre. Mihi, inquit, sat est & ingenij & industriæ, vt per me mea bona administrem, tua, pater, aut heritate & consilio non egeo, per me possum, per me sapio. Ita videlicet dixit Deo Lucifer: sed hoc felicior homo, quòd Satan locum pœnitentiæ inuenire non potuit; homo verò postquam à Deo discedit, & ex se desipit, ex se peruersè operatur, tamen viam & locum pœnitentiæ apud paternam beneuolentiam, si resipiat reperit. Sed quid pater? Nete eas perditum fili; vales quidem ingenio, vales industria, sed ex me, & per me. Ita Deus peccatorem ne à se discedat hortatur; & tamen non cogit, relinquit illum in manu sui consilij: quod per parabolicum patrem significatur, qui dat filio substantiam quæ illum contingebat.*

*D. Petulans adolescentulus & amens discedit à patre, abit in regionem longinquam; exultat de sua libertate seiunctus à patre, id est de sua pernicie; meditatur luxum, delicias, vitam flagitiosam. Iam tandem liber sum, sum mei iuris, eripuit me mea fortuna ab importunitate aridi patris mei & tyrannide.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# EODEM SABBATHO POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

Profundit omnia Prodigus adoleſcens.

EODEM CAP. ANNO XXXIII.

*In xlij. imaginem adnotatiuncula.* xlij. 67.

*A. Arripit primam occaſionem luxurioſè profuſéque viuendi.*
*B. Ita per luxum conſumptis omnibus extruditur à meretricibus, à paraſitis deridetur, ab omnibus deſeritur, ſit miſer.*

## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

LVC. XV.

ET ibi [a] diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. Et poſtquam [b] omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe [b] cœpit egere.

## ADNOTATIO.

*A. VBI primùm data illi occaſio eſt profundendi quæ acceperat bona viuendo luxurioſè, eam arripuit; atque adeò illam ipſe ſtudioſè quæſiuit, & inuenit facilè. Nam qui à ſuo patre diſcedit arroganter, à nequam hominibus facilè occupatur atque peruertitur: qui à Deo diſcedit, è veſtigio à tetris Dæmonibus conculcatur.*

*B. Nunquam ſatiantur malis hominum truculentiſſimi Dæmones, nunquam contenti ſunt leuibus peccatis; ſed ad grauiora impellunt identidem violentius, vt tandem ad ea peccatorem pertrahant, vnde ſciunt facilè emergere neminem, ad deſperationem videlicet, ad infidelitatem vel hæreſim, vel ad contemptum omnis virtutis & boni, & ad peccata alia quæ ſapienter à ſanctis hominibus dicuntur contra Spiritum ſanctum. Hunc igitur iuuenem eò adduxit Dæmon per luxum & flagitia, vt conſumptis omnibus, per pauperiem penè ad deſperationem adigeret. Verum miſericors Deus conſilia Dæmonis in eiuſdem caput retundere ſolet; & vnde perniciem Dæmon meditatur, inde viam ſalutis ſuæ clementia aperit. Conſumptis omnibus bonis quæ à patre acceperat, miſer adoleſcens ab amicis deſeritur, à paraſitis deridetur, à meretricibus extruditur; eget, in publica præſertim fame & annonæ caritate, friget. Ea ad deſperationem omnia Dæmon parabat; Deus ad ſalutem.*





# EODEM SABBATHO POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

Fit ſubulcus Prodigus adoleſcens.

EODEM CAP. ANNO XXXIII.

*In xliij. imaginem adnotatiuncula.* xliij. 68.

*A. Ad ſummam egeſtatem redactus locat fœdè ſuas operas paſcendis porcis, & ne ibi quidem vel ſiliquis poteſt explere famem.*
*B. Redit ad ſe tandem, meditatur reditum ad patrem, & verba quibus illum obſecret.*
*C. Deſerit ærumnoſam vitam, pergit ad patrem.*

## TERTIA PARS EVANGELII MISSÆ.

LVC. XV.

ET abijt, & [a] adhæſit vni ciuium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam vt paſceret porcos. Et [a] cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In ſe autem [b] reuerſus dixit; Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hîc fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Et ſurgẽs venit ad patrem ſuum.

## ADNOTATIO.

*A. NON ceſſat tamen Diabolus, vbi hic hominem deijcere non poteſt: ſuadet vt ignominioſum officium, ſiue potius ſeruitium ſubeat, & porcos paſcat. Hic tamen iam incipit vereri Dæmon ne ſuis artibus confutetur, quod ſemper timet, & crebrò experitur; néue ex humilitate ad pœnitentiam reſipiſcat Adoleſcens. Aliam igitur machinam ad indignitatem ſordidæ operæ addit, Heri inhumanitatẽ, per quam ne cornis quidem illi liceat famem vltimam leuare, cũ illa ſupplex peteret. Quod enim κεράτια dixit Lucas, vertunt omnes ſiliquas. Has verò ita deſcribũt Medici, tum Columella & Plinius, vt planè intelligantur quæ dixit Virgilius lapidoſa corna. Neque tamen negandum eſt aliam eſſe ſiliquarum ſpeciem, & equidem viliorem, vt purgamenta ſint leguminum. Hic planè patefacit Deus, quemadmodum per afflictiones ad ſanitatem reuocare peccantes homines ſoleat.*

*B. Redit ad ſe à fame conſtrictus & miſeria Iuuenis. Heu miſero mihi, hem quò ſum redactus infelix? Quanti ſunt in domo Patris mei mercenarij, & omnes omnibus rebus abundant; at ego hic fame pereo. Quin ad patrem proficiſcor? patiens & benignus eſt, & præſtabilis ſuper malitia: parcet, ignoſcet, complectetur: meæ ſtultitiæ & vecordiæ, omnium flagitiorum meorum erit immemor. Meditatur quibus verbis patris miſericordiam & veniam ſibi conciliet. Pater, peccaui in cælum & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut vnum de tuis mercenarijs.*

*C. Deſerit ærumnoſam illam ſeruitutem, pergit ad patrem, illius benignitate atque humanitate attractus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# EODEM SABBATHO POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

Accipit illum pater benigniſsimè.

EODEM CAP. ANNO XXXIII.

*In xlv. imaginem adnotatiuncula.* xlv. 69.

*A.* *Occurrit ei pater longè, ruit in amplexu, filium oſculatur.*
*B.* *Dicit ſupplex patris Adoleſcẽs: Pater, peccaui, etc. Nec patiuntur viſcera patris totam eius orationem audire.*
*A.* *Iubet veſtiri & ornari, & parari conuiuium.*
*C.* *Afferunt ſerui ſtolam primam, calceos, annulum.*
*D.* *Vitulus ſaginatus occiditur.*
*E.* *Conuiuium inſtruitur.*
*F.* *Redit ex agro ſenior filius. Is rem cognitam indignè fert. Egreſſus etiam ad hunc Pater benigne rogat, & placat.*

## QVARTA PARS EVANGELII MISSÆ.

LVC. XV.

CVM autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater [a] ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitque ei filius; [b] Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos, Citò [a] proferte ſtolam [c] primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite [d] vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus & [e] epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius ſenior in agro, & cùm [f] veniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum; & vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent. Iſque dixit illi; Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulũ ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. [f] Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus cœpit rogare illum. At ille reſpondens, dixit patri ſuo; Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquã mandatum tuũ præteriui, & nunquam dediſti mihi hædum vt cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum. At ipſe dixit illi; Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* OCcurrit illi longè pater miſericordia permotus. Præuenit enim nos Deus ſua bonitate cùm longè adhuc abſumus ab officio, & benignitate præoccupat. Dat enim primum vt illum cõcupiſcamus, vt ad illum veniamus: præuenit enim ſe concupiſcentes & ad ſe venientes, vt ſe illis prior oſtendat. Antequam quicquam illi loquatur filius, antequam veniam obſecret, complectitur ipſum pater, oſculatur, blanditijs paternæ pietatis confirmat & allicit. *Sap. 6.*

*B.* Proiecerat ſe ad pedes patris Adoleſcens flebiliter, poſt amplexum patris veniam precatur: Pater, peccaui in cælum & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus; hactenus patris viſcera ſuſtinuerũt, nec audire potuit quod illi præterea fuerat dicturus: fac me ſicut vnum de mercenarijs: quod plane non erat facturus pius pater; ſat illi fuit pœnitentiam filij audire, & indignitatis profeſſionẽ: illũ enim nõ vt mercenariũ & ſeruũ erat accepturus, ſed vt filium.

*A.* Iubet proferri ſtolam omnium precioſiſſimam atque honeſtiſſimam, & indui filium: veſtitui illi loricam iuſtitiæ & gratiæ; annulum in eius manum dari, arrabonem familiaritatis, & ſignum ne contrariæ illi nocerent poteſtates; calceamenta pedibus inſeri, vt ad brauium curreret ſupernæ vocationis. Neque his contentus, mactari, quaſi in ſacrificium, vitulum egregium ſaginatum iubet, ornari conuiuium, adhiberi ſymphoniacos, indicit epulum & lætitiam agitari, epulandum eſſe & lætandum propter perditi filij recuperationem. Similiter Deus recipit peccatorem pœnitentem, nec meminit præteritæ inſolentiæ & inobedientiæ.

*C.* Serui afferentes ſtolam illam primam, annulum, calceos.

*D.* Quem iuſſerat mactari pater vitulus obeſus.

*E.* Paratur conuiuium.

*F.* Interuenit ex agro rediens maior filius, qui ſemper in officio fuerat & patris obedientia; audit domum ſymphoniacis perſonare, & choros duci: interrogat quidnam rei nouæ eſſet: intelligit opiparum agitari conuiuium, quòd ſaluum recepiſſet filium iuniorem pater: ægrè fert, negat ad conuiuium domum ſe ingreſſurum: huius etiam reſpicit pater non præſentem inuidiam, ſed præterita merita; ad illum accurrit, orat, obſecrat vt nihil indignetur, lætandum potiùs de fratris ſalute &c.

## MEDITATIO.

DOmine IESV, bone & miſericors, cõfiteor tibi in cordis mei dolore & humilitate, me illum non ſolùm fuiſſe, ſed eſſe Adoleſcentem arrogantem, inſolentem, petulantem; qui excellenti tuo dono liberi arbitrij abuſus ſum indignis modis. Iã enim primùm cùm intelligerem meum eſſe liberum arbitrium per peccatum, non extinctum quidem, ſed attenuatum viribus & inclinatum, poſſe tamen tibi monenti & excitanti cooperari; (quod auxilium mihi ſemper eſt præſtò) ſine te me nihil poſſe quod me præparet ad te, vel dignum te faciat: elatus tamen ſuperbia hæc neglexi, meis viribus cõfiſus à te diſceſſi, Luciferũ imitatus, qui ſimiliter elatus; *Eſai. 14.* Aſcendam, inquit, ſuper altitudinem nubiũ, ſimilis ero Altiſſimo. Nam quid eſt aliud; Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit, quàm, valeo per me mea bona quæ ex creatione mihi data ſunt, adminiſtrare? poſſum & volo per me meas potentias ſolus gubernare? nihil tua gubernatione vel patrimonio egeo? Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ mihi obuenit. At vide, miſer, te ita dari in præcipitium & baratrũ vitiorum omniũ, dari in patrociniũ & prædam Cacodæmonũ, & inferni pœnas æternas. Nihil audio, vana iſta ſunt: hoc certum & ſolidum; liberum arbitrium meum eſſe: illo frui volo pro meo ipſius iudicio & voluntate. Reliquit enim *Eccl. 15.* Deus hominẽ in manu cõſilij ſui. Sed aduerte hominũ deploratiſſime quid ſubdat Deus: Ante hominem vita & mors, bonum & ma- *Ibidem.* lum: quod placuerit ei, dabitur illi. Dedit illi mandata & præcepta; ſi voluerit, illa conſeruabunt eum. Fabulæ: ita mihi placet, volo: volo vti meo ſolius conſilio, quod Deus poſuit in manu mea. Vtere fili; ſed ſeruãdo præcepta eius qui tibi dedit hanc libertatem. Ne, obſecro te, videns ac volens pereas in perpetuas æternitates. Exiſtimatis fratres non longè plura & acriora ea eſſe, quibus vrget diſceſſuram à Deo animam Angelus ſuus Tutelaris? Nihil tamen horum ſentimus: mouet nos potius (quod ego de me tibi confiteor, Deus cordis mei IESV) noſtra libertas ar-

Universidad de Deusto
Biblioteca



bitrij. Absque Deo post meas iui concupiscentias præcepta Dei & gubernationem abieci, totus fui in eo quod naturaliter poteram intelligere, ea appetebā quò sensus ducebāt: hinc factum est vt longè à te discederem. At vbi eram cum longè à te aberam, qui imples cælum & terram? In nihilo scilicet eram & peccato, quod sine te fit & est. Eram cum ijs qui illius sunt nihili fautores, instigatores, auctores, deterrimis Dæmonibus. Quid igitur potui nisi in nihilo versari, & luxuriosè viuēdo, hoc est sensualitati & carni seruiens, affligere paulatim meas naturales potentias, & si quid boni habitus erat in me reliquum, illud extinguere? Tandem eò redactus sum, vt planè etiam bonis meis naturalibus, & vsu rationis vti vix possem. Hîc verò enituit tua in me, Domine, benignitas infinita: vbi iam vesaniæ me, & contemptui omnis disciplinæ proximum vidisti; ne desperans traderem me in omne flagitium & iniquitatem; præuenisti me tua misericordia, Domine, incogitātem, feci sti vt agnoscerem lassātum me esse in via iniquitatis & perditionis, & ambulare vias difficiles sine te. Nec tamen adhuc recognoui te; sed adhæsi vni ex ciuibus regionis illius quæ longè est à te, Philotimo, & mearum inuentionum affectui, ambitioni videlicet humanæ. In fame & ariditate mearum potētiarum & spiritus volui esse magnus in seculo. Quid verò hîc egi, nisi meas mentis impuritates spe honorum & dignitatū alere, & porcos Philotimi magna cum solicitudine & cura pascere? Attamen tu, bone IESV, nō me dereliquisti, sed rursus mihi affuisti adiutor in perditione mea: fecisti enim vt nullus mihi ex illis siliquis quicquam daret. Itaque cùm hac ratione à te rursum discederem, & fortassis longiùs, vt est malorum omnium ferax ambitio, ad te me inuitum reuocasti, & occlusisti omnem desiderij impuritatem, & omnem viam quæ non esset ad te. Aduerti tandem animum ad meam miseriam, me nihil posse sine te, pessimè mihi esse sine te: lectione sacrarum literarum & piorum librorum, & exemplo eorum qui tecum familiariter viuunt, agnoui quàm longè essem à te, quantis essem bonis priuatus, quibus in domo tua tecum fruuntur non solùm filij tui, quos singulari foues honore & dignitate apud te, sed ij etiam qui in vitæ inferioris statu apud te consistunt, qui sola mandata tua, non etiam consilia sectantur. Tantum verò tædiū meæ vitę te inspirante concepi, vt planè viderem atque sentirē me fame perire, cùm etiam mercenarij tui opibus abundent. Cùm hæc intelligerem, incepi redire ad te, tuas inspirationes audire & sequi; incepi meditari, quali corde, quibus verbis venirem ad te, & misericordiam tuam precarer. Vidi me vehemēter sanctos tuos & Angelos, totum tuum consessum cælestem offendisse, te verò vehementissimè, qui non solùm à te ad hostes tuos Cacodæmones defeceram, sed bona omnia tuæ creationis corruperam, atque redemptionis præter fidem & spem prodegeram. Intellexi nullo loco vel numero me esse dignum apud te. Constitui tandem petere abs te, vt saltem aliquo in angulo domus tuæ hærerem. Hæc meditatio cordis mei, te trahente, ad te me perduxit. Quæ meditatus erā, tibi dixit, Domine, cor meum in abiectione mea ante te. Tuæ verò, ô beneficium omnibus Angelis prædicandum, tuæ abundātia pietatis solius, Deus meus, noluit audire omnia quæ ego rogaturus eram; suscepit pœnitentiam, & cordis mei humilitatem. Peccaui, iam non sum dignus. Alia eram dicturus Domine, sed tu me præuenisti tuæ dulcedinis & gloriæ benedictione: suscepisti ad religionis statum excellentem. Nā quid stola, quid annulus est? quid calceamenta, quid vitulus occisus, quid conuiuium, quid epulatio, quid symphonia & Chorus, quid gaudium? Dona sunt tua, Domine, mihi peccatori & indigno in mea vocatione & religionis ingressū collata, tanta liberalitate & amplitudine, vt nunc cùm illa recolo, & ariditatem præsentem mentis meæ inspicio, mirer, post tot labores susceptos, illā me iucunditatem vix assequi: sed simul tamē intelligo illas esse Nouitiorum spirituales illecebras, & lac quo infantes religionis instituis. Deinde das, Domine, cibum solidum, labores, tribulationes, afflictiones: sed tua tamē solida consolatione non deseris qui legitimè certant. Verùm enimuerò rursum mihi videō summo studio esse cauēdum, ne ampliùs à te Domine sancte IESV discedam: non solùm vt ne à præceptis declinem; (quod nefas aufer à me, & ab omnibus prorsus, Domine) sed ne à tuo quidē spiritus ductu & directione abscedam. Doce me, benigne IESV, viā iustificationum tuarum, vt te semper in corde sentiam, te sequar, te fruar. Amen.

*Psm. 18 ad Eph. 4.*





# DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

## Sanatur Dæmoniacus cæcus & mutus.

MATTH. XII. MAR. III. LVC. XI. ANNO XXXII.

*In xlvi. imaginem adnotatiuncula.* *xlvi. 45.*

*A. Concurrunt ad IESVM turba iuxta mare Galilææ.*
*B. Oblatum dæmoniacum cæcum & mutum sanat.*
*C. Pharisæi inuidia commoti dicunt, In Beelzebub etc.*
*D. Admirantur turbæ.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

| MATTH. XII. | LVC XI. | MAR. III. |
|---|---|---|
| *Tunc [b] oblatus est ei dæmoniū habens, cæcus & mutus:* | IN illo [a] tempore. Erat [b] IESVS eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus: & [d] admiratæ sunt turbæ. | |
| *& curauit eum, ita vt loqueretur & videret.* | | |
| *Et stupebant omnes turbæ, & dicebant; Nunquid hic est filius Dauid?* | | |
| | | *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim; Quoniā in furorem versus est.* |
| *[c] Pharisæi autem audientes, dixerunt; Hic non eijcit Dæmones nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum.* | [c] Quidam autem ex eis dixerunt; In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Et alij tentantes signum de cęlo quærebāt ab eo. | *Et [c] Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant; Quoniam Beelzebub habet;* |
| *IESVS autem sciens cogitationes eorum,* | Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis; | *Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis; Quomodo potest Satanas Satanam eijcere? Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.* |
| *omnis ciuitas* | Omne regnū in seipsum diuisum desolabitur, & domus | |
| *vel domus diuisa contra se, non stabit.* | | |
| *Et si Satanas Satanam eijcit,* | supra domum cadet. Si autem & Satanas | *Et si Satanas consurrexerit in semetipsum,* |

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XII. LVC. XI. MARC. III.

*aduersus se diuisus est: quomodo ergò stabit*

in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere Dæmonia. Si autẽ ego in Beelzebub eijcio Dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eijcio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

*dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.*

*Si autem ego in spiritu Dei Dæmones*

*Aut quomodo potest quisquã intrare in domum fortis, & vasa eius diripere:*

*Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.*

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; si autem fortior illo superueniens vicerit eum; vniuersa arma eius auferet in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.

*& qui non congregat mecum, spargit.*

*Ideo dico vobis; Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur.*

*Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit cõtra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.*

*Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemauerint:*

*qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant; Spiritum immundum habet.*

Cùm immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit; Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit

MATTH.



MATTH. XII. LVC. XI. MARC. III.

secum septẽ alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cùm hęc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi; Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit, Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

## ADNOTATIO.

Ex Matth. & Mar.

*A. COncurrunt ad IESVM turbæ iuxta mare Galilææ. Cùm enim in Synagoga manum hominis aridam sanasset, & exeuntes Pharisæi consilium haberent aduersum illum, vt inquirerent quemadmodum eum perderent, secessit inde IESVS, & secuti sunt eum multi. In eum autem irruebant vlcerosi & alij infirmi, vt illum dumtaxat tangerent, & sanarentur. Cogitabat enim Christus turbas se expedire, & natum conscẽdere, vt inde turbas doceret commodius, quod & fecit postea.*

*B. Interim tamen oblatus est illi dæmonium habens, cæcus & mutus: cuius scilicet oculos obtenebrarat, & linguæ officium colligauerat dæmon suis præstigijs. Neque tamẽ surdus hic erat; etiamsi colligi ex Aristotele possit, naturam mutum, eundem esse surdum: siquidem est idem iniquo casu fit, is necessariò surdus. Hunc oblatum sanat Christus, ejcit dæmonem, oculos illuminat, restituit linguæ officium, turbæ admirãtur, & laudãt Deum: sumunt inde occasionẽ, vt IESVM, Christum esse profiteantur. Pharisæi contrà iniquè omnia interpretantur, & in calumniam rapiunt: Beelzebub habet, in principe dæmoniorum dæmones ejcit. Hos vehementer confutat Christus.*

Sil. 10. 11. 9. cap. 1.

*C. Pharisæi & Scribæ aduersus Christum inuidia & malignitate animi commoti.*

*D. Turbæ admirabundæ. Porrò hoc loco illud breuiter perstringendum, sanasse Christum cæcos, surdos, mutos quàm plurimos: sed qui simul esset cæcus, mutus, & surdus, neminem sanasse legitur; vt corporales hominum sanationes respondere intelligerẽtur spiritualibus. Qui enim non audit interiùs, modò lumen aliquod habeat internum, & mente ad Deum accurrat & inuocatione, huic via patet ad sanitatem: vel si quis non videt, audit tamen: aut non audit neque videt, loquitur tamen; illi spei aliquid est reliquũ. At verò qui nec audit interius, nec lumen habet, nec orat, huius penè deplorata est salus.*

## MEDITATIO.

EXistimatis, fratres, mutum hũc & cæcum infideles tantùm & hæreticos significare; vel eos qui Catholici cùm sint, lethalibus tamen peccatis sunt implicati? Ij etiã qui se profitentur vitam spiritualem, & perfectionem virtutum omniũ sectari, vtinam ita viuerẽt, vt ipsos simul non designaret mutus hic & cæcus. Sed de illis primum dicamus breuiter, postea de alijs audietis. Illi enim omnes cæci sunt & muti: sed cæci magis & muti sunt infideles & hæretici. Sunt cæci quidem & muti fideles homines qui per mortale peccatum à Deo separati sunt. Nam cùm fidem conseruent, tamen illam habent mortuam, neque eius vtuntur lumine, sed alio quod suppeditat dæmon & peccatum, falso & pestilenti. Non loquuntur autem, quòd illorum linguam liget Diabolus & peccatum; retinent tamen loquendi & orandi principium fidem & spem, nisi hanc etiam abiecerint cum charitate. His principijs magis carent infideles, carent hæretici, fidei etiam. Quo fit vt muti magis sint & cæci. Nihil verò dicũt ferè, nihil faciũt, nisi ex infidelitate vel hæresi. Hi planè sunt deplorati: deploratiores etiam, si ad externum prædicationis lumen nolint vel oculos mentis,

Universidad de Deusto
Biblioteca



tis,vel aures admouere. Ad hos iuuandos eò propensiores esse debemus fratres,eorumque saluti feruentiori studio, cura,diligentia, labore incumbere. Ad hos enim Ecclesiæ,vel inserendos,vt instituendos, vel restituendos, præcipuè vocata nostra Societas est. Et semper quidem illud reputare debemus, etiam si quàm plurimis Catholicis opē feramus, nobis deesse plurimum, si infidelibus & hæreticis lucrifaciendis non seriam demus operam quod in nobis est. Nec tamen propterea desides esse debemus ad Catholicos peccatores Deo reconciliandos: nam præter huius ministerij necessitatem quæ nobis incumbit, & summam alioqui vtilitatem, ille etiam fructus accedit qui ad infideles & hæreticos attinet singularis. Nam si apud Catholicos pietas & vita Christiana suum locum teneret,nō dubium quin piorum orationibus & operibus daret Deus,vt infideles atque hæretici ad lucem fidei venirent illi, hi redirent. Sed de eo audiamus, quòd cæci sumus nos & muti qui in luce versamur instituti religiosi,& tam crebrò peccata nostra Sacramento pœnitentiæ expiamus, & spiritum nutrimus sacra Eucharistia, tam frequētes sumus in meditationibus & precibus. De me loquar, vos omnes credo & videntes esse in spiritu & eloquētes: ego mea agnosco hæc mala,& deploro. Nam cùm sciam sensum me habere visus, auditus, gustus,tactus, olfactus, atque loquendi facultatem,(his enim per sua organa videmus,audimus, tangimus, gustamus, olfacimus,loquimur) esse verè cum his interiores sensus coniunctos; horum tamen omnium sensuū actus omnes intelligo esse materiales. Alij igitur sunt sensus intellectus & voluntatis. Illius videndi,loquendi, partim etiam audiendi: voluntatis olfaciendi, gustandi,tangendi, tum audiendi. Si quidem intellectus videt, id est habet rerum intelligēriam; loquitur, id est rationem explicat intelligentiæ suæ;audit etiam à sensibus interioribus, & à voluntate; olfacit ad rationem suæ potentiæ,coniecturas & opiniones suscipiens. Voluntas verò primùm audit intellectum suo affectu, & illius rationi obedit; olfacit accipiens inclinationē pro varia rerum actione; gustat & tangit quæ ei propriæ sunt; loquitur etiam tum per intellectum,tum per suos affectus. Scio igitur has potentias mihi à Deo datas, illarum simul video vitia, & meam deploro miseriam. De videndi facultate loquar & loquendi. Nōne verissimum est quòd oculos habeā, quòd linguam? & tamen nihil video, nihil loqui possum quod è corde,quod è spiritu proficiscatur. Omnia verò quæ video,quæ intelligo, quæ etiā meditor & in oratione versor, à naturali quadam & humana proficiscuntur solicitudine & labore, & plena sunt cæcitate & tenebris. Nam vbi lumen illud in meis meditationibus lætum,suaue,viuidū? Itaque sunt nō solùm cæcæ meæ meditationes, sed efficetæ, intermortuæ: & quidem de mea ignauia hæc mihi accidunt & culpa singulari. Nam oculos quidē habeo, quos Christus per fidē, per vocationem religiosam concessit clemētissimè,quibus egotamē nō vtor. Non enim versor ita in meis meditationibus, vt principijs supernaturalibus fidei, sapientiæ,intellectus,gratiæ nitar: sed meis potius naturalibus potentijs,& acquisitis habitibus: qua in re erro vehementer. Debeo quidem meis facultatibus vti naturalibus,tum acquisitis,sed ita vti vt illis non insistam, sed superioribus & diuinis. Illis ex obedientia vti, ne tentem Deum; his vt Deum inueniam. Alias meas in oratione & actionibus meis cęcitates,culpas,imperfectiones quis enumeret? Itaque in eisdem & orationis & aliarum actionum imperfectionibus & vitijs perpetuò versor. Ad quid dixi de me,meis vti facultatibus? falsum hoc est. Nam his vel non vtor, vel cum magna animi socordia vtor. Itaque rursus maiori cæcitate cæcus sum. Vnde & sum magis mutus, nō solùm quòd cum desidia meis vtor facultatibus naturalibus; sed quòd nihil è corde, nihil ex copulatione spiritus loquar: sed sunt aridi & effœti sermones mei, quib⁹ nec ego moueor vel proficio, neque verò qui me audiunt. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore hu cæcitatis huius & infantiæ? Gratia tua, Christe IESV, quæ faciat vt tuis donis vtar studiosè in humilitate cordis mei & simplicitate,& abigat insidias dæmonis, qui semper infestus mihi est, & violentiùs semper iuuat, quod illi permittitur,meam surditatem & infantiā. Ne illi hoc permitte, Magne IESV. Etiam si ego demerear vnde permittas, tamē est tua bonitas & misericordia maior quàm mea peccata. Tene illam bestiam Domine,& depelle longè velociter tuum, & omnis bonitatis & virtutis hostem. Ita fac, Domine, qui es sanctus & benedictus in sæcula. Amen.

FERIA

# FERIA II. POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

## Malè accipitur Iesvs in patria.

MATTH. XIII. MAR. VI. LVC. IIII. ANNO XXXII.

*In xlvij. imaginem adnotatiuncula.* xlvij. 40.

A. *Nazareth in tribu Zabulon.*
B. *Synagoga,vbi ex libro docet IESVS:mirantur primum, deinde oblaquuntur ciues.*
C. *IESVS eos ad sanitatē iudicij exemplis reuocat.*
D. *Elias, cui Sareptana vidua inseruiuit.*
E. *Monasterium, seu domuncula Elisei, ad quem Naaman Syrus cùm venisset, sanatus est in Iordane.*
F. *Nihil loci relinquunt truces Nazarethani: propellunt IESVM ad supercilium montis, vt inde dent præcipitem.*
G. *Noluit IESVS eam mortem subire; sed transiens per medium illorum ibat.*

MATTH. XIII.

*Et veniens in patriam suam,*

*docebat eos in Synagogis eorū;*

LVC IIII.

ET venit[a] Nazareth vbi erat nutritus: & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in [b] Synagogam.

Et surrexit [b] legere: & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ; & vt reuoluit librum, inuenit locū vbi scriptū erat; Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me,sanare contritos corde,prædicare captiuis remissionē,& cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptū, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librū, reddidit ministro,& sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere

MAR. VI.

*Et egressus inde, abijt in patriam suam, & sequebantur eum discipuli sui.*

*Et facto Sabbato cœpit in Synagoga docere:*

Universidad de Deusto
Biblioteca



re ad illos; Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

*ita vt mirarentur,*

Et omnes testimonium illi dabant, & [b] mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius: & dicebant;

*& multi audientes admirabantur in doctrina eius,*

*& dicerent;*

*dicentes;*

*Vnde huic sapientia hæc,*

*& virtutes?*

*Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur?*

*fabri filius?*
*Nónne mater eius dicitur Maria; & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas; & sorores eius, nónne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? & scandalizabãtur in eo.*

Nónne hic est filius Ioseph?

*Nónne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? Nónne & sorores eius hîc nobiscum sunt?*

*IESVS autem dixit eis;*

Et ait illis; Vtique dicetis mihi hãc similitudinem; Medice cura teipsum.

*Et dicebat illis IESVS;*

## EVANGELIVM MISSÆ.

QVanta audiuimus facta in Capharnaum; fac & hîc in patria tua. Ait autem; Amẽ dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.

*Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.*

*& in domo sua, & in cognatione sua.*

In veritate [c] dico vobis; multæ viduæ erãt in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælũ annis tribus & mensibus sex, cùm facta est fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta

MATTH.



Sidoniæ ad [d] mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta: & nemo eorũ mundatus est, nisi [e] Naamã Syrus. Et [f] repleti sunt omnes in Synagoga ira hęc audientes: & surrexerunt, & [f] eiecerunt illum extra ciuitatem; & duxerunt illum vsq; ad supercilium montis, super quẽ ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiẽs per medium illorũ ibat.

*Et non fecit ibi virtutes multas*

*propter incredulitatẽ illorum.*

*Et non poterat ibi virtutem vllam facere: nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum.*

## ADNOTATIO.

A. VRbs Nazareth in tribu Zabulon, septem miliaribus à mõte Thabor versus septentrionẽm, à Hierusalem ad xc. in monte situ. Iuxta eam montis præcipitium, quod esse dicitur ad Austrum extra ciuitatem, eo spatio quod quarto arcus iactu æquari potest. In extrema parte vrbis fons est, ex quo haurire fertur aquã solitus esse Christus, non dubium quin & mater virgo Maria. Porrò tametsi hodie euersa est vrbs, & paucæ tantùm domunculæ extant, & sacrum cubiculum in quo & annunciatio Virginis, & verbi Dei incarnatio facta est, translatum fuerit Angelorum ministerio in Illyricum primùm, dein in agrum Picenum (quæ certa est traditio, summorum Pontificum testimonijs solemnibus confirmata) retinet tamen suam maiestatem locus, & religiosè celebratur. Ad hanc igitur vrbẽ discessit IESVS à Capharnao, postquam sedens in prora nauis ad littus lacus Genezareth tam multas parabolas populo proposuisset, discipulis etiam exposuisset.

Brocard. ta.

B. Synagoga, ad quam cùm venisset IESVS, librum aperit, legit, reddit ministro, incipit docere: erat autem locus quem legerat, vbi Isaias vniuersum mysterium, primum Incarnationis Christi, dein doctrinæ, miraculorum, iudicij sapientissimè describit. Quem locum de se intelligendum esse disertè declarat IESVS, tanto spiritu & gratia, vt omnes quotquot audiebant testimonium illi darent præclarum, ac mirarẽtur verba gratiæ quæ de ore eius procedebant. Nec poterant quicquam contradicere: veruntamen plus potuit tandem apud illos vulgaris opinio quam de IESV imbiberãt, plus inuidia quæ illos exagitabat. Vnde huic literæ? Nonne hic est fabri filius? Nonne hic faber, filius Mariæ? Nonne apud nos sunt eius fratres & sorores? Itaque vultus auersione, manuum reiectione, verbis mordacibus illum incipiunt respuere. Neque verò hæc erat simplex quædam animi auersio, sed agnitæ veritatis oppugnatio, & atrox æmulatio fraternæ gratiæ. Ita factum est vt nõ ipsi solum, sed infirmi etiam, qui erant multi adducti, nullam animi dispositionem reciperent vt sanarentur, præter paucos. Ciuium autem malitiam vehementissimè illis verbis detestatur Euangelista:

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sta: Nullum, inquit, poterat signum facere, nisi quòd paucos infirmos impositis manibus sanauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum. Tanta erat illorum malitia, tam scua infidelitas, vt non posset, qui omnia potest, signa & virtutes ibi edere: quod de obstinatis, & peccantibus in Spiritum sanctum, quod de damnatis quotidie dicit Christus, & de toto Inferno in Iudicio vltimo est confirmaturus. Hoc est enim tremendum Dei omnipotentis iudicium, cum ita destituit, atque si aliter facere amplius nihil posset.*

*C. Enititur tamen Christus ad sanitatē conciues reuocare parabola & exemplis.*

*D. Elias, cui Sareptana vidua & filius sedulò inseruiunt.*

*E. Monasterium Elisei, ad quem venit Naaman Syrus vt sanaretur, ac sanatus est.*

*F. Nihil loci reliquerunt exhortationi vel exemplis truces Nazarethani, quibus salutem offerebat IESVS, sed ira atque indignatione aduersus illum inflammati, rapiunt, trudunt, eiciunt IESVM è Synagoga ad præcipitium vrbi proximum, vt illum præcipitent: & quod non potuit Satan ex pinnaculo templi efficere per tentationē, aggreditur hic ministerio ciuiū Christi ex prærupto montis. Et quid est mirū si non cesset ad præcipitiū homines Dæmon vocare, quibus Christum voluit dare præcipitem, & se videt præcipitem datum è cœlo in Infernum?*

*G. Noluit Christus ea morte mortales redimere, alia erat illi subeunda, acerba magis, & magis ignominiosa, nobis verò vtilior longè. Itaque eripuit se ex eorum manibus, placidissimè transiens per mediam & confertam eorum turbam furentem; siue quòd illos officio oculorum priuauerit, siue dote subtilitatis fuerit vsus, siue planè vt voluit nec nos assequimur.*

## MEDITATIO.

ASTANS IESVS legit scripturam, vt reuerentiam verbo Dei exhibeat, & significet paratos esse nos debere ad verbū Dei exequendum & defendendum. Rursum sedens explicat, vt doceat non esse temerè & quasi obiter exponendum Dei verbum, sed maturo consilio, grauitate, & deuotione. Docet autem nos IESVS, vt in patriam affectum carnalem ne habeamus, sed spiritualē. Simul ostendit patriam viro spiritum sectanti esse grauem. Venit ad patriam ipse, vbi sciebat se gratum non fore, & appetēdum ad mortem: ita nos ad patriam si ex obedientia mittamur, eamus libenter propter mortificationem. Quòd si quis mortificationem non sentit in ea missione, eò facilè mittendus non esset, nisi planè superasset illam mortificationem. Da nobis hanc victoriam, Domine IESV; illud saltem, vt ne magis patriam quàm alias regiones cogitemus. Et tamen meliori spiritu & libertate est in patria prædicandum, nec respiciendi rumores & obloquia. Si quē verò in patria acceptum esse contingat, id fiet quia non adeò spiritualis sit vel Propheta: vel si planè sit spiritualis, id propterea fiet quòd Christus in se illud scandalum sumpsit & absumpsit; vel quia sint ciues bonæ mentis homines, nec considerent, vt Nazarethani, cuius filius, cuius conditionis. Et non poterat ibi vllam virtutem facere Christus propter infidelitatem ciuium suorum. Quid nos? Nonnè propter fidei nostræ imbecillitatem, & totius nostri spiritus debilitatem idem debemus timere? Dispone nos, & tua dona cordibus nostris imprime, magne IESV. Magna est nostræ vitæ, & virtutum imperfectio; sumus omni ex parte impuri, & propterea non facis in nobis virtutes. Hortendum verò est illud vt non possis signa facere, qui omnia potes; & qui propterea mortuus es, vt omnia in nobis meritò possis. Exerce misericordias tuas illas fideles in nos, & fac quò per nos non fiat vt non possis, quod potes & desideras. Video, Domine, te nobis incredulitatē exprobrare, fidei scilicet imperfectionem & repiditatem, fidem sine sensu spiritus, sine gustu, efficeram, & iciunā. Verum est, Domine: agnoscimus, deploramus. Adauge nobis fidem: credimus, adiuua nostram incredulitatem, bone IESV. Amen.

FERIA



# FERIA TERTIA POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Docet humilitatem discipulos, & correctionem fraternam.

MATTH. XVIII. MAR. IX. LVC. IX. ANNO XXXIII.

*In xlviij. imaginem adnotatiuncula.* *xlviij.* 70.

*A.* Descendens è transfiguratione IESVS versatur in Galilæa.
*B.* Venit Capharnaum, vbi hoc euenit.
*C.* Cùm vidissent solutum tributū pro Petro & IESV, excitantur Apostoli in contentionem, quis eorum videretur esse maior.
*D.* Reuocat eos ad humilitatem IESVS & simplicitatem, exemplo paruuli.
*E.* Inde incipit explicare doctrinam de correctione fraterna; & solum peccator admonetur.
*F.* Adhibetur vnus vel alter testis.
*G.* Tandem defertur ad Ecclesiam, vel Præsulem Ecclesiæ.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. IX. MATTH. XVIII. LVC. IX.

*Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.*

ET[a] cùm venissent
[b] Capharnaum,

*At IESVS videns cogitationes cordis illorum,*

*Qui cùm domi essent, interrogabat eos, Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se [b] disputauerant, quis [c] eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim,*

In illa hora accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes, Quis[c] putas maior est in regno cælorum?

*[a] & ait illis; Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.*
*Et accipiens puerum,*

Et[d] aduocans IESVS paruulum, statuit eum in medio eorum,

*apprehendit puerum secus se,*

*quem cùm complexus esset, ait illis;*

& dixit;
Amē dico vobis, nisi cōuersi fueritis, & efficiami-

*& ait illis;*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MAR. IX. | MATTH. XVIII. | LVC. IX. |
|---|---|---|
| | ni ſicut paruuli, nō intrabitis in regnū cælorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hīc eſt maior in regno cęlorum. | |
| *Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit me recipit: & quicunque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum qui miſit me.* | Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. | *Quicunque ſuſceperit puerum iſtum me recipit: & quicunque me receperit, recipit eum qui me miſit. Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt.* |

Si [e] autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc [f] vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic [g] Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobi, ſ quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit; Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? Dixit illi IESVS; Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.

## ADNOTATIO.

*Ex Matt.*

*A.* E *Monte Thabor deſcenderat IESVS poſt transfigurationem glorioſam, verſatus fuerat in Galilæa.*

*B. Dein venit Capharnaum, vbi hæc contigerunt de quibus in præſenti Euangelio.*

*C. Vbi vidiſſent alij Apoſtoli ſolutum Cæſari, Chriſto iubente, tributum pro Chriſto ſimul & Petro vno didragmo, & eo quidem per miraculum reperto, patiuntur neſcio quid humani; cogitant apud ſe primùm, num propterea reliquos dignitate antecellat Petrus. Videt IESVS quid cogitent: illi porrò ex cogitatione veniunt ad diſceptationem, num Petrus maior, nū vnus è conſobrinis, vel quis tandem inter omnes alijs anteponendus, & quid cauſæ adduci ad illud poſſit, vt vnus aliquis eſſet alijs omnibus præferendus. Tandem ad Chriſtum referunt quæſtionem: temperant tamen: Quis putas, inquiunt, maior eſt in regno cælorum, quod tu prædicas?*

*D. Chriſtus verò ad animum illorum reſpondet, qui ab ambitione tentabatur. Conuocat omnes Apoſtolos, aduocat puerulum, ſtatuit apud ſe in medio, hunc complectitur; hoc eſt ſimplicitatem, & humilitatem, ac cordis puritatem cariſſimas habet Chriſtus, his fauet, has fouet, per has auget hominum apud Deum merita: docet Apoſtolos imitandam pueruli innocentiam, ſimplicitatem, humilitatem, ſi velint maiores eſſe in regno cælorum. Coniungit dein Chriſtus doctrinam de fraterna correctione.*

*E. Incipit explicari ea doctrina: hīc enim qui peccauerat arguitur ſecretò ac benignè, arguentem tamen non audit.*

*F. Adhibetur vnus aut alter teſtis.*



*G. Poſtremò, ſi teſtes etiam reijciat, & in ſua peruerſitate perſeueret, ad Eccleſiam defertur, ad eum ſcilicet qui Eccleſiam gubernat, vt lege in illum agatur, & ſacris arceatur, & Eccleſiæ communione, quæ omnia ad correctionem pertinent: nam eſt excommunicatio medicinale antidotum.*

## MEDITATIO.

APerite oculos mentis & aures, attendite fratres. En è cælo Deus arguit nos, & ſtatuit peccata noſtra contra faciem noſtram. *Pſal. 49* Putatis quòd ſit noſtri ſimilis Deus, & diſſimulet penitùs peccata? diſſimulat quidē peccata, ſed propter pœnitentiam. Agite, redeamus ad cor, conuertamur ad Deum, quia benignus & miſericors eſt, longanimis, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Facit enim eius benignitas, & miſericordia, & longanimitas, vt facilem ſe præſtet pœnitentibus. Increpationem Domini, qui ſemper pulſat ad oſtiū cordis noſtri, ne reprobemus; beatus enim homo qui corripitur à Domino. Quòd ſi pœnitentiam non egerimus, inſtaurabit teſtes ſuos, paſſiones filij ſui, crucē, mortem in nos, & multiplicabit iram ſuam contra nos. Iam ſi illi teſtes, ſi hæc comminatio nos non terreat, nec ad reſipiſcentiam adducat; ad Eccleſiam filij ſui, & iudicium eius vltimum nos reijciet. Vbi nihil erit quod excuſemus, proijciemur à facie Domini. Quoties item Angelus cuſtos nos corripit benignè? quot bonis inſpirationibus, quot monitis, quot comminationibus? quot vias pœnitentiæ demonſtrat, nec audimus? Inuocat deinde in nos cælum & terram, alios aduocat Angelos qui nos ad reſipiſcentiam inſtigent, exempla proponit eorū qui propter pœnitētiæ neglectum miſerè perierunt. Hæc ſi non audimus, ad iudicia Dei reijcit nos, & illorū ſeueritate nos terret, & horrendum eſſe inculcat incidere in manus iratas Dei viuentis. *Heb. 10.* His terroribus ſi non moueat, habebit tandē nos pro deploratis, & à facie noſtræ miſeriæ ſtabit longè; non relinquens quidem noſtri omnem curam, ſed quaſi à nobis, & ab irruētibus in nos Dæmonibus excluſus nos iuuare non poterit. Illi verò ſuam ſæuitiam in nos exercebunt pro ſua libidine, qui rerum ſtatus parum ab Inferno abeſt. Conſideremus tandem quid nobis in aurem cordis ſemper inſtillet ſyndereſis noſtra; dein vt aduocet contra nos teſtem conſciētiam, & huius remorſum & vermem. Totum ſtatum præteritæ vitæ repræſentat, ponit ante oculos futura, & ab his omnibus damnari nos demonſtrat. Si verò non excitamur ad meliora, ad quatuor nouiſſimarum rerum conſiderationem nos mittit, Mortis, Iudicij extremi, Inferni, Paradiſi; & his nos fortiſſimè conſtringit: moriēdum tibi eſt: mortuo Iudiciū Dei eſt & Chriſti ſubeundum, vnde vel ad Infernum tandē, vel ad Paradiſum iudiceris. Quæ ſi non audiamus, tria illa horrenda mala manere nos denunciat; Mortem, Iudicium, Infernum. Imprime ſanctè IESV ſalutarem ſenſum harū rerum ſpiritui noſtro, vt ad te pleno corde redeamus, neque à te vnquam ſeparari nos permittas. Amen. *Pſal. 37.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# FERIA QVARTA POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

Explicat doctrinam de traditionibus.

MATTH. XV. MAR. VII. ANNO XXXII.

*In xlix. imaginem adnotatiuncula.* xlix. 60.

*A.* *Terra Genezar, ad quam applicuerat IESVS postquam seruauit in mari Petrum.*
*B.* *Adoriuntur Pharisæi & Scribe IESVM, accusantes discipulos quòd traditiones seniorum non seruarent.*
*C.* *Damnat IESV Straditiones pugnantes cum verbo Dei, non quæ cum eo congruunt.*
*D.* *Designantur variæ Iudæorũ, & vanæ traditiones.*
*E.* *Discipuli assident mensæ, vbi nullum est vestigium lauationis.*
*F.* *Templum, vbi propter Korban patri filius subuenire prohibetur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. VII. MATTH. XV.

TVNC [a] accesserunt ad eum

*Et conueniunt ad eum Pharisæi & quidam de Scribis, venientes ab Hierosolymis.*
*Et cùm vidissent quosdam ex [c] discipulis eius communibus manibus, id est non lotis manducare panes, vituperauerunt.*
*Pharisæi enim & omnes Iudæi nisi crebrò [d e] lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro, nisi baptizentur, nõ comedũt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.*
*Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ:*

*Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum,*
*sed communibus manibus mãducant panem?*
*& dicebat illis:*
*Bene irritum facitis præceptum Dei,*

ab Hierosolymis [b] Scribæ & Pharisæi,

dicentes;
Quare [b] discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus cùm panem manducant.

Ipse [c] autem respondens, ait illis;
Quare & vos transgredimini mandatum Dei





MAR. VII. MATTH. XV.

*vt traditionem vestram seruetis.*
*Moyses enim dixit:*

propter traditionem vestram?
Nam Deus dixit;
Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

*Si dixerit homo patri aut matri [e] Korban, quod est*

Vos autem dicitis;
Quicunque dixerit patri vel matri;

*donum quodcunque ex me tibi proderit,*
*& vltrà non dimittis eum quidquam facere patri suo aut matri;*
*rescindentes verbum Dei*

munus quodcunque est ex me, [f] tibi proderit:
& non honorificabit patrem suũ aut matrem suam:
& irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

*quam tradidistis.*
*Et similia huiusmodi multa facitis.*
*At ille respondens dixit eis;*

*sicut scriptum est;*

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens;
Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

*In vanum*

Sine causa autem colunt me,

*præcepta hominum.*

docentes doctrinas & mandata hominum.

*Relinquentes enim mãdatum Dei, tenetis traditionem hominum: baptismata vrceorum, & calicum, & alia similia his facitis multa.*
*Et aduocans iterum turbam, dicebat illis;*

Et conuocatis ad se turbis, dixit eis;

*Audite me omnes & intelligite.*
*Nihil est extra hominem, introiẽs in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi audiat.*

Audite & intelligite;

Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

*Et cum introisset in domum turba,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



MAR. VII. MATTH. XV.

Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei; Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens, ait; Omnis plantatio quã non plantauit Pater meus cælestis eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

*interrogabant eum discipuli eius parabolam.*

Respondens autem Petrus, dixit ei; Edissere nobis parabolã istam.

*Et ait illis;*

At ille dixit;

*Sic & vos imprudentes estis? Omne extrinsecus introiens in hominem, nõ potest eum coinquinare. Quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, exit, purgans omnes escas.*

Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat

in ventrem vadit, & in secessum emittitur?

*Dicebat autem, quoniam illa quæ de homine exeunt, illa coinquinant hominem.*

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinãt hominem.

*Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt: adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem.*

De corde enim exeunt cogitationes malæ;

homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia,

blasphemiæ:
hæc sunt

quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus mãducare, non coinquinat hominem.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* TErra Genezar, *ad quam applicuerat IESVS cum Apostolis post sedatam tempestatem & seruatum Petrum, quò ad IESVM venerãt ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, vt illi insidiarentur, & calumniæ aliquam ansam arripere possent.*

*B. Christus cum discipulis; quem Hierosolymitæ Pharisæi & Scribæ aggrediuntur disceptatione: viderant enim quosdam ex discipulis IESV panem manducare manibus non lotis, ac vituperauerant. Itaque existimauerunt idoneã causam se esse nactos reprehendendi IESVM, eiusq; doctrinam calumniandi. Cur, inquiunt, transgrediuntur doctrinam seniorum discipuli tui? Non enim lauant manus quãdo sunt manducaturi. Non reprehendunt Christum nominatim, quem tamen in discipulis accusant.*

*C. Neque discipulos excusat Christus, quòd illas traditiones non obseruent; sed Pharisæos accusat quòd eas obseruent quæ legi Dei erant contrariæ. Illas igitur non damnat omnes, sed earum innuit habendum esse delectum quæ non pugnant cum lege Dei, alias damnat. Præterea obiter illas insinuat lauationes non videri adeò esse cum fine ad quem referuntur coniunctas, alias esse posse, & vtiliores, & ad finem magis accommodatas, non pro verbo Dei habẽdas. Vnde apparet excellens doctrina de hominum traditionibus. Quæ enim cum Dei doctrina & religione pugnant, illæ prorsus sunt reijciẽdæ: quæ non pugnant, ea, quoad auctoritatem obtinent, seruandæ. Ecclesiæ verò principes, si quæ euaserint inutiles, pro varia temporum, personarum, & rerum ratione, illas debẽt in melius commutare: qui est vsitatus Ecclesiæ mos ac celebris.*

*D. Designantur multiplices traditiones Iudæorum, tanta diligentia lotionum, antequam ad mensam assideant, & inter prandendum, totius etiam corporis, æramentorum, &c.*

*E. Discipuli aliquot mensæ assidentes, vbi nullum est vestigium præcedentis, vel alterius lauacri.*

*F. Templum repræsentatur, vbi filius inductus traditione Iudaica offert vitulum; pater interuenit egens & senex, qui erat à filio honorandus, id est alendus ac sustentandus. Contra verò pugnãt sacerdotes, obtrudentes corban &c. rescindentes Dei mandatum sua traditione.*

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

QVid? nos non similiter peccamus atque Iudæi? Primùm quidem delectum non habemus virtutum, & cùm sint virtutes diuinæ fides, spes, & charitas reliquis omnibus perfectiores atque vtiliores, & inter illas excellat, & maior sit charitas; tantum studij, & temporis, & actionum in humanis ponimus, vt diuinas negligere videamur, nec ipsarum vim & amplitudinem agnoscere. Quis enim fide & spe niitur efficaciter in oratione & actionibus suis & ministerijs? quis charitate, quæ est forma & perfectio virtutum omniũ, & actionum esse debet? Quæ si adsit, omnes adsunt virtutes infusæ, omnia dona spiritus sancti: in qua viuimus in Deo, mouemur, & operamur, & sumus, & meremur vitam sempiternam. Quid? in donis Dei quomodo versamur? Nónne sensibilia sectamur, & amplectimur? Et vtinam rectè & ordine his vteremur, dico sensibilibus consolationibus, per spiritus sancti dona illa pretiosissima. Sed nos toti in sensibilibus occupamur, vtinam non externis; & vim donorum excellentissimam præterimus, & in illis non exercemur. Illud præterea est in quo videmur Phariſæis similes; nam ita Superiorum nostrorum obedientiam, monita, præcepta, gubernationem accipimus, atque si homines essent, nihil Dei haberent. Ferè enim nunquam in Superiore Christum contemplamur præscribentem, monentem, gubernantem. Quid? illud non frequenter, ac etiam plusquam frequenter nobis accidit, vt oremus, nostras horas canonicas, nostram orationem dominicam recitemus labijs quidem, corde verò simus vel muti, vel stupidi, vel vagi; vel planè hæc speculatiuè tantùm agamus, non practicè? Num non etiam contingit hoc nobis vbi sacras literas legimus, vbi studijs Theologiæ operam damus, vbi de rebus vel diuinis, vel quæ ad mores & disciplinam religiosam attinent, verba facimus? Subueni nobis Christe IESV, lumen exere tuæ virtutis; in quibus peruersè agimus, ea emendemus; & quę ex hoc Euangelio intelligimus, in humilitate & simplicitate cordis nostri sectemur. Amen.

FERIA



# FERIA V. POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Sanatur socrus Petri.

MATTH. VIII. MAR. I. LVC. IIII. ANNO XXXI.

*In l. imaginem adnotatiuncula.* *l.* 18.

*A.* Capharnaum in finibus Zabulon & Nephtalim.
*B.* Synagoga, vnde sanato dæmoniaco,
*C.* Venit IESVS in domum Simonis.
*D.* Ibi rogatus Petri socrũ sanat febribus laborantem.
*E.* Surgit socrus vegeta, & ministrat curantibus.
*F.* IESVS cum discipulis accumbit ad mensam.
*G.* Vespere facto oblatos infirmos & dæmoniacos sanat.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. VIII. LVC IIII. MAR. I.

SVrgens [a] autem IESVS de [b] Synagoga introiuit in [c] domum Simonis.

*Et protinus egredientes de Synagoga,*

*venerunt in [b] domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne.*

*Et cùm venisset IESVS in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem.*

Socrus autem Simonis tenebatur magnis [d] febribus; & rogauerunt illũ pro ea.

*Decumbebat autem socrus Simonis febricitans;*

*& statim dicunt ei de illa.*

*Et tetigit manum eius, & dimisit eam febris,*

Et ſtans ſuper illam imperauit febri, & dimisit illam,

*Et accedens*

*eleuauit eam apprehensa manu eius; & continuò dimisit eam febris,*

*& surrexit, & ministrabat eis.*

& continuò [e] surgens ministrabat [f] illis.

*Vespere autem facto*

*Vespere autem facto*

*obtulerunt ei multos Dæmonia habentes;*

Cùm Sol autem [g] occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.

*afferebant ad eum omnes malè habentes,*

*& Dæmonia habentes. Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. VIII. LVC. IIII. MAR. I.

At ille singulis manus imponens curabat eos.

*Et curauit multos qui vexabantur varijs languoribus, & Dæmonia multa eijciebat;*

*& eijciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.*

Exibant autem Dæmonia à multis clamãtia, & dicentia; Quia tu es filius Dei:

Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

*& non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.*

Facta autem die egressus ibat in desertum locum,

*Et diluculo valde surgens abijt*

& turbæ requirebant eum,

*ibiq; orabat.*

*Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum, dixerunt ei; Quia omnes quærunt te. Et ait illis; Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem; ad hoc enim veni.*

& venerunt vsque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait, Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnũ Dei, quia ideo missus sum.

Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.

*eorum, & in omni Galilea, & Dæmonia eijciens.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

Brocard. BEthsaida in tribu Isachar ad littus maris Galilææ, inter Capharnaum & Magdalum, patria Petri, Andreæ, & Philippi Apostolorum. Hic egressus IESVS à Synagoga vbi sanauerat hominem Dæmoniacum, ante concionem illam celebrem in monte, anno xxxi. vitæ suæ, venit ad domum Simonis & Andreæ cum Ioanne & Iacobo. Ita si sequamur nonnullorum opinionem. Sed mihi magis sit verisimile, vt domus hæc Simonis sit Capharnaï: nam ita ex Marco necessariò colligi videtur, etiam ex Luca: statim enim ex Synagoga, sanato Dæmoniaco, egressus IESVS venit domum Simonis; hæc verò domus Capharnaï erat, non Bethsaidæ: in celebri scilicet ciuitate Capharnao habitabat Petrus cũ socijs. Sit ergo

Raba. & Caiet.

A. Capharnaum, & Synagoga vnde sanato Dæmoniaco

Ioseph. 18. Ant. c. 3. & 6. Epis. 5. li. cap. 15.

B. Egreditur ad domum Simonis & Andreæ. Etenim artem suam malebant Capharnaï in celeberrima ciuitate exercere, quàm in angustijs & solitudine sui pagi Bethsaidæ. Non enim hæc est illa trans lacum, quam fecit Iuliada Philippus Tetrarcha; vbi & mortuus & sepultus est.

C. Venit igitur domum cum Iacobo & Ioanne IESVS; præierant enim Petrus & Andreas vt pararent.

D. Decumbebat autem febricitans Petri socrus, quod exponit Lucas, & expressit eruditè Latinus interpres, tenebatur magnis febribus; quasi detinebatur febri cum magnis accessibus. Hoc renunciant primùm Christo, deinorant vt eam sanet: adstat illi IESVS, tenet manum, imperat febri (ita mollius sensum reddit latinus interpres, pro increpauit) sanatur mulier, surgit, ministrat illis, id est perfectè sanatur. Vbi videlicet nostras infirmitates sancti Deo repræsentãt, ac pro nobis orãt, inclinat se ad nos Christus de cælo, tenet manum, sanat nostros languores, surgimus, illi ministramus.

E. Socrus Petri in culina curans cænam, vegeto & firmo corpore, integris viribus.

F. Discumbit IESVS cum discipulis ad cænam. Non in ampla cænatione vel domo, sed in tenui & piscatoria, impeditaretibus, fumibus, canistris, cænat Rex cæli & orbis vniuersi, hominum & Angelorum Dominus.

G. Vespere iam facto offerũt illi multos à Dæmonibus vexatos, & omnes qui varijs languoribus afflictabantur: singulis manus imponens sanat eos IESVS; vt adimpleretur vaticinium Isaiæ; Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Perfectam quidem hominis naturam assumpsit verbum Dei, nunquam morbo laborauit: sed hoc est quod dicit Propheta; quicquid in nobis siue internæ, siue externæ infirmitatis curauit Christus, id omne ipse sanguine suo luit & cruce. Erant scilicet sanationes Christi, & sunt, ipsius merita per crucẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

VTinam nobis non eueniret vt febrim, hoc est perturbationem animi vehemẽtem conciperemus ex nostris in proximum ministerijs: sed potius socrum Simonis imitaremur. Illa enim laborauerat quidẽ in partu, in nutritione, in educatione filiæ; non tamen propterea in febrim inciderat. At nos laboramus vt filiam nostram in sinum Petri, hoc est animam nostram in sinum Ecclesiæ demus: cauendum tamen ne plerumque ex ijsdem laboribus in febrim incidamus nostra spiritus imbecillitate. Molestiæ sunt confessionum auditiones, colloquium & actio cum eo quem iuuamus disirahit, exasperant difficultates & contradictiones emergentes: itaque formidandum ne febricitantes ad cubiculum redeamus. Heu miseriã; vnde oportuit nos maiorem animi & spiritus vigorem reportare, inde vt debilitemur. Ne terreamur propterea Patres, & ne punctum quidẽ à statu mentis, & instituti perfectione propterea dimoueamur. Ad perfectionem hæ inquietudines à Deo permittuntur, vt per victoriã perturbationum perfectiores euadamus, & alacriores ad pugnandum redeamus. Rogemus Christum cum Iacobo & Ioanne, vt nos ab hac febri liberet, nobis astet, teneat manũ, nos erigat per horum intercessionem: præsidio & fortitudine Christi IESV generosè simus animati, qui nos ad illud prælium suo nomine mittit: cuius prouidentia & bonitas, si qua acceperimus vulnera, non patietur esse lethalia, atque adeò contra esse faciet salutaria, & nos ministerio & certamini reddet valentiores, ac nostras illas turbas sedabit. Verùm animaduertite Patres mei, vt simpliciter vestris incumbatis ministerijs, nihil quod nõ sit necessarium vel vtile, vel dicentes, vel audientes, vnde detur occasio aduersario Dæmoni: tum, vt muniti virtute orationis, & charitatis, & obedientiæ, ac zelo animarum ad munia vestra accedatis, & paratum semper habeatis scutum fidei aduersus perturbationes: & assuescatis, hinc vestra ministeria exercere, illinc contra Dæmones & prauas cogitationes vel appetitus pugnare, Hæbreos imitantes.

Amen.

# FERIA SEXTA POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

De Samaritana.

IOAN. IIII. ANNO XXXII.

*In li. imaginem adnotatiuncula.* li. 35.

*A. Samaria regio, vbi vrbs Samaria seu Sebaste.*
*B. Sichem sine Sichar, nec procul hinc puteus Iacob.*
*C. IESVS fatigatus ex itinere sedet sic super fontem.*
*D. Mulier veniens ad hauriendam aquam.*
*E. Hanc diuinè Christus alloquitur.*
*F. Emunt in foro Sichar cibos Apostoli.*
*G. Redeunt, mirantur cur IESVS cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit, &c.*

PRIOR



## PRIOR PARS EVANGELII MISSÆ.

IOAN. IIII.

VT ergo cognouit IESVS quia audierunt Pharisæi quòd IESVS plures discipulos facit & baptizat quàm Ioannes, (quamquam IESVS non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. Oportebat autẽ eum transire per [a] Samariam. Venit ergo in ciuitatẽ Samarię quæ dicitur [b] Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi [b] fons Iacob. IESVS ergo [c] fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit [d] mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei [e] IESVS; Da mihi bibere. [f] Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana; Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coütuntur Iudæi Samaritanis. Respondit IESVS, & dixit ei; Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier; Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit IESVS, & dixit ei; Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier; Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei IESVS: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit; Non habeo virum. Dicit ei IESVS; Bene dixisti, quia nõ habeo virum: quinque enim viros habuisti; & nunc quem habes non est tuus vir. Hoc verè dixisti. Dicit ei mulier; Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei IESVS; Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est, quãdo veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus; & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier; Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei IESVS; Ego sum, qui loquor tecum. Et continuò [g] venerunt discipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

Ioseph. 3. de bell. cap. 2. 3. Reg. 16. Ioseph. lib. 15. Ant. c. 11. Eucher. in 12. & 48. Gen. Hier. in Epi. Pauli & de lo. Ptol. in tab. Palæst. Pli. li 5. cap. 13. Deu. 27. 3. Re. 12 Brocard.

A. SAmaria, regio inter Galilæam & Iudæam sita, ab Vrbe Samaria Regia regni Israël sic appellata, quæ continet mediam tribum Manasse, & totã Ephraim. Hæc verò à Semiro monte tribus mediæ Manasse, in quo ædificata est ab Amri Rege Israël; restituta autem & munita ab Herode Antipatro, & vocata est Sebaste.

B. In hac igitur regione xij. miliaribus à Sebaste erat Sichem vrbs, cuius nomen corruperãt Samaritæ, & dixerant Sichar, & vsurpauit Iosephus vt vulgatum; quæ Mamorth dicta est, postea Neapolis, in confinibus Ephraim. Fuit hæc vrbs iuxta Hebal & Gerazim, montes celebres propter antiquam illam benedictionis & maledictionis mutuã denunciationem. Sichem ædificauit Ieroboam Rex Israël. A porta Sichar australi duplici arcus iactu est fons Iacob, iuxta prædium quod dederat Iacob Iosepho filio, præter sortem hæreditatis duplicem. Hic vides ornatũ puteum vt absolet.

C. Christus verò, qui est potentia, virtus, maiestas infinita, ex itinere fatigatus sedet. Pedibus enim, & nudis quidem, iter faciebat, vt videtur etiam placere Hieronymo. Nec defessus solùm, sed esuriens ac sitiens sedet sic super fontẽ, præ se ferens videlicet lassitudinem, famem, sitim. Sedebat autem super putei orificium, & in lignum, cuius ministerio aqua hauriebatur, vt pie meditari possumus, incumbebat. Effigies hæc est perspicua Christi passionis & crucis; & eius fructus. De his cogitans sedebat super fontẽ IESVS, & ligno suam lassitudinem sustentabat.

Epist. ad Enst. de cust. vir.

D. Aspice simul Samaritanam ex Sichar mulierem, ad aquam hauriendã egressam cum haustro, id est hydria, & fune, quibus nõ erat vsura. Erat solus IESVS, omnes enim discipuli, vt emerent cibos, fuerant ciuitatem ingressi. Sciuit IESVS mulierem à Iudæis abhorrere, patria, religione, consuetudine: illa vicissim ipsum intellexit ex eius cultu corporis Iudæum esse hominẽ, non tamen auersata est.

E. Vt enim illam conspexit Christus, eius mẽtem suauitate suæ gratiæ emolliuit: petit potum fons vitæ æternæ immensus, & non tam illũ quidem quem non erat ab ea sumpturus, sed quem summopere ab ipsa & gentilitate tota sitiebat, salutis æternæ. Placidè respondet mulier; Quomodo tu, cùm sis Iudæus, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coũuntur Iudæi Samaritanis. Non negat quod petit Christus, sed miratur quomodo Iudæus à Samaritana id petat. Responsione sua expugnat planè Samaritanismum in illa Christus; Si scires, inquit, donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Quod cùm diceret, docebat illam interiùs dono gratiæ suæ, ac spiritus dulcedine perfundebat. Subdit mulier, iam in illius seruitutem se dedens; Domine, inquit, neque in quo haurias habes: quasi dicat; cor quidem meum commotum est, vulneratum est verbo oris tui; quæ autem audio ex te, supra meum captũ sunt. Tamen illumina, Domine, tenebras meas, nã sentio te maiorem quàm Iacob, quem & nos patrem profitemur. Docet igitur illam Christus. Alia, inquit, aqua est quam ego à te expeto; quam à me deriuatam, & à te epotã, desidero ego bibere. Hæc est sitis mea, quæ in conuersione gentilitatis implebitur. Nam cùm plenitudo conuersa fuerit gentium, tunc erit saluus omnis Israël. Summum beneficium contulit IESVS Samaritanæ, imo piæ & profanæ mulieri, vbi se illi professus est esse Messiam; quod haud dubiè plenitudinem gratiæ datum iri gentilitati significat. Magnũ igitur spiritualis & æternæ fontem aperuit IESVS in hoc Euangelio per Ioannem. Bibamus aquam ex fonte perenni Christo IESV, eò contendamus per ipsum, vt quemadmodum Samaritana à Christo audiuit, ita & nos corde audiamus IESV; Ego sum Christus qui loquor tecum.

F. Sichar, in cuius foro Apostoli emunt cibos, puta panes in Christum & singulos, easque & fructus si quos repererunt.

G. Redeunt Apostoli, & mirantur quòd cum muliere colloquatur Christus; nemo tamẽ interrogat quæ de re cum muliere agat, haud dubiè cõspiritu attacti, quo fuerat Samaritana.

MEDI-



## MEDITATIO.

EXultemus fratres vehementer. Præuenit, excitat, & munit liberum nostrum arbitrium Christus, etiam aliud cùm agimus vel quærimus, & quidẽ ex occasione rerum quas agimus vel inquirimus; & quasi ab illis nos euocat, exemplo Samaritanæ, ad spiritualia ex illis contemplanda, & persequenda, & à se petenda. Huic veritati & doctrinæ Christi si assuescamus, fiet vt semper in spiritu ambulemus; & non solùm in nostris ministerijs, sed in alijs etiã rebus fructuosius versemur. Cõmendat verò nobis hoc Euangelio Christus suæ passionis & crucis meditationem, & ostẽdit fructum, & hortatur ad gratiæ postulationem. Fatigatus autem est Christus Deus, & quidem ex itinere: sedet, vt qui ex fatigatione ægrè stare poterat, & quærebat sũ bsidium ex consessu: super fontem sedebat, vt qui præ se ferret expectare qui sibi è fonte potum daret: & sic sedebat, vt fatigatus, famẽs, & sitiens, & hæc quidẽ omnia hora sexta, quo verbo quasi rapimur, vt ea quæ dicũtur, ad aliã horã sextã referamus, crucis Christi, vbi fuit extrema illa filij Dei fatigatio, ille crudelis consessus in clauos, illa sitis, illa immensa afflictio. Sedebat verò in cruce vt Rex noster, vt Iudex, vt doctor, vt inuitans ad bibendum ex fluento sui fontis infiniti, quem tunc aperiebat mortalibus. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# EADEM FERIA VI. POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

## De eadem Samaritana.

EODEM CAP. ANNO XXXII.

*In lij imaginem adnotatiuncula.* lij. 36.

*A. Cùm audisset à IESV Samaritana, Ego sum Christus, relicta hydria currit in ciuitatem.*
*B. Narrat de IESV.*
*C. Præunte muliere tota se effundit ciuitas ad IESVM.*
*D. Interea vrgent IESVM Apostoli vt manducet.*
*E. Respondet alium se cibum habere quem manducet.*
*F. Venit IESVS Sichar, & mansit ibi duos dies. Multo plures credunt quàm antea.*

## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

IOAN. IIII.

RElinquit [a] ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatẽ, & dicit illis hominibus; [b] Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? [c] Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. Interea [d] rogabant eum discipuli, dicentes; Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis; [e] Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem; Nunquid aliquis attulit ei mãducare? Dicit eis IESVS; Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor mẽses sunt, & messis venit. Ecce ego dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorũ, propter verbũ mulieris testimoniũ perhibentis, quia dixit mihi omnia quęcunq; feci. Cùm venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret: & [f] mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderũt in eum propter sermonẽ eius: & mulieri dicebant; Quia iam nõ propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator Mundi. Post duos autẽ dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipse enim IESVS testimoniũ perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. Cùm ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* CVM audisset Samaritana ex ore Christi; ego sum Meschias qui tecum loquor (loquebatur enim illi IESVS & exterius ore, simul spiritu interius in corde) cùm vim gratiæ cælestis concepisset, vehementer commota, hydria relicta curriculo venit in vrbem ad ciues suos, & illis prædicat Christum, eiusq; virtutem. Vera enim dona Christi efficax desiderium afferunt alijs eadem dona communicandi.

*B.* Fit mulier ex profana, hæretica, meretrice, confestim veritatis euangelicæ prædicatrix.

*C.* Præeunte muliere tota se ciuitas ad Christum effundit.

*D.* Interea Christum circumdant Apostoli, offerunt quos emerãt cibos, rogãt vt manducet.

*E.* Verùm iam antea Christus sitis & cibi illius quasi oblitus, in alia erat fame & siti totus. Itaque non accipit cibum ab Apostolis, sed docet quis eius perpetuus esset cibus, vt scilicet salutem humani generis perficeret, & opus quod illi demandatum erat à Patre impleret.

*F.* Cum venissent ad IESVM ex Sichar Samaritæ verbis & prædicatione mulieris permoti, rogarunt IESVM, vt in vrbe apud ipsos maneret: præcedentes alij, alij sequentes eum ad suam vrbem deducunt. Contendunt vt IESVM in sua ciuitate retineãt; sed noluit Christus ibi diutiùs quàm duos dies subsistere. Crediderant quidem multi prædicante muliere, sed longè plures prædicante IESV. Tanta porrò fuit verbi IESV efficacia, tantum studium & deuotio animi Sichimitarum, vt plenam, perfectamq; verbi Dei vim, & sentirent, & exprimerent. Audiuimus quidem à muliere, mouit nos Deus per illam. fuit aliquid illa auditio; at quãto maior quam à IESV accepimus, & exteriùs, & interiùs? IESVS verbo suo cor nostrum penetrauit ac posedit. Perfectionem fidei concepimus, cum dono sapientiæ & intellectus coniũctam: Scimus quia hic est verè Saluator Mundi. O admirabilem gratiam! ô felices Samaritanos! duobus diebus perfectè credunt, absque miraculis, solo verbo; quod adhuc non fecerant vigintiseptem mensibus Iudæi.

SABBATHO

Universidad de Deusto
Biblioteca



# SABBATHO POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

## Liberatur adultera.

IOAN. VIII. ANNO XXXII.

*In liij. imaginem adnotatiuncula.* liij. 53.

*A. Templum, vbi medio Scenopegiæ die festo Christus gloriosè docuerat.*
*B. Postridie Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad IESVM iterum docentem adducunt.*
*C. Christus, Scribæ, Pharisæi, & mulier.*
*D. Accusant, & malitiosè interrogant quid de ea sentiat.*
*E. IESVS tactus scribit in terra.*
*E. Deinde erigit se, & ait; Qui sine peccato est, &c.*
*F. His illi auditis exibant vnus post alium, incipientes à senioribus.*
*E. Rursum scribit in terra IESVS.*
*G. Reliqui sese proripiunt.*
*H. IESVS mulierem absolvit; Vade, & iam noli amplius peccare.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. VIII.

IESVS autem perrexit in montem Oliueti, & diluculò iterum venit in [a] templum; & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem [b] Scribæ & Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei; [c] Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem [d] dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. [e] IESVS autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cùm ergo perseuerarent interrogantes, [e] erexit se, & dixit eis; Qui sine peccato est vestrũ, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terram. Audientes autem hæc, [f] vnus post vnum exibãt, [g] incipientes à senioribus: & remansit solus IESVS, & mulier in medio stans. [e] Erigens autem se IESVS dixit ei; [h] Mulier, vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit; Nemo, Domine. Dixit autem IESVS; Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. ADfestum Scenopegiæ xxxij. anno ascenderat IESVS Hierosolymam: medio festo venerat ad templum, docuerat; multi in eũ crediderant, atque de ipso præclarè sentiebant & loquebantur. Quibus rebus commoti Principes & Pharisæi, miserunt qui illum comprehenderent: satellites verò illius virtutem sermonis admirantur & prædicant: defendit illum Nicodemus. Incerti quidnam agerent, domum concedunt: Christus ad montem Oliueti, siue Bethaniam, siue ad hortum Gethsemani, quò solebat cum discipulis conuenire frequenter. Ea nocte calumniam meditantur homines nefarij: & deprehensa muliere in ipso flagitio adulterij, quũ mane redijsset in templum IESVS quinto die Scenopegiæ, & doceret multitudinem quæ ad eum conuenerat;*

*B. Adducunt adulteram illam. Hoc faciunt magna importunitate & tumultu; intermittit concionem Christus, statuunt ante eum mulierẽ, conuertitur vniuersus populus ad rem nouam. Pharisæorum erat machinatio; si illam damnet, plebs offendetur: sin liberet, lex.*

*C. Christus, Scribæ, Pharisæi, mulier, & turba circumfusa.*

*D. Accusant Scribæ, homines flagitiosi & nequam: dissipato crine, incomposito toto corporis cultu, mẽte exanimata adstat mulier. Hæc, inquiunt, modò in præsenti crimine adulterij est deprehensa; quæ lapidanda quidem ex lege est, tu verò quid dicis? Hem malitiam! Id videlicet vrgebant, vel vt diceret contra legem, & eum ipsi iure lapidare possent; vel contrà illam ferret iudicium; & quam apud populũ nactus erat existimationem, eam per inhumanitatem amitteret.*

*E. Christus nihil illis respondet, sed inclinatus digito scribebat humi, in singulos videlicet quæ illos pungerent, ac præ confusione mentis abigerent. Verisimile autem est scripsisse singulorum peccata fœdiora quàm adulteræ, & fortasis quæ ipsi ea nocte fecerant flagitia. Tantam igitur ignominiã ferre nulla ratione potuerunt: præsertim cùm putarent scripturam legi ab omnibus posse, & à plerisque iam tum legi; quod tamen ita non erat: nam propterea Christus non expressit quid scriberet, nec Ioannes scripsit. Voluit enim singulis dumtaxat suum scriptũ esse notum, non alijs; quod effectus indicauit: nam vnus post alium accusatores abscedebant animo percussi ac consternati.*

*E. Cùm enim inchoasset scribere, & illi vrgerent insolentius, absoluto vnius scripto erexit se, & respondit; Qui est è vobis absque peccato, primus incipiat illam lapidare.*

*F. Hoc Christo dicente, iam qui erat reliquis senior, lecto suo scripto perturbatus, se proripiebat: alij item conturbati sapiente responso, & animi conscientia deterriti, stabant obstupefacti.*

*E. G. Rursum Christus scribit reliquorũ peccata; ita singuli percussi diffugiunt: non enim exterius illorum solum peccata scribebat Christus, sed corda illorum eruentabat acerbissimè.*

*H. Retinetur in medio conuentu, vt inquit Augustinus miseria & misericordia, mulier & IESVS. Erat erectus populus rerum quas videbat miraculo; expectabat iudicium IESV. Benignissimè respondet Christus mulieri, quam interius sua benignitate ad fidem & pœnitentiam adduxerat; Vbi sunt qui te accusabant, mulier? nullus ex omnibus te condemnauit? Nemo, inquit, Domine. Quis enim te patrono & defensore posset, qui solus salus es peccatorum? Sum, inquit. Itaque neque ego te condemnabo. Verùm amplius caue pecces. Clamor tota concione populi tollitur, probant omnes iudicium, liberatur adultera, fit iusta & probâ ex peccatrice & infami, laudant omnes Deum & IESVM.*

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

QVid fuimus fratres in fæculo? Quoties fuimus deprehenſi & accuſati apud Deũ à Dæmonibus, vt nos morti æternæ traderet commeritos? Sed ſua benignitate repulit bonus IESVS veteratores Diabolos, exprobrans illis ſuam ſuperbiam & peccata, ac ſuam obſtinationem. Conceſſit nobis ſpatium pœnitendi, dedit cor contritum & humiliatum coram ſe, condonauit peccata, recepit nos in ſuam gratiam. Quid igitur nobis non eſt ſperandum? *Rom. 5.* Si enim cùm in peccato eſſemus, cùm inimici eſſemus diuinitatis, atrociter etiam accuſaremur à tetris Dæmonibus, peccata nobis remiſit Chriſtus, & recepit in gratiam ſuam; quid non eſt facturus pro amicis, pro obedientibus? Sed verò quid in nos contrà non eſt deſignaturus, ſi in officio non mãſerimus, & obedientia Dei & noſtrorum ſuperiorum? Quid enim exiſtimatis illum dicere, quum dicit; Vade, & iam ampliùs noli peccare? Adhortatio quidẽ eſt hæc ad virtutem, & oblatio gratiæ & auxilij, ſed ſimul commination terribilis. Caue, immeritò quidẽ nunc tibi remiſi peccata, ſed neſcis quid, rurſum ſi pecces, ſim facturus. Per meam infinitam miſericordiam dimiſi tibi peccata tua; verùm intelligis tam eſſe infinitam meam iuſtitiam quàm miſericordiã, qua vti ſimiliter poſſem ſi vellem, & te in Infernum contrudere in perpetuum cruciandum. Quod ſi facerem, de tua perditione gauderent omnes Sancti & Angeli. Hæc conſideratio vigeat ſemper in mente tua, quæ eſt veriſſima. Amen.

IHS

# DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Quietem agunt diſcipuli iubente Chriſto, poſtea nauigant trans mare.

MATTH. XIIII. MAR. VI. LVC. IX. IOAN. VI. ANNO XXXII.

*In liij. imaginem adnotatiuncula.* liij. 41.

*A.* Dimittens turbas IESVS, oſtendit quò eſſet trans mare venturus.
*B.* Deſertum, inter Capharnaum & Bethſaidam occidentalem, vbi præcipit diſcipulis vt paulìſper requieſcant.
*C.* Otium agunt diſcipuli præſente Chriſto.
*D.* Turbæ, quæ ad anguſtias Iordanis properant vt tranſmittant.
*E.* Conſcendit nauim cum diſcipulis IESVS.
*F.* Nauigat placidè quo turba præuenerat, vt Chriſtus voluerat.

PRIMA



## PRIMA PARS EVANGELII MISSÆ.

MATTH. XIIII. MAR. VI. IOAN. VI. LVC. IX.

*Et accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus, & ſepelierunt illud: & venientes nunciauerunt IESV. Quod cum audiſſet IESVS,*

*Et conuenientes Apoſtoli ad IESVM, renũciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant. Et ait illis;*

*[a] Venite ſeorſum in [b] deſertum locum, & [c] requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec ſpacium manducandi habebant.*

*Et reuerſi Apoſtoli narrauerunt illi quæcunque fecerunt.*

*ſeceſſit inde in naiculæ*

*Et aſcendentes in nauim abierunt*

POST hæc [c] abijt IESVS trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis.

*Et aſſumptis illis ſeceſſit*

*ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.*

*Et viderunt eos abeũtes, & cognouerunt multi,*

*Et cũ [d] audiſſent turbæ, ſequutæ ſunt eum pedeſtres*

*[d] & pedeſtres*

Et ſequebatur eum multitudo magna,

*Quod cùm [c] cognouiſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum.*

*de ciuitatibus.*

*de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos.*

quia videbãt ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabãtur.

P ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

A. IESVS dimittit turbas, & condicitur illis locus quò esset ipse trans mare venturus: nam hoc legimus cognouisse turbas, & audiuisse.

B. Desertum, quod est inter Bethsaidá & Capharnaum, quò primùm secessit IESVS cum Apostolis; vndè dein nauigauit in aliud desertum Bethsaidæ Orientalis, quàm fecerat Iuliada Philippus, vt in xlix. annotatione dictum est: de vtroque enim nihil prohibet intelligere Lucam. Nam cùm redijssẽt Apostoli a sua missione bini, & narrassent ipsi quæ vel egissent, vel docuissent, dixit illis IESVS; Venite seorsum vos in desertum locum, & requiescite pusillum. Mar. 6. Vocat eos qui in ministerio verbi laborauerant, non alios: separat à turba, ducit in solum locum, ne quid sit quod impedire possit mentis & corporis requiem. Dat ipse Apostolis quietem, nunquã ipse otiatus est, sed semper fuit homo dolorum, Isa. 53. sciens infirmitatẽ, & suam, & nostrã omnẽ, quã semper portauit, in qua continenter laborabat.

C. IESVS sedet in deserto, Apostoli otium agunt, vt vires & mentis, & corporis, reficiant; colloquuntur, alij sedent, alij iacent, & tamen præsentem habent Christum, & quidem illos obseruantem, sed simul indulgentem, & dissimulantem si quid liberius agerẽt. Verùm pusillum, id est breue tempus permittit otiandi. Hæc autẽ in eorum genere sunt, quæ cùm non acceperimus ex scripturis, pie tamen meditari possumus & credere. Quid enim egerint tunc Apostoli nominatim non legimus, legimus in vniuersum quieuisse, auctore Christo & inuitante, quod semper facit in nobis. Neque enim solum Apostolos inuitauit ad requiem corporis & animi, sed in eorum persona eos omnes qui in ministerio verbi occupantur, quæ est actio laboriosa in primis; debilitare enim solet, & corporis vires, & animi: illæ ad suum robur sunt moderato exercitio & honesto reuocãdæ; hæ à Marthæ distractionibus, ad Mariæ vitam illam, & optimam partem, quam necessariam esse Christus dixit, colligendæ. Fuit alioqui necessum, vt à turba sese explicarent, quæ adeò importunè ad eos concurrebat, vt ne manducandi quidem spatiũ haberent.

D. Turbæ, quæ ex vicinis omnibus ciuitatibus properant pedestres ad angustias Iordanis, vt ad desertum Bethsaidæ orientalis iuxta Corozaim veniant trans Iordanem.

E. Dum quieuissent Apostoli, nauim conscendit Christus, sequuntur ipsi, vt nauigent quò ijs præcesserant turbæ.

F. Nauigat Christus cum Apostolis placidè & sensim: volebat enim turbas peruenire priores.

EADEM



# EADEM DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Docet, & sanat languidos. Distribuuntur turbæ quasi per contubernia.

EISDEM CAPP. ANNO XXXII.

*In lv. imaginem adnotatiuncula.* lv. 42.

A. Egressus in littus Bethsaidæ orientalis, secedit in montem.
B. Progressus ad turbas loquitur de regno Dei, sanat qui curá indigebant.
C. Vespere facto, solicitè & variè interrogat discipulos vnde alendæ sint turbæ.
D. Indicat Andreas puerum qui haberet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.
E. Iubet turbas considere, centenos, & quinquagenos.
F. Accipit panes & pisciculos, benedicit suspiciens in cælum.

## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

MATTH. XIIII. MARC. VI. IOAN. VI. LVC. IX.

SVbijt [a] ergo in montem IESVS, & ibi sedebat cum discipulis suis.
Erat autem proximum pascha, dies festus Iudæorum.

*Et [b] exiens vidit turbã multam IESVS, & misertus est super eos, quia erãt sicut oues nõ habentes pastorem:*

*& cœpit eos docere multa.*

*& excepit eos,*

*& loquebatur illis de regno Dei:*
*& eos qui curatione indigebant sanabat.*

*& curauit languidos eorum.*

*[c] Vespere autem facto*

*Et cùm iam hora multa fieret,*

*Dies autem cœperat declinare.*

Cùm subleuasset ergo oculos IESVS, & vidisset quia multitudo maxi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XIIII. | MARC. VI. | IOAN. VI. | LVC. IX. |
|---|---|---|---|
| *accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes:* | | ma venit ad eum, dicit ad Philippũ; ¶Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autẽ dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. | *Et accedentes duodecim, dixerunt illi;* |
| *dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* | *Desertus est locus hic, & iam hora præterijt: ¶dimitte illos, in proximas villas & vicos, emant sibi cibos quos manducent.* | | *villasq; quæ circa sunt, diuertant, & inueniãt escas: quia hic in loco deserto sumus.* |
| *IESVS autẽ dicit eis: Non habẽt necesse ire: date illis vos manducare.* | *Et respondens ait illis;* | Respondit ei Philippus; Ducentorũ denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisq; modicũ quid accipiat. | |
| | *Et dixerunt ei; Euntes emamus ducẽtis denarijs panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis; Quot panes habetis? Ite, & videte. Et cùm cognouissent, dicunt;* | | |
| *Responderunt ei;* | | Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri; | *At illi dixerunt;* |
| *Non habemus hîc nisi quinque panes, & duos pisces.* | | Est puer vnus hîc qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? | *Non sunt nobis plusquàm quinque panes, & duo pisces: nisi fortè nos eamus, & emamus in omnẽ hanc turbam escas. Erant autem ferè viri quinque millia.* |

MATTH.



| MATTH. XIIII. | MAR. VI. | IOAN. VI. | LVC. IX. |
|---|---|---|---|
| *Qui ait illis; Afferte mihi illos huc.* | | | |
| | *Et præcepit illis vt accumbere facerẽt omnes secundùm cõtubernia.* | Dicit ergo IESVS; ¶Facite homines discumbere. | *Ait autem ad discipulos suos; Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos.* |
| | *super viride fœnum.* | Erat autem fœnũ multum in loco. | |
| | *Et discubuerunt* | Discubuerũt ergo viri numero quasi quinque millia. | *Et ita fecerunt, & discubuerunt omnes.* |
| | *in partes per centenos & quinquagenos.* | | |
| *Et cùm iussisset turbam discumbere super fœnum,* | | | |
| | *Et acceptis quinque panibus & duobus piscibus, intuens in cælum* | ¶Accepit ergo IESVS panes: | *Acceptis autem* |
| *aspiciens in cælum* | | & cùm gratias egisset, | *suspexit in cælum, & benedixit illis,* |

## ADNOTATIO.

*d.* ADlittus Bethsaidæ oriẽtalis appellitur nauis cum IESV & Apostolis, quò iã peruenerat turba: secedit tamen primùm IESVS, nec è vestigio se dat in turbam, sed sedet in monte cum discipulis.

B. Deinde illinc progressus videt turbam multam, eius miseretur, quia erant sicut oues nõ habentes pastorem: excipit omnes benignè ac salutat; loquitur illis de regno Dei, sanat eos qui curatione egebant. Et hæc quidem fecit, donec inciperet dies ad vesperum declinare. Bone IESV, quanta est hîc seges tuæ benignitatis, & nostræ meditationis fructus!

C. In reliqua imagine contemplare quanta sit cura Christi, Apostolorum etiam, ne periclitaretur fame turba. Desertus, inquiunt Apostoli omnes, est locus, hora præteryit, vespera enim est; dimitte turbas: & Christus respondet vt eos ipsi alant, quod planè semper dicit Episcopis & Prælatis. Despondent Apostoli animum, se profitentur non tantum habere aëris, vnde tã multos alant. Subdit Christus; Quid tu Philippe? Quid habes consilij? Vnde ememus panes vt huic multitudini cibum demus? Ne hîc quidem aduertit ad opes Christi, vel etiam suas in Christo Sumus, inquit, in solitudine, inopes: & ducẽtorum denariorum, id est xx. aureorum non sufficiunt panes, vt modicum singuli comedant. Tamen excitat illos ad fidei sensum Christus: Ite, videte quot panes habeatis. Eunt, disquirunt, reperiunt puerum qui habebat quinque panes hordeaceos, & duos pisces.

D. Hoc refert ad IESVM Andreas primùm, dein alij; necdum aduertunt animum ad fidem: sed quid hæc, inquiunt, inter tantos, hoc est tam multos, & tam famelicos? Petit illos pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*nes afferri IESVS: adducũt puerum Andreas & Philippus & alij, cum panibus & piscibus.*

*E. Iam verò non solum excitat, sed trahit ad vim fidei; iubet vt distribuant turbas per contubernia centenũm & quinquagenũm. Vbi consederunt, erecti erant Apostoli expectatione miraculi; turbæ magna animi simplicitate obediunt, conuertunt oculos cuncti ad IESVM. IESVS verò, postquam animos omnium permouerat atque præparauerat, paratæ autem essent prorenata ex fœno mensæ, & ex monte cœnaculum grande fecissent;*

*Augustin. in Ioan. 6. cap. Iansen.*

*F. Accipit quinque panes & duos pisces, aspicit in cælum, benedicit illis, gratias agit, frangit deinde, ac dispensat discipulis; illi contubernijs. Accipit virtus Dei panes, incipit diuinos facere suo captu & tactu, suspicit in cælum, significans vnde diuinam virtutem illis æsset communicaturus; benedicit illis, molitur miraculum, indit virtutem panibus diuinam; vt qui tantùm nutrire poterant naturaliter, possint etiam alios panes supernaturaliter germinare, vt pauca semina ingentem segetem, diuina Christi manũ virtute. Frangit, metit diuinitus ex panibus diuinis sua fractione, qua illi multiplicabantur: distribuit discipulis à se fractos panes, vt & ipsi frangerent diuina virtute imbutos, & multiplicarent. O panum immensas opes, & suauitatẽ gloriosam! Hoc loco animaduerte Christũ quinque panes & duos pisces benedixisse & fregisse: ex quinque panibus & duobus piscibus remansisse duodecim cophinos fragmentorum; nullum integrum vel panem vel piscem: ex illis satiasse hominum quinque millia. Virtute igitur diuina hæc facta sunt. At quo modo? Credendum tibi primùm est ita factũ esse: neque enim propterea quòd non intelligimus quo modo, negandum est aliquo modo esse factum; quod hæretici faciunt de præsentia Christi in Sacramẽto Eucharistiæ venerando. Credite primùm miseri ita esse, & intelligetis ita esse posse, Dei esse potentiæ: & præterea deducemini ad aliquam rationem intelligendi, vt de panibus variè Doctores coniciunt fieri potuisse. Et frequentes quidem sunt vt per panum multiplicationem id doceant, quæ est manuductio ad intelligentiam orthodoxæ & Catholicæ veritatis de Eucharistiæ sanctissimo Sacramento.*

# EADEM DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Satiat quinque millia hominum.

EISDEM CAPP. ANNO XXXII.

*In lvi. imaginem adnotatiuncula.* *lvi. 45.*

*A. Christus igitur, cùm panes fregisset & pisces, dat discipulis frangendos & distribuendos.*
*B. Distribuunt Apostoli & discipuli per omnia contubernia, & saturantur omnes.*
*C. Ex reliquijs colliguntur duodecim cophini.*
*D. Compellit nauigare discipulos in terram Genẽsar.*
*E. Secedit in montem orare dimissis turbis.*

TERTIA



## TERTIA PARS EVANGELII MISSÆ.

| MATTH. XIIII. | MARC. VI. | IOAN. VI. | LVC. IX. |
|---|---|---|---|
| *panes:* | *& fregit panes, & dedit discipulis suis* | distribuit | *[a] & distribuit discipulis suis,* |
| *[b] discipuli autem dederunt turbis.* | *vt [b] ponerent ante eos:* | [b] discumbentibus. | *vt ponerent ante turbas.* |
| | *& duos pisces diuisit omnibus.* | Similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autẽ impleti sunt, dixit discipulis suis, Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt | |
| *Et tulerunt* | *Et[c] sustulerunt reliquias fragmentorum,* | | *& sublatum est quod superfuit illis,* |
| *duodecim cophinos fragmentorum plenos.* | *duodecim cophinos plenos;* | duodecim cophinos fragmentorũ, ex quinq; panibus hordeaceis, quę superfuerunt his qui manducauerant. | *fragmentorum cophini duodecim.* |
| *Manducantium autem fuit numerus* | *& de piscibus. Erãt autem qui manducauerant quinque millia virorum.* | | |
| *exceptis mulieribus & paruulis.* | | | |
| | | Illi ergo homines; cùm vidissẽt quòd fecerat IESVS signũ, dicebant: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in Mundum. IESVS ergo cùm[e] cognouisset quia venturi erant vt raperent eum, & facerent eum Regem; | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XIIII. MARC. VI. IOAN. VI. LVC. IX.

| | | |
|---|---|---|
| *Et statim [a] iussit IESVS discipulos ascẽdere in nauiculam, & præcedere* | *Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dũ ipse dimitteret populum.* | |
| *donec dimitteret turbas.* | | |
| *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* | *Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.* | fugit iterũ in mõtem ipse solus. |

## ADNOTATIO.

*Hæc additur imago ad maiorem rei expressionem.*

*A.* CHristus igitur cùm panes quinque fregisset, dat discipulis itidem frangendos, illi affatim cophinos implent eisdem, nec desunt vnquam. Itaque erant qui implerent semper, alij qui apponerent contubernijs.

*B.* Neque solos intelligamus fuisse Apostolos qui distribuebant, sed hos primarios, ac per hos alios discipulos, qui cum turbis ad IESVM cõuenerant. Saturantur omnes è quinque panibus & duobus piscibus.

*C.* Supersunt fragmentorum cophini duodecim. Dimittit deinde turbas gratias illi agentes diuinas certatim: eis ipse benedicit humanissimè.

*D.* Postea statim compellit discipulos vt nauim conscenderent, & eum præcederent ad Bethsaidam, donec turbam dimitteret:

*E.* Qua dimissa ascendit in montẽ solus orare, atque adeò fugit: cognouerat siquidẽ quòd essent venturi vt eum raperent, & Regem constituerent. Benedixit quidem tunc quinque panibus Christus & duobus piscibus, fregit illos, satiauit ex illis quinque hominum millia: tam facilè infinitos alios satiasset. Quid nunc è cælo? desitne idem præstare Christus? Non desiit, sed idẽ facit hactenus semper, & ad consummationem vsque seculi faciet: per Sacramenta, præsertim Eucharistia, per dona, per virtutes: quicquid est enim gratiæ, quinque panes sunt, id est quinque Christi vulnera: & duo pisces, anima eius scilicet & corpus, quæ in cruce quasi frixa exaruerunt: ex horum enim virtute promanat quicquid largitur gratiæ Deus.

## MEDITATIO.

PAscis tu quidem nos verbo tuo continẽter, Domine IESV, sed excitatur interim in nobis desiderium tui cælestis cibi Eucharistiæ, & panis supersubstantialis. Id hoc Euangelio & mysterio significas, benigne IESV, & doces vt verbo Dei, meditatione, oratione nos muniamus atque disponamus, dein ad mensam accedamus sacro-sanctæ Synaxeos; vbi primùm quidem vim vulnerum tuorum sentiamus, id est passionem tuam cordi imprimamus, gustu præterea spiritualium consolationum imbuamur, deinde sensum accipiamus spiritualem septem Sacramẽtorum, ex alio miraculo septem panum, quæ ab illis quinque vulneribus, & tua passione fluxerunt: ac ne tunc quidem deerunt in obsonium & spiritualẽ gustũ pisciculi. Hæc concede nobis, sancte IESV: simul cõfirma cor nostrũ, & præsta, vt efficax sit nostrũ ministeriũ in proximos, nec titubemus, vel desides simus in illis iuuãdis, sed firmi & feruẽtes, neque dicamus, etiãsi nõ verbo, Desertus est locus, hora præterijt, dimitte turbas. Hæc debilitas est spiritus. Audite quid nobis Christus respõdeat: Nõ habẽt necesse ire; date illis vos manducare: excutite pigritiã, per vos iuuãdus est proximus vester & meus, hoc est qui fame spiritus periclitantur, ad hos cibandos vocati estis. Excita igitur nos, Christe IESV, vt cogitemus vnde nobis proueniat hæc animi promptitudo & facilitas, & id studiosè inquiramus, accipiamus, exerceamus. Amen.

FERIA



# FERIA SECVNDA POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ.

Eijcit primò vendentes de Templo.

IOAN. II. ANNO XXXI.

*In lvij imaginem adnotatiuncula.* lvij. 16.

*A.* Atrium tertium templi, vbi primò eijcit vendentes sub initio prædicationis: nam iterum post solemnitatem palmarum idem fecit.

*B.* Eijcit IESVS vendentes de templo, terrens flagello quod in eos intendebat.

*C.* Permoti Iudæi petunt signum cur hæc faciat.

*D.* Respondet IESVS, Solnite templum hoc, &c.

*E.* Templum ædificatur sub Zorobabel & Iosedec, etc. quia dixerant Iudæi; Quadraginta sex annis ædificatum est, &c.

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. II.

POST hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius; & ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS [a] Hierosolymam: & inuenit in templo vendentes boues & oues & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi [b] flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues; & nũmulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui columbas vẽdebant dixit; Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est; Zelus domus tuæ comedit me. [c] Responderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei; Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? [d] Respondit IESVS, & dixit eis; Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi; Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit IESVS. Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, vidẽtes signa eius quę faciebat. Ipse autem IESVS non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

ADNO-

## ADNOTATIO.

*A. POstquam primum illud signum in Cana Galilææ fecerat Christus, conuersionis aquæ in vinum, venit cum matre, cognatis, & discipulis Capharnaum. Ibi non ita multos dies egit: inde ascendit Hierosolymam ad festum Paschæ, & venit in templum, atque inde vendentes, &c. eiecit. Hæc prima est eiectio: de ea enim hic agit; secũda in hebdomada qua est crucifixus gesta est. Huius & illius discrimen vide ij. Feria Dominicæ primæ in Quadragesima. Hic tamen sunt appendices, vt illic suæ.*

*B. Postquam ex imperio vendentes eiecit Christus è templo, intendens in illos flagellum ex funiculis confectum, terrens quidem illos, non cædens;*

*C. Permoti Iudæi nouitate, & rei, & hominis, qui tunc primùm Hierosolymis fiebat ceiebris petunt signum, quo illa auctoritas & imperium confirmetur. Iam primùm incipiunt à ceeitate: nam illud signum nonne erat insigne, quòd solo verbo tantam multitudinem expelleret?*

*D. Et tamen signum dat illis IESVS, in illorum confutatione, cui non essent crediturii. Vt enim Achaz Regi vaticinatus est Esaias verbi diuini futuram incarnationem, ita his Christus quòd templum corporis sui essent soluturi, ipse suscitaturus.*

*E. Repræsentatur templi ædificatio sub Zorobabel & Iosedech, tam laboriosa, tam impedita, tam diuturna, vt ante quadraginta sex annos inchoatum templũ consummari vix potuerit, propter vicinorum hostium, præsertim Samaritanorum inuidiam & oppugnationem.*

*Meditatio Feriæ IIII. post Dominicam I. Quadragesimæ hic subseruire potest.*

# FERIA TERTIA POST DOMINICAM IIII. QVADRAGESIMÆ.

Docet Iesvs: concitantur contra eum Iudæi.

IOAN. VII. ANNO XXXII.

*In lviij. imaginem adnotatiuncula.* lviij. 51.

*A. Templi atrium secundum, vbi ad dimidiatum festum Scenopegiæ quasi in occulto mãsit IESVS.*
*B. Die festo mediante docet, cùm varij de eo sermones fuissent.*
*C. Moyses cum tabulis legis significat quod dixit, Nemo ex vobis seruat legem.*
*D. Inflammantur in IESVM Iudæi: dicunt; Dæmonium habes, &c.*
*D. Respondet IESVS benignè, & docet sapienter.*
*E. Piscina vbi sanatus fuerat paralyticus sabbatho, quod reprehendebant Iudæi.*
*F. Dæmonculi significant Iudæorum sensum animum contra IESVM.*

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. VII.

IVdæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant; Vbi est ille? & murmur multum de eo erat in turba: quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Nemo tamẽ palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum. Iam autem die festo [a] mediante ascendit IESVS in templum, & [b] docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes; Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Respondit eis IESVS, & dixit; Mea doctrina nõ est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatẽ eius facere, cognoscet de doctrina vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nónne [c] Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit [d] turba, & dixit; Dæmonium habes: quis te quærit interficere? [b] Respondit IESVS, & dixit eis; Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus: & in Sabbatho circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbatho? Nolite iudicare secundùm faciẽ, sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis; Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt Principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo IESVS in templo docens, & dicens; Et me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quẽ vos nescitis. Ego scio eum; & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eũ, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

## ADNOTATIO.

*A. TEmplum, ad quod festo Scenopegiæ medio venit IESVS & docuit, simul acerrimam habuit cum Iudæis disceptationem. Ascendentibus enim eius cognatis ad festum; dixit se non ascensurum: & id quidem nõ mysticè solum dixit, sed reipsa fecit: nam ad dimidiatum dumtaxat festum ascẽdit in templum. Antea ascenderat quidem ad festum, non tamen manifestè, sed quasi in occulto; vel omnino nondum, vt est & ecce dixit se ascensurum. In eo itinere, quod habuit per mediam Galilæam & Samariam, decem leprosos sanauit, & hospitio prohibitus est in quadam Samariæ ciuitate.*

*B. Docet Christus in templo quarto die festi Tabernaculorũ, quum tribus primis diebus fuisset de ipso plurimum murmur in templo iactatum; aliis dicentibus, bonus est, aliis contrà, non est, sed turbas seducit: omnes tamen susurrabãt, nullus palàm de eo loquebatur, ex iis præsertim qui illum probabant; timebant enim Pharisæos, hostes Christi professos ac capitales. Mirantibus autem Pharisæis vnde literas sciret, cùm à nullo didicisset, intẽdit IESVS digitum in cælum, demonstrans doctrinã suam Patris esse doctrinam, se sapientiam esse à Patre genitam, non à se; & quæ doceret, non à se docere, sed à Patre, à quo accepisset quæ haberet omnia. Sum enim, inquit, principium quidem, sed ex principio, verbum à*

*dicente*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dicente & generante me Patre. Do igitur gloriam Deo mea hac professione, nō quæro meam. Hæc verò cognoscet si quis voluerit Patris exequi voluntatem, si quis sua voluntate respōdeat, consentiat, & cooperetur diuinæ præuenienti voluntati & gratiæ, quæ semper nos præuenit. Illuminatio præterea cordis ipsi proueniet, sensus etiam spiritualis, & gratiæ diuinæ gustus & præclara indicia.*

*C. Moyses innuitur cum duabus tabulis dans Israëli legem, quam nullus Iudæorum seruabat, quod Christus illis exprobrat & obijcit: præsertim cùm vellent ipsum interficere.*

*D. Inflammantur iracundia Iudæi ad hæc Christi verba, & ingerūt atrox conuicium; Dæmonium, inquiunt, habes: nullus hic te vult interficere. Nihil est malitiosæ menti, & per hypocrisim simulatæ intolerabilius, quàm si videat suas cogitationes verè & clarè traduci. Nónne vos estis illi Iudæi, qui apud Hieremiam dicitis;*

Ier. 11. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius nō memoretur amplius?*

Sap. 2. *& qui apud Sapiētem dicitis; Venite, circumueniamus iustum, contumelia & tormento interrogemus, morte turpissima condemnemus eum? Sed ut tandem? Contrarius enim est operibus nostris, improperat nobis mādata legis, diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat (quod etiam dum diceret Christus, Doctrina mea non est mea, intelligere potuerunt Iudæi) factus est in traductionem cogitationum nostrarum. Quid potuit dici apertius? Nonne digito Hieremias & Sapiens vos denotant, qui hodie cum Christo disceptatis?*

*B. Hæc cùm ita sint, respondet tamen illis IESVS benigne & sapienter: Vnum opus operatus sum, & omnes miramini, &c.*

*E. Piscina, & sanatus ibi paralyticus repræsentatur: nam illine occasionem acceperant Iudæi calumniæ, vt odium suum & inuidiam explerent, quòd Christus in Sabbatho illum hominem sanasset.*

*F. Illud tamen festiuè pictor adiunxit, capitibus Iudæorū insistentes dæmoniculos cum vinculis, vt significetur quid in eorum animis operarentur Diaboli; vt scilicet Christum vinctum ducerent atque interficerent: quod tamen noluit Christus fieri tunc. Nondum enim illius hora mortis aduenerat.*

## MEDITATIO.

EST quidem necessaria acquisita Theologia quam discimus, sed ipsa non nostra sola industria vel præceptorum, sed è diuina gratia ac virtute lucem recipere debet, & ad principia sua referri. Non dico solùm ad scientiæ illius principia, sed ad te sancte IESV, fontem luminis omnis & scientiæ. Hanc tamen relationem non assequimur, hanc non docent nos præceptores; ad hos tamen sensus spiritus & lucē in scientijs & studijs est contendendum, cum omni cordis simplicitate in Christo. Est porrò alia doctrina quæ huic supereminet, & tota est diuina, mentis scilicet illustratio extraordinaria: hac solent à Deo ornari singulari pietate viri, & mulieres etiā literarum expertes, qui mirabili modo fiunt theodidacti. Huiusmodi doctrina ex orationis & contemplationis perfectione prouenire è Dei benignitate solet, & operū perfectione. Conseruanda autem est, quod ad nos attinet, vnicè in rebus omnibus, ad maiorē Dei gloriam aspirando, nihil philautiæ admiscendo, nihil vanitatis; Christo semper nitendo, in profunda cordis simplicitate atque humilitate. Neque tamē propterea negligenda doctrinæ acquisitio est, quæ in scholis traditur orthodoxis, præsertim si ex Ecclesiastica missione & functione docendum sit, siue concionandum. At verò si aliquas acceperis diuinas illustrationes, eas cum omni animi promptitudine ac simplicitate legitimæ Ecclesiæ, & eius Principibus summittas oportet. Primo verò loco Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pōtifici. Has doctrinæ rationes doce nos Christe IESV bone, quò tuam voluntatem agnoscamus, & ad perfectionē intento animo contendamus, atque in ministerijs nostris simus efficaces in te. AMEN.

FERIA



# FERIA QVARTA POST DOMINICAM IIII. QVADRAGESIMÆ.

## Sanatur cæcus natus.

IOAN. IX. ANNO XXXII.

*In lix. imaginem adnotatiuncula.* lix. 57.

A. Templum, vnde egressus fuerat IESVS & absconderat se, cùm eum volebant lapidare Iudæi.
B. Cæcus sedens & mendicans, non procul à templo.
C. Christum interrogant Apostoli; Quis peccauit? Respondet Christus, & docet eos.
D. Exput Christus in terram, facit lutum.
E. Inungit oculos cæci, iubet lauari.
F. In notatoria Siloë, iuxta ruinam turris quæ oppressit xviij. homines.
G. Lauit cæcus, redit videns.
H. Varia disceptatio, primum inter vicinos; hic est, non est, sed similis ei, &c.
I. Ducitur ad Pharisæos, interrogatur, fit schisma inter eos.
K. Vocantur parentes, qui vix audent dicere.
L. Existit rursus acrior inter Pharisæos, & eum qui cæcus fuerat, contentio.
M. Pharisæi demum hominem execrati è Synagoga eiciunt.
N. Inuenit itaque eum Christus ac recipit, seq; illi Dei filium esse declarat.

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. IX.

ET præteriens IESVS vidit [b] hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum [c] discipuli eius; Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS, Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, [d] expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & [e] liniuit lutū super oculos eius, & dixit ei; Vade, laua in [f] natatoria Siloë, quod interpretatur Missus. Abijt ergo, & [g] lauit, & venit videns. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebāt, Nónne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est: alij autem, nequaquam, sed similis est eius. Ille verò dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei; Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit; Ille homo qui dicitur IESVS, lutū fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi; Vade ad natatoriam Siloë, & laua. Et abij, & laui, & video. Et dixerunt ei; Vbi est ille? Ait; Nescio. [i] Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem [k] Sabbathum quando lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis; Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam; Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit. Alij autem dicebant; Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & schis-

Universidad de Deusto
Biblioteca





ma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit; Quia Propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocauerunt [k] parentes eius qui viderat: & interrogauerunt eos, dicentes; Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt; Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt, quia ætatem habet, ipsum interrogate. [l] Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei; Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille; Si peccator est nescio: vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video. Dixerunt ergo illi; Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis; Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt; Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis; In hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatē eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Responderunt, & dixerunt ei; In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et [m] eiecerūt eum foras. Audiuit IESVS quia eiecerunt eum foras: & cùm [n] inuenisset eum, dixit ei; Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit; Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei IESVS; Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait; Credo Domine: & procidens adorauit eum. Et dixit ei IESVS; In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei; Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis IESVS; Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* TEmplum: inde enim exierat vt se abscōderet IESVS, vbi arreptis lapidibus illum voluerant Iudæi lapidare, propterea quòd dixisset, Antequam Abraham fieret, ego sum. Illinc igitur præteriens, vidit hominem à natiuitate cæcum.

*B.* Cæcus sedens & mendicans, non longè à templo.

*C.* Christum interrogant Apostoli, videntes cæcum, & audientes à natiuitate cæcum esse; nū illa prouenisset cæcitas ex eius peccato, an ne ex parentum. Intelligebāt enim affligi propter peccata sua homines, filios etiam propter parentū. Vtrumque negat Christus; sed ad gloriā, inquit, Dei per me illustrandam natum illum hominē cæcum. Qua responsione & Apostolorum curiositatem perstringit IESVS, & docet causam ad quam omnia quæ videmus à Deo fieri, referre debeamus, ad eius videlicet gloriam, nec facile de causis alijs esse iudicandū. Attollit simul illorum mentem ad miraculi, & gloriæ Dei exspectationem. Me, inquit, oportet operari opera eius qui misit me, dum dies est; venit enim nox, in qua nemo potest operari: quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Similiter atque me nūc videbitis, oportet me donec dies gratiæ est operari, donec scilicet Ecclesia militans perseuerat: succedet enim nox in Iudicio vniuersali, & sclorū consummatione, non filijs lucis, sed tenebrarum, vbi nullus poterit opera gratiæ operari. Tunc enim ego misericordiam conuertam in iudicium, & filij lucis præmium laborum accipiēt, & erunt impiorum hominum iudices: impij manibus & pedibus ligati in tenebras exteriores conijcientur. Lux ego sum mundi huius, longè clarior, ac multò præstantior quàm Sol hic omnibus conspicuus: verùm vt perpetuus non est hic mundus, sed finem est accepturus, & noua futura sunt omnia; ita mea hæc lux gratiæ, quæ diem Ecclesiæ facit, euadet in gloriæ lucem, & triumphantis Ecclesiæ perpetuum diem.

*D.* His verbis cùm animos Apostolorum erexisset, expuit in terram, inclinat se, miscet lutū, vngit cæcum;

*E.* Vngit eius oculos luto, iubet ire lotum ad natatorium siue piscinam Siloë: it, lauat, redit videns.

O beatum cæcum, ô felicem hominis cæcitatē, quem Christus suo sputo, & luto illuminauit atque sanauit! Sum ego cæcus Domine, illini oculos cordis mei. Illuminantur quidem cæci huius oculi: significatur verò salutem recipere humanum genus vnctione luti, & lotione. Pater enim, qui caput Christi est, spuit verbum in terram, & fecit lutum, verbum videlicet carnem: hoc luto inunxit hominem, & lauari iussit aqua baptismi, largitus est homini visum, & dedit salutem.

*F.* Natatoria vel piscina Siloë, id est Missi, Brocard. eius quem item Silo vocauit Iacob; ante cuius aduentum non erat auferendū sceptrū de Iuda. Non est hæc probatica, non fons Siloë, non piscina superior, sed inferior piscina, quæ à superiori fonte & piscina aquam recipiebat. Iuxta hanc fuit turris, quæ sua ruina oppressit decem & octo illos homines.

*G.* Redyt cæcus videns ad suos: hic oritur illa celebris disputatio.

*H.* Primùm inter vicinos: num hic ille cæcus? non est, similis illi est, ego sum: exponit deinde quo pacto viderit.

*I.* Ducitur ad Pharisæos, rogant quomodo viderit, idem respondet: fit inter ipsos schisma, alijs factum vituperantibus, quo Sabbathum violaretur, alijs defendentibus: fieri, inquiunt, nequit, vt homo peccator huiusmodi signa edat: deinde non creditur cæco.

*K.* Vocantur parentes, de filio respondēt omnia; non audent tamen confiteri à quo, vel quomodo sit sanatus, timentes ne è Synagoga eijcerentur, & templo, & sacris priuarētur: illa erat Iudæorum excommunicatio.

*L.* Rursus existit acrior cum cæco disceptatio, contendentibus Pharisæis inuidiam Christo cōflare ex illo facto, constanter cæco causam agente pro Christo. Vnde tibi, ô cæce, hoc ingenij lumen? vnde hæc facultas dicendi? Vnxerat videlicet te IESVS, & lucem interius tibi inseruerat. Sed cur dicis Deum peccatores non exaudire? Quod contrà fit: nam publicanum exaudiuit Deus, & passim alios. Nō (inquit) est necessum qui lucem accipit fidei, cum è vestigio omnia nosse fidei mysteria: vel plane peccatores non exaudit Deus, si è peccato, vel ad peccatū eorū oratio dirigatur.

*M.* Tandem conuicti à cæco & confusi, illum eijciunt, sacris illum interdicunt, & ingressu templi vel Synagogæ. Alia omitto persequi, quæ nō sunt harum annotationum: sed tamen sit defensor & patronus Christi cæcus, causam agit cæcitas pro immēso diuinitatis lumine, opprimit ora Pharisæorum, accipit præmium à Christo maxi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*mum; illi enim profitetur IESVS, se esse filiũ Dei, quod vix Apostoli intelligebant.*

*H. Christus inuenit cæcum pro sua prouidentia.*

## MEDITATIO.

EN Domine IESV, ego cęcus sum,& quidem à natiuitate. Natus sum cæcus per peccatum, ablato autem per baptismum peccato, reliquisti tu quidem in me de tua prouidentia in exercitium virtutis cæcitatem, id est ignorantiam, tum malam voluntatis propẽsionem, concupiscentiã, atque infirmitatem, per quæ illa fouetur ignorãtia & cæcitas. Porrò cæcitatem illam, & reliqua mala plurimis peccatis auxi prolixè. Animaduerto meam cæcitatem, nihil video verioris lucis, nihil purioris veritatis. Intelligo quidem ex vniuersis creaturis tuis lumen tuum extare diuinum, & te indicare: & tamen ego illud non video. Est maior lux in virtutibus, & in præstantioribus amplior, splendidior & efficacior in Sacramentis, in Ecclesia, eximia in sanctis, excellens in Virgine gloriosa, infinita in te, Christe IESV, in Deo trino & vno. Et quis hæc secreta nouit? Quis dignè contemplatur? Spue sanctè Pater in terrã cordis mei & potẽtiarum verbum tuum, quod ros est natiuitatis filij tui, gustũ imprime tuæ veræ contemplationis; & fiet vt videam mirabilia tua, illa prædicem, & te laudem in secula: pro te item contra aduersarios tuos veritatem tuam propugnem. Oro, Domine, vt de tua misericordia mihi sublimem illam veritatem tuam, & lucem quæ tu es, communices, vt voles, vbi voles, benigne & magnè IESV. Amen.

# FERIA V. POST DOMINICAM IIII. QVADRAGESIMÆ.

Ad Naim suscitatur filius viduæ.

LVC. VII. ANNO XXXI.

*In lx. imaginem adnotatiuncula.* lx. 28.

*A. Capharnaum, vbi fuerat seruus Centurionis sanatus: inde venit IESVS Naim.*
*B. Naim ciuitas in tribu Issachar.*
*C. Pompa funeris, turba flet, & mater miserabiliter se affligit.*
*D. Videt eam IESVS, consolatur; Noli flere: tangit loculum, stant portitores, adolescentem à matruis excitat.*
*E. Fit celebre hoc miraculum; vnde Ioannes occasionem mittendi discipulos ad IESVM.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. VII.

ET factum est [a] deinceps, ibat Iesvs in ciuitatẽ quę vocatur [b] Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portę ciuitatis, ecce defunctus [c] deferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. [d] Quam cũ vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi; Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autẽ qui portabant, steterunt. Et ait, Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit autẽ omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes; Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebẽ suam. Et exijt hic [e] sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* CApharnaũ, vbi fuerat seruus Centurionis sanatus: inde enim discedens IESVS venit in ciuitatem Naim.

*B.* Naim oppidum siue ciuitas, ita enim ferè oppida appellant Euangelistæ, quæ erat in tribu Issachar, ad secundum milliare montis Thabor, ad Austrum iuxta Endor, in ea planitie quæ inter Thabor & Hermonium, id est minorem Hermon media est, ad radicem tamen Hermonij. Hier. de loc. Hebr. Ziegler.

*C.* Pompa funeris: portatur à quatuor hominibus defunctus adolescens, viduam mater funus sequitur, miserabiliter se affligẽs & ciuium deplorat vnici filij mortem, sequitur turba ciuitatis multa. Christus verò eodẽ temporis momento veniebat Naim cum discipulis, & copiosa itẽ turba. Mirificè conueniũt omnia. In Naim, id est iucunditatem & pulchritudinem cælestem proficiscebatur IESVS, quoad inter homines vixit, cum ijs qui eius fidem & doctrinam reciperent: quid aly homines? mortui sepeliebant mortuos suos. regnabat enim mors: Ecclesia deplorat hominum calamitatem: illis occurrit Christus, vitam & salutem illis affert, modò sistant ea quæ mortẽ peccati fouent, modò audiant, & obediant Deo viuenti qui peccato sunt mortui.

*D.* Vidit Christus feretrũ mortui, vidit pompam funeris, vidit multitudinem, sed ad solam matrem spectasse dicitur; materni doloris misericordia commouetur: Christus enim IESVS Ecclesiæ semper miseretur, Christus illam semper exaudit. Solatur benignè, vt viduam desolatam: Noli flere. Sedat viduæ dolorẽ interius, spem erigit, simul accedit & tangit loculum, stat qui mortuum portabant, compellat illum Christus: Adolescens, tibi dico, surge. Audit anima adolescentis ex limbo, audiunt patres, magnificant Deum, confirmant spem: obedit anima adolescentis, effertur ab Angelo suo ad corpus, vnit illã cor pori Christus, residet adolescens viuus in feretro, incipit loqui, dat Deo & Christo gloriã, exhibet illũ Christus matri suæ: corripit omnes timor, reuerentur Christum, eius opera magnificant, Deum laudãt. Quam sæpe similiter nobiscum agit Christus, è cælo audiens Ecclesiæ & Sanctorum orationes! Accedit, tangit nos suis visitationibus, sua diuina manu & disciplina: steterunt illi portitores, nos ad Infernum properamus; audit adolescens mortuus, nos obsurdescimus ad vocem Christi: quid tandem expectare possumus, nisi vt progrediatur funus nostræ mortis, & sepeliamur in Inferno? Auertat tam atrox malum Deus. Sed tamen non auertet, nisi nos ex eruditione huius vel aliorum miraculorum, & doctrinæ Christi ad meliorem vitæ frugem conuertamur. Et illud videt: tangit lignum IESVS, quia per lignum salus & vita mundo affertur. Hæc verò fily viduæ suscitatio facta est celeberrima: nam exijt eius fama per Iudæam vniuersam, hoc est per tribus Iuda, Beniamin, Ephraim, dimidiam Manasse; & non dubium quin per vtramque Galilæam, & Peræam, id est regionem trans Iordanem.

*E.* Hinc commoti & excitati Ioannis discipuli, venerunt ad Ioannem Macherunta, in carcerem, & narrauerunt de gestis Christi, de hoc præsertim.

## MEDITATIO.

QVI est in peccato mortali, mortuus est; nec apparet adhuc illa mors animæ: & tamen portatur quasi mortuus, vt in Infernũ conijciatur, sepulchrum animarum & corporum perpetuum & horrendum. Portatur verò à quatuor bajulis, intellectu, voluntate, sensualitate, & his quidem deprauatis & perditis; quartus portitor sunt actiones peruersę. In Ecclesia est hic, si quidem Christianus sit, saltem baptismali charactere; Ecclesia est eius mater, à qua deploratur eius interitus; lugetur à pijs omnibus, qui illum prosequuntur charitate, oratione, lachrymis, nec possunt iuuare vel reuocare; non desistunt tamen sequi & miserari. Est in Ecclesia Christus sua diuinitate, sunt Angeli, sunt Sancti cum Christo: aliquando etiam ille in humanitate adest, nõ solùm in Eucharistia; Sancti & Angeli multi sunt præsentes re ipsa. Reuocat Christus cum Sãctis eũ qui est Inferno obnoxius, ad Naim, id est patriam cælestem; videt enim eius matrem Ecclesiam, huius miseretur, accedit, prœuenit, tangit loculum, id est cor, & vlcus peccati: stant portitores, reficiuntur potẽtiæ, vocat mortuum, vim spiritus inserit; hinc fit vt surgat, illum dat Ecclesiæ gubernandum. Similiter enim egit Christus dum in terris versabatur, ibat, deducebat in Naim suos: contrà mundus sepeliebat mortuos suos; obuiã ibat Christus, & à morte liberabat. Porrò qui in imperfectionibus assiduè versatur, quid aliud quàm paulatim moritur, & quasi ad sepul-

Universidad de Deusto
Biblioteca



chrum mortalis peccati tendit, nisi orationibus Sanctorum iuuetur, & gratia Christi occurrentis, accedentis, tangentis, vocantis? Occurre nobis, Domine Sancte IESV, cum tuis Sanctis & Angelis, iube sistere gradum nostros portitores, tange loculum, hoc est cruci tuæ da efficaciam in nos: & fac vt nobis vertatur loculus is in vitam, vi tuæ crucis, quo ad mortem & sepulchrum portabamur: voca nos à via mortis, & da matri: surgemus læti, matri nostræ Ecclesiæ obedientes studiosè te iuuante. Amen.

# FERIA VI. POST DOMINICAM IIII. QVADRAGESIMÆ.

## Mittuntur nuncij à sororibus de graui morbo Lazari.

IOAN. XI. ANNO XXXIII.

*In lxi. imaginem adnotatiuncula.* lxi. 76.

A. Bethania, Castellum Mariæ & Marthæ.
B. Lazarus grauiter ægrotans decumbit, inseruiunt ei sorores.
C. Mittunt nuncios ad IESVM Bethabaram.
D. Bethabara, oppidum trans Iordanem in tribu Ruben.
E. Deueniunt ad IESVM nuncij, & tamen heret Bethabaræ, donec veniat ad quatriduanum.

## PRIMA PARS EVANGELII MISSÆ.

IOAN. XI.

ERAT autem quidam languens Lazarus à [a]Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. [c]Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes; Domine, ecce quem amas, infirmatur. [c]Audiens autem IESVS, dixit eis; Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem IESVS Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo [c]audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus: deinde post hæc dicit discipulis suis; Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli; Rabbi, nunc quærebāt te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit IESVS; Nónne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hæc ait: Et post hæc dicit eis; Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius; Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autē IESVS de morte eius, illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo IESVS dixit eis manifestè, Lazarus [c]mortuus est: & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non erā ibi: sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus & nos, & moriamur cum eo.





## ADNOTATIO.

*TRibus imaginibus fuit operæpretium huius Euangelij historiam complecti, propter eius amplitudinem, & actionum varietatem.*

*A. Bethania, Castellum Mariæ & Marthæ sororum: nam harum dicitur Bethania, Lazarus tantùm è Bethania. Erat autem Maria ea mulier, quæ vnxerat pedes IESV, & capillis detersérat, non solùm quæ erat vnctura: quare illa est eadem Lucæ, quæ fuerat peccatrix, postea verò sancta. Sita erat Bethania ad latus Olueti montis orientale, ad radicem montis ad austrum vergens, secundo fere milliario ab Hierosolymis, quindecim videlicet stadijs.* Hier. in Epist. Paul. Brocard.

*B. Lazarus frater Mariæ & Marthæ, è morbo magis in dies debilitatus & languens decumbit, inseruiunt ei sorores, mœrent ac timent, tota domus est solicita. Consilium igitur sumunt, vt IESVM euocent celeriter: sciebant illum esse in Perœa Bethabaræ; nam eò descendens ab Hierosolymis, per Bethaniam iter habuerat.*

*C. Mittunt legatos suos, idoneos homines: contemplare quanta solicitudine ac curá rem cōmendent nuncys: crescit in singula momenta morbus, in summo est periculo, nulla spes nisi in IESV: & tamen nihil aliud, quàm significetis, quem amat, eum infirmari: non enim poterit amor quo hunc prosequitur pati, vt hic periclietur vel egrotet.*

*D. Bethabara oppidum trans Iordanem, vbi fuerat Ioannes baptizans: eò enim secesserat IESVS, postquàm se eripuerat è manibus Iudæorum, qui in festo Scenopegiæ & Encæniorum volu erant illum lapidare.*

*E. Ad IESVM veniunt legati à Maria & Martha, referunt verba concepta sororum; Domine, ecce quem amas, infirmatur. Quinque verbis orant, vt publicanus: efficax nimirum significatur esse oratio, per quinque Christi vulnera. Non est ad mortem, inquit IESVS, hæc infirmitas Lazari, non est: non enim moritur iustus, sed commutat vitam mortalem hanc & miseram cum immortali illa & beata. Non est ad mortem diuturnam, vt aliorum, sed ad celerem resurrectionem. Non est ad eius mortem, sed ad excellentem Dei gloriam; ad meam videlicet mortem & resurrectionem. Hinc enim accepta occasione me crucifigent Iudæi, vnde ego gloriosè resurgam. Diligebat autem IESVS Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Etiam si amor sororum & Lazari suadebat vt illum sanaret, obedientia tamen patris, & amor crucis persuadebat vt illum mori sineret; vnde rursum maiorem amorem demonstrāret illum è morte suscitans. Domine, sim obsecro inter eos quos amas; verùm ne permittas me in peccati mortem labi, vt soles nonnunquam quos amas. Nam propterea Lazarum virum sanctum vitæ huic reddidisti, primùm vt ne nos excederemus è vita spiritus: quòd si in mortem incideremus, ne desperaremus tamen vitam. Haret Bethabaræ IESVS, donec videt mortuum Lazarum. Tunc, id est post duos dies, dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam, id est Bethaniam, quæ in Iudæa, in tribu tamen Beniamin: quò die sexto peruenit quàm nuncij venerāt. Voluit enim expectare primùm vt morceretur, deindeait quatuor dies haberet in monumēto, quod ad miraculi spectabat celebritatem. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Trepidant: timebant enim, non solum Christo, sed sibi: quod Thomas statim explicabit. Modò, inquiunt, abfuit parum quin te in festo Scenopegiæ lapidarent atque interficerēt Iudæi, & tam citò illuc redis? Depelle à nobis, bone IESV, similes timores, vt tecum fortiter pro veritate mortem velimus oppetere. Hic considera, vt portetur anima Lazari ab Angelis in sinum Abrahæ, vt à Patribus recipiatur, quanta narret de Christo, quanta omnium sit exultatio. Respōdet IESVS; Nonne duodecim horæ, &c. Habuerunt Hebræi passim horologia horarum inæqualium: ita quòd perpetuò horarum duodecim diem artificialē, tum noctem. Huiusmodi erat horologium Achaz apud Esaiam. Hortatur Apostolos suauissimè, vt ipsum permittant diem suæ vitæ tēporalis obire integrum, nondum esse ad duodecimam horam deuentum. Hortatur cum ipso in ea luce vt ipsi ambulent confidenter, caueāt verò à nocte, vbi lux eius vitæ mortalis extinguetur, caueant ne ibi offendant. Aperi nobis semper hunc diem, Domine, tuæ lucis, vt nunquam in tenebris ambulemus, neue offendamus. Hæc autem ait; & post hæc dixit eis; Lazarus amicus noster dormit; non erat enim eius infirmitas ad mortem, vt dixit etiam aliàs: Non est mortua puella, sed dormit. Et dormiunt quidem feliciter Sancti mortui, qui corporis quidem vitam non habent, habent animæ longè clariorem, illam corporis re-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*cuperaturi, si paululum expectent, donec numerus Sanctorum compleatur. Tunc dixit IESVS manifestè; Lazarus mortuus est: mysterio quidem mortuus non erat, sed dormiebat: auferr mysterium, dicatur apertè, revera separata erat anima eius à corpore; itaque mortuus erat. Loquere nobis, bone IESV, manifestè, neque enim aliter intelligimus: vel aperi nobis spiritus intelligentiam, vt quæ mystice nobis loqueris, intelligamus. Sed gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: gaudeo quòd ibi non fuerim: Sic enim maius argumentum habebitis ad fidem vestram confirmandā, quàm si adfuissem. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad cōdiscipulos; Eamus & nos, & moriamur cum eo. Consequenter Thomas, iuxta ea quæ dixerant alij, trepida quadam confidentia respondet, & quasi proiecta.*

# EADEM FERIA VI. POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ.

## Venit IESVS Bethaniam.

EODEM CAP. ANNO XXXIII.

*In lxij. imaginem adnotatiuncula.* lxij. 77.

*A. Venit IESVS à Bethabara Bethaniam.*
*B. Nunciant Marthæ nuncij venisse IESVM.*
*C. Occurrit Martha IESV vbi substiterat, iuxta sepulchrum Lazari, nec procidit ad pedes sedula & actuosa virgo: fratrem vix credit ad vitam posse reuocari.*
*D. Abit, vocat Mariam ad IESVM.*
*E. Procidit hæc ad pedes IESV, plorat: colla chrymantur Iudæi.*
*F. Infremit IESVS, turbat se, lachrymatur: ignaris vbi eum posuerunt.*
*G. Sepulchrum Lazari.*

SECVNDA



## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

### IOAN. XI.

VEnit [a] itaque IESVS, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim Multi autē ex Iudæis venerāt ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo vt [b] audiuit quia IESVS venit, occurrit illi, Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad IESVM; [c] Domine, si fuisses hîc, frater meus nō fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi IESVS; Resurget frater tuus. Dicit ei Martha; Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dixit ei IESVS; Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiā si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi; Vtique Domine: ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et cùm hoc dixisset, abijt, & [d] vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens; Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum: nōdum enim venerat IESVS in castellum, sed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exijt, secuti sunt eam, dicentes; Quia vadit ad monumentmm, vt ploret ibi. Maria ergo cùm [e] venisset vbi erat IESVS, videns eum cecidit ad pedes eius, & dicit ei; Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus. IESVS ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei; Domine, veni, & vide. Et [f] lachrymatus est IESVS. Dixerunt ergo Iudæi; Ecce quomodo amabat eum. Quidā autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? IESVS ergo rursum fremens in semetipso, venit ad [g] monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. VEnit IESVS à Iord. & Bethabara Bethaniam, verùm præmiserat nuncios sororum, & nouerat egressuram Marthā, dein Mariam: propterea non rectà voluit in oppidum ad ipsas venire, sed in agro esse, vbi nō longè erat Lazari sepulchrum.*

*B. Veniunt domum nuncij ad Martham, quæ œconomiam administrabat, nec sedebat lugens cum sorore. Sola hæc auditis nuncijs properauit ad IESVM; expleri enim animum suum voluit primùm, nec turbari ocium sororis & luctū; verita item vt intelligerent Iudæi adesse IESVM. Venerant enim Iudæi Hierosolymis ad cōsolandum Mariæ & Marthæ dolorem, velut ipsarum amici; vel multi etiā vt Christi aduersarij, qui subdole illas solarentur, gauderent tamen mortem illam contigisse, & videri, non potuisse IESVM facere, ne moreretur Lazarus, quod postea non tacuerunt.*

*C. Martha igitur occurrit Christo in via, nec procidit statim ad pedes IESV, sed prodens ingenium vitæ actiuæ, IESVM aggreditur; Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus. Imperfectè adhuc credebat Martha, quasi nec absens sanare egrotum potuisset IESVS, nec mortuum suscitare. Respondet IESVS, quod planè erat facturus; Resurget frater tuus: sed actuosa Martha non aperit cor, dolore vehementi, & fidei imperfectione occupatum. Scio, ait, quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Pulsat bonus IESVS vehementius; Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiāsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternū: credis hoc? Hi fuerunt pulsus, quibus elicuit è Martha fidei actum Christus, perfectum quidē in vniuersum, sed cui efficacia deerat particularis. Vtique, Domine, ego credidi, inquit Martha, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Ita frequenter fit in nobis vt non sit efficax fides nostra: nam cùm ea sit principium & radix omnis iustificationis, nostra cooperatione destituitur frequenter, & aliorum actuum, vel fidei, vel aliarum virtutum, qui necessariò adhibendi sunt. Quod autem dicit Christus, Ego sum resurrectio, sensus spiritus designatur eius in*
1.Cor.1. *quo habitat Deus. Ita dixit Paulus: Vt sit Deus omnia in omnibus: &; IESVS factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, item; Christus omnia in omnibus adimpletur: rursum; Omnia in ipso constant, omnia in* Ephes. 1. Colos. 3. *omnibus Christus: alioquin Christus est omniū & horum efficiens causa, meritoria, finalis: formalis esse non potest propriè; est tamen vtcunque per sua dona & sensus spirituales. Similiter sentiebat Beatus Franciscus in oratione, vbi in excessu mentis eructabat cor eius; Deus meus, & omnia.*

*D. Martha venit ad Mariam domum, silentio illi denunciat IESVM adesse, addit, & eam vocare, vel de suo, quòd ita putaret IESVM velle, vel quòd ita ex illo intellexisset.*

*E. Maria lugens quū venisset ad IESVM, in illum aspiciens, commota ex eius præsentia acriùs plorat, exclamat, proijcit se ad eius pedes. Dicit verò idem quod Martha. Perturbatur scilicet spiritus contemplatiui, vbi afflictione aliqua deijcitur de contemplationis actu. Sequuti Mariam fuerāt Iudæi, simul beneuoli, & maleuoli. Plorat Maria, plorat Martha, plorat familia, plorant Bethanienses, plorant consolatorij Iudæi: si non omnes verè, saltem omnes efficij gratia complentur omnia lachrymis.*

*F. Sed quid Christus? Commouetur vehementer etiam illis lachrymis & luctu, infremit spiritu, turbat seipsum, ostendit se velle illum suscitare. Vbi, inquit, illum posuistis? Respondent sibiliter: Domine, veni, & vide. Addit lachrymas IESVS, agnoscunt Iudæi amorē quo Lazarum prosequebatur, & tamen alij obloquuntur: Non poterat, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? Rursum infremuit in semetipso. Neque verò repetitus hic fremitus, illæ lachrymæ ad præsentem tantum modo luctū seruiebant vt, sed horum fidei infirmitatē, illorum impietatē deplorabant; & futuræ crucis & mortis dolorem exhorrescebant, cui suscitatio Lazari datura erat occasionem. Minatur item Diabolo ille fremitus, & peccato, quod mortis, & miseriarum causa fuerit. Hoc semper fecit Christus quoad vixit. Quid enim fuit eius vita? Quid præcipuè mors? Nonne fremitus ingens, & in Diabolum, mortem, mundum, peccatum, infernum comminatio? Nec comminatio solùm, sed victoria.*

*G. Sepulchrum in agro: substiterat enim extra castellum IESVS ad iactum lapidis, vnde non aberat longè sepulchrum.*

EADEM



# EADEM FERIA VI. POST DOMINICAM IIII. QVADRAGESIMÆ.

Suscitat Lazarum Iesvs.

IOAN. EODEM CAP. ANNO XXXIII.

*In lxiij. imaginem adnotatiuncula.* lxiij.

*A. Dixerat Martha & alij IESV, Veni, & vide.*
*B. Venit IESVS ad sepulchrum, iubet tolli lapidem.*
*C. Tollunt Apostoli.*
*E. Orat Christus sublatis oculis in cælum: deinde clamat voce magna, Lazare, veni foras.*
*D. Prodit Lazarus ligatus vt erat, quem IESVS iubet solui & abire.*
*E. Soluunt Apostoli, abire sinunt.*
*F. Stupent omnes; multi ex Iudæis credūt in IESVM.*
*G. Venit IESVS & Lazarus cum suis domum: inde in Ephrem secedit.*
*H. Aliqui Iudæi veniunt ad Pharisæos, & nunciant quæ fecerat IESVS.* 78.

## TERTIA PARS EVANGELII MISSÆ.

IOAN. XI.

AIT Iesvs; [a b] Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat; Domine, [c] iam fœtet; quatriduanus enim est. Dicit ei Iesvs; Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. [b] Iesvs autem eleuatis sursum oculis, dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populū qui circumstat, dixi; vt credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare, veni foras. Et statim [d] prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis; & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesvs; [e] Soluite eum, & sinite abire. [f] Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesvs, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis [h] abierūt ad Pharisæos; & dixerunt eis quæ fecit Iesvs.

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A.* DIxerat igitur Martha IESV, dixerat alij; Domine, veni, & vide. Ducitur ad sepulchrum, sequuntur discipuli, dein Maria cũ Iudæis, familia præterea cum Castellanis Bethaniensibus.

*B.* Postquam ad monumentum ventum est, iubet IESVS auferri lapidem ab ostio sepulchri, intercedit Martha, metuens ne fœtor quatriduani mortui Christum offenderet; Domine, inquit, iam fœtet: quatriduanus enim est: nondum enim credebat suscitandum. Martham castigat verbis IESVS, quibus tandem cor illius illuminatur.

*August.* *C.* Auferunt ab ostio spelunce lapidem Apostoli.

*B.* Stat IESVS iuxta sepulchri patens ostium, tollit oculos sursum in cælum ad Patrem, hæc fuit oratio; gratias præterea agit, non quasi tum primum ea de re exaudiretur. Pater, inquit, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat dixi, vt credant quia tu me misisti. Vt in primo actu meritorum omnia meritus est Christus, quod ad sufficientiam attinet & efficaciã, ita primus orationis eius actus pro omnibus est à Deo exauditus. Alio nomine semper Christus à patre auditus est, quia semper fuit verbum apud patrem. Sed vt credant quia tu me misisti. Hoc vt crederent laborabat Christus, vnde ipsum Deũ esse simul crederent; quod & his, & alijs verbis profitebatur, & diuinis testimonijs, id est miraculis confirmabat. Efficax verò est, vt nostrum meritum in Christo, ita nostra oratio: etenim communicauit nobis Christus non vim meriti sui solum, sed orationis etiam, & omnium actionum. Ad hæc clamat voce magna IESVS; Lazare, veni foras. Sed cur clamat? cur magna voce clamat? neutrum fuit necessum; ac ne vox quidem: sed clamat tamen, vt significet longe abesse in Limbo animam Lazari, vnde illam euocabat voce magna, quasi ex imperio. Congruenter item vox magna dicitur, quæ est verbi infiniti. Adde clamorem & esse, & dici magnum, vt eorum qui in peccato iacent mortui surditatem arguat, & surgendi difficultatem. Audit Lazarus, audiunt omnes Patres vocem Christi in sinu Abrahæ, agnoscunt filij Dei potentiam, exultat omnium spes; non tardabit, ecce veniet, ecce liberabit nos. Gloria & laus Deo & Christo eius, resonat Limbus. Anima verò Lazari in ictu oculi Angelorum ministerio redit ex Limbo, putredo abigitur è corpore, vnit animam illi Christus.

*D.* Prodit ligatis manibus & pedibus, capite & facie Lazarus: cumulus hic est diuinorũ miraculorum. Verùm cur nõ etiam aliud addit miraculum, vt è clauso monumento Lazarum euocet, quod miraculũ tam facilè potuit quàm aliud? Voluit nimirum Christus hoc dare mysticæ significationi, & doctrinæ de contritione, vt modo dicetur. Clama, bone & sancte IESV, in corde meo, clama voce magna; longius enim absum ego quàm Lazarus fuit: singulari etiam tuo imperio opus est, vt suscitet à peccatis meis. Sed quid dico? Scio te continenter clamare, sæpe etiam voce magna vim quandam cordi meo inferre; sed ego sum ego nocentior qui non audiam. Expugna, Domine, meam socordiã atque surditatẽ: etenim tu scis quo pacto id facile possis. Volo ego, & deposco vt ita facias vt potes; oro vt velis.

*E.* Dissoluunt institas Apostoli, id est fasciolas, quibus ad manus & pedes, ad collum etiam colligatus erat Lazarus, sindone obuolutus & sudario. Repræsentatur autem pœnitentiæ Sacramentum hac Lazari suscitatione: nam qui peccato mortali est obnoxius, is & vitam animæ amisit, & animam sub duritia cordis sui habet conclusam atque sepultã. Aduenientè verò Dei virtute, & gratia excitante, remouetur hæc durities prædicatione Ecclesiæ & ministerio: nam & amotionem lapidis, & solutionem institarum dat discipulis Augustinus. Ita remouetur lapis de sepulchro: quo aperto, exhalat peccator sordes animæ & putredinem: hæc est peccatorum confessio. Adhibetur verò post contritionem & confessionem Sacramentalis absolutio, è verbo Dei profecta, quæ vim habet diuinam. Ibi clamor est Christi, & virtus infinita, quæ facit vt vitam morte peccati amissam recipiat anima; sed eam quidem impeditam, & quasi ligatam, nisi pœnæ vinculis absoluatur: quæ etiamsi Sacramento quidem deletur cum culpa, non tamen tota semper vt in baptismo deletur: quare satisfactio accipienda est, tertia Sacramenti pars, quæ & residuum pœnæ temporalis depellat, & habitus prauos imminuat, tum agilitatem adferat ad pias actiones exercendas. Clamat verò solus Christus, vt significetur Christum esse in Sacramento iustificationis, & finalem, & efficientem causam, & meritoriam; ministerium autem huius clamoris & virtutis dedisse discipulis posteà, vbi in eos insufflans, & quasi vim magnæ & diuinæ vocis communicans, dixit; Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; & virtutem diuinam posuit in Sacramento. Quo ministerio vtentes, qui hanc accipiunt in Ecclesia facultatem, magnitudine illius vocis vtuntur, & diuina virtute, vbi absoluunt peccatores.

*F.* Stupent omnes, multi ex Iudæis credunt in Christum, alij accenduntur inuidia & malignitate: properat ad Pharisæos, vt deferant quæ fecerat IESVS: esse miraculum summum & patentissimum; nõ posse amplius dissimulari; viderent ne quid detrimẽti respublica pateretur. Illud addere potes, procidisse ad pedes IESV Lazarum, gratias egisse; idem fecisse sorores, omnia fuisse plena gaudio & animorum exultatione, auctam in omnibus fidem.

*G.* Veniunt omnes domum; vnde accepto cibo statim secessit Ephrem in desertum IESVS; sciebat enim esse in concilio Pontificum & Pharisæorum decernendum, vt ipsum interficerẽt.

*H.* Redeunt Iudæi Hierosolymam, & narrãt aliqui ex Pharisæis quæ fecerat IESVS.



## MEDITATIO.

VAE nobis. Itáne est Domine IESV? etiámne amicos tuos, & quidem prædestinatos ad vitam æternam, aliquando permittis in peccatum mortale labi? Id enim intelligo significare mortem Lazari amici tui. Doce me, benigne Domine, hoc mysterium. Nónne animaduertis initio me hoc in Adam permisisse? Permisi præterea in alijs mea infinitæ prouidentiæ altitudine. At verò, Domine, iustus nulla prorsus ratione, nec ad tẽpus pati potest, vt tuus sit inimicus. Scio; sed ipsius tamen culpa cadit, mea misericordia resurgit. Et quidem augeo in hoc miserationem meam: nam & cautiores fiũt huiusmodi, & magis humiles; & maiorem metum diuinæ iustitiæ concipiunt, & excitantur magis ad meæ bonitatis amorem & laudem. Verùm qui stat, videat ne cadat: ignorat enim an sit erigendus: sed volui tamen nulli eripi spem remissionis, & Ecclesiam hoc miraculo docere Sacramentum pœnitentiæ. Vt autem peccata dimittam, vtor etiam orationibus Sanctorum, vt hîc Mariæ & Marthæ in fratris suscitatione: præuenio enim mea gratia & auxilio illos qui in morte peccati sepulti iacent; eorum corda emollio, & impedimẽta remoueo: vt sic & ad pœnitentiam salutarem possint euadere, & vitam animæ amissam recipere. Huius verò gratiæ & clementiæ feci ministros in mea Ecclesia, per quos, & Sacramentum pœnitentiæ, deleo peccata, si quis post baptismum gratiam amiserit. Magna mysteria complectitur hæc Lazari suscitatio, magnam dat spem peccatoribus: sit nomen tuum, Christe IESV, benedictum in sæcula. Amen.

R SABBA-

# SABBATHO POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ.

Docet IESVS in templo.

IOAN. VIII. ANNO XXXII.

*In lxiij. imaginem adnotatiuncula.* lxiij.

*A. Liberata Adultera iterum docet IESVS.*
*B. Gazophylacium ibi enim tunc docebat.*
*C. Dicit se mundi esse lucem.*
*D. Indignè id accipiunt multi, & cum eo altercantur.*
*C. Respondet illis IESVS, docet, & arguit eos.*
*E. Pater æternus, à quo se missum testatur IESVS.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. VIII.

ITerum [a] ergo locutus est eis IESVS, dicens, Ego sum [c] lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. Respondit IESVS, & dixit eis; Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni, & quò vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam. Et si iudico ego, iudicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater. Dicebant ergo ei; Vbi est Pater tuus? Respondit IESVS, Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc verba loquutus est IESVS in [b] gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. CHristus, & mulier liberata ab accusatione Scribarum & Pharisæorum; & hi perterrefacti diffugientes: nam cùm doceret populum IESVS sedens, interpellauerant concionem Pharisæi malitiosa illa adulteræ accusatione. Illis igitur reiectis, ac dimissa muliere, redit ad docendum IESVS.*

Beda in cap. 12. Marc. Anselmus in 1. 2. 3. Reges.

*B. Gazophylacium, id est locus in atrio Templi ad dexteram altaris holocaustorum, vbi erat arcæ, in quibus reponebatur sacer Templi thesaurus. Hic docebat Christus; vnde aliàs aspexerat conjicientes dona in gazophylacium.*

*C. Christus exponẽs turbis se lucem esse mundi. Sane lux erat vera IESVS; & est τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Aperiamus oculos per fidem, & sacram vitæ Christi meditationem, vt lux hæc diuina, placida, suauis, viuax Christus IESVS mentem nostram illustret & corda; sequamur Christum, illum imitemur: sic & mentis tenebras dispellemus, & viuum Dei lumen corde concipiemus. At Pharisæorum malitiosi & peruersi oculi tantam lucem ferre non possunt, captiosum opponunt enthymema; Tu de te testimonium perhibes, quare verum non est testimonium tuum. Placidissimè respondet Christus: Nolite ita dicere, Pharisæi; nam etiamsi ego de me testimonium affero, tamen est verum meum testimonium. Itaque hoc primùm respondeo, recte vos non colligere; quo responso deberet vobis abunde satisfactum esse, nec aliud quicquam esset addendum, quum meam authoritatem & fidem tot signis & miraculis apud vos toties cõfirmauerim. Hæc scistis vos Pharisæi; verùm promptius accedo, & ago vobiscum apertius. Hæc est mea confidentia, vbi testimonium de me dico: scio enim me à Patre Deo & genitũ esse & missum, & rursum tendere ad Patrem; qui tamen in me semper est, & ego semper in eo. Hæc spiritu percipiuntur; vos iudicatis secundum carnem, nec vlteriùs proceditis: propterea nescitis nec vnde veni, nec quò vadam. Credite ô Pharisæi, ne timeatis: hoc tempore, nec vos ego, nec quenquam alium iudico; tantùm salutem mundo annuncio & affero. Et tamen si vellem iudicare, verè id facerem, quia non solus iudicarem; sed Pater, qui in me est, mecum iudicaret: duæ enim sumus personæ, vna diuinitas. Si duorum hominum testimonium ex lege verum est, cur non potiùs duarum personarum diuinitatis, Patris, & coæterni Filij? Hæc erant in verbis Christi, vt nunc: non intelligebant tamen Pharisæi; neque ferociunt, vt aliàs; sed sedatè interrogant: Vbi igitur est Pater tuus? Similiter ferè dixit Philippus; Ostende nobis Patrem.*

*C. Respondet IESVS, illos trahere volens quò nolebant sequi: Non intelligitis vbi Pater meus sit, quia nec me cognoscitis, nec Patrem meum. Agnoscite me, credite verbis meis, ita fiet vt Patrem cognoscatis, nec vbi sit quæratis: nam in me est, nusquam alibi magis. Quod verò Latinè exponitur, forsitan, non est dubitantis, sed dubitantes irridentis, & increpantis; vt dominus solet comminari seruo; Forsitan dominus tuus ero. Hæc loquutus est in gazophylacio, nec admodum in illum sunt commoti Pharisæi, neque comprehendere conati sunt, quod tamen facere cogitabant; neque enim hora aduenerat qua id erat permissurus Pater in Filio, Christus in se.*

Augustin. Gloss.

*E. Appingitur Pater æternus, à quo se & missum esse, & testimonium habere testatur IESVS.*

## MEDITATIO.

QVis ex omnibus non confundatur, vbi suas tenebras funditùs contemplatur, præsertim qui audeat confiteri se in Christo viuere, & Christum sequi? At vbi lux Christi, *Ioan. 8.* qui lux est mundi, in quo tenębrę nullę sunt? *1. Io. 1.* Vbi Christi lumen? At solabitur se quis, si nihil sibi conscius sit, & piè se credat esse in gratia Dei, & in luce versari. At verò hic mihi respondeat: quid est quòd oculos habens nō videat lucem viuificam, quæ præstò omnibus esse solet piè & religiosè Christum colentibus? Quid est quòd sæpe tam frigidè oremus? tam negligenter in spiritualibus exercitijs versemur? Itaque nihil nobis lucet in corde, tenebrosæ sunt & obscuræ nostræ meditationes. Scis tu, benigne IESV, harum miseriarū causas, illas, obsecro te, eximas; vt splendeat ampla illa lux tua, suauis, amœna, diuina in corde & potentijs nostris. Da vim, vt & te perfectiùs sequamur in dies; & ad omnem perfectionem nos cum tua gratia extendamus: vnde fiat, vt lux illa non tantùm nos cōsoletur, lætificet, & ornet; sed vitam item nobis conciliet, & diuinas motiones & vires ad te laudandum, ad præcepta tua & consilia diuina adimplenda, ad finem vocationis nostræ feruidè prosequendum; & cum magno prouentu assequendum, ad gloriam nominis tui sempiternam. Amen.

DOMI-



# DOMINICA PASSIONIS.

Acerrima confutatio Iudæorum, & eorum contra IESVM conatus.

IOAN. VIII. ANNO XXXII.

*In lxv. imaginem adnotatiuncula.* lxv. 56.

*A.* *Idem locus gazophylacij.*
*B.* *Dicit IESVS turbis & Principibus Sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? &c.*
*C.* *Dæmones obsident turbam & Principes, vt eorum furor in contumelia iactanda notetur; Samaritanus es, Dæmonium habes.*
*B.* *Respondet IESVS suauissimè.*
*C.* *Ipsi verò magis efferantur.*
*D.* *Apostoli mirantur, & obstupescunt.*
*E.* *Abraham contemplatur in spiritu mysteria Christi.*
*C.* *Produnt tandem malitiam suam Iudæi arripiunt lapides vt eum lapident.*
*F.* *IESVS, qui absconderat se, & exierat è templo.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. VIII.

DIcebat [a b] IESVS turbis Iudæorum, & Principibus Sacerdotum; Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. [c] Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei; Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? [b] Respondit IESVS; Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt [c] ergo ei Iudæi; Nunc cognouimus quia Dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit IESVS; Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est, & nō cognouistis eum: ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax: sed scio eum, & sermonē eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meū: & [c] vidit, & gauisus est. Dixerūt ergo Iudęi ad eum; Quinquaginta annos nondū habes, & Abraham vidisti? Dixit eis IESVS; Amen amen dico vobis, antequā Abraham fieret, ego sum. [c] Tulerunt ergo lapides, vt iacerēt in eum. IESVS autem [f] abscondit se, & exiuit de templo.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A.* IDem lotus gazophylacij.

*B.* IESVS, & Iudæorum primates, quos rursum vehementer arguit ac cõfutat Christus. Iam enim primùm accusatores adulteræ repulerat, dein exprobrauerat alijs quòd secũdum carnem iudicarent, quòd ipsum nescirent, vel eius patrem: addiderat; Vos in peccato vestro moriemini, quæritis me interficere, vos ex patre Diabolo estis, & desideria illius perficere contenditis. Itaque erat concitatum eorum odium; cõtrà verò gloriam erat consequutus eximiam IESVS ex adulteræ liberatione; dixerat; Ego sum lux mundi, ego sum principium, qui loquor vobis; multi exijs qui audiebant Iudæis in eum crediderant, horum fidem confirmauerat verbis amplissimis: at verò Christi verba aliỳ peruersè in suam contumeliam interpretantes; Semen, inquiunt, sumus Abrahæ, nemini vnquam seruiuimus. Hinc IESVS sumpta occasione, partim benignè eos docet, partim seueris verbis castigat; tandem incredibili equitate, atque animi summissione se exhibet ab illis iudicandum. Quis ex vobis, inquit, me arguet de peccato? prodeat, accuset: addat suauitatem obsecrationis. Si veritatem vobis loquor, cur non creditis? O boni agite, credite: en vobis quemadmodum credere possitis; aperite Deo corda vestra vt ille vos doceat, vt ex illo, & per illum operemini; quod in vobis meo merito faciet Pater: ita fiet, vt verba mea audiatis. Subdit verò eorum cognoscẽs insipientiam & malitiam: Sed vos propterea nõ auditis, quia non ex Deo, sed ex Diabolo estis: Sic vos monet, hunc sequimini, huic obeditis. Quid hinc acriùs, quid illinc dulciùs dici potuit?

*C.* Et tamen vincit malitia: Samaritanus es, non fallimur nostra opinione, & dæmonium habes. Sed cur hæc tandẽ Iudæi? An quia benignissimè vos admonet & rogat IESVS, & paternè vos adhortatur? At enim traducit cogitationes nostras, & insipientiam flagellat: propterea Samaritanus est: propterea Dæmonium habet.

*B.* Quid Christus ad tam atroces contumelias? Humanissimè, se non negat Samaritanum, negat Diabolum habere. Nam re vera Samaritanus, id est custos & seruator mortalium, Christe IESV, & eras tu, & es semper: & te Samaritæ comparasti in parabola. Pergit verò IESVS diuinæ humilitatis suæ sensum exprimere: Vermis ego sum & abiectio hominum: nihil aliud in actionibus meis quàm honorifico patrem meum, cur vos inhonoratis me? Hoc facite, & me cohonestatis: non enim quæro ego gloriam meam, sed patris mei: eadem enim gloria patris & mea est, vt eadem diuinitas: ab ipso tamen patre vobis cauete, quem confitemini Deum vestrum. Ego quamuis vobiscum nunc ago benignè atque humiliter, agam tamen aliquando seuerè, vbi gladium meum vibrauero, & thronum meum præparauero ad iudicium. Pater est qui iudicat: Deus enim semper iudicat, & condemnat qui in eum peccant nec resipiunt: homo Deus, vbi tempus acceperit. Rursum IESVS illos suauiter ad sanitatem vocat, & docet. Audite Iudæi, credite verbis meis, illa seruate: nam verissimè ita est, Qui meum sermonem receperit per fidẽ, & opere expleuerit, is vitam consequetur æternam. Agnoscite excellentem dignitatem, quam vobis gratificatur Deus, vt sitis ad vitã sempiternam diuinitatis cooperatores. Contemplare hoc loco Christi IESV spiritum humilitatis, zeli, veritatis, commiserationis, iustitiæ, suauẽ virtutum melodiam, & simul acrem.

*C.* Obstirmant tamen suam obstinationem & cæcitatem Iudæi. Vel ex his verbis tuis negari non potest te à Dæmonio agi. Mortuus est Abraham, & Prophetæ, qui dubium non est quin Dei sermonem seruauerint; & tu dicere audes: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum? Consequens erat vt dicerent; num tu Deo æqualis es, qui & immortalis est, & donat homines immortalitate? Hoc horrent dicere, ne illi honorem alioqui habere videantur. Deflectunt ad Abraham, omnia ad carnalem intelligentiam referentes, quæ est perpetua Iudæorũ cæcitas. Tu igitur non morieris? ergo maior es Abraham, qui mortuus est; maior eris reliquis Prophetis: quẽ facis teipsum? Non facio me Deum, respondet IESVS, sed Pater me generat semper. Pater, & ego, & spiritus sumus me hominem; ego facio me peccatũ, id est περὶ ἁμαρτίας, hostiam videlicet me offero pro peccato mortalium. Sed audite quam vobis offero satisfactionẽ Iudæi. Profiteor enim planè gloriam meã nihil esse si me ipsum glorificẽ: nam gloria mea non mea, sed Patris est. Ille me, & æterna sua gloria donauit, & Diuinitate antequam mundus fieret. Hic est quem vos Deũ vestrum dicitis, quare & Deus vester ego sum: verùm Patrem vos non nouistis, cui non vultis esse eiusdem gloriæ filium: ego verò noui eum, illa sapientia



pientia quæ vna communis mihi cum illo est; simul sapientia ego sum à patre in æternitate genita. Vrget porro: neque possum id ego dissimulare, nam si dixero me patrem non nosse, similiter atque vos estis, ero & ipse mẽdax. Vtitur eadem efficacia verbi, vt simul illos hortetur benignè, & quam videbat in cordibus eorum peruersitatem percutit, si quo modo à malitia sua discedat. Addit: sed scio eum, sum eius sapientia, seruo eius sermonem, id est sum homo simul Patri obediens vsque ad mortem. De Abraham autẽ, quẽ appellatis, audite: vehementer desiderauit ille videre mysteria mei aduentus in mundum, & humanæ dispensationis; vidit in spiritu per fidem, vidit per diuinam reuelationem, credidit, gauisus est, Deo gloriam dedit immortali & mihi. Hoc intelligere potestis, Iudæi, in lege vestra. Cur igitur Abrahæ fidem non sequimini & exemplum, qui in eo tantopere gloriamini? Iudæos Christus ad spiritum identidem reuocat, hi eò magis externis cogitationibus sese implicant: Quinquaginta, inquiunt, annos nondum habes, & Abrahã vidisti? Nõ hoc dico Iudæe cæce, sed illud contẽdo, vt in præsentia mea illud in spiritu tuo credas, eo gaudeas, quo gauisus est Abraham absens: & confitearis Deum me esse & hominẽ, & mortalium Saluatorẽ: quod si vos faceretis, non solùm Abraham me vidisse intelligeretis, sed me illum in mea æternitate. Nam ego, id est mea hypostasis ac diuinitas, antequam nascereturAbraham, ab æterno est: qua phrasi consubstantialem se Patri manifestat, cùm ad nomen יהוה tetragrammaton alludat planissimè, quod nunquam nisi Deo vni vel tribuitur, vel tribui potest. Intelligunt Iudæi nunc quòd se Deũ planè profiteatur IESVS, quod paulò antè non intellexerant, vbi dixit se principium esse. Vertuntur in furorem, feruciter ad lapides prouocant, vt innocentem & indemnatum tanquam blasphemum necent crudeliter. Non vos mouet, Iudæi, zelus Dei, sed vestra cæcitas, vestra malitia atque inuidia: nam si IESVS profitetur se Deum, miraculis & scripturis idem demõstrat, quibus nõ potestis cõtradicere. Quæ est hæc tam atrox, & tam obstinata animi vestri hypocrisis, vt coram plebe prætendatis Dei zelum vestræ cæcitati, malitiæ, inuidiæ? IESVS verò, qui illos poterat vno verbo vel nutu in Infernũ præcipitare, hominem simul se esse ostendit, abscondit se in multitudinem, & eripit de manibus impiorum.

*C.* Dæmones quidem, qui incitabant Iudæos ad blasphemiam, sæuiunt magis, & ad crudelem lapidationem illos propellunt; lapides conclamãt omnes Iudæi, instigant sæui Dæmones.

*D.* Apostoli qui Christo astabãt, mirantur, obstupescunt, timent.

*E.* Quatuor insignia Christi mysteria, incarnationis, crucis, resurrectionis, & diuinitatis designantur: non quòd alia non viderit Abraham, sed quòd hæc sint præcipua quæ vidit: incarnationem quidem, quum audiuit à Deo; In semine tuo benedicentur omnes gentes: mortem & resurrectionem, vbi filium voluit immolare, non immolauit; diuinitatis mysterium intellexit, vbi tres Angelos hospitio & prandio excepit. Hæc quidem, & alia Christi mysteria vidit frequenter in oratione Abraham.

*F.* Christus, qui euaserat è manibus sacrilegis Iudæorũ; quo tempore sunt dissipati etiam Apostoli, sibi male timentes, quum viderent rabiem Iudæorum, & Christum se colligentem.

## MEDITATIO.

CErtè nullus te, sancte IESV, potest de peccato arguere, qui bonitas es infinita & sanctitas; & tamen misit te Deus in similitudinem carnis peccati, & hostiam pro peccato, non vnius tantùm, sed omniũ hominum. Itaque te fecit pater tuus peccatum, simul tu te, & Spiritus sanctus. Tu confiteris nostra peccata tua esse, tu tollis peccata mundi: in te posuit Dominus peccata omniũ. O immensam misericordiam Dei nostri! De peccato igitur nullus te potest arguere, sed laudare, atque glorificare debet. At enim contrà quis, atque adeò quid nos non arguet de peccato? nullus non potest, nihil non potest nos è nobis de peccato arguere, & de peccato cõdemnare. Ad te, bone IESV, confugimus, vt ne tu nos arguas de peccato, quod te scimus libenter factũrũ: propterea enim te peccatum fecisti, vt nostra omniũ peccata tolleres. Verùm hoc tua iustitia & sapientia non agit, nisi nos nostra peccata arguamus. Hoc si faciemus, tu non argues nos; & quidem quò perfectiùs fecerimus, minus argues. Da nobis veram & perfectam peccatorum cognitionem, vnde veram contritionem concipiamus. Et tamen quid illud est, magne IESV? Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis? Nos audimus

Rom. 8. 2. Cor. 5.

2. Cor. 5.

Psal. 22. Ioan. 1. Isa. 53.

1. Cor. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca



quidem Euangelium tuum, id est verba tua; sumus ex Deo? Hæc profitemur, & tamen intelligimus tantùm, & credimus. Aliud igitur à nobis exigis, aliud in illis verbis est; esse à Deo, & audire verba Dei, quæ nos hortaris vt habeamus. Sed quid illud est esse ex Deo? Esse diuinum, quod dat gratia tua & dona, horum etiam plerunque spirituales significationes & sensus. Ex his fit vt vigeat homo interior & spiritualis, & vt Dei verba & inspirationes audiamus: sine his enim non audimus interius verba Dei, nec illum sensum auditus habemus: habemus alium auditum, qui spiritualis non est. Confundor, Domine, cùm hæc dico & audio: aufer à me hanc confusionem, & in me esse illud spiritus insere, illos sensus spiritus; vt non solùm audiam verba tua, sed eorum suauissimum odorem olfaciam, saporem excellentem gustem, illis oblectem spiritum meum, ex illis fiant meæ actiones omnes spirituales, & fructuosæ in te. Amen.

*Dionys. Areop. Eccles. Hierarc. cap. 1.*

# FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PASSIONIS.

## Mittunt Iudæi ministros vt IESVM comprehendant.

IOAN. VII. ANNO XXXII.

*In lxvi. imaginem adnotatiuncula.* *lxvi. 52.*

*A. Hierosolyma ramis ornata, in festo tabernaculorū.*
*B. Turba, quæ crediderat, Christum profitetur.*
*C. Templum, vnde armati mittuntur à Principibus & Pharisæis, ad comprehēdendum IESVM.*
*D. IESVS cum discipulis benignissimè excipit satellites, & eorum corda diuinitus emollit, vt dicerēt redeuntes; Nunquam sic loquutus est homo.*
*E. In nouissimo die festiuitatis clamabat IESVS Si quis sitit, veniat, &c.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. VII.

IN illo [a] tempore. De [b] turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant; Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit? Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc, & [c] miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent IESVM. Dixit ergo eis [d] IESVS; Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos; Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo quē dixit, Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ego sum, vos non potestis venire? In [e] nouissimo autem die magno festiuitatis stabat IESVS, & clamabat, dicens; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* Hierosolyma ramis & tabernaculis ornata; erat enim festum Tabernaculorum, & agebant de more in tabernaculis Iudæi.

*B.* Turba, quæ in Christum crediderat, fidem suam profitetur: non posse Christum plura designare miracula quàm IESVM, hunc certissimè esse Christum.

*C.* Templum, vnde Principes & Pharisæi armatos mittunt, vt IESVM comprehendant & vinctum ducant: exagitabat enim eos sæua animi malignitas atque inuidia; nec pati poterant multitudinem Christi doctrina adductam profiteri ac prædicare, nihil esse ampliùs reliquum dubitationis, non posse expectari à Christo plura signa vel miracula, quàm IESVS patraret: planissimè IESVM esse Meschiam quem exspectarent.

*D.* IESVS cum discipulis benignissimè excipiens satellites, & verbo suo illorum corda & ferocitatem emolliens: itaque ex lupis agnos, & ex infestis prædonibus facit pios Christi prædicatores. Simul vide astantes illos admiratione primùm teneri, deinde non solùm nihil audere in IESVM, sed illis verbis intrinsecus adeò commoueri, vt ad Principes redeuntes re infecta, IESVM laudibus sint prosequuti; Nunquā sic loquutus est homo, sicut hic loquitur.

*E.* Christus nouissimo die magno festiuitatis clamat ad turbas; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: aperit videlicet fontem aquarum viuentium se, & ad bibendum inuitat omnes mortales. Intendit verò in cælum digitum, vt quam aquam dabat, quem fontem aquæ viuæ aperiebat, eum in vitam æternam salire intelligerent.

## MEDITATIO.

### Oratio præparatoria præponatur.

TEmplum: tempus, mensis September, triginta duo anni à natiuitate Christi. Scopus, vt hac actione & doctrina Christi, eius virtutem intelligam, qua cōuertar ad ipsum, & eius gratiæ suauitate recreer, & efficax fiam diuinitus. Igitur Christo docente miserunt Principes Sacerdotū & Pharisæi, vt eum, quasi pessilentē hominē & nefariū, vinctum ad se adducerēt; vt videlicet de illo pœna sumeretur. Considera indignitatē rei, atque ignominiā iniuriā, vbi cum circumsistunt armati satellites, homines scelerati & impij: Christi verò mansuetudinē diuinā, qui placidissimè illos excipit, & simul virtutē verbi diuini exerit in illos, & spiritus dulcedinē & efficaciā; vt dicerēt intra se; Nunquā sic loquutus est homo: quasi Dei potentiā in eo agnoscerent, & ex apparitoribus fierent discipuli. Mansuetudine, fratres, vtamur erga illos qui nos persequuntur, eosque beneficijs prosequamur, ex vi huius exempli & doctrinæ Christi; ita & nos liberabimur à periculo, & nostros aduersarios beneficio afficiemus, & nobis conciliabimus. Dixit eis IESVS, Deus homo, salus mortalium æterna; Adhuc modicum, &c. Beneficium illis summum respondet & offert, pro nefario maleficio. Adhuc modicum, inquit, tempus remanet, quo vestram, & omnium salutem sum repræsentaturus doctrina & miraculis, tum morte mea. Nec hoc tātùm prætabo, sed illud præterea; Ascendam ad patrem meum, vnde Ecclesiam, & orbem gubernabo, & pro mortalibus Patri assidebo aduocatus atque intercessor. Et vbi sum ego, vos non potestis venire. Allicit illos dulciter & inuitat, vt quò ipse vadit, ipsi velint sequi: sic enim solent allici pueri, vt ardentiùs optēt quæ eis negari videntur, vel quæ eos accipere non posse significatur. Dixerunt Iudæi. Non satellites, quos diuina virtus verbi ad fidem & pietatem iam commouerat, sed Iudęorū gens incredula, apud semetipsos obmurmurant, & mussitant intra se; sentientes quidem vim verbi, verùm exteriùs: nec enim credunt, vel petunt exponi; sed obloquuntur occultè & malitiosè. Nunquid in dispersionem gentiū iturus est, & docturus gentes? In contumeliā quidem Christi hoc dicebant Iudæi; & tamen ex Dei dispensatione verum loquebātur imprudentes: ipsi enim sese condemnabāt infidelitatis, ac gentium fidem prædicabāt: Gentes enim verbum Euangelij erant accepturæ, excæcandi ex parte Iudæi. Imitemur nos satellites, qui verbo Dei compuncti diuinā virtutem in verbis senserunt ac professi sunt: Iudæorum execremur impietatē, ac cordis obstinatio-

*Rom. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



stinationem. In nouissimo die. Cùm diuina eruditione sitim spiritus excitasset in animis auditorum IESVS, postremò vehementer ad se illorum affectus allicit. Stabat IESVS. Stabat Christus, vt virtutem Dei exertam significaret ac paratam. Magna est hæc animorum consolatio fratres, contemplari quasi expeditam & promptam vim diuini auxilij. Et clamat. Cùm intensior intelligi non possit vox, quàm infiniti verbi, quod est Christus; tamen humana voce clamat IESVS, qua vim applicat verbi omnipotentis atque infiniti: simul diuina vehemẽtia excitat nos omnes ad audiendum. Ne simus surdi ad diuini verbi clamorem, nec recusemus loquentem de cœlis, cuius vox mouit cœlum & terram, & rursùm mouebit in consummatione seculorum, & tremendi iudicij Dei. Si quis sitit. Diuina vi ac dulcedine, & qui non sitiunt, allicit ad spiritus sitim ac desiderium; & qui sitiunt, in his confirmat sitim & auget: simul admonet nos libertatis nostræ ad res spirituales, sed ipso præeunte ac eius gratia, ipso excitante, ipso dicente, quod semper per Spiritum sanctum dicit; Si quis sitit, veniat ad me: inuito vt veniat, offero facultatem diuinam, & vim qua veniat si velit, desidero ac peto vt veniat; veniat autem per fidẽ; accedere enim ad Deum est credere, inquit Augustinus: credat piè, credat deuotè in me esse spiritualem aquam, quæ sitim reficiat. Et bibat. Gratiam recipiat, quę vnicè est formalis causa iustificationis & salutis. Fides principium, non consummatio salutis est. Bibat ex infinito fonte misericordiæ meæ, & meriti mei immenso: in me enim est fons vitæ, fons aquæ salientis *Ioan. 4.* in vitam æternam. Aquæ verò metaphorà significatur gratia & eius effectus: illa enim æstus concupiscentiæ extinguit, spiritualia desideria, & amoris flammas satiat, atque adeò ingerit & excitat vehementiores. Qui credit in me. Effectum explicat suauissimi potus diuinæ aquæ. Is enim bibit, qui cùm crediderit, accipit cum fide spem, accipit charitatem & gratiam: hæc enim sunt flumina aquæ viuæ & cælestis. Et tunc quidem etiam absque Sacramentis iustificabat Christus; ipsius enim actiones ac verba erant tunc sua Sacramenta, atque efficacissima salutis signa & causæ. Deinde tradidit Christus quibus actionibus, quibus verbis, quibus rebus esset conficienda iustificatio per Sacramenta, quæ illius actionibus succedunt. Sicut dicit scriptura: Apud te *Psal. 35.* est fons vitæ. Sitientes venite ad aquas. Sitiuit *Psal. 41.* anima mea ad Deum fontem viuum. Effun- *Psal. 77.* dam aquam super Iudam. Erit patens fons *Zach. 13.* domui Iacob. Tota scriptura hoc significat, hoc dicit. De ventre eius. De vtero spiritus vbi concepto semine spiritus formatur proles spiritualis, ac meritũ generatur, id est volũtas spiritu ac diuina virtute fœta ac formata prolẽ parit spiritualẽ; nõ ex se, sed ex accepta gratia. Aquæ viuæ. Habẽt nostra opera vnum fructum ex semine diuinæ gratiæ generatum in Christo.

# FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS.

## Non ascendit ad festum IESVS: quærunt eum Iudæi.

IOAN. VII. ANNO XXXII.

*In lxxvij. imaginem adnotatiuncula.* *lxxvij. 50.*

*A. Galilæa, vbi Christus versabatur.*
*B. Iudæa, vbi nolebat versari.*
*C. IESVM vrgeni in Galilæa cognati, vt ascendat ad festum.*
*D. Venit, non tunc, sed postea Hierosolymam.*
*E. Tabernacula repræsentant Scenopegiæ diem.*
*F. Varia conuenticula, vbi varia sunt murmura de IESV; Bonus est, non est, sed &c.*
*G. Venit in Templũ, primùm non manifestè, sed quasi occultè, postea ad medium diem festi manifestè.*

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. VII.

POST hæc autem ambulabat IESVS in [a] Galilæam; non enim volebat in [b] Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum [c] Scenopegia. Dixerunt autem ad eum [c] fratres eius; Transi hinc, & vade in Iudæã, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quęrit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis IESVS; Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc: ego enim [d] non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse [d] ascendit ad diem festum, non [g] manifestè, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quęrebant eum in die festo, & dicebant; Vbi est ille? Et [f] murmur multum de eo erat in turba. Quidam enim dicebãt, quia bonus est: [f] alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum. Iam autem die festo [g] mediante ascendit IESVS in templum, & docebat.

## ADNOTATIO.

*A. GAlilæa, vbi Christus ambulabat regni Dei Euangelium prædicans.*

*B. Iudæa, vbi nolebat versari IESVS assiduè; volebant enim illum Iudæi interficere, nec tamen adhuc hora mortis eius venerat. Itaque obseruari potest, Christum ad finem vitæ suæ mortalis frequenter secessisse à templo; in festo Tabernaculorum trans Iordanem, etiam in Enæniorum Bethabaram; è Bethania post suscitatum Lazarum Ephrem; postrema hebdomada interdiu in templo concionabatur, noctu Bethaniam se recipiebat cum discipulis.*

*C. IESVS in Galilæa cum fratribus, non Iosephi quidem filijs, sed consanguineis, qui dicebantur Christi fratres, vt ille pater; vel ex matris sororibus consobrinis, alijs præter Apostolos, vel aliunde consanguineis: vt enim cum in IESVM non crederent, vrgebant Hierosolymam vt ascenderet cum ipsis; vel contemptim, quòd IESVM, & eius actа despicerẽt; vel ex ambitione, ad se attinere cogitantes, si quid præclarè Hierosolymis gereret IESVS. Hos verbis castigat Christus: deinde ostendit quòd non esset ascensurus ad festum, ipsorum deprauatam voluntatem sequens; neque verò ad festum, qui erat mediante festo in templum venturus. Sciebat enim adeò esse in se cõcitatum Iudæorum odium, vt non possent se continere quin eum necarent, si vniuersos dies festos cũ ipsis egisset palàm: siquidem paucis illis diebus quibus in templo est versatus & docuit, eum voluerunt identidem interficere, & tandem lapides corripuerunt quibus illum appeterent: itaque consilium accipiendum sibi fuit se abscondendi, vt de eorum manibus sese eriperet. O magne IESV, quænam hæc vita tua erat, tam afflicta, tam abiectа? & tamen Deus eras, & Patris cœternus Filius.*

*D. Venit post illorum discessum triduo, aut biduo, vt est verisimile, Hierosolymam.*

*E. Tabernacula extensa sub dio, vt repræsentetur festum fuisse Tabernaculorum.*

*F. Varia Iudæorum conuenticula, in quibus vary de Christo sermones habẽtur, & seruntur murmurationes; Bonus est, non est, sed seductor est*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*est plebis. Varia hominum studia considera, atque inter se pugnantia: omnes de te, IESV benigne, sibi omnia permittunt.*

*G. IESVS venit in templum, & primùm quidem nõ manifestè, sed obseruans quid turbæ loquerentur; medio verò festo palàm docet.*

## MEDITATIO.

QVàm propriè, quàm excellenter nos doces hoc Euangelio, bone IESV. Contemnebaris tu à tuis cognatis, varius de te rumor erat apud Iudæos, variũ murmur ac conuitium: sed tu, magne IESV, illorum contumelias contemnis sapienter primùm, deinde generosè superas, vbi eos doces manifestè. Salutaris est hæc nostri institutio. Patimur quidem aliquando persecutiones propter ministeria nostra, quæ ad gloriam tui nominis nobis dedisti obeunda, Domine IESV, qui tamen sumus illis persecutionibus indigni. Neque enim eò peruenimus, vt digni habeamur
*Act. 5.* pro nomine tuo contumeliam pati: illud potiùs agnoscimus, propter peccata nostra, propter negligentias & defectus quos in ministerio committimus, quæ patimur, meritò nos pati, & tamẽ eadem gaudemus pati, & ad gloriam tuã referimus. Doces igitur nos irrisiones externorum hominum pati propter nominis tui professionẽ, pro nihilo habere, vel tentationes, quibus nobis exprobrant vilitatem, inuitant verò contrà ad ambitionem, & ad seculares amicitias, & fauores hominũ varios. Hæc ergo pro te, ex te, & in te cõtemnemus. Neque verò propter illas vanitates mouebimur ad concionandum, vel alia nostra munera obeunda: neque tamen propterea animum abijciemus, vel opportunè hæc ex vocatione nostra agere prætermittemus: neque aucupabimur laudẽ ex successu, vel omnino ex ministerio nostrorum officiorũ, nec vituperium reformidabimus. Excelsò animo, fratres, Christi exemplo & virtute ad omnes oblocutiones, nec speremus æquiores in nos iudices nostrorum operũ, quàm suorum Christus habuit. Semper existimemus esse qui dicat, benè concionantur, quique cõtrà malè; hypocritæ sunt, ambitiosi sunt, falsi, mali, & his fortasse peiora. Tu es, Christe IESV, noster Deus, nostra gloria: da tu nobis vt tibi placeamus, & oblocutiones omnes non solùm aspernabimur, sed deposcemus, & in gloria nostra apud te ponemus. Amen.

FERIA



# FERIA QVARTA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Malitiosè IESVM Iudæi interrogare aggrediuntur.

IOAN. X. ANNO XXXII.

*In lxviij. imaginem adnotatiuncula.* lxviij. 59.

*A. Templum coronis ornatum Encæniis, & porticus Salomonis in secundo atrio.*
*B. Insidiosè quærunt Iudæi à Christo ambulante in porticu, Quousque animam nostram tollis? etc.*
*C. Respondet illis IESVS diuine, & profitetur se filium Dei.*
*D. Deũ Patrem, quẽ suum patrẽ profitebatur IESVS.*
*E. Se produnt perfidi, arripiunt lapides vt eum lapident.*
*C. Respondet illis mitissimè & sapientissimè IESVS.*
*F. Denique exit de manibus eorum.*
*G. Bethabara, quò iter intendebat IESVS.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. X.

FActa sunt autem Encænia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat IESVS in [a] templo, in porticu Salomonis. [b] Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei; Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. [c] Respondit eis IESVS; Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater [d] vnum sumus. [e] Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. [c] Respondit eis IESVS; Multa bona opera ostẽdi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, De bono opere nõ lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. Respondit eis IESVS; Nónne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre. Quærebant ergo eum apprehendere, & [f] exiuit de manibus eorum. Et abijt iterum trans Iordanem, in eum [g] locum vbi erat Ioannes baptizans primùm, & mãsit illic. Et multi venerunt ad eum, & dicebant; Quia Ioannes quidem signum fecit nullum: omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant: & multi crediderunt in eum.

S ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. TEmplum, & ante templum porticus Salomonis, quæ per Zorobabel restituta nomen retinebat: hæc erat in secundo atrio. Est autem verisimile quòd fuerit super basim in longum porrecta, in qua basi orauerat solenniter Salomon in templi dedicatione, & deinceps orare consueuerat, & ipse, & qui eum sequuti sunt Reges Iuda. Adscribuntur coronulæ & scutula, quibus facies templi ornabatur in festo Encæniorum, quod institutum est mensis noni, qui est*

1. Mac. 4. *Casleu, xxv. die. Celebrabatur autem octo diebus,*
3. Reg. 8. *in memoriam nouæ templi dedicationis sub Iu-*
1. Esdr. 6. *da Machabæo: nam quæ sub Salomone, in Autumno, quæ sub Zorobabele, in primo vere, duodecimo scilicet mense agebatur. Ceterùm Casleu respondet partim Nouembri partim Decembri: vigesimus quintus verò dies fere in Decembrē incidebat: siquidē prima luna, vel ante, vel post vernum æquinoctium, dabat initium anni apud Hebræos.*

*B. Erat IESVS in templo ad festum Encæniorum: eum autem deambulantem in porticu Salomonis, quæ solebat esse frequētissima, circumstant Iudei onusti phylacteryis, fimbryis circumscpti, & dolo malo aggrediuntur, nō vt crederent, vel à nephario odio desisterēt, sed vt in tanta hominum frequentia aliquid ex eius ore arriperent, vnde illum interficere possent probabiliter, quod semper machinabantur; Quousque animam nostram tollis? &c.*

*C. His placidissimè respōdet Christus, eorum tamen cordis insipientiam & malitiam taxans: contrà verò eos qui sibi crediderant, seq; sequebantur, singulare ac diuinum beneficium accepisse ostendit, simul se Deum planè profitetur Patri consubstantialem.*

*D. Adscriptus est Deus Pater, simul & Spiritus sanctus, vt repræsentetur quod dixit Christus; Ego & Pater vnum sumus; quod cùm dicebat, Spiritum sanctum simul intelligebat: tres enim diuinæ personæ vna est essentia, vna potētia, vna æternitas, vnum principium infinitum, vnus est Deus, vnus Dominus.*

*E. IESVM audientes homines perfidi se produnt: non enim quærebant vnde crederent Christo, sed vnde illum lapidarent: corripiunt lapides, posteriores prioribus subministrant, duris saxis armantur, irruunt intentis manibus, quasi lapidaturi. Cur non lapidatis tamē Iudæi? Deus erat: nolebat nec tunc, nec lapidibus mortem obire.*

*G. Ligat sua non solùm deitate, & verborū diuina efficacia, sed mansuetudine manus vestras IESVS.*

*F. Eripuit rursum se IESVS de Iudæorū manibus, vt in festo Tabernaculorum ante tres menses fecerat: venit primùm Bethaniam, deinrectà Bethabaram trans Iordanem, vbi baptizauerat Ioannes: illum sequuntur discipuli, trepidanter quidem adhuc, sed se colligentes ex periculo præterito & metu.*

*G. Bethabara trans Iordanem, quò se conferebat IESVS.*

## MEDITATIO.

Ps. 144 ADmirabilis quidem es, Domine Deus, in omnibus operibus tuis, & sanctus, sed opus Templi tui me nunc vehementiùs ad tui admirationem mouet & laudem. Quid
Ioan. 3. Col. 2. enim templo, quod est Christus filius tuus, excelsius? quid admirabilius? in quo inhabitat diuinitatis plenitudo corporaliter, quem
Rom. 3. 1 Cor. 5. 1. Cor. 1. proposuisti propitiatorem nostrum, fecisti sacrificium pro peccato. Itaque factus est nobis filius tuus sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. In tuo hoc templo, & propter
Is. 66. hoc templum creasti aliud templum cœlum, quod est sedes tua, vnde audis preces inuocantium te; & terram, quæ scabellum est pedum tuorum: voluisti loca sacrari omni tempore apud fideles tuos, vbi te inuocarent, vbi tibi sacrificarent. Tandem euidentiùs, vt in figura, & tabernaculum, & templū fieri præcepisti, iuxta exemplum quod fuit Moysi prīmùm, deinde Dauidi monstratum, quod filij tui templum, & Ecclesiæ tuæ, repræsentare t. Aedificasti autem templum filij tui eum eodem Filio & Spiritu sancto, vbi verbum carnem fecisti in hypostasis filij tui vnitate & veritate. Inde existit templum Ecclesiæ vniuersalis, exstiterunt particularium Ecclesiarum templa. Voluisti templa simul materialia exstrui atque sacrari, vbi tibi orationes funderentur, & officia celebrarentur diuina & ceremoniæ; vbi sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum simul & sacrificium conficeretur, vnde & illud, & alia Sacramenta ministrarentur,



strarentur, & res omnes sacræ tractarentur; verbum Dei, & doctrina Ecclesiastica, ac mores Christiano homine digni proponerētur, atque explicarentur salutariter. Postremò
1. Cor 3. 2. Cor. 6. Matt. 1. nónne illud est priuilegium singulare atque diuinum, quòd nos feceris templum Dei, templum Spiritus sancti, templum Dei viui? quòd feceris nobis filium tuum Emmanue-
Luc. 21. lem; id est, Deum nobiscum? quòd posueris regnum tuum intra nos? Quis possit misericordiarum tuarum prædicationem vel verbis assequi, vel cogitatione? Laudant te Angeli & Sancti, & tamen non assequuntur ne hi quidem tuas omnes laudes. Sis tu igitur tui laus & gloria sempiterna, qui solus te comprehendis & nosti infinitè. Angeli quidem & sancti te vident vt es, satiantur omnes gloria tua; sed laudant omnes pro modulo suæ beatitatis: Tu solus modum non habes, vel terminum in tua essentia, beatitate, laude. Ex hac templi meditatione excipe me ad aliam sanctè IESV. Ambulabas tu quidem in templo Salomonis, in templo sancto adhuc, sanctiori etiam è præsentia tua, sed breui tamen perituro: sed quid deambulando, atque adeò in omni œconomia tuorum gestorum facie-bas? Aedificabam Ecclesiam meam Catholicam, illius templi vmbratilis meditabar abrogationem atque parabam, eò referebam quæ celebrabantur illius Encænia. Salomon templum illud primus erexit, hoc à barbaro Nabuchodonosore euersum restituit Zorobabel; dedicationem tamen sub Iuda Machabæo celebrabant Iudæi: at ego quæ per illud templum significabantur celebrabam, illius templi, & ciuitatis vastationem deplorabam. In tēplo ambulas, sancte IESV, inter Iudæos: volebas scilicet esse illorum Deus, quod summum erat beneficium: at illi ex aduerso tibi ambulabant. Circumdant te, vrgent imporenter; Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm ac liberè. O peruersos homines, ô malitiosos! & tamen eos dignaris respōso de tua benignitate. Dixi vobis toties, tum aperta confessione, tum doctrina me esse Christum, quod nunc confirmo. Animaduertite in meis sermonibus virIoan. 9. tutem esse diuinam, & tamen cur non credi-tis? Comminatus item sum vobis æternam mortem, si non credideritis quòd ego sum: iam si verba mea non capitis, nec meam loIoan 5. quelam agnoscitis, quia non potestis audire verbum meum interius; at operibus credere saltem debetis, quæ sunt diuinis miraculis plena. Sunt autem miracula, quædam fidei demonstrationes: nam vt patratio miraculi percepta excitat ad virtutem Dei confitendā, ita ad ea credenda, quapropter illa patrantur: vos tamen ne miraculorum quidem demonstrationibus creditis. Quid verò amplius vel quæritis, vel quærere potestis? Nihil certè aliud vestra interrogatione, quàm vestram insipientiam proditis & malignitatem. Neque tamen vestra incredulitas Dei fidem cua- Rom. 3. cuare potest, vel meum ministerium impedire. En rursum doceo vos & arguo, atque ostendo, & qui sitis vos, & quis ego sim: vos ex ouibus meis non estis, quare estis ex grege Diaboli, itaque illi creditis, non mihi. Vocem meam meæ ouues audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me: vos Diaboli vocem auditis, ille vos agnoscit, illum vos sequimini. Ego vitam æternam do meis ouibus, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea: at vobis mortē irrogabo sempiternam, peribitis in æternum, neque vnquam eripiam vos de manu Diaboli & Inferni, si verbis meis non credatis. Et vt hæc credatis esse firmissima, dico, edico vobis, eādem planè esse meam & Patris potentiam, diuinitatem, maiestatem: in natiuitate enim æterna dedit mihi Pater quod reliquis omnibus maius est & perfectius, naturam & essentiam infinitam. Itaque ego & Pater, duæ quidem sumus personæ, vnum diuinitate atque essentia. Hinc fit necessariò, vt ea firmissima sint quæ audistis: sed video obstinationem vestræ malitiæ, quò maiorem audit veritatem & firmiorē, eò accendi violentiùs. Intelligo, sancte IESV, ita te excidisse Iudæorū impotentiam & retudisse: verùm video nos similiter tibi fieri importunos; quoties enim in veritate tua vel voluntate anxiè inuestigāda curiosè agimus, cùm vtramque tu nobis feceris luculentam? quam orationis rationem scio tibi non placere, & spectare potiùs video ad tui tentationem, atque adeò ad quandam infidelitatem. Nam si quis, cùm videat tam multos ab Ecclesia hierarchica discessisse, inquirit ideo plura fidei & dogmatū argumēta, quàm Romana Ecclesia doceat, nónne hic ad rituationem fidei, vel adeò insolentiā se erigit, & ad lucem Ecclesiæ cæcutit, & tibi audet dicere cum Iudæis; Si tu es Christus, dic nobis palàm? Hos, Domine IESV, dirige in viam salutis & veritatis tuæ & simplicitatis. Rursum

Universidad de Deusto
Biblioteca



sum ex ijs qui in rebus fidei curiosi non sunt, nónne variè peccatur, cùm nouas, siue veritates, siue expositiones persequuntur, ijs relictis quas habent manifestissimas in manibus? veluti si quis ad claram lucē oculos claudens, aliùd efflagitet lumen quo videre possit, neq; velit vti præsenti luce, potiùs eligit in salebras se, & præcipitia conijcere. Omitto de illis dicere, qui cùm habeant compertum singuli in suo statu qua ratione tibi placeant, tuamq; impleant voluntatem, hęc negligentes, appetunt quæ aliorū sunt actiones & officia; tum in illam incidunt animi intemperiē, vt suum statum fixum atque immutabilem fastidiant, alijs statibus & rationibus viuēdi inhiēt perturbatè. Et hos adiuua, Christe IESV, & cōfirma. Iam illi similiter atque Iudæi te interrogant, qui vbi vitæ conditionem instituere volunt, atque in ea deliberatione versantur, præsertim si ad religiosum institutū spectent, nunquā sibi possunt in deliberatione & electione satisfacere: habent multa tuæ voluntatis indicia, signa, probationes, habent internos sensus, rem habent claram & exploratā; & tamen quasi nihil habeant, plura exigunt, semper tuam inquirunt voluntatem, semper ambigunt, semper dubitant, perpetuò tibi occinunt; Si tu es Christus, dic nobis palàm? At dixi, & non creditis; feci signa in vobis, & nec ijs creditis; scitis me Deum, qui vestram vocationem confirmare possim, & ne hoc quidē vos mouet: quid amplius vultis vt faciam vobis? miraculum ne aliquod? id verò ego nolo: atque eò magis id non faciam, quòd vos ad illud spectatis. Et hos subleua, magne IESV: da illis quod deest, etiāsi de sua imperfectione deest, vt voluntatem inclinent ad te, tibi perfectè confidant: liga illorum vel sensuum illecebras, vel habituum præteritorum prauitatē, vel Dæmonis veteratoris insidias & fraudes, & gratificare illis tuam lucē, qua eluceat tua voluntas sancta; quæ cùm sit in eorū consultatione, non percipitur tamen. Postremò & qui vitam profitētur spiritualem, ijs cauendum prorsus video, ne in similem veniant rationem te interrogandi. Horum enim soles tu, Christe IESV, subinde & intellectum & voluntatem tuis donis ornare, lucem augere tuam, sanctam & illustrem cordis suauitatem, & vnionis sinceritatē, & vim lætiorem inspirare; & tanta tamen solet nonnunquam obrepere socordia eorum animis, vt cùm ex illis visitationibus & donis tuis possint multam vitæ emendationem elicere, multas veritates colligere, multa ad virtutē & perfectionem vitæ excipere, ad aliorum institutionem multa excerpere documenta, tum fieri diuites rerum spiritualium in te; tamen quasi nihil acceperint, non solùm in sudario illa concludunt otiosè, sed negligunt potiùs, atque profundunt per socordiam, & anxiè in dies ad nouas illustrationes & visitationes interiores contendunt: quæ si pōst hanc eorum insipientiam contingāt, verendum est ne illæ vel falsæ sint, & à Dæmone intrusæ; vel à superioribus fortassis deriuatæ, insipiētes & infructuosæ. Fit verò vt qui huiusmodi sunt, nunquam verè in rebus spiritualibus proficiant, nunquam adolescant; sed sese multis inuoluant difficultatibus, & præbeant tetris Dæmonibus illudendos ac dissipandos. At contrà eos facere oportuit, vt donis tuis inhiēreant, illis insistant, illa in te faciant efficacia, & eò applicent ad quæ vim acceperunt; de illis te laudent, tibi benedicant: tunc tandem illorum accessionem & incrementum petāt, ex gratiarum actione, & cordis humilitate: hæc enim dona vim continent diuinam, ad spiritualium actionum perfectionem; postulant verò nostram cooperationem. Illorum cura, Christe bone, infirmitatē, vt in his donis exultantes, & ex tuis ad perfectionem in dies contendentes, crescant in tua gratia, virtute, & laude. Amen.

FERIA



# FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

## Vngit pedes Iesv Magdalena.

LVC. VII. ANNO XXXI.

*In lxix. imaginem adnotatiuncula.* lxix. 34

*A.* *Capharnaum, vbi hæc facta memorantur.*
*B.* *Rogat Pharisæus IESVM vt manducet secum.*
*C.* *Accumbunt Pharisæus, IESVS, & Apostoli.*
*D.* *Magdalena rigat pedes IESV lacrymis, tergit capillis, osculatur, vngit vnguento.*
*E.* *Pharisæus hæc videns indignè fert.*
*F.* *Respondet benignè illi IESVS per parabolam duorum debitorum.*
*G.* *Pueri ad mensam consistentes diligenter ministrāt.*
*H.* *In circulo parabola expressa cernitur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. VII.

ROgabat [a] autē illum [b] quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, [c] discubuit. Et ecce [d] mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesvs accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti; & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. [e] Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicēs; Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesvs dixit ad illum; Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait; Magister, dic. Duo [f] debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit; Æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei; Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni; Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquā pedibus meis nō dedisti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit: osculum mihi non dedisti; hæc autem, ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos: oleo caput meum non vnxisti; hęc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi; remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam; Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se; Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit, vade in pace.

## ADNOTATIO.

*A. CApharnaum, vbi quæ narrat Lucas gesta esse videntur; si quidem in ciuitate alia, non Hierosolymis, vt intelligit Augustinus; & in Galilæa, vt Beda; & primo quidem prædicationis anno, & paulo pòst quàm suscitauerat filium viduæ, & dimisisset legatos Ioannis: tunc enim venit Capharnaum, & illum inuitauit Pharisæus, & mulier peccatrix ad ipsum venit mensæ accumbentem.*

*De con. Euang. lib. 2. cap. 79. In 7. cap. Luc.*

*B. Rogat IESVM Pharisæus vt ad se domum veniat, neque explicat ad cœnam ne, an ad prandium, sed manducatum: ad cœnam magis est verisimile, siue ad Pharisæum, siue ad Christum spectes.*

*C. Consessus ad mensam. Vbi contemplare aliorum etiam personas, sed Christi præsertim, Magdalenæ, & Pharisæi. Alij animo suspenduntur videtes rem nouam; mulierem nobilem, famosam, opulentam, celebrem, in conuiuium tam luctuosè, tam humiliter se conijcere.*

*D. Subsistere verò ad IESVM retrò, dein ad pedes IESV se proijcere, tam miserabiliter & profusè plorare, vt sufficerent lachrymæ pedibus IESV lauandis; illos deosculari, capillis suis tam cultis, tam delicatis extergere, vnguento ex alabastro, eleganti vase & pretioso, vngere: prodigio hæc omnia similia esse videbantur. Hic tu animaduerte num IESVS calceis non sit vsus, sed nudis pedibus iter fecerit: nudos enim pedes eius rigat, vngit, tergit Magdalena, non partem pedum. Quid IESVS? eam ad se traxerat, cor illius cœlesti lumine illustrauerat atq; emollierat, charitate ingenti inflammauerat; vt non tam videri possit mirũ quòd illa authore Christo faceret, quàm quòd non plura faceret.*

*Hieron. ad Eustoch. de custod. virgin. Bonau. Lyra. Dionys. Carth.*

*E. Quid verò magnificus Pharisæus? corrugat frontem, auertit vultum, vt rem indignam increpat intra se atque auersatur, dedignatur peccatricẽ in domo & in conuiuio suo mulierem videre, Christum contemnit, quòd per ignorantiam eam respiceret ac reciperet.*

*F. At blandè illum docet IESVS; tandem Mariæ dimittit peccata, simul liberat eam à septem spiritibus immundis, qui illam quidem interius, nonnunquam etiã exteriùs affligebãt: nam de hac loquitur Lucas proximo capite, & xxiij. de hac Ioannes xi. xij. xix. & xx. Matth. xxvi. & xxviij. Mar. xiij. cap. & xvi. Hæc illa vna est celeberrima Maria Magdalena.*

*G. Ministri mẽsæ solicitè suo fungũtur officio.*

*H. Hoc circulo commodè repræsentatur parabola fœneratoris, qui debitoribus dimittit debita: intenditur verò contra Pharisæi vel inhumanitatem, vel seueritatem.*

## MEDITATIO.

VErè mentis extasim facit Dei amor bone IESV. Neque verò tam est hoc mirum in nobis quàm in te, qui es omnium author: te enim pulchri & boni amor infinitus quasi extendit ad tuæ creaturæ prouidentiam atq; gubernationem: idem amor tibi maiorẽ extasim indixit, cùm è cœlis de sinu Patris descendisti in terram, factusque homo passibilis & mortalis, nostras infirmitates, languores, dolores, mortem ipsam suscepisti. Diuersa longè tamen est tui excessus ratio, atque nostri: tu ad inferiora te extendis & applicas, nos ex tui amore ad te extendimur atque applicamur vnione illa viuida, læta, diuina. Quid dixi, extendimur, applicamur, vnimur, viuida, læta, diuina vnione? Emendo, Domine, insipientiam meam: illa quidem desideramus, ad illa aspiramus, vt saltem aliquid Pauli extaseos imitari possim⁹, vbi dixit; Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus; & Ignatij, cùm dixit; Amor meus crucifixus est: hæc mihi in mentem venit meditatio amoris & extasis, vbi volo lectissimæ fœminæ Magdalenæ lachrymas celebrare. Quid enim illæ sunt lachrymæ? Quid in conuiuium irruptio? Quid lotio pedum tuorum, extersio, exosculatio, inunctio, mulieris nobilis, opulentæ, famosæ, & eius quidem peccatricis? Ingens tui ille amor illam fecit extasim, tam acrem, tam inusitatam: sciebat enim quem amabat, in te totum eius cor & mens confluxerat, tuæ diuinitatis & bonitatis gustauerat suauitatem & vim, nihil illi reliqua omnia erant præ te, & præ tui amoris diuina suauitate. Quæ igitur faciebat Magdalena, ex diuina in te amoris extasi profundebãtur, vt videri quidẽ possent insipientibus modum excedere vel decorum, verùm contrà erat; nam quod stultum est spiritus Dei & amoris, sapientius tu fecisti, quàm vt homines capere possint. Aperi oculos Pharisæe, contemplare quæ nam sit quæ tangit, & quem; & desine vel iudicare vel mirari. Deus est omnipotens quem tangit Magdalena, qui sui amoris extasi, suo

*Dion. de diuin. nom. c. 4. & 10.*

*Isa. 53.*

*Gal. 2. Dionys. de diuin. nom. c. 4.*



si, suo excessu, quem erat completurus Hierosolymis, illam ad pœnitẽtiæ perfectionem promouerat. Et quid magis stultum insipiẽtiæ hominum videri poterat, quàm crux tua, bone IESV? ea tamen quid fortius, quid sapientius esse potest vel cogitari? Ita infirma mundi & contemptibilia elegit Deus. Omnia concurrebant in Magdalena tuæ gratiæ dono excellenti; peccatorum suorũ profunda consideratio, & multitudinis, & grauitatis, illorum dolor vehemens, & compunctio atque execratio, iudicij diuini timor, pœnarum inferni horror. Hac tristitia excitati vapores ex profunda cordis compressione, & calore vehementi, lachrymarum vim copiosam eijciebant: verùm addebatur vehementior illa lachrymarum causa, amoris tui viuax flamma & ardor, qui vt compunctionem faciebat vegetiorẽ, ita suo calore & pœnarum timorem expungebat, & eam lætissimis lachrymis irrigabat atque suauissimis. Quæ enim mala dimisisset, ex amore intelligebat; simul ex eodem, quantum bonorum thesaurum recepe-ret, tam indigna, tam insperatò: excitabatur in ipsa desiderium eò pertingendi, quò iter & viam ille amor aperiebat, ad Christi diuinitatem. O pretiosas illas lachrymas, instar margaritarum de beatis Magdalenæ oculis defluentes! ô diuinas & obedientes illas aures! ô virilem & sapientem mentem! ô celeritatem spiritualis amoris ad diuinum sponsum festinantis! ô stimulum desiderij ad Deũ verbum! Iam arbitror hæc nõ fastidire te Pharisæe, neque auersari. Quid si scires quam suauitatem tunc beata illa Magdalenæ anima percipiebat, quem sensum cordis, quam spiritus ebrietatem, quantum fontem videbat misericordiæ Dei & benignitatis in se apertũ & influentem? Mirum nõ censeres quòd sui quasi oblita, atque adeò planè oblita, tota esset in suo amore, in suo amato Deo & Christo. Intelligeres præterea in conuiuium irruptionem contemptum mundi indicare, humiliratem quòd retrò staret, & se ad pedes Christi abijceret; lachrymarum tam vehementem, tam copiosam profusionem, summum animi dolorem, acerrimam simul & suauissimam Dei dilectionem. Quid pedum Christi rigatio & tersio? magno mysterio significabant, illa contritione & amore, vnde lachrymæ illæ emanabant, fieri expeditam in nos Christi propitiationem. Sed cur capillis tersit? quia non interno solùm dolore &

*Luc. 9. 1. Cor. 1. 1. Cor. 1.*

amore facilè ad nos inuitatur & venit Christus, sed simul externarum rerum benigna in pauperes communicatione: vnde sequitur osculum diuini amoris, diuina familiaritas. Inunctio tandem, diuinorum bonorum in animam redundantiam & suauitatem, & ex his fluentem orationem designabat: quæ beneficia omnia pedes Christi, id est iter quod in sua carne inter nos habuit, affluentissimè peperit. At nos, magne IESV, heu qualem concipimus erga te amorem? quámnam ex amore tuo extasim patimur? & tamẽ impendiò peiores sumus quàm fuerat Magdalena. Te verò in conuiuio æternæ beatitatis in cœlo assidere scimus, & nullũ esse ibi Pharisæum obmurmurantem vel impedientem, atque adeò omnes conuiuas nobis esse propitios credimus, & nos suis suffragijs ad te promouere. Hem, amoris nostri exercitium vel nullum, vel frigidum planè & effœtum. Non viderat te Magdalena cõsputum, alapis cæsum, flagellatum, spinis coronatum, crucifixum, cum summo cruciatu in cruce morientem, lancea latus transfixum: nobis hæc ob oculos proponuntur omnibus annis solenniter, omnibus etiam locis communiter; & tamen longè à Magdalenæ pœnitentia, lachrymis, amore absumus: quasi nos tu per illam ab eius imitatione abegeris, & non potiùs vehementer inuitaueris atque attraxeris. Quando parit nostra peccatorum nostrorum pœnitẽtia, & amor tuus lachrymas? Quando lachrymis te nobis propitium facimus? Quando ad opera misericordiæ inde profilimus? Quando progredimur ad vnionem suauẽ illam & fortem amoris tui, & orationis feruidas aspirationes? Confiteor tibi ego huius sterilitatis culpam, bone IESV. Amamus quidem nos, & extasim patimur; sed nõ te, nõ ad te. Tenẽt nos adhuc creaturæ, illis allicimur, illis trahimur, non ad te, sed ad ipsas. Semper in nobis sumus, nos amamus, nos in omnibus afflictionibus inuenimus, non te. Hi sunt nostri amores, hæ nostræ extases: & tamen extasim facit amor tuus ad te, & ad tua. Cur enim si te verè ac syncerè amamus, non tenet nos amor tui vnicè atque vnitè? Profitemur te à nobis amari propter te: cur igitur in te non sumus cùm te amamus, sed in nobis, & sentimus semper nostra, etiam non nostra; te non sentimus, amorem tuum non gustamus? Dicimus te super omnia diligere, at vbi excellentia amoris tui? insurgunt enim tam multa

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad amorem tuum deprimendum atque deijciendum, vt voce illud videamur dicere, corde & spiritu quasi per transennam aspicere, si
*Deut. 6.* tamen per trãsennam. Ex toto corde, anima, viribus te amandum prædicamus: verùm cor nostrum heu tam multa, tam aliena, tam vitiosa ad se trahunt, mentem tam varia, & quidem extra te occupant, animam tam multæ sensus prauitates dissipant, tam multa mundi Iues inficit: vires ad ea quæ tua non sunt quã sunt vegetæ atque valentes; in te, in tuis rebus quàm hebetes, quàm fragiles, quàm infructuosæ! Quis nos liberabit à corpore mortis huius, miseriarum, infirmitatum, peccatorum? Tu Domine IESV, tua gratia benigne IESV, tua potentia magne IESV, charitas tua sanctè IESV: intercedet item apud te, atque adiuuabit tua illa excellens tuis donis & celebris Magdalena. Amen. *Rom.*

# FERIA VI POST DOMINICAM PASSIONIS.

## Concilium de nece IESV.

IOAN. XI. ANNO XXXIII.

*In lxx. imaginem adnotatiuncula.* *lxx. 79.*

*A. Bethania, & Lazari suscitatio; vnde occasionem sumpserunt Iudæi contra IESVM.*
*B. Concursus omnium ad IESVM, quine fieret pertimescebant Iudæi.*
*C. Exercitus Romanorum, quos formidabant ne gentem Iudæorum delerent.*
*D. Cathedra, & consessus nefarius Principum & Phariszorum.*
*E. In cathedra Caiphas sceleratus Pontifex vaticinatur IESVM occidendum, &c.*
*F. Secedit aliquot dies IESVS Ephrem, vt tempore à Patre constituto patiatur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. XI.

QVidam autem[a] ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit IESVS. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi [d] concilium, & dicebãt; Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, [b] omnes credent in eum; & venient [c] Romani, & tollẽt locum nostrũ, & gentem. Vnus autẽ ex ipsis [c] Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quicquam; nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, [e] prophetauit quòd IESVS moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. IESVS ergo iam non in palàm ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur [f] Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo IESVM, & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes; Quid putatis quia non venit ad diem festum istum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. BEthania, & Lazari suscitatio, de quo miraculo Iudæorum aliqui conceperant fidem in Christum, alij maiorem inuidiam & odium. Illinc igitur hi rectà ad Pharisæos detulerant quid IESVS fecisset.

B. Concursus quem metuebant Pharisæi, venientium ad Christum, & in eum credentium.

C. Exercitus Romanorum repræsentatur, quem timere simulabant Iudæi ne vrbẽ & templum euerteret, & Iudæorum nomen deleret.

D. Cathedra pestilentiæ, & consessus nefarius Principum & Phariszorum. Erant quidem iam antea deprauati & obcæcati Iudæi, cogitauerant & sæpe, & diu IESVM interficere, verum suscitationem Lazari adeò manifestam, adeò celebrem pati non potuit diutius tam inueterata inuidia & malitia. Corripiuntur furore audito miraculo, congregantur Principes Sacerdotum, & qui erant ex genere Sacerdotali omnes, vocantur Pharisæi, Scribæ, Seniores; omnis impietas Iudaica concurrit. Videre hiosos homines, potiùs Dæmones; vide vt vociferentur, vt tumultuentur inter se, vt sæuiant aduersus Dominum & Christum eius.

E. Caiphas, turpis vomitor (ita enim significat nomen) homo teterrimus, tamen summus Sacerdos anni illius, etiamsi per ambitionem & nequitiam factus fuerat Sacerdos; malignitate quidem alios superans, sed tamen per spiritum non suum sed Sacerdotij, vaticinatur id quod omnes Prophetæ, pro salute mortalium mortem subiturum Christum. Erat quidem secundùm legem summus Sacerdos Caiphas, nõ secundùm legem electus: in quo tamen magna illa erat pontificalis potestas: nam licet corrupta illa esset, & venalitij facti principatus, adhuc tamen aderat Spiritus sanctus operans in ijs qui vncti erant. Denique quòd prophetaret Caiphas, tribuit Euangelista Sacramento, quia Pontifex fuit idem summus Sacerdos. Vaticinatus enim est, non quòd dignus esset, sed quòd Pontifex esset anni illius; non propter propriam virtutem, sed propter pontificalem dignitatem: adhuc enim diuina gratia in templo permanebat, quæ illius ore vtens, cor non tetigit. Contemplare exultantes Dæmones in illo sceleratо & nefario concilio, inhiantes atrocissimè in necem Christi: IESVM verò omnia consicientem in spiritu quæ agerentur, quæ dicerentur, cum summa patientia, cum diuina benignitatе.

*August. ibidem. Euseb. ibidem.*

F. Ephrem, quòd Græcè ἐφραὶμ, oppidum à Bethel quinque milliaribus, viginti à Hierosolyma, iuxta desertum, in tribu Beniamin. Hoc municipium, & Bethel occupauit Vespasianus post Gophniticam & Acrabitenam toparchiam subactã, & ibi præsidijs collocatis Hierosolymam vsque excurrebat. Alij aliter Ephrem exponunt, sed hæc videtur anteponenda expositio. Huc secessit aliquot dies pauper & desolatus IESVS, vt tantisper cederet furori Iudæorum, donec impleret tempus passionis. Animaduerte verò IESVM quasi fugientem, nunc se abscondentem & exeuntem de templo, nunc de manibus Iudæorum sese eripientem, nunc non palàm ambulantem apud Iudæos: denique abijt in regionem iuxta desertum, in oppidum Ephrem. Non fugit tamen Christus homo Deus omnipotens, sed disponit quemadmodum suo tempore vitam, Patris voluntate & sua, pro omnibus ponat. Quisnam erat tunc Apostolorum animus? quanta trepidatio? quanta tristitia? qui inter ipsos sermones?

*Ioseph. de bell Iud. libr. 5. cap. 8.*

*Ioan 9. 10. 11.*

*Cyrill. in 11. Ioan. Theoph. in eund.*

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

IAm inde ab initio veneno inuidiæ pestilentissimo & cruciatur Satan ipse, & animas miseras mortalium inficit & exagitat. Itaque
*Sap.2.* eius inuidia intrasse verè dicitur in orbē terrarum vtraque & corporis & animæ mors. Fuit quidem primum peccatum Dæmonis superbia, sed cōsequuta est (vt fit) inuidia superbiam: hæc enim vt illam parit, ita per eam & impedit bonum, & malum irrogat, si quis superbi excellētiam debilitare videatur. Hinc sæuit in primum hominem Dæmon initio; hinc in secundum hominem Christum omnes neruos suæ malignitatis intendit: illum miserè de statu suo deiecit, hunc superare nō potuit, contrà verò ab eo glorioßissimè victus & conculcatus est. Non est autem nouus huiusmodi Iudæorum in Christum insultus, similiter exarsit furor Diaboli in primum hominem, & similiter tunc dixerunt in suo cōcilio Dæmones; Quid facimus, ô Dæmones? vbi nostra malignitas? vbi nostræ artes? En in isto Adam multa signa fiunt; in opprobrium enim & contumeliam nostram creauit illum altissimus, fecit illi paradisum in terra, in paradiso illum collocauit: nos tamen, qui longè sumus illo nobiliores natura, è cælestibus delicijs sumus in has tenebras, & perpetuā pœnam & luctum proiecti. Quid facimus? omnia tentanda vt hoc ne patiamur; præsertim cùm timeamus, nisi hic homo pereat, futurum vt infiniti homines, qui ab ipso generabuntur, constituantur itidem in paradiso, & pereat nostra gens & regnum. Ignaui estis vos omnes, respondet Lucifer, & imperiti: meum accipiamus, age, hoc consilium. Corpus Adam interficere non possumus, tentemus animam eius interficere per peccatum, ita fiet vt ex Paradiso expellatur, & corpus tādem intereat. Hoc vtile nobis est, ne pereat mea potentia, & vos simul intereatis. Ipsum igitur omnium suffragio eligunt monomachum: prodit, cōgreditur per serpentē prius, prosternit dolo malo fragilem mulierem, virum per mulieris illecebras. Verùm inde quē fecisti quæstum, ô Satan? In peccatū quidem est homo prolapsus, è paradiso terreno eiectus est; sed Dei prouidentia & benignitas fe-
*Greg.* cit, vt felix illud videatur esse peccatum, quod talem & tantū meruit habere redemptorem, Christum Dominum. Tu quidem execrabile facinus admisisti: sed scis te esse Behemoth, & *Iob 40.* Leuiathan, quem formauit Deus vt ipse illudatur, atque ex tuis versutijs diuina bonitas bona diuina vt prouideat: propter peccatum enim primi parentis, quod summum fuit humani generis detrimentum, Deus prouidit *Rom.* secundum hominem Christum IESVM, per quem genus humanum restauraret, quod tu prorsus periturum arbitratus es. Vt enim in Adam fuit fons mortis, ita in Christo fons vitæ æternæ. Adam per suam inobedientiam perdiderat nos omnes, Christus per obedientiam suam nobis omnibus salutem attulit sempiternam. Vt etiam fuit Adam Euæ caput & maritus, ita Christus Ecclesiæ & caput, & *Ephes.* sponsus. Adam fuit ex virgine terra, & non maledicta, creatus: Christus ex virgine sacrosancta, nullique vnquam peccato obnoxia est generatus. Ex Adam omnes homines generati, ex Christo omnes regenerati. O necessarium igitur Adæ peccatum, quod tanta bonorum diuinitate deletum est, atque Adam restauratus! Contrà est, eia Diaboli, quàm dixistis: siue enim dimittitis Adam sic, venient posteri, & tollent locum vestrum & gentem: siue non dimittitis, veniet Romanus fortis ille armatus, qui vos vinciet, ac spolia vestra diripiet. Porentia illa veniet Dei omnipotentis vnigenitus filius, qui vos conculcabit, & tyrannidem vestrā funditus euertet. Verùm tu Lucifer non potuisti prophetare, tibi tantum permisit Deus implicare, atque confundere: at ipse ex tuo maleficio & hominis, summū instruxit homini beneficiū. Itaque vt mors animæ primi hominis fuit causa mortis omniū hominū, sic mors Christi corporalis vitā humano generi promeruit gloriosè. Vnde factū est vt tu decipereris bestialiter: interfecisti hominē, vnde sperabas futurum ne tota tua gens periret; verùm contrà inde experiris & te, & totam gentem tuam perijsse: & te iam experiris ligatū, & alias pœnas acriores sentis atque acerbitates, quæ tibi per Christū sunt inflictæ. Tu sentis, & nos scimus, & te execramur: Christi verò IESV potentiam & misericordiam prædicamus in æternum. At enim tunc quidem inuidia exciuit te ad hominis tentationem. Quid? num postea desijsti? nihil minus; sed perpetua illa fuit tua rabies & furor in omnes mortales; tra



tra enim te semper consumit inuidia, semper dicis, quid facimus? in dies vos inter vos vicissim ad maleficia atrociora incitatis. Tandem vidisti IESVM Nazarenum, hunc è vestigio suspicatus es Meschiam & Deum, in hunc omnes neruos tuæ peruersitatis & inuidię in-
*Matt.2.* tendisti: Primùm per Herodem voluisti iugulare, non potuisti: deinde quieuisti otiosus, & illum neglexisti cùm priuatus viueret IESVS; credidisti fortassis nihil esse tibi ab illo
*Luc.2.* timendum: cùm autem duodecimo ætatis anno tam præclarè se gessisset inter Doctores, non nihil meruisti: at vbi Ioannes tam multa, tam præclara, tam diuina de illo prædicaret, & ieiunasset quadraginta dies, cœpisti rursum miserè turbari, & tuam malitiam &
*Matt.4.* inuidiam redintegrare, & tuum, quid facimus? Adortus eus es trina tentatione, & similiter atque feceras de primo homine, de IESV facere cogitasti, vt animum eius interficeres per peccatum, vnde fieret vt agnosceres Deum non esse, qui peccaret: vel si quo quo pacto Deus tamen esset, per peccatū desineret esse Deus. Meministi, ô bestia abyssi, quàm validè, quàm gloriosè à IESV fueris superatus. Postremò repetis illam tuam atrocitatem, postquam tantam lucem doctrinæ, vim tantā miraculorum vidisti: tuum enim fuit illud malignantiū Iudæorum nefarium consilium; Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Credite illi, illius doctrinā recipite. Quid vos? Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. O cæcam pessimorum hominum malignitatem! è medio, inquiunt, tollendus planè est: sed qua de causa tandem? venient Romani; omnes enim credent in eum. Ergo
*Matt. 22.* doctrinam IESV, quam vos audistis, sequentur, & reddent quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Quid vnquam vidistis ex doctrina IESV exortum seditionis? Vbi Romani id vel suspicati sunt, cùm tot hominū millia IESVM sequerentur, & in ciuitatibus, & in vijs, & in deserto? Alioqui quid insanitis? Non estis iam vos è vestra ciuitate iecti? Nónne vobis imperarunt Romani, & imperant? Nónne Reges duos Idumæos vobis imposuerunt, Herodem, & Archelaum? Nónne vniuersæ Galilææ & Peræ nunc dominatur Idumæus, & Iudæam obtinent Romani? Igitur omnis est vobis libertas erepta, & ciuitas euersa: quid igitur dicitis, tollent locū nostrū & gentē? Si dimittitis, nō tollent; si non dimittitis, tollent, nō solùm libertatem, sed vitā, fortunas omnes omnibus, & vrbem exscindent funditùs. Quid tu Caipha vel de te euomis, vel de tuo Sacerdotio prophetas? Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo. Tu quidem crudeli atque efferato animo sanguinem IESV & vitam deuoues tetræ inuidiæ tuæ & malitiæ: at Spiritus sanctus ex tua atrocitate, vt ex interficientium Christum, & ex ipsius nece summum elicuit beneficiū, humani generis, quod perierat, salutem sempiternam. Huius benignitatis Dei infinitæ fuisti tu præco, nō ex te, sed ex Sacerdotio quod gerebas; verùm illud contrà intellexisti quàm futurū erat. Tu, vt ne periret Iudaismus corporalis, propterea interficiendum IESVM decreuisti, atqui quia mortuus est Christus, interijt & corporalis Iudaismus, & legalis. Lex enim abrogata est, euer-*Heb.8.* sum templum, sacrificia reiecta atque abolita; remansit in Iudæorum infidelium posteritate obcæcatio, obduratio, calamitas & corporis & spiritus infinita. Quid? post Christi mortem deseruitne Dæmō suas artes? suámne illam atrocitatem deposuit? nō deseruit, non deposuit, sed continēter easdem exercuit, per Tyrannos, per Hæreticos, per Mahometanos. Verum corpus Christi persequi non potest, minus occidere; persequitur mysticum. Multa signa faciūt Christiani; illos persequamur, occidamus, in peccata, in hæresim, in infidelitatem conijciamus. Zelus gloriæ Dei impulit me hactenus aduersus Dæmones, & Iudæorum impietatem. Verùm interim si ad nos respicio, extimulat me Dei zelus itidem aduersum Dæmonem simul & nos. Interturbat enim subinde nos vetus homo & affligit; captat occasiones omnes Dæmon, simul ambo clamant; Quid facimus? quia homo hic nouus multa contra nos molitur. Siue quem videant secularē hominē ad spiritualē vitam contendere, frequentiā Sacramentorū pœnitentiæ & cōmunionis persequi, orationi instare, bonis operibus insistere, domus suæ curā religiosam gerere: siue qui religiosum susceperit institutum animaduertāt ad perfectionem seriò cōtendere, augere pœnitentiæ districtionem, & interiorē quidē semper, suis etiā locis exteriorē, in oratione nō solùm vtiliter versari, sed ad illam sublimem sese extendere, diuitias experiri paupertatis, castitatis suauitatem, obedientiæ lucem, feruorem spiritus in omnibus actionibus spirare: siue

quem

Universidad de Deusto
Biblioteca



quem existiment seriò ad pœnitentiam, & vitæ resipiscentiam cogitandami nduci posse, & ad quærendum per quem doceatur, vt fructuosè confessionem peccatorum, præsertim vitæ vniuersæ instituat: siue concionandum sit, siue quis familiariter ad orationē sit erudiendus: aduersus hos omnes, & deprauatus sensus noster, & Dæmō insurgunt impotenter, dissipemus, diripiamus, mactemus, perdamus hos homines, & eorum stultas machinationes. Nunquam cessant, nunquam quicquam de sua crudelitate remittunt. His nos resistamus in Christo; sensum, & deprauatas cogitationes compescamus, Dæmonem conculcemus pedibus nostris velociter. Dicamus & nos contra sensualitatis prauitates, contra Diaboli nequitias Christo authore; Quid facimus? quia hostes nostri atrociter in nos sæuiunt: nisi horum profligemus arma, & violentiam opprimamus, tunc verò veniēt Romani, id est Dæmones permulti, & animam nostram occupabunt, & virtutes, & dona Dei quæ sunt in nobis, diripiēt; facient de templo Dei, quod sumus nos, latronum, id est Dæmonum, & omnis peccati spelunca. Sed quo pacto his resistemus? Si propheriam, quam non intellexit Caiphas, nos piè recipiamus; mortem Christi nostram esse virtutem, nostra arma, nostram esse victoriam & salutem sempiternam non solùm credamus, sed spem illam in Deum confirmemus, dilectionem in Deum & Christum eius pro tantis beneficijs exerceamus in dies feruentiorem. Ita fiet, hostibus animæ nostræ profligatis, vt agnoscamus Dei, & mortis Christi virtutem in nobis, & Deum in sempiternum gloria & laude infinita prosequamur, Amen.

1.Cor. 2.

1.Cor. 1.

# FERIA SECVNDA MAIORIS HEBDOMADÆ.

Cæna apud Simonem leprosum.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. IOAN. XII. ANNO XXXIII.

*In lxxi. imaginem adnotatiuncula.* lxxi. 34.

*A.* Hiericho, vnde Bethaniam venit IESVS,
*B.* Bethania.
*C.* Domus Simonis leprosi.
*D.* Veniunt multi Hierosolymis, non tantùm ob IESVM, sed vt Lazarum videant.
*E.* Cana: IESVS, & Lazarus vnus est de discumbentibus.
*F.* Iudas astantes coniectis oculis in Lazarum.
*G.* Martha ministrat.
*H.* Ministrant alij.
*I.* Christi animum contemplare mortem meditantis.
*K.* Magdalena vngit pedes IESV, & capillis extergit.
*L.* Effringit deinde vas vnguenti, & super caput eius effundit.
*M.* Iudas acerbissimè fert effusionem vnguenti.
*N.* Iudam agit præcipitem Dæmon ad Principes.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XXVI. IOAN. XII. MAR. XIIII.

IESVS ergo ante sex dies Paschæ [a] venit [b] Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit IESVS. Fecerant [c] autem ei [c] cænam ibi, & [c] Martha ministrabat, Lazarus [f] verò vnus erat ex discumbentibus cum eo.

*Cùm autē esset IESVS in Bethania in domo Simonis leprosi,*

*& cùm esset Bethaniæ & recumberet,*

*accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.*

*venit mulier habens [k] alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi; [l] & fracto alabastro*

[k] Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & [k] vnxit pedes IESV, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti.

*Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes,*

*Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes;*

Dixit ergo vnus ex discipulis eius [m] Iudas [n] Iscariotes, qui erat eū traditurus;

*Vt quid perditio hæc?*

*Potuit enim istud venundari multò,*

*Vt quid perditio ista vnguenti facta est?*

*Poterat enim vnguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs,*

*& dari pauperibus.*

Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datū est egenis?

*Et fremebant in eam.*

*Sciens autem IESVS, ait illis;*

Dixit autem hoc, nō quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.

*IESVS autem dixit; Sinite eam.*

*Quid molesti estis huic mulieri?*

Dixit ergo [i] IESVS; Sine illam, vt in diem [i] sepulturæ meæ seruet illud.

*Quid illi molesti estis?*

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XXVI.

*Opus enim bonum operata est in me.*

*habetis*

*me autem nō semper habebitis.*

*Mittens enim hæc vnguētum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*
*Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangeliū in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit, in memoriam eius.*

IOAN. XII.

Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est, & [d] venerunt, non propter IESVM tantùm, sed vt Lazarum [f] viderēt, quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem Principes Sacerdotum, vt & Lazarum [d] interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in IESVM.

MARC. XIIII.

*Bonum opus operata est in me.*
*Semper enim pauperes habetis vobiscum: & cum volueritis, potestis illis benefacere; me autem non semper habetis.*

*Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam.*

*Euangelium istud in vniuerso mūdo, narrabitur*

## ADNOTATIO.

*PRæmittitur imago hæc & adnotatio propter historiæ seriem, ex qua tu, & ante ingressum IESV in vrbem poteris meditari, & accommodare ad feriam secundam, iuxta vsum Ecclesiæ: similiter intellige de tribus proximis, quarum historiam complectitur Euangelium nonæ Dominicæ post Pentecosten.*

*A. Hiericho, vnde Bethaniam venit IESVS cum discipulis, cum matre, cum mulieribus, & turba quæ eum sequi consueuerat.*

*B. Bethania ad radicem montis Oliueti ab Oriente, vergens tamen ad Austrum, quò venit IESVS ad domum Mariæ, Marthæ, & Lazari. Contemplare venientes; Christus quidem excelsa quadam animi fortitudine iter faciens alios præcedit, ad mortem properans: Maria mater virgo mœrens quidem (prædixerat enim IESVS ad crucem se ire & mortem) magnanimiter tamen mœrorē suffert: alij tristes sunt & timidi.*

*C. Domus Simonis leprosi, quem tradunt antea à Christo sanatum, & Marthæ fuisse cognatum. Hic IESVM cœna excepit venientem è Hiericho, sexto die ante Pascha: in hac autem cœna duæ factæ sunt Christi vnctiones, prima pedum, alia capitis.*

*D. Veniunt è Hierosolymis multi, cùm audissent Bethaniam venisse IESVM, non propter IESVM tantummodo, sed vt resuscitatum Lazarum viderent: quod vbi resciscunt Principes Sacerdotum, addunt crudelem appendicem ad nefarium consilium, vt non solum IESVM, sed Lazarum simul necarent; ne illo miraculo adducta, & Lazari conspectu & verbis illecta erederet in IESVM Iudæorum multitudo.*

*E. Cœnatio, mensa, consessus ad mensam. Primo*



*no loco sedet IESVS, secunda Lazarus honesto & ciuili cultu, dein assident Apostoli, vltimo loco Iudas Iscariotes. Et in Lazarum quidem omnium sunt ora conjecta, vt in hominem prodigiosum, cuius anima fuisset in inferno illis paucis diebus. Incessebat etiam fortassis aliquos cupido interrogandi ex illo de animarum statu post mortem; nec desunt qui dicant respondisse scisceitantibus Lazarum; quod tamen fidem non mereretur.*

*F. Iudæi, qui cœnantes contemplantur, & audiunt admirabundi.*

*G. Martha ministrat mensæ, vt in domo vel cognati, vel familiaris sui, vel Christo deuoti, quæ in alienam etiam sese obtulisset vt Christo suum officium præstaret, sicuti Maria suum.*

*H. Expediunt alij ministri cibos, alij ferunt ad mensam.*

*I. IESV animum animaduerte, mortem suam meditantis & sepulturam. Propterea permouet interius Magdalenam, vt hæc vnctionibus repræsentet, alios verò abigit ab eius insectatione.*

Ioan.11. Luc.7. *K. Maria cognomine Magdalena, eadem soror Marthæ & Lazari; quæ tam ante ea vnxerat pedes IESV, & extersérat capillis, non pedes & caput, vt hic, cui Christus peccata multa remiserat, ex qua Dæmonia septem ejecerat ante biennium; vnde magnam gloriam erat consequuta mulier nobilis, è profana effecta insigne sanctitatis & pietatis exemplum. Hæc charitate in Christum accensa, cùm sciret proximam eius mortem & sepulturam, eam voluit vnctione pretiosa celebrare & adorare. Nunc non plorat, quod alia vnctione fecerat, sed plena charitatis internæ, totà rapitur & dissoluitur in animi deuotionem. Affert alabastrum, elegans videlicet vas, ore angusto, forma turbinata, ex limpidissimo alabastrite marmore, leue, delicatum, fragile, ansulis destitutum. In hoc affert libram siue pondo, id est vncias duodecim, aromaticæ & pretiosæ aquæ, vnguentaria arte confectæ, ex*

Hieron. Escher. Plinius

*myrrha aliisq; aromatibus, præcipuè verò ex sincero probatoq; fidei nardo, vnde nomen accipit vnguentum, eoq; spicato, vt ex Marco legūt aliqui; siue dicatur radix nardi spica, siue culmi sit folliculus, vnde tenues aristæ in modum spiculorum eminent, in quo præstantia odoris & virtutis nardi continetur.* Dioscor. Plinius & aly.

*L. Aspice vt procumbat ad pedes IESV primùm, vt illos vngat, vt capillis extergat; nec hoc officio contenta, quasi in feruorem deuotionis assurgens, effringit alabastrum, & super caput IESV effundit; vt & caput, & totum Christi corpus citò morituri pretiosissimo odore irriget. Contemplare affectus animi in Magdalena, & eius vnguentum interius, quo præcipuè pedes & caput Christi vngebat: refundentem simul considera Christum in eam internæ vnctionis dulcedinem.*

*M. Teterrimus latro Iscariotes hæc videns, mordetur sæua inuidia, auaritia, malitia, vnctionem detestatur, dolet tantum sibi bolum esse tam subitò è faucibus ereptum: cogitat CCC. denarios, id est XXVI. coronatos cum quadrante, quibus potuit vnguentum vendi, eam prædam se perdidisse: nam per Synecdochen in plurali dicit Matthæus quod solus Iudas dixit, vel omnino si quis alius dixit vel cogitauit, ex animi simplicitate, & improuido pauperū zelo id fecit. Describitur verò Dæmon Iudam corripiens, non quòd tunc primùm Diabolo Iudas agitari inciperet, sed quòd atrocius tunc in illum irruit, atque ad proditionem Christi protrusit.*

*N. Iudam præcipitem agit Dæmon; concipit animo, vt pro furto vnguenti è manibus erepto IESVM prodat ac vendat Iudæis: etiam tum adit ad Principes & Magistratus, operā suā offert; illi pretium constituunt; dein cautè obsidebat omnes occasiones, quibus Christū in manibus impiorum traderet interficiendum: quæ de re ad principium Passionis cogitandum est.*

## MEDITATIO.

PLenum est hoc Euangelium mysterijs salutaribus fratres: sed vt ea fructuosiùs meditemur, concedamus oportet Bethaniam, vbi illa geruntur: è pago etiam, & domo illa deuotionem animi concipiamus, ibi Christū adoremus, & omnia illa loca & mysteria veneremur; ex illa Bethania ad aliam assurgamus: est enim Bethania locus afflictionis exauditionis, responsionis; sed cuius? Christi afflictionis & nostræ. Ibi Christus singularē afflictionem sensit ex vnctionibus Magdalenæ, quibus mors sua & sepultura subeunda designabatur. Nos eadem de caussa affligere corda nostra debemus; neq; propter memoriā crucis Christi tantùm, sed propter delicta nostra, propter quæ passus est Christus. Hinc misericordiam ab eo imploremus: exaudiet nos, qui pro nobis, antequam essemus vt peccaremus, mortuus est. Respondebit verò nobis Christus vnctione suæ misericordiæ, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



gratiæ, & donorum; dignos etiam faciet horum mysteriorū fructu, vnde perfectā eius obediētiā imitemur: id enim simul significat Bethania. Consideremus igitur huius sacri Euangelij historiā. Reuertebatur ab Ephrem IESVS, quò diuerterat, vt ne alio tempore quam pater præstituerat mortem obiret. Prædixerat discipulis futurum vt crucifigeretur Hierosolymis, quò properabat expeditè, excelso animo præcedēs stupentes & timentes.

*Luc. 18. Luc. 19. Matth. 20.* Sanauerat cæcū ante ingressum Hierichuntis, in eadē vrbe iustificauerat Zachæum Publicanum, decedens Hierichunte cæcos item duos illuminauerat. Erat ille ascensus Hierosolymitanus celeberrimus, magna illum turba præcedebat & sequebatur, Mater eius Maria virgo cum mulieribus consequebatur. Cum hac celebritate peruenit IESVS Bethaniam ad radicem montis Olueti ad Orientem: exceperunt illum hospites sui, Lazarus, Maria Magdalena, & Martha; sed cæna illi parata est apud Simonē leprosum, quem scilicet à lepra IESVS sanauerat, in ipsum credentem; quem necessum est fuisse vel cognatum Lazari, vel amicum. Itaque intelligitur cæna cōmuniter ab vtrisque fuisse Christo parata, à Simone, & Lazaro cum sororibus. Contemplandum totum hoc iter ab Ephrem Bethaniam vsque, Christi alacritate ad mortem properantis illustratum, miraculis ornatum, magna comitantium frequentia & laudatione nobilitatum, quæ lætum iter faciebant. Contrà verò Christi animum si spectes, si Mariæ virginis Matris, Apostolorum, mulierum, varia occurret affectuum facies. Christum incipiebat mortis propinquæ naturalis quidam timor & mœror, voluntarius tamen, mouere, quem tamen infinita animi magnitudine sustentabat. Maria virgo secundùm Christum dolenter quidem, magnanimiter tamen hoc iter faciebat. Apostoli verò & mulieres stupebant quidem & timebant, hinc passibus corporis sequebātur iter, illinc animo refugiebant; quos tamen Christi Spiritus fulciebat diuinitus. Ob hanc rerum faciem Ecclesia ante Christi crucem aliquot dies eius passioni consecrat. Sed doce nos, benigne IESV, mysteria aliquot huius Euangelij. Volui ante sex dies Paschæ celebri cænā cænā meam vltimā & passionē cōmemorare, vt qui in animo meo erat passionis sensus & cænæ vltimæ, eum repræsentarem, & qui in animis discipulorū & matris erat doloris & timoris sensum lenirē. Ad Pascha autē verum hanc cænam referebam, & quasi adoctauam psalmum reipsa canebam dulcem & salurarem. Eram in Bethania, hoc est in meditatione futuræ afflictionis, in domo Simonis, id est obedientiæ meæ ad Patrem; quæ eò me erat redactura, vt non solùm esem futurus quasi leprosus & percussus à Deo & humiliatus, sed cruci essem affigendus crudelissimè. Adhibui tamen Lazarum à mortuis suscitatum, quandoquidem simul de mea resurrectione seriò cogitabam; Mariam vngentem, quæ meam mortem & sepulturam ante oculos omnium constitueret; Martha ministrabat, quæ vt vitam actiuam significat, ita etiam operosam meditationē mysteriorum, vnde animi leuatio oriri solet, & diuinarum rerum contemplatio. Hæc vt deuotè percipiatis mysteria, gustus est vobis parandus ex pijs desiderijs, & meditationibus, & operibus. Hæc frequenter versate animo me authore, & mecum hanc cænam accipietis, refectionem scilicet internā, dulcem, ac fructuosam; & vngetis nō solùm pedes meos, sed etiā caput: simul enim me iuuante, & in vitæ actiuæ efficacia proficietis, & in contēplatiuæ luce & suauitate. In me quicquid precioſi habetis conferte, mihi offerte cor vestrum, mihi date animam, mentem, spiritum, mortificatos vestros sensus mihi sacrificate, & vnxeritis me nardo pistico & pretioso. Neque vereamini eos, si qui obmurmurant ob vestra bona opera; ego vos ab illorum vel calumnijs, vel oblocutionibus defendam, vt à Iuda Magdalenam: & si quando Iudæ similē persecutionem, etiam acriorē, vel ad sanguinem vsque & mortē videritis vobis excitari, estote fortes & constantes, & credite me vobis maius auxilium, maiorem gratiam, vires etiam ampliores suffecturum, quò in maiora pericula & tribulationes propter nomen meum incideritis. O suauem vocem! ô diuina mysteria & doctrinam! Quas gratias vel agere, vel habere nos dignè non possumus, sancti ipsi & Angeli tibi, sancte & magne IESV, & agant, & habeant. Amen.

DOMI-



## PALMARVM.

Ducitur asina & pullus ad IESVM.

MATTH. XXI. MAR. XI. LVC. XIX. IOAN. XII. ANNO XXXIII.

*In lxxij. imaginem adnetat iuncula.* lxxij. 85.

*A. Mons Olueti.*
*B. Bethania in radice montis ad Orientem.*
*C. Bethphage, vnde misit IESVS qui asinam & pullum adducerent.*
*D. Viculus, vnde illi sunt adducti.*
*E. Progreditur asina vectus ad prospectum vrbis.*

## PRIMA PARS EVANGELII MISSÆ.

| MAR. XI. | MATTH. XXI. | LVC. XIX. | IOAN. XII. |
|---|---|---|---|
| *Et cū appropinquarent* | ET cùm appropinquasset Hierosolymis, & venisset[c] Bethphage | *Et factum est* | *In crastinum autem* |
| *Hierosolymæ* | | *ad Bethphage* | |
| *& [b] Bethaniæ ad montem Oliuarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis;* | ad[a] montē Olueti, tunc IESVS misit duos discipulos, dicens eis; | | *& Bethaniam, ad montem qui vocatur Olueti,* |
| *introeuntes illuc,* | Ite in castellum[d] quod cōtra vos est, | | *In quod introeuntes, inuenietis* |
| *pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit; illum* | & statim inuenietis asinam alligatā, & pullum cum ea, | | *pullum asinæ alligatū, cui nemo vnquam hominum sedit.* |
| *vobis dixerit; Quid facitis?* | soluite, & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, | | *vos interrogauerit;* |
| *quia Domino necessarius est;* | dicite, quia Dominus his opus habet; | | *quare soluitis? sic dicetis ei; quia Dominus operam eius desiderat.* |
| *& continuò illum dimittet huc.* | & cōfestim dimittet eos. | | |

MARC. XI. MATTH. XXI. LVC. XIX. IOAN. XII.

Hoc autem factũ est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem; Dicite filiæ Sion; ecce Rex tuus venit tibi mãsuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

*Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis stantem pullũ.*

*Et abeuntes inuenerũt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluunt eum.*

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis IESVS.

*Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos; Quid soluitis pullum?*

*Et quidam de illic stantibus dicebãt illis; Quid facitis soluentes pullum?*

*Qui dixerunt eis sicut præceperat eis IESVS,*

*At illi dixerunt; Quia Dominus eum necessarium habet.*

*& dimiserunt eos.*

Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

*Et duxerunt pullum ad IESVM,*

*Et duxerunt illum ad IESVM; & iactantes vestimẽta sua super pullum, imposuerunt IESVM.*

*& imponunt illi*

*& sedit super eum.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

*Libet hoc loco breuiter annotare de anno quo crucifixus est Dominus; qua de re aliàs Christo propitio dicam fusius. Trigesimotertio igitur ætatis suæ anno crucifixus est Christus; baptizatus enim est ad initium anni tricesimi; nam erat quasi annorum triginta: ἀρχόμενος ἦν, ideest incipiens: veluti si dicat ad initium tricesimi: nam aliquin non sic dixisset, sed ἐπὶ τελειότητος ἦν; & vnus annus necessariò intercessit à baptismate ad miraculum Canæ Galilææ ex Ecclesiæ traditione. Deinde duo Paschata exponit D. Ioãnes: primum ij. cap. secundum vi. Tertium est quo crucifixus est Dominus, qui erat trigesimitertij anni vitæ eius temporalis: mortalis mensis tertius à natiuitate: octauo enim calendas Ianuarij natus est Christus; crucifixus octauo calendas Aprilis.*

*A. Mons Oliueti ad Orientem montis Sion & Hierosolymorũ, primo milliario, Sabbati scilicet itinere, vt est in Apostolorum Actibus; vnde Christus ad Patrem ascendit: in quo per singulos annos vacca rufa in holocaustum Domino cremabatur: in quo, iuxta Ezechielem, Cherubim de templo transmigrantes Ecclesiam Domini fundauerunt. Est hic montium qui sunt in circuitu, & in vrbe Hierusalem, altissimus: inter hunc & Hierosolymam intercedit torrens Cedron, in valle Iosaphat, super quam ad iudicium vniuersale imminebit stans super montem Oliueti Christus.*

Act. 1. Hier. in epitaph. Paulæ.

*B. Bethania in radice montis Oliueti ad Orientem quidem, ad Austrum tamen, vt dixi-mus, declinans, quindecim stadijs, id est duobus fere milliaribus ab vrbe; vnde postridie quàm Nazarenus manauerat apud Simonem leprosum Christus profectus veniebat Hierosolymam.*

Hier. in Iobelem. Beda in Marc. 11.

*C. Bethphage, villa Sacerdotum, quò hi secedebant expleto templi ministerio, in latere orientali montis Oliuarum, medio spatio à mõtis vertice Bethaniam eunti. Hinc misit IESVS duos discipulos ad pagum proximum, vnde asinam & eius pullum adducerent.*

Hier. in epitaph. Paul.

*D. Viculus ad dexteram, lapidis iactu distãs à Bethphage in valle, sub mõte offensionis; vnde duo discipuli asinam & pullum adduxerunt ad IESVM, dein pallijs suis, & aliorum Apostolorum strauerunt & ornauerunt.*

Brocard.

*E. Ad Bethphage ascendit IESVS primùm asinam: progressus verò ad montis verticem, vnde ciuitatem conspecturus erat (non enim ex adiacente erat conspicua è Bethphage vel viculo) relicta asina conscendit pullum.*

Brocard. Rainerus

# EADEM DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

In conspectum Hierusalem venit IESVS.

MATTH. XXI. MAR. XI. LVC. XIX. IOAN. XII. ANNO XXXIII.

*In lxxiij. imaginem adnotatiuncula.* lxxiij. 86.

*A. Venit IESVS in conspectum vrbis.*
*B. Flet super Hierusalem.*
*C. Multitudo ciuitatis parat ramos & palmas.*

Christi fletus ponitur etiam hoc loco, si quis velit intelligere fleuisse IESVM statim conspecta ciuitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## SECVNDA PARS EVANGELII MISSÆ.

MARC. XI. MATTH. XXI. LVC. XIX. IOAN. XII.

*Et vt* [a] *appropinquauit, videns ciuitatem,* [b] *fleuit super illam, dicens; Quia si cognouisses & tu; & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscõdita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem; eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

*Turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia venit IESVS Hierosolymam,* [c] *acceperũt ramos palmarum, & processerũt obuiam ei, & clamabant: Hosanna: benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Et inuenit IESVS asellum, & sedit super eum, sicuti scriptum est; Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quãdo glorificatus est IESVS, tunc recordati sunt quia hæc erãt scripta de eo, & hæc fecerunt ei.*

*Multi autem* [c] Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

*frondes*

*eunte autem illo*

*substernebant vestimenta sua in via.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. VEnit in primum ciuitatis prospectum Christus sedens super pullum, præcedentibus & sequentibus discipulis, ex quibus vnus ducebat ponè asinam.

B. Hinc verò coniciens in ciuitatem oculos, & mentem aduertens, tactus dolore cordis intrinsecus, flens deplorat ciuitatis cæcitatem, & futuras calamitates: siue has lachrymas effudit Christus cùm iam propiùs accessisset ciuitati, maiorem ostendit pietatem & misericordiam; vt inter sublimes illos honores & gloriam, moueretur tamen ciuitatis compassione tam vehementi. Conspice hominis Dei dolorem, & lachrymarum vim erumpentium, plorantes Apostolos cùm lachrymas Christi viderunt, plorantem virginem Matrem, plorantes mulieres quæ Christum ponè sequebantur, vbi de eius lachrymis intellexerunt; solum Iudam nihil commotum, sed contrà efferatum animo magis. Honorem igitur, & gloriam quã aduenienti parabant Hierosolymitæ, luctu & mœrore excipit Christus, tum grauissimis verbis ciuitatem increpat, & commiserationem suam exponit; *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, &c.* Ceterùm fleuisse IESVM ter legimus, in Ioan. Luc. & Paulo: præterea colligimus fleuisse ex Sap. vij. pie etiam credimus in circuncisione fleuisse. Ioan. 11. Luc. 19. Heb. 5.

C. Vulgatum fuerat celebri sermone Hierosolymis antea, suscitatum Bethaniæ Lazarum; inde cùm secessisset ad vrbem Ephrem in desertum IESVS, subsederant illi sermones; eo redeunte Bethaniam, rursum sunt excitati. Itaque vbi audiunt illum Hierosolymam venire, effundit se ciuitas, & aliarum arborum ramos, tum palmas parant, cum quibus obuiam Christo procedant, & gloriosè eum accipiant.

## MEDITATIO.

### Videns IESVS ciuitatem, fleuit super eam.

LAchrymatus es quater, magne IESV, in diebus carnis tuæ fragilis & infirmæ, nũquam risisti. Obsecro, Domine, cur illud, cur hoc? Quatuor quasi flumina de immẽso fonte misericordiæ meæ effudi illis lachrymis in mortales: & cùm quater fleuerim, semper tamen in corde meo illa eadẽ quæ illis lachrymis deplorabã luxi quoad mortalis vixi. Nascens enim communem nascentiũ miseriam lugebam; ad Lazarum mortuum, sed à me suscitandum plorabã, propter difficultatem eorum qui à peccato mortali, præsertim inueterato, vel fuerant suscitati, vel erant resuscitandi, videns Hierusalem, deflebam non solùm Ecclesiæ nouæ peccata, sed veteris, & omnium ætatũ: in cruce verò lachrymas effudi, & sigillatim pro singulis hominibus, & generaliter atq; vniuersè pro omnibus. Fuerunt verò meæ lachrymæ exauditæ ad conciliandam gratiam prœuenientẽ & excitantem, ad sanandas mortalium miserias, ad delenda peccata, ad gratiam conferendam, & gloriam sempiternam. Effectum alium præterea pepererũt meæ lachrymæ, & magnã vtilitatem: nam hæ meæ lachrymæ fecerũt vt vester excitetur dolor pro delictis, & vestris, & proximorum; tum vt lachrymarũ donum consequamini, si non vtrarumque, exteriorum & interiorum, certè harum, quæ contritionem peccatorum, partemque præcipuã pœnitentiæ confirmant, & cùm reddunt dolorem lugubrem & mœrentem, generãt contritionis quandam securitatẽ. Hæ sunt lachrymę meæ. Risum, hoc est cordis exultationem in mea & Patris diuinitate habuit anima mea perpetuam: læta ibi erant omnia quod ad superiorem attinet portionem, ibi enim nunquam fleui, nunquam quicquam tædij sensi: quod verò ad inferiorem portionem spectat, nihil habui cur riderem; non solùm propter constantiam, & morum grauitatem, sed propterea quòd nihil videbam dignum risu, & cordis illa exultatione. Si quid enim erat quod cordi meo gratũ esset vel in præsentibus hominibus, vel in præteritis, vel in futuris, id ego eodẽ tempore meis laboribus & lachrymis redimebam, tum sanguine meo tandem, & vita eram redempturus. Quid ergo est, benigne IESV, quòd accedens Hierosolymam vides illam, & videns fles super illam? Nónne

Ioan. 11.

Heb. 5.

sæpe

Universidad de Deusto
Biblioteca



sæpe Hierusalem videras, nec fleueras tamen super illam? Nunquam antea Hierosolymam videram, quin super illâ fleuerim; continenter enim à mea vsque incarnatione opus redemptionis humanæ exercui, & ad hoc lachrymas adhibui, si non exteriores, certè cordis mei interiores. Quid ergo ad exteriores de Hierusalem nũc primùm venis, bone IESV? Bis eam iam deploraueram, & nascens, & ad Lazarum. Neque enim non simul ad Hierosolymam spectabant illæ lachrymæ, sed propriè illi hæ dabantur, quæ ex præsenti causa præsentem commiserationem efflagitabant; iam enim Iudæis conuenerat inter se vt me
Luc. 2. interficerent: quæ mea mors, vt multorum fuit resurrectio, & causa salutis æternæ, ita multorum ruina inde & calamitas exstitit, & totius illius vrbis crudele excidiũ & vastitas, tum ciuitatis & Iudæorum excæcatio. Hæc mouebant me vehementiùs. Deplorabam verò luctuosiùs nõ illius solùm vrbis ærumnas exteriores, sed interiores atque exteriores, non Synagogæ tantùm, sed Ecclesiæ totius, omnium ætatũ miserias, persecutiones, afflictiones & peccata: omnes omnium temporum miseriæ obuersabantur ante oculos mentis meæ, vnde vehemens causa fuisse intelligitur mearum lachrymarũ. Itaque nunquam illam vidi vrbem, nunquam quæ mihi per eam repræsentabantur cogitaui, quin ea in animo meo deplorarem. Verùm hæc vt præuisa dumtaxat mouebãt antea me: in illo autem Hierosolymorum accessu omnia vidi quasi præsentia in necem conspirasse meam, contrà quàm apparebat ex hominũ applausu. Adde quòd ad pœnam, pro tam incomparabili malo, hoc etiam genus volui satisfactionis impendere, dolorem animi cum lachrymis coniunctum, pro mortalium redemptione & salute. Expone obsecro, Domine IESV, rationem tui luctus: nam quæ audio, videntur mihi etiam vehemẽter minari, non solùm Iudæis. Rectè times: audi; illis verbis & lachrymis; Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, &c. acerrimum expressi cordis mei dolorem: itaque tacebam multa, & intercisè loquebar, impediente dolore & lachrymis. Si cognouisses. Immensus hîc motus amoris & desiderij, simul & doloris fuit: vtinam cognouisses, sed non cognouisti, nõ cognoscis, nõ cognosces: si enim cognouisses, omnia bona tibi prouenissent Dei benignitate, & quidem spiritualia atque cælestia. Verùm cùm in tua insipientia miserabiliter perseueraturus sis, infligentur tibi mala infinita absque vllo subsidio, absque effugio vllo. Et tu. In cognouisses, est, tu: quid igitur? replicas, Domine, tu, vel exprimis suppressum? Expressio hæc est amoris & commiserationis. Fuisti tu, inquam, ciuitas mea dilecta, in quam ego tot iam olim beneficia contuli, & summũ sum nunc oblaturus, sanguinem & vitam meam: tu si cognouisses. Rursus indignatio hæc fuit grauissima, & comminatio etiam: tu, tu hæc ignoras: cognoscent gentes, & tu tamen non cognouisti, non cognosces. Et quidem in hac die tua. Hem miseriam tuam ingentem! tua est hæc dies, hoc tempus, hæc mysteria, & quæ hactenus feci, & quę facturus sum in passione, morte, & resurrectione mea: tibi primùm sunt dedicata, pro te facta ac facienda; salus æterna tibi primùm parata est. Etenim quônã tua omnia sacrificia, oblationes, ritus, cæremoniæ referebantur? quorsùm spectabant? Nonne ad hanc diem, ad hoc tempus tuum? Nam si illa erant tua, hæc magis tua, propter quæ illa erant tua. Cùm igitur tua hæc dies sit, hæc lux veritatis & gratiæ, tantò magis deploranda est tui animi cæcitas, quæ facit vt hæc non cognoscas; vnde fiant non tua, quæ erant futura tua. Quæ ad pacem tibi. Nihil feci ego in meæ carnis dispensatione diuinius, quàm quòd pacem obtuli hostibus meis, & quidem continenter aduersus me pugnantibus, vt in Psalmo per Dauid dixi; Cum ijs qui oderunt pacem, eram pacificus; cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Ego pacem & tranquillitatem vobis semper obtuli, tum animi spiritualem, tum rerum omnium temporalem. Et hæc cùm semper sim loquutus, semper pollicitus, semper obtulerim; vos tamen quasi ad bellum prouocarem, meis beneficijs aduersus me semper fuistis incitati, semper bellum pro pace respondebatis. Neque verò quòd nunc in meo aduentu exultatis, id solidum est vestrum gaudium, sed momentaneum & caducum: nam quod canitis; Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini, ex mysterio dixistis, quasi clamarent lapides; & eodem hoc die nullus erit ex vobis omnibus, qui dominum in hospitium me, vel ad cænam vocet; & quidem cùm omnes circumspexero. Alioqui Principes vestri Pharisæi & Seniores aduersum



uersum me acriùs hoc ipso tempore concitãtur: certè vniuersi me post pauculos hos dies estis ad mortem & crucẽ efflagitaturi, & dignio rem vita latronem, hominẽ homicidam & seditiosum professuri quàm me, Dominũ vestrum & omnium. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quid? Non viderunt te Iudæi docentem, Sancte IESV, miracula facientem, morientem, sepulturæ tradi? Quid? Nescierunt te resurrexisse? omnia hæc viderunt, scierunt. Quænã illa, obsecro, sunt, magne IESV, quæ non cognouerũt, & propter quæ in tantas calamitates inciderunt? Non est illa vera vel visio, vel intelligentia, non est perfecta, quæ sensu carnis vel exteriori, vel etiam interiori vel accipitur vel perficitur, earum rerum præsertim quæ cum spiritu coniunctæ sunt, & à diuina reuelatione deriuantur, nec possunt humana ratione vel industria comprehẽdi: sed vt singulare est donum Dei illa reuelatio, ita reuelationis perceptio diuino munere communicatur; cuius principium est fidei donum: quod si quis imbiberit, ibi primùm oculi alij nobiliores illi aperiuntur, alia rerum facies & alia intelligentia, non eorum solùm quæ supra naturam sunt, quæque nõ assequitur naturæ vis, sed illorum etiam quæ natura constant, & naturaliter intelliguntur. Alijs enim oculis illa, & altiori lumine & puritate intelliguntur, & quasi diuino splendore vestita, lætiora sese offerunt, & creatorem suum repræsentãt. Quòd si hæc diuino lumine per fidem sic illustrantur, quæ ex se naturaliter lucem illam non habent, sed excipiunt extrinsecus; quàm erunt illa illustria quæ cum singulari Dei lumine nascuntur & fide, atque à luce cœlesti deriuantur! Præstantissima certè hæc erunt, atque illustrissima: verùm vt maior est horum claritas ac splendor, eò cæci magis ac socordes sunt, qui sibi oblata vel nõ agnoscũt vel contemnunt, & habentes fidei aures & oculos, vt illa audiant & videant, claudunt tamen oculos & excæcant, cor incrassant atque indurant, & auribus grauiter audiunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligãt, & conuertantur & sanentur. Horum est tam grande peccatum, tam execrabilis præuaricatio, vt me, qui infinitè misericors sum, quiq; ad omnia delenda peccata morti me obtuli & cruci, veluti cogant vt illos derelinquam in suis peccatis; vnde incrassentur & indurentur magis, & excæcentur, atque in profundum malorum abijciantur. Hæc autem lux & fides, vt est spiritualis, ita non intellectum solùm, sed cor simul & voluntatem sua luce & suauitate repletam ea videlicet quæ charitate in- Gal. 5.
formata, per eam operatur, & dat Spiritus sancti dona, quibus potentiæ & virtutes omnes nobilitantur diuinitus. Hinc sensus spiritualis, & experientia quædam interna, inde Spiritus exultationis, hinc iubilationis, hinc vnionis, hinc vis diuina concepta ad operationes extẽditur, ad gloriam maiorem & Patris & meam, & sancti nostri Spiritus. Non huiusmodi solùm luce & cognitione caruisse Iudæos, sed omni illius principio, & viæ ad illam sua singulari malitia atque animi obstinatione contradixisse, id verò mihi erat causa propria meæ tristitiæ & lachrymarum. Ex hac luce si voluisses & tu, admiranda beneficia esses consequuta Hierusalẽ; ex me fidem concepisses, intellexisses mysteria, fructum meæ vitæ & mortis recepisses, mortem sempiternam, & illas etiam externas calamitates euasisses: nunc autem contrà est, cùm fidem meam auerseris, & spiritualia dona; vnde fiet vt immanitatem illam, & infinitam calamitatem vrbis excellentissimæ patiaris, & totius gentis internecionem. Heu, Domine IESV sancte & misericors; lætitia quidem singulari cor meum affecisti, sed tamen vehementem mihi metum incussit tuus ille fletus & comminatio: nam eodem negotio videris Ecclesiæ tuæ calamitates deflere atque prænuntiare. Prænuntio, & defleo simul omnes Ecclesiæ meæ labores; illam præsertim calamitatem quam impius homo, & atrocissimus tyrannus Antichristus infliget, & huius præcursores hæretici, me permittente. Verùm alia erit illius afflictionis ratio atque huius Iudaicæ; hic enim populus, & terrena Hierusalem funditùs euersa fuerunt, Ecclesia verò mea sponsa nullo labore, nulla calamitate perire potest, etiãsi periclitetur; atque adeò afflictionibus & laboribus purgatur, & fit illustrior atque perfectior. At enim mihi timeo miserè, Domine IESV; deploras video animæ meæ simul miserias, & illa contemplor mihi mala imminere ab hostibus meis, propter insipientiam meam, & ingratitudinis magnitudinem, & alia mea innumerabilia peccata. Quid enim in me video vnde nõ merear pœnas acerbiores? Quid verò habeo quapropter liberari ab illis possim, & nõ potiùs calamitosiùs affligi? Infelix ego homo & mi-

Ioan. 12. Act. 18. Esai. 6. & Matt. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca



& miserabilis, quis me proteget à facie hostiũ meorum, & à facie eorum oppugnationis & truculentiæ, nisi tu refugium meum, Domine magne IESV, fortitudo mea, arx mea, & petra mea, meum scutum, cornu salutis meæ, susceptor meus? Hæc si fias mihi, bone IESV, quamuis agnoscam me esse de me miserum, & omni pœna dignissimum, non trepidabo tamen, non timebo. Ita facias, Domine sancte, non per has tantùm, sed omnes lachrymas tuas obsecro te. Ita spera & confide me facturum; sed illa quæ ego pronuntiabam Iudæis, tu contra hostes animæ tuæ & meos exerce, me authore & præside. Forti studio para aduersus inimicos vallũ & fossam: muni te pœnitentia, & meditatione meę passionis & mortis, & oratione: hæc tua sit fossa & vallum, quo hostes tuos cõcludes, vnde trãsmittere ad te non possint. Adde meditationi & orationi bonarum operationum pietatem atque instantiam; ita ad angustias adiges qui te oppugnabunt. Neque porrò desinas, sed præcipuam illam virtutem humilitatem adhibe, & cordis simplicitatem, & hostes tuos ad terram prosternes; nec eos solùm, sed eorum filios, cogitationes scilicet prauas, & odiosas tentationes. Neque in hoc bello fatigeris vel animum despondeas, quin quæ dixi omnia illustriori fidei, spei, & charitatis virtute & spiritu augeas in me. Ita fier, vt nullus lapis, nullæ sint reliquiæ residuæ vitium in hostibus tuis; & possis cantare cum Mose & Maria: Gloriosè magnificatus est Deus, & Christus eius, hostes & oppugnatores meos euertit, & in mare proiecit: & ego dicam animæ tuæ; Mulier, vbi sunt qui te oppugnabãt? nullus te oppugnauit? Tu respõdebis; Nemo Domine. ego subdam; De cætero te similiter protegam si ita pergas, quod facies me iuuante, nec timebis vt quicquam possint in te hostes tui. O beneficium incomparabile! ita fac, bone IESV. Amen.

*Psal. 17.*

*Exod. 15.*

*Psal. 3.*

EADEM



# EADEM DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

## Ingressus solennis in ciuitatem.

MATTH. XXI. MAR. XI. LVC. XIX. IOAN. XII. ANNO XXXIII.

*In lxxiiij. imaginem adnotatiuncula.* *lxxiiij.*

*A.* *Bethania, vbi Lazarus suscitatus.* 87.
*B.* *Mons Oliuarum.*
*C.* *Hortus Gethsemani.*
*D.* *Torrens Cedron.*
*E.* *IESVS eques in pullo asinæ vectus.*
*F.* *Eius celebritas itineris.*
*G.* *Hierosolyma commota.*
*H.* *Templum, quò venit IESVS; vbi sanat cæcos & claudos.*
*I.* *Virgo mater cum mulieribus.*

## TERTIA PARS EVANGELII MISSÆ.

MAR. XI. MATTH. XXI. LVC. XIX. IOAN. XII.

*Et a cùm e appropinquaret iã ad c d descensum montis b Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendẽtium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus,*

*Et qui præibant & qui sequebantur,*

Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebatur clamabãt, dicẽtes;

Hosanna filio f Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini:

*Benedictus qui venit f Rex in nomine Domini.*

*Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid, Hosanna in excelsis.*

Hosanna in altissimis.

*pax in cælo, & gloria in excelsis.*

*Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo a quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eũ à mortuis. Propterea & obuiã venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Pharisei ergo dixerũt ad semetipsos; Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt.*

*Et quidam Phariſæorũ de turbis dixerunt ad illum: Magiſter, increpa diſcipulos tuos. Quibus ipſe ait; Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper eam, dicens; Quia ſi cognouiſſes, & tu: & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

*& introiit*

Et cùm intraſſet Hieroſolymã, cõmota eſt vniuerſa ciuitas, dicens; Quis eſt hic? Populi autem dicebant; Hic eſt IESVS Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit IESVS in[h] templum Dei. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos. Videntes autem Principes ſacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamãtes in templo, & dicentes; Hoſanna filio Dauid; indignati ſunt, & dixerũt ei; Audis quid iſti dicunt? IESVS autem dixit eis; Vtique. Nunquã legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?

*in templum*

*Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere; & non inueniebãt quid facerent illi; omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. BEthania, vbi eminus deſignatur, Lazari ſuſcitatio: hoc enim miraculũ turbæ memoria retinebant, hoc multitudinem obuiam Chriſto vt veniret excierat: celebritas tamen ad radicem montis iuxta hortum Gethſemani in valle Ioſaphat deſcribitur.

B. Mons Oliuarum, ad cuius accliuitatem dubium non eſt quin multi obuiam Chriſto cum ramis proceſſerint.

C. Hortus Gethſemani.

D. In valle torrens Cedrõ, qui ſcilicet perennis non eſt, ſed è pluuiali aqua, partim è piſcinis ſuperiori & inferiori, & Siloe fonte concipitur, & illis deficientibus areſcit. In eo hoc tempore erectus eſt pons, de quo antiquitas nihil prodit.

E. IESVS in pullo aſinæ veſtibus Apoſtolorũ ſtrato eques, chamũ tenens manu, ad vrbem procedit. Dicite filiæ Sion; Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam priùs, dein ſuper filium ſubiugalis. Præcedunt alij Apoſtoli, alij ſequũtur; vnus ducit aſinã ſimiliter ornatã.

F. Effuſa ex vrbe multitudo partim præcedit, partim ſequitur, omnes altè prætendentes palmarum & oliuarum, & aliarũ arborum ramos, & veſtimenta ſternentes, diuina præſenti Chriſto acclamant, vt in ſolenni Tabernaculorũ feſto ex Pſal. cxvij. Chriſto venturo legitimum erat canere. Euangeliſtæ præcipuam indicant encomij partem, Hoſanna, quod Hebraicè eſt הושיעה נא hoſiah na; duæ dictiones, id eſt ſaluifica obſecro. Prima dictio verbũ eſt vehementis ſignificationis, ſecunda interiectio obſecrantis. Reliqua quæ in eodem ſunt Pſalmo proſequuntur illi; Deus Dominus, & illuxit nobis: quibus verbis Meſchiam confitẽtur Deum eſſe verum, lumenq́, & ſalutẽ afferre mortalibus, eum quem hominem videbant, & laudibus celebrabãt. Excellẽtiſſima hæc fuit profeſſio dignitatis & gloriæ Chriſti. Myſterio autem diuino hæc fiebant, vt quem reprobauerant Principes & Phariſæi, in cuius necem conſpirauerant, hunc turbæ ſpiritu Dei incitatæ Meſchiam, Deum, mundi ſalutem & lumen prædicarent. Addunt pro coronide; Pax in cælo, gloria in excelſis, imitati Angelorum epinicion ad Chriſti natiuitatẽ: hæc enim omnia erant in Hebræorum verbis, & planè filio Dauid IESV tribuebantur, & eius regnum celebrabant; Benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid, non huius mundi, vt erat dicturus Pilato Chriſtus, ſed ſpirituale & æternũ. Porrò quod addunt, in altiſſimis, myſterium exprimit, & mentem diuina virtute in ſpiritum ſuſpenſam. Cum hoc triumpho in vrbem inuectus eſt IESVS porta aurea, quæ priùs porta vallis appellabatur, ad orientalem plagam valBeda. lis Ioſaphat: pertinet verò hæc porta ad regionẽ templi, & portam eius ſpecioſam: hac ingreſſus IESVS, rectà ad portam ſpecioſam peruenit. Deſcribitur autem ingreſſus Chriſti per meditationem quidem, ſed in qua narratur hiſtoria: cæterùm quæ attinent ad myſticum ſenſum, ea veriſſima ſunt, nam totus Pſal. cxvij. intelligitur de Chriſti aduentu, vt vno conſenſu tradũt doctores. Quæ ergo dicuntur, erant tunc in illis verbis, & dicebantur à turbis in fide Synagogæ vel ſuæ Eccleſiæ, etſi non intelligerent peculiariter, vt pleraque Chriſti myſteria, quæ Pſalmis comprehenſa frequenter habebant in ore.

G. Hieroſolyma, quæ ad tam celebrẽ ingreſſum IESV commota eſt vniuerſa variis animorũ affectibus; alij ægrè ferre tantã gloriã, & inuidere, alij admirari, alij laudare, omnes clamare; Quis eſt hic? turba cõtinuare ſuũ encomium.

H. Templũ, quò accedentes ad ſe cæcos & claudos ſanat IESVS: ibi ipſum verbis adoriuntur mordacibus indignabũdi Principes ſacerdotum, gloriam Chriſti iniquè ferentes, & diuinã puerorum acclamationem & laudem.

I. Virgo mater cum pijs mulieribus ſequens.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

Venite fratres, venite omnes quotquot IESVM cognoscitis, quotquot virtutes eius, & misericordias magnas agnoscitis: ecce
*Cant. 2.* venit in animas vestras dilectus vester transiliens montes, properans è collibus: aduentu suo facit veram Hierusalem, facit suauem pacis visionem atque fruitionem. En ad vos descendit de monte Oliuarũ, de altitudine suæ diuinitatis ac clementiæ: Iustus & Saluans; venit pauper & mansuetus, sedens super asinam & filium asinæ. Motus vestræ sensualitatis importunos compescit, iustitiam animo vestro inducit & salutem, simplicitatem, mansuetudinem, atque humilitatem conciliat. Exultent animi vestri, iubilet spiritus ad rem nouam, ad rem magnam, ad rem diuinam, quæ spiritum vestrum, vestros internos sensus excitabit, & exhilarabit, & confirmabit,
*Cant. 2.* atque omni perfectione ornabit. En dilectus singulis animis vestris loquitur; Surge age, propera amica mea, & veni, occurre sponso tuo. Sed lugete primùm peccata vestra, vt luxit ipse illam Hierusalem, vestram etiam, quæ sola fide & spe effœtis conflare solet, luxit, improbauit, & auersatus est. Exite ex illa Hierosolyma, ramos exscindite oliuarum, id est pingues charitatis & deuotionis fructus cum vera fide & spe coniungite, inde afferte bonorum operum palmas, offerte vestrarum concupiscentiarum profligationem & victoriam. Ita Christo ad animam vestram properanti occurrentes, cantate in cordibus vestris; Hosanna filio Dauid: sensum recipite vestræ salutis internum, Christo illum acceptum referte. A te salus omnis, Domine IESV, à te sensus & gustus salutis omnis & gratiæ, sine
*Ioan. 15. Philip. 4* te nihil sumus, nihil facere possumus; tecum omnia & sumus, & facere valemus. Sit in me perpetua per te hæc saluificatio, quasi continua quædam endelechia & motio & vita, quę non solùm me in te, per te, & propter te det viuere, sed eas mihi vires ingeneret, quibus alios ad te promouere possim per meum ministerium ex te. Ita tandem consummata erit in me tua salus, & complebuntur in me quæ dixisti in Psalmo; Sacerdotes induam salutari,
*Ps. 131.* ita vt alios salutem induere etiam possint: quod est in verbo hebraico אֶבְיוֹנִישׁ albisch.

Neque tamen cùm hæc in me de tua benignitate sentio, ea in sola fide statuo, vt errant qui à te, & à tua Ecclesia defecerunt; quasi alibi simul non possint consolationes suas statuere, & animum figere. Mihi tu sat es in humilitate cordis mei, bone IESV, in tuis consolationibus spiritus, quæ fide sunt inferiores, & dantur à te, vt nobis sint indicia fidei
*Philip.* tuæ & gratiæ; vt reuera in timore & tremore nostram salutem & operemur, & sentiamus: intolerabilis enim esset coram te arrogantiæ, vt qua fide te credo Deum esse & hominem, qua Deum ipsum trinum etiam & vnum, eadem credã esse vel reputari me iustum apud te. Sat est mihi vniuersalis illa fides, qua per te iustificari nos credo, modò quæ iussisti, & in nostra posuisti facultate, te iuuante implemus; quæ fides, quæ gratia relinquit mihi humilitatem, & infirmitatis meæ conscientiam, non adimit arbitrij libertatem, sed sanat & fouet. Hæc ego agnosco à te proficisci, magne IESV, & in tuis laudibus & benedictionibus pono: tibi Hosanna filio Dauid, benedictus sis qui venisti in nomine Domini Rex Israël, benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid: pax in cælo, & gloria in excelsis; hosanna in altissimis. Agnosco salutem & vitam animæ meæ in te & ex te Deo homine: Ostendisti mihi vim nominis tui æterni, & infinitæ tuæ virtutis: sis tu in sæcula hoc nomine benedictus. Venisti vt Rex cælestis Israëli & Ecclesiæ tuæ sanctæ, communicasti nobis spirituale regnum tuæ maiestatis, quod à te regitur, & tuis benedictionibus impletur, qui omnia in omnibus adimpleris: Ieua, Domine, spiritũ meũ, vt quæ residua sunt laudis tuæ ex tuo Euãgelio sentire in spiritu possim. Verè dona tua faciũt, vt pax cælestiũ virtutũ & animarũ, pax tua diuina corda nostra ineffabili suauitate & tranquillitate perfundat, & eò abducat, vnde gloriam tuæ diuinitatis in eo sentiamus esse sitam, quod est supra omnem creaturam, quod est secretum tuæ diuinitatis ineffabile. Inde salus nostra profluit, vt è fonte vniuersi boni & gratiæ in Christo IESV.
Amen.

SABBATHO



# SABBATHO POST DOMINICAM PASSIONIS.

## Veniunt gentiles ad IESVM.

IOAN. XII. ANNO XXXIII.

*In lxxv. imaginem adnotatiuncula.* lxxv. 89.

*A. Adeunt gentiles ad Philippum, hic dicit*
*B. Andreæ.*
*Adducuntur ab his ad IESVM.*
*C. Vox Patris.*
*D. IESVM nullus excipit hospitio.*
*E. Redit Bethaniam ad vesperum.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. XII.

ERant autem quidam [a] gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad [a] Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes; Domine, volumus IESVM videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ; [b] Andreas rursum & Philippus dixerunt IESV. IESVS autem respondit eis, dicens; Venit hora vt clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur; & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Nunc anima mea turbata est; & quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora: sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuũ. Venit ergo [c] vox de cœlo, dicens; Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant; Angelus ei loquutus est. Respondit IESVS, & dixit; Non propter me hęc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi; nunc Princeps huius mundi eijcietur foras: & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba; Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quo modo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis IESVS; Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lucẽ habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est IESVS, & [d] abijt, [c] & abscondit se ab eis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

DE historia quæ Euangelium hoc præcedit, dictum est quatuor proximis adnotationibus & imaginibus.

Act. 10. 13. 16. 17. A. Multi Gentiles etiamsi circuncisionem non acciperent, nec ritus omnes Iudæorum seruarent, tamen in Iudæorum Deum credebant, ad festa commeabant, ad templum adorabant, Hebræis erant beneuoli, munera templo offerebant. Ex his quidam accedunt ad Philippum, animo commoti, tum propter celebritatem ingressus Christi, tum propter signa quæ vel viderant vel audiebant. Rogant illum impense vt liceat ipsis IESVM conuenire & alloqui, aduocatum ascisci Philippus Andream, ambo adducunt homines ad IESVM. O inconstantiam & peruersitatem deplorandam! Consentiunt Gentes hodie & Hebræi in IESVM, laudibus in cælum tollunt; quinto tamen die coniurat in illum omnes, rapiunt, virgis cædunt, spinis coronant, cruci suffigunt: tametsi qui Gentiles ad Christum nunc adeunt, pie credantur ad Christi necem non conspirasse.

B. Adducunt Gentiles ad IESVM Andreas & Philippus. Nullus quidem Euangelistarum narrat quid ipsi Christo dixerint, quid Christus responderit: verum vt sæpe meditamur pie in vita Christi quæ scriptura non tradit, ita hic possumus Christum contemplari in illis diuina operantem, eorum animos Euangelij sui luce illustrantem: ipsi verò cœlesti lumine afflati, vt se ad pedes IESV abyciunt, vt illum suppliciter adorant, illi se dedunt, dulcissimum responsum à Christo accipiunt, augetur illorum fides & pietas: turbantur quidem & ipsorum, & Apostolorum animi ad Christi turbationem; at vbi vocem è cælo in Christum delatam audiunt, animum recipiunt & confirmant: alij tonitruum esse factum dicere, alij Angelum ei loquutum è cælo, nihil interius vt Apostoli, vt Gentiles, penetrare.

C. Depingitur vt est Ecclesiæ consuetudo Pater & Spiritus sanctus, quorum, vt Christi, erat opus vox illa; quæ tamen ad Patrem, vt ad principium omnis gloriæ & diuinæ processionis refertur, suæ personæ proprietate.

D. IESVS ad vesperum eius diei quo tanto triumpho fuerat exceptus, tot laudibus, tanta gloria celebratus, nullũ habuit qui eum domum ad cœnam vocaret.

E. Itaque circumspectis omnibus, cùm non haberet quo caput reclinaret, sciret verò Principes sibi insidiari, abscondit se, & secessit cum discipulis suis, cum Matre & mulieribus Bethaniam. O humilis & pauper IESV, Deus omnipotens, accipe hospitium in corde meo; verùm eia hæc intolerabilis arrogantiæ: facigitur me primum Bethaniam, id est domum gratiæ, afflictionis, obedientiæ, cantici: & veni tunc, bone IESV, ad domum tuam & serui tui: vel vem omnino ad me, aduentus enim tuus me vertet in Bethaniam. Hoc autem Christi institutum fuit hîc quatuor diebus qui intercesserunt ante passionem, vt noctibus in montem Oliueti secederet, diebus in templo doceret.

## MEDITATIO.

GEntiles te cupiunt videre magne IESV, & cognoscere, tecum de salute sua agere, quærunt diligẽter inter Apostolos per quem ad te perueniant; Pharisæi indignãtur de tuis laudibus, de splendore tuarum virtutum & gloriæ excruciantur, turba plurima tuum aduentum celebrat, pueri in templo tuas laudes replicant, sanas claudos & cęcos in templo, ejcis ex eo emptores & venditores, versantur in ore omnium tua alia innumerabilia miracula, præsertim vltimum resuscitati è mortuis Lazari, Lazarus ipse est in cõspectu omnium: tu sublimis in pullo asinæ in ciuitatem inueheris, Rex salutaris, & orbis saluator, commouetur vniuersa ciuitas, venit ad te à Patre vox de cœlo omnibus videntibus: hæc omnia audiunt & vident Romani, scit Præses Pilatus, nec tamen eorum vllus mouetur quasi ad seditionem sedandam, neque quicquã fieri contra imperium Romanum putant. Prouidentia hæc tua fuit excelse IESV, & opes diuinæ potentiæ. Quid? Inter tot laudes, tanta celebritate, cùm totum diem docuisses, nec haberes vbi caput tuum reclinares, fuitne vnus aliquis ex omnibus qui te ad cœnã vocaret, qui hospitio exciperet? præsertim cùm tu omnia circumspiceres, quasi omnes inuitares vt te vocarent. Nullus inuitauit, nullus vocauit. Heu animorum incredibilem mutationem! hem ingratitudinem sceleratam! Eodem die omnes te ad cœlum laudibus efferunt, Regem, Meschiam, Saluatorem summis vocibus,



vocibus, summa libertate prædicant, eodem tamen ipso die non solùm nullus inuitat te ad cœnam, sed faciunt vnde tibi ab eis timeres, & te ab eis absconderes. Miramur hæc, & execramur, & tamen si penitus ad nos respiciamus, reperiemus similiter nos facere. Quis enim nostrum non videt hæc omnia? Quis non celebrat, quis non audit totos dies prædicari diuinã Euangelij vim & magnitudinem? nec tamen quisquam est qui Christum desiderantem, petentem, vrgentem vt se ad cœnam, vel ad hospitium cordis sui recipiat, ipsum tamen recipit: atque adeò quis non admittit quàm plurima, quæ faciunt vt ab eo Christus sese abscondat? Heu Domine IESV, agnoscimus, deflemus: abige, benigne IESV, ingratitudines nostras & stupiditates. En tua gratia & correptione permoti vocamus te, offerimus tibi hospitium, cœnam, cor nostrum; vel nunc fac bone IESV, vt Deum & te videamus Gentilium exemplo excitati, & te in corda nostra recipiamus habitatorem. Exo. 32. Deut. 4. Verùm quis Deum videbit homo, & viuet? Ignis enim consumens Deus est, neque habitare quis potest cum ardoribus sempiternis. Isa. 33. Et tamen fecisti nos, Domine, Israël, id est Deum videntes, & apud Deum potentes: es nobis factus Emmanuel, id est nobiscũ Deus: inhabitat item in nobis Deus & inambulat. Magnum est hîc Sacramentum, expone illud tu nobis magne IESV. Audite verò filij mei & fratres. Vera ac perfecta Dei visio in paradiso à vobis expectanda est, ea est æterna beatitudo, vbi similes Deo eritis, quia videbitis eum sicuti est. Huiusmodi in statu vitæ mortalis, nisi ex singulari priuilegio per sensuum plenam abstractionem non contingit. Huius diuinę tamen visionis sunt significationes, & quasi repræsentationes, vel quadam proportione imitationes, quotquot in hac vestra peregrinatione Dei visiones contingũt meo beneficio. Prima verò est in perfecta fide, quę habitat in munditia cordis per charitatẽ, quæ munditia facit vt fidei oculi sint clari & perspicaces, & vt ad egregiam quandam Dei visionem leuentur, fulgoribus diuinis ad vos deriuatis, qui summam pro hac mortalitate Dei cognitionem & sensum internum pariunt. Corde item videtur Deus, in perfecta

Matt. 1. 1. Cor. 3. 6. & 2. Cor. 6. 1. Io. 3.

præsertim charitate, quæ est visio Dei ex cordis perfecta vnione. Est hæc excellens visio, vnde in corde quasi ictus quidam diuinitatis suscipiuntur inenarrabiles, quales meis amicis soleo communicare. Est visio Dei in splẽdoribus sanctitatis, quales describit Dauid in Psalmo, vbi significatio datur productionis diuinarum personarũ in secreto æternorum fulgorum. Videtur præterea Deus in donis Spiritus sancti, sapientiæ præsertim & intellectus, perfectiùs tamen sapientiæ, cuius participatione in omni gustu vel sensu spirituali, vel consolatione videtur Deus, vt in præsenti & exerta diuinitatis virtute & bonitate. In miraculis omnibus Deus etiam videtur, quasi eluceat vis infinita sensibiliter. In creatura ipsa tota, in spirituali præsertim, in Angelis & animis videtur Deus, quasi in speculo, imagine, vestigio. Quid? In me nónne videtur Deus? Nonne videtur Pater meus? Qui enim in me credit, qui me amat, qui mea obseruãda, qui ad mea consilia contẽdit, nónne is in me viam inuenier qua ad Dei significationem & visionem sese immergat, & in pelagus infinitæ perfectionis & gloriæ? Secundùm verò me, meæ matris contemplationi si insistas, de excellentissimis eius donis & perfectionibus facilè ad mei & Patris mei cognitionem & visionem penetrabis. Postremò si ablatis quæ sunt corporibus, & ijs quæ incorporea dicuntur, in meam magnitudinem vos proieceritis, inde ad visionem Dei proficietis; non quod est, sed quod non est cognoscẽtes. Hæc si assequamini, meam etiam humanitatem facilè videbitis; quam tamen soleo ego nonnunquam singularibus amicis ob oculos etiam carnis ponere. Hæc verò cùm experiemini, de mea in vos benignitate, ibi facilè & me & Deum in vestrorum cordium hospitio recipere poteritis. Ibi me ad cœnam, quam ego vobis semper habeo paratam, opulẽtam, lautissimam, diuinam, inuitabitis. Ibi ego cænabo vobiscum, & vos mecum. Mirabilia audiui hodie, magne IESV, ex te, quæ meum captum longè superant: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in secula sempiterna. Fac, sanctè IESV, vt ea intelligam, Amen; vt exequar, Amen.

Ps. 109. iuxta Hebræos

Apoc. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# FERIA QVINTA MAIORIS HEBDOMADÆ.

## Cœna legalis.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XIII.

ANNO XXXIII.

*In lxxvi. imaginem adnotatiuncula.* *lxxvi.* 100.

A. IESVS mittit Petrum & Ioannem in vrbem ad quendam, vt Pascha parent.
B. Perueniunt ad portam.
C. Obuium hominem secuti veniunt in montem Sion.
D. Asatur agnus, &c Paratur Pascha.
E. Comedunt agnum adhibitis cæremonijs.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XIII.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Prima autem die azymorum* | *Et [a] primo die azymorum quando Pascha immolabant,* | *Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.* | |
| *accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes;* | | | |
| | *dicunt ei discipuli; Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha?* | | |
| *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* | | | |
| | *Et [a] mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis;* | *Et misit Petrum & Ioannem, dicens; Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.* | |
| *At IESVS dixit;* | | *At illi dixerunt; Vbi vis paremus? Et dixit ad eos;* | |
| *Ite in ciuitatem* | *Ite in ciuitatem, &* | | |
| | | *Ecce, [b] introëuntibus vobis in ciuitatem,* | |
| | *occurret vobis homo lagenam aquæ baiulãs:* | *occurret vobis homo amphoram aquæ portans;* | |
| | *sequimini eum;* | *sequimini eum in domum in quam intrat,* | |
| | *& quocumque introierit,* | | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXVI. | MARC. XIIII. | LVC. XXII. | IOAN. XIII. |
|---|---|---|---|
| *ad quendam, & dicite ei;* | *dicite domino domus,* | *& dicetis patrifamilias domus;* | |
| *Magister dicit;* | *quia magister dicit;* | *Dicit tibi magister;* | |
| *Tempus meum propè est:* | | | |
| *apud te facio Pascha cum discipulis meis.* | | | |
| | *Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem?* | *Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem?* | |
| | *Et ipse vobis demonstrabit [c] cœnaculum grande stratum;* | *Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum;* | |
| | *& illic parate nobis.* | *& ibi parate.* | |
| | *Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem* | | |
| | *&* | *Euntes autem* | |
| | *inuenerunt* | *[c] inuenerunt* | |
| | *sicut dixerat illis,* | *sicut dixit illis,* | |
| *Et [d] fecerunt discipuli sicut constituit illis IESVS,* | | | |
| *& parauerunt Pascha.* | *& parauerunt Pascha.* | *& parauerunt Pascha.* | |
| *[c] Vespere autem facto* | *Vespere autem facto venit cum duodecim.* | | |

## ADNOTATIO.

*A.* OPeræpretium erit hoc loco si intelligamus, primùm quidem Christum manducasse agnum immolatitium iuxta legis præceptum quartadecima luna ad vesperam, non iuxta Iudæorum traditionem addititiam quintadecima. Decebat ipso vero die legalis agni augustissima illa Sacramenta consummari, Eucharistiæ, & immolationis, cùm incruentæ, tum cruentæ verissimi agni Christi IESV filij Dei. Hanc igitur cœnam primùm impleuit Christus adhibitis legis cæremonijs; dein cœnam communem sumpsit, vbi in paropside simul cum Christo intinxit Iudas proditor buccellam: post hanc cœnam discipulorum lauit pedes; postremò cùm ad mensam rursum accubuissent, sacratissimum Eucharistiæ & sacramentum instituit & sacrificium, & omnibus dispensauit, & postea intinctum panem dedit Iudæ Iscariotæ. Hæc verò gesta sunt pridie quàm pateretur, hoc est præcedenti nocte, eodem tamen die naturali, qui incipiebat à vespera præcedentis diei, & desinebat in vesperam sequentis; ante cuius initium Christus è monte Olineti, siue malis è Bethania mittit Hierosolymam Petrum & Ioannem vt parent Pascha.

*Ruper. Burgen. Iansen.*

*B.* Perueniunt Apostoli ad portam vrbis, reperiunt, vt illis prædixerat IESVS, hominem, qui lagenam siue amphorã aquæ, vas aquarium scilicet fictile, ex fonte Siloë, qui sub monte Sion scaturit, in vrbem ferebat: is enim obuiam occurrit Apostolis in biuio ad portam auream, quã ille è Septentrione veniebat, Apostoli ab Oriente.

*C.* Illum hominem sequuti Apostoli veniunt ad domum in montem Sion, patremfamilias conueniunt, accipiunt ab eo liberam facultatem parãdi Pascha: ostendit illis cœnaculum grande stratum vbi parent, ad quod vndecim gradibus ascenditur, ipsum est longitudine l. pedum, latitudine xxx. lucem recipit ab austro, habet ianuam ab Occidente; illi ad Orientem aula coniungitur, ad quam item decem gradibus ascenditur, quò Spiritus sanctus descendit in Apostolos. Emunt agnum, parant amaras, id est agrestes lactucas, & panes azymos, sternunt mensam, instruunt ignem, omnia ornant ex præscripto vt immoletur agnus, & manducet IESVS cum discipulis Pascha. Extat autem adhuc hoc cœnaculum, & aula in monte Sion, quo in loco monasterium habent Fratres ordinis Minorum.

D. Cùm venisset cum discipulis IESVS ad cœnaculum, subsequente matre & mulieribus, immolatur agnus, eius sanguine aspergunt vtrumque ianuæ domus postem, & superliminare; assant agnum Apostoli, ad ritum Pascha Christus tunicam ad renes, calceos induit, tenet baculum manu, nondum se det ad mensam, sed stat ad comedendum agnum similiter duodecim Apostoli faciunt; mensa habet agnum, lactucas agrestes, quæ amaræ sunt, & paucos panes azymos. Ex agno immolatitio comedunt omnes, sed festinanter; quod indicat præter celeritatem comedendi, quòd adstent, quòd sint accincti lumbis, quòd calceati, quòd manu teneant baculos. Vide Christi, vide singulorum habitum externum, qui totus trepidantium est: sed attentius contemplare Christi generosum & excelsum animum, magnanimiter mysteria passionis suæ incipientis obire; Apostolorum contrà pusillum atque afflictum. Venerãt oppleti metu & trepidatione, quòd intelligerent ad mortem venire IESVM; animaduertebant mortem eius illis cæremonijs repræsentari: Christi item animi promptitudo & alacritas illos perturbabat, quem, vt verisimile est, ipsi antea obsecrauerant ne se daret in periculum, neue veniret Hierosolymam, scire ipsum Principum coniurationem in se. Longè aliter Iudas, cuius crudelitas & impietas his rebus augebatur. Maria virgo & mulieres comederunt & ipse Pascha, id est reliquias ex agno illo immolatitio, quod imago capere commodè non potuit: ita enim se attemperabant agnum illum paschalem manducantes, vt tota familia ex vno agno comedere aliquid posset; quæ si non sufficeret ad totius agni consumptionem, adhibebantur vicini. Animaduerte & hic mærentes & afflictas mulieres: Mariam tamè matrem Virginem summa animi deuotione & magnanimitate nitètem, filij constantiam imitari. Est autem consentaneum & patremfamilias, & eius domesticos ex eodem agno gustasse, siquidem in eadem domo vnus tantummodo agnus immolabatur, vnum Pascha manducabatur.

*Philo de sacrif. Abel. Chrys. ho. 60. ad popu. Antioc. Euthy in 26. cap. Matt. Theoph. in 22. c. Luc. Bon. in vit. Christ. lib. 1. ca. 51.*



*Lanspergius &c. Ioan. de Louanio in 26. c. Matt.*

*Exod. 12*

## MEDITATIO.

*Matt. 5.*

CVr, magne IESV, legem obseruasti cæremoniarum veterum, quas abrogatum venerãs? Diuinæ erant illæ cæremoniæ, ac propterea ante abrogationem obseruandæ, etiam à me, qui veneram non vt legem soluerem, sed vt adimplerẽ. veni enim vt figuram, in qua posita erat lex, ego perficerem, significatum exhiberẽ legis, vmbram mea præsentia depellerem. Perfecta hæc legis fuit adimpletio, ab omnibus Sanctis veteris testamenti summis votis desiderata: atque adeò etiamsi perfectè illi legem implerent, erat impletio illa imperfecta; significare enim mei aduentus mysteria, & totã nouæ legis œconomiam profitebantur, præstare non poterant quæ illis cæremonijs significabantur. At ego illas perfectè adimpleui, in signo quidem vt cæremonias; in re verò & repræsentatione significationis, quòd illa quæ erant in lege significata, per me, per Apostolos, per Ecclesiam ad iota vsque vnum & apicem expleui omnia. Attulit mihi cæremoniarum omnium sacrarum obseruatio, nõ earum quas vel per errorem, vel ex ambitione & superstitione Pharisæi adiunxerant, singularem animi voluptatem; illius præsertim quam obiui in sacrificio Paschalis agni & esu quo die passus sum; cuius sacrificij, & Paschæ vltimi typici cum mystico coniunctã esum cum discipulis vehementer semper desideraui. Etenim figura ipsa è vestigio coniuncta cum re ipsa est: significabat enim immolatio agni futurum vt immolarer ego; esus, vt darer in cibum; vtrumque autem præstiti: immolabatur agnus & edebatur; ego in conficiẽdo sacramẽto me obtuli incruentè, & in sacramento me dedi edendum; quæ omnia vim acceperunt à cruce & morte mea. Hæc erãt in animo meo cùm Pascha typicum manducabam: gaudebam quidem cùm viderem impletum meum singulare illud desiderium, sed simul accedebat naturalis quidam timor & tristitia de significatione: discipuli

anxij

Universidad de Deusto
Biblioteca



anxij erāt & trepidi, verentes vt quæ gerebantur, ad mortem Præceptoris sui pertinerent, & quidem proximam. Intelligo, bone IESV, esum agni Paschalis præparationem fuisse Apostolis ad Sacramentū accipiendum, vt toti Synagogæ omnes cæremoniæ ad lucem legis tuæ accipiendam. Rectè: audi præterea. Fuit
Rom. 9. lex quidem spiritualis & sancta, sed ita spiritualis, ita sancta, non quia spiritum ex se haberet & sanctitatē, sed quia significaret meū spiritum & sanctitatem, ex cuius futura plenitudine redundabant in veterē Ecclesiam sui radij meæ lucis. Et quidem qui erant viri sancti in illa vetustate, vbi legē contemplabantur, vbi obseruabāt, toti erant in me, & in luce Euangelij mei, & in meis mysterijs. Quòd si illi tantum spiritum & lucem accipiebant ex vmbra, quāta est vestra desidia, si ad lucem ipsam cęcutiatis, & quasi ad lucem intermortuam & effœtam aspiciatis? quum & supercœlestibus fulgoribus splēdeat infinitè & efficax sit. Audio, bone IESV: vides tu torporē nostrum & socordiam, adiuua nos, Domine; quæ scis in nobis languere, ea eripe tua virtute atque restaura: & hac consideratione, quam nobis declarasti, illustra animum nostrum, vt sacrosancta mysteria tui sacrificij incruenti & sacramenti, quæ in Missa conficiuntur, intelligamus, & adoremus, & fructuosè recipiamus ad gloriam nominis tui sempiternam. Sed zelus me subit veritatis tuæ quū hæc audio & dico. Quis enim hæreticorum ferat nō insipientiam dico, sed effrænatam insaniam? quibus non satis est si ab Ecclesia Catholica recedāt, nisi etiam ad Iudaismum deficiant: quod qui facit, planè te negat, Domine IESV. Hoc faciūt qui tuū corpus, qui tuum sanguinem, qui te sacrilego ore negant esse in venerabili Sacramento. Significat, inquiunt, non continet Christum; non reipsa exhibet, sed significat dumtaxat corpus Christi & sanguinem Eucharistia. Nónne similiter Synagoga credidit? non idem docuit? Significabatur immolatione agni, tua crux; esu, tui corporis esus. Non eras tu morituus? non aderas corpore præsens? Quid igitur omnium hominum deploratissimi agunt? Fiunt Iudæi, deficiunt ad Synagogam. Vtinam excindantur qui ita insaniunt, cum alia omnium hæreticorum peste. At nos te profitemur significatum esse per agnum Paschalem, & aliud nihil quàm significatum; sed in sacra Eucharistia non significari solùm, sed esse præsentem te verè, realiter, & substantialiter. Da nobis, benigne IESV, significationem intelligere veritatis tuæ legis & cæremoniarum, vt signum veritatis, non ipsam veritatem: hanc verò sensibus nostris spiritualibus insinua, & cordibus imprime; vt te in æternum in tantis tuis donis laudemus, adoremus, & superexaltemus in sæcula, Amen.
Galat. 5.

COENA

# COENA COMMVNIS, ET LAVATIO PEDVM.

EISDEM CAPP.

*In lxxvij. imaginem adnotatiunculæ.* lxxvij. 101.

*A.* Cœnant communem cœnam.
*B.* Dicit IESVS, obscurè indicans proditorem; Qui intingit mecum manum in paropside, &c.
*C.* Præfractior factus Iudas respondet; Nunquid ego
*B.* Respondet IESVS submisse; Tu dixisti. (sum?
*D.* Procumbit IESVS ad lauandos pedes discipulorum.
*E.* Petrus repugnat primò lotioni, deinde profusè obedit.
*F.* Surgu Christus, resumit vestimenta sua.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XIII.

[a] discumbebat cum duodecim discipulis suis.

*Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo: & ait illis; Desiderio* [a] *desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar: dico autem vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit; Accipite, & diuidite inter vos: dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat.*

*Ante diem festum Paschæ, sciēs IESVS quia venit hora eius vtrāseat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

*Et edentibus illis, dixit; Amen dico vobis, quia vnus vestrum mè traditurus est.*

*Et discumbentibus eis & manducantibus, ait IESVS; Amen dico vobis, quia vnus ex vobis* [b] *tradet me, qui manducat mecum.*

*Verùm tamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.*

*Et contristati valde cœperūt singuli dicere; At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim; Et ipsi cœperunt quærere inter se.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| | | |
|---|---|---|
| | | quis esset ex eis qui hoc facturus esset. |
| *Nunquid ego sum Domine?* | *Nunquid ego?* | |
| *At ipse respondens ait;* | *Qui ait illis;* | |
| | *Vnus ex duodecim,* | |
| *Qui intingit mecum manum in paropside,* | *qui[b] intingit mecum manum in catino.* | |
| *hic me tradet.* | | |
| *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo:* | *Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptũ est de eo:* | *Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit:* |
| *væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur:* | *væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur:* | *verunt amen væ homini illi per quem tradetur.* |
| *bonum erat ei,* | *bonum erat ei,* | |
| *si natus non fuisset homo ille.* | *si non esset natus homo ille.* | |
| *[c]Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit;* | | |
| *Nunquid ego sum Rabbi?* | | |
| *Ait illi;* | | |
| *Tu[b] dixisti.* | | |

*Et cœna[d] facta, cùm Diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit;*
*[d]surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se; deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum. & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei[e] Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes?*
*Respondit IESVS, & dixit ei; Quod ego facio, tu nescis modò; scies autem postea. Dicit ei Petrus; Non lauabis*





*mihi pedes in æternũ.*
*Respondit ei IESVS;*
*Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus; Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei IESVS; Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus; & vos mundi estis, sed nõ omnes: sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, Nõ estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, [e]accepit vestimenta sua: & cùm recubuisset iterum, dixit eis; Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur scriptura, qui manducat meccum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.*

## ADNOTATIO.

A. FActa cœna legali, datis reliquijs, discũbit IESVS cum discipulis, vt communem sumat cœnam, declarat vehemens desiderium quod habuerat eam cœnam cum ipsis ante passionem cœnandi: non solùm typicam quam absoluerat, sed quam tunc inchoabat, cuius erat futurus finis institutio Sacramenti Eucharistiæ, & incruenti sacrificij. Aspice frugalem & modicam cœnam, quam paterfamilias piè creditur exhibuisse: parant sanctæ mulieres. Vide ex discipulis septuaginta duobus aliquos mensæ inseruientes, his cibos exhibentes virginem Matrem & Magdalenam.

B. Cùm inter cœnandum dixisset Christus Apostolis futurum vt ex eis vnus ipsum prodederet Iudeis, & ipsi inuicem aspicerent, hæsitantes de quo diceret, & vehementem tristitiam & dolorem concepissent, & vnusquisque trepidanter interrogaret, numnam ipse esset: Iudas Iscariotes animo & vultu efferatur, IESVS verò benignè illum admonet. Quum enim eo momento simul & IESVS, & Iudas, & alij extendissent manum in tribilon, siue paropsidem, id est catinum, vas escarium vulgaris obsonij, vt buccellam suam intingerent; vel ex disco cibum caperent, respondet IESVS vnum esse ex duodecim, & quidem ex ijs qui intingunt mecum manum in catino illum esse.

Bayfius de vasculis.

C. Tunc tandem efferatior Iudas (intellexit enim se esse designatum) nec sui iam compos, interrogat

Universidad de Deusto
Biblioteca



*terrogat num ipse esset.*

*B. Confirmat illud IESVS benignè; tu, inquit, dixisti; quod atrox illius animus, vultus, tetra corporis facies clamabant: & tamen hoc summissa voce dictum voluit IESVS soli. Christi hic mansuetudinem contemplare: eum suffert esse in mensa, ex eadem patina cibum petere, illi benignè respondet, quem sciebat Principes adijsse, cum illis pecunia accepta de proditione nefaria transegisse, & eo ipso tempore nihil aliud quàm proditionis oportunitatem quærere. Longè maior videbitur postea Christi mansuetudo, quæ maior tamen esse non potest, vbi laubit illius latrenis pedes, vbi corpus suum sacratissimum in sacramento porriget.*

*D. Absoluta cœna hac (nihil enim amplius in vita mortali sumpsit Christus cibi communis præter paululum potus) surgit ipse à mensa, assurgunt Apostoli, edicit illis vt sedeant, considerent omnes; primus Petrus. Interea deponit IESVS vestimenta sua, retenta interiori tunica, vt expeditior esset ad lotionem, accipit linteum, eo præcingit se, quo pedes posset Apostolorum extergere; deim aquam haurit, peluim aqua replet, apponit ad Petrum, procumbit in genua, poscit pedes vt præbeat lauandos. Aduertistis nunc, ô cælestes spiritus, siue è cælo vsque, siue ad terram propterea delapsi, aduertistis mentem ad tam grande, tam humile, tam nouum in immensa filij Dei maiestate spectaculum? Aduertite & vos mortales omnes animum, quotquot aliqua pietas, aliquod desiderium humilitatis tenet. Contemplamini & videte quid rerum gerat homo Deus Christus IESVS, & Angelorum omnium, & vester Dominus: admiramini, obstupescite, laudate Deum, prædicate Christi humilitatem, exemplum imitamini ad quod vos inuitat è cælo IESVS. Illud retinete, cordi imprimite, factis exprimite, omni studio complectimini: ibi suauis Dominus, ibi dulcis IESVS, ibi potens in humilitate Deus.*

*E. Petrus Apostolorum primus, tamen mysterium non capit; negat se permissurum vt lauet sibi pedes, is quem erat confessus filium Dei viui, auertit caput, vt qui vehementer abnueret, pedes abstrahit ne lauentur. Animaduerte Petri & IESV contētionem acrem vtriusque; ille, Nō lauabis mihi pedes in æternum, Christus, Si te non lauero, non habebis partem mecum: simul docet Petrum interius bonus IESVS quid mysterij illa lotio & sui humiliatio habeat; & illius conuertit è simplicitate quidem & obseruantia profectam nimiam humilitatem & timorem, in veram & salutarem obedientiam, & multò veriorem humilitatem: neque enim illa humilitas esse potest, per quam obedientia deseritur. Cedit Petrus, cupidius quàm negauerat dat pedes lauandos filio Dei, offert & caput: dat pedes alij: omnium lauat, omnium extergit; humili tamen IESV nullus lauat. Vide quanta humilitate, reuerentia, timore permittunt sibi Apostoli à Deo IESV pedes lauari: considera quid interius sentiant, quantum cordis leuamen atque munditiam, quantam lucem, suauitatem, gaudium: contrà verò exæstuantem Iudam assice, & in illo furentem Dæmonem: adora immensam Christi humilitatem. Magnum est, bone IESV, si laues pedes Apostolorum, etiam sibi quidem mundi erant, nec egebant nisi pedum lotione ad tenuia peccata abluenda, & ad expediendos pedes ad præparationem Euangelij pedes! Et præbet quidem ille cum indignatione atque Christi execratione pedes lauandos. Quid in hoc latrone quæris, Christe IESV? Sed vides te simul humilitatem tuam summissiorem facere, atque exempli maioris; simul illi velle opitulari benignè, si quid loci resipiscentiæ relinquere vellet.*

*F. Post mysterium lotionis surgit Christus, auferunt Apostoli peluim & vas aquarium, deponit IESVS linteum, resumit vestes, redit cum Apostolis ad mensam vnde surrexerat.*

## MEDITATIO.

EXistimate fratres, existimate omnes quotquot IESVM cognoscitis, excellentissimum hoc ipsius factum & exemplum ad vos propriè pertinere. Sed quod factum? quod exemplum? En vobis IESVS in genua procumbens ante Apostolos, illorum lauat pedes, & linteo, quo est præcinctus, extergit. Quis? Deus omnipotens, cæli ac terræ, & omnium quæ in eis sunt, creator, conseruator, gubernator & dominus. At quorum lauat pedes? Si nihil aliud, hominum; & tum inter eos teterrimi ac detestabilis proditoris Ischariotæ. Contemplamini implentē per se DEVM IESVM omnia ministeria ad lotionem necessaria, haurientem aquam, quod piè credi potest, fundentem in peluim, ad pedes ferentem, & illis accommodantem, lauantem suis manibus; eum qui cælum & terram creauerat,



rat, quique nunc eadē sustinet, sordes eluentem horum pedum, interiorum etiam omnium, præterquam latronis Iudæ; cuius scelestis atrocitas fecit, vt non solùm non mundaretur, sed inquinaretur impurius. Mūdi enim erant reliqui Apostoli, sed reliqua, non pedes, præsertim internos: rebus enim terrenis, quibus necessariò vtebantur, & affectibus, quamuis semel omnia reliquerant, nonnihil tangebantur: eam imperfectionem illis extorsit aquæ ministerio Christus; sed cuius aquæ? naturalis quidem, sed quasi sanguine
Isa.52. suo, cuius erat vis purificandi pedes Apostolorum, & præparandi ad Euangelium enuntiandum & sanctè & expeditè. Sic simul præparabat IESVS corda Apostolorum ad sanctum & venerabile Sacramentum suscipiendum: nam ad perfectum fructum ex sacra synaxi suscipiendum satis non est, si quis à lethali culpa sit mundus, sed à venialibus oportet, quoad eius potest, procurari. Propterea est Ecclesiæ salutaris doctrina & vsus, vt aqua benedicta sese aspergant, & populū, mysterium Missæ celebraturi, tum initio confessionem generalem vt faciant, quibus rebus venialia peccata eluantur; quandoquidem Christi caro & sanguis, Christus ipse qui in sacramento sumitur, summam requirit puritatem: vnde fit vt puritas ipsa, & sanctitas infinita, puris animis se communicet vnitiùs. Tametsi tanta est Dei benignitas, & sacramenti virtus, vt si quis se paret quidē, non assequatur tamen omnem puritatem à sua imperfectione, eius etiam sordes eluantur. Animaduertite fratres, animaduertite omnes ad hæc, & cùm accedendum vobis est ad sacrosancta mysteria, etiam si mundi videamini, nec vos sollicitet lethalis culpæ conscientia, vt pedes lauetis; tamen freti pia memoria, & exemplo, & virtute huius lotionis, præbete vestros pedes Christo lauandos per humilem contritionem: nec detrectetis, quod Petrus faciebat feruidiùs quàm sapientiùs; huic enim præparationi si repugnetis, vel eam si contemnatis, cauete ne audiatis à Christo; partem, si ita pergatis, non habebitis mecum. Sed quo animo lauit Apostolorum pedes bonus IESVS? Misericordiam suam, & vim passionis in illos exerendi, illos mundandi, illos præparandi, non solùm ad Sacramentum corporis & sanguinis sui percipiendum, sed ad eorum animos confirmandos, ne ad passionem suam perterrerentur vel deficerent: illud sunt consecuti, hoc non sunt, quæ doctrina est nostra, ne soli gratiæ sacramentorum per nostram stultitiam innitamur, virtutū actiones necessarias non adhibeamus. Constabat in Apostolis virtus sacramenti, qua si vsi essent, & simul animi fortitudinē exercuissent, sanè non fugissent, & magistrum suum Deum non deseruissent, trepidi. Hoc animo erat Christus, sed simul hinc mœsto & afflicto propter mortis propinquitatē, illinc læto propter beneficiorum, quæ conferebat, magnitudinem. Postremò quali exēplo hoc fecit? quali doctrina? Vtroque diuinitus efficaci: non enim exempla Christi vel doctrina essœta est, vt hominum, sed fœcunda, vt Dei; qui idem ipse promeritus est exemplis suis, & doctrinæ efficaciam spiritualem, & vitam. Homines hoc non possunt, sed quæ dicunt mortua sunt, nisi qua Christi doctrina & exemplo imbuātur & gratia: in Christi verò doctrina & exemplis vis ineſt diuina, vinax fertilitas ineſt vitæ sempiternæ. Nec ita exempla & doctrinam Christi audire oportet, vt verbo vel scripto tantùm per homines traditam; sed in ijs hominum & Ecclesiæ ministerijs, in verbis illis & scriptis Christus agnoscendus, audiendus, percipiendus est, diuina eius virtus corde recipienda, illi cooperandum, in illa exultandum. Quod igitur exemplum dedit nobis? Quod ipse dixit; vt quemadmodum ipse fecit, ita & nos vicissim faciamus. Hæc est vis exempli: fecit hoc Christus, simul dedit nobis vim, si quis velit, vt similem humilitatem fratribus exhibere possit, & ad omnem submissionem, & abiectissima quæque ministeria obeunda sit paratus, in ijs etiam sese exerceat identidem. Deus lauit Apostolorum pedes, cur ego non faciam? cur ego non potero? cur potius non erubescam, si munera humilitatis videantur mihi difficilia? si desidiosus ad illa fuero? ô admirabilem, & incomparabilem exemplorum Christi & doctrinæ vim & salutem! ô diuinam facundiā atque efficaciā! ô diuinam dulcedinem & suauitatem! Ostende nobis, Domine, & da salutare hoc tuum, & te in tuis exemplis & doctrina sentiamus, & videamus, & adoremus præsentem. Imprime, Domine IESV, hæc dona cordi nostro, fac vt ijs cooperemur in te, vt tua & præcepta, & consilia impleamus, vt sis tu in secula sempiterna benedictus. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# SANCTISSIMI SACRAMENTI ET SACRIFICII INSTITVTIO.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII.
I. COR. X. ET XI. ANNO XXXIII.

*In lxxviij. imaginem adnotatiuncula.* lxxviij. 102.

*A. IESVS iterum accumbit: absoluunt cœnam Apostoli, nihil cibi ipse amplius sumit.* *B. Conficit IESVS sacratissimum sacrificium & sacramentum, & discipulis communicat.*

| MATTH. XXVI. | MAR. XIIII. | LVC. XXII. |
|---|---|---|
| [a] *Cœnantibus autem eis,* [b] *accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, dedit q́ discipulis suis, & ait; Accipite, & comedite; Hoc est corpus meum.* | *Et manducantibus illis, accepit IESVS panem, & [b] benedicens fregit, & dedit eis, & ait; Sumite;* [b] *Hoc est corpus meum.* | *Et accepto pane* [b] *gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens; Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* |
| *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens;* | *Et accepto* [b] *calice, gratias agens* [b] *dedit eis; & biberunt ex illo* [b] *omnes.* | *Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens:* |
| *Bibite ex hoc omnes; Hic* [b] *est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* | *Et ait illis; Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.* | *Hic est calix nouum testamentũ in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* |
| *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.* | *Amen dico vobis, quia iam non bibam de genimine vitis, vsque in diem illum cùm illud bibam nouum in regno Dei.* | |

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* ASsidet ad mensam IESVS rursum cum discipulis, sumunt adhuc cibum hi, quasi ipsi cœnam absoluerent: IESVS verò nihil amplius cibi communis accipit, sed totus est in cœlestis corporis sui cibo conficiendo. Verùm antequam ad mysterium illud veniat, pro fine communis atque legalis cœnæ benedicit communi calici, & bibit ille paululum, nihil cibi sumit; deinde tradit vt inter se potum illum diuidant Apostoli. Contestatur porrò grauissimè, ne cœnam illam quidem typicam se manducaturũ amplius; futurum enim vt in regno Dei ea impleantur, quorum illa erant figura & signum, sacramentum videlicet Eucharistiæ, & sacrificium incruentum: cruentum verò præcipuè Christi sacrificium, & eius resurrectio gloriosa. Vinum præterea, inquit, non bibam, nisi post meam resurrectionem, vbi regnum Dei iam constituero.

*B.* His peractis, & alijs cibis sepositis, non ablatis (si quidem intinctum panem dedit Iudæ post communionem) apponi postulat sibi IESVS panè azymum, cuius erat tam inde propter Pascha legitimus vsus; tum vinum in calice, cui parum aquæ admiscet. Aggreditur autem ipse ad sacrandum omnibus Angelis & mortalibus venerandum ac tremendum sacramentum & sacrificium. Accipit in manus panem integrum, gratias Patri Deo agit, benedicit, frangit, dat Apostolis de manu sua salutarem hostiam. Sed interea dum hæc facit, post benedictionem, antequam ad fractionem veniret, adhibet diuina illa verba: Hoc est corpus meum: quibus verbis fecit, vt panis substantia in corporis sui substantiam conuerteretur, hoc est transsubstantiaretur, vt iam nihil remaneret ex panis substantia, sed subiret species sensibilis panis verum Christi corpus, esset q́ in illis speciebus præsens ex vi diuinæ consecrationis; consequeretur autem vt anima, quæ erat corpori vnita, & verbum vnitum humanitati, simul & integer Christus sub eisdem accidentibus essent. Similiter accepto calice fecit, vt substantia vini in sanguinis sui substantiam mutaretur, ideſt transsubstantiaretur, & similiter Christus integer sub speciebus vini esset. Verum fuisse tunc in Sacramento considera Christum passibilem, etiamsi sub Sacramento pati non posset: ille enim idem qui mensæ assidebat, erat in Sacramento. Sed sublimia huius sacrosanctæ actionis mysteria nonnihil obiter contemplemur, humili fide nitentes, & cordis deuotione animati. Quid igitur fecit Christus? Confecit venerandum Eucharistiæ Sacramentum, atque instituit & obtulit corporis & sanguinis sui sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, ac simul incruentum sui corporis & sanguinis instituit sacrificium propitiatorium pro viuis & mortuis offerendum. Adhæc potestatem tradidit Apostolis omnibus, eorumq́ in Sacerdotio successoribus, consecrandi, offerendi, ministrandi corpus suum & sanguinem. O admirabilem benignitatem! Iudæ etiam ipsi eam potestatem tradidit, tradidit eidem ipsi proditori & latroni teterrimo. Quorsum autem, & quæ fecit Christus, & quæ instituit, & quorum facultatem dedit, quorsum hæc omnia spectant? Ad passionis ipsius, & cruenti sacrificij, quod summus Sacerdos Christus Patri Deo solus obtulit, veram, efficacem, & viuam commemorationem & repræsentationem, per signum quidem & sacramentum; non qualia erant veteris testamenti sacramenta, quæ significabant quidem ea quorum erant figuræ, non continebant, non conferebant, non præsentia repræsentabant: sed per signum & sacramentum noui & æterni testamenti, quod præsentia ea repræsentat, facit, atque exhibet quæ significat. Significatur illis verbis in Christi corpus & sanguinem mutari panis & vini substantiam. Ita fit, significant species panis & vini post consecrationem sub ipsis præsens esse corpus Christi, præsentem sanguinem: præsentia hæc sunt; sub speciebus significatur offerri corpus & sanguis, Christus ipse, vera hostia, incruentè verè sacrificatur. Hæc est plena, verissima, atque efficacissima commemoratio, vbi mors Christi ante oculos fidei ponitur. Etenim ex vi consecrationis panis, sub panis ipsius speciebus solum est Christi corpus: ex vi consecrationis vini, solus est sanguis sub speciebus vini. Hic conspicitur quemadmodum sacrificauerit & obtulerit Christus sacrificium, conficiendo videlicet sacramentum: nam illa consecratione effecit, vt separatum corpus & sanguis verè, realiter, & substantialiter repræsentaretur, & eius separationis & mortis oblatio, quæ est vera mortis Christi commemoratio, & oblatio incruenta. Hæc faciunt sacerdotes omnes Missam cum celebrant, hinc rationem incruentæ oblationis accipiunt: hæc nobis sunt credenda, hæc adoranda Dei excelsa mysteria.

Concil. Trident. sess. 22. cap. 7. in doctr. de sacrif. Missæ.

Concil. Trident. sess. 13. de transubstant. cap. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Illud autem animaduertendum, præcipuam meditationem atque deuotionem in hoc sancto sacramento & sacrificio esse debere, illius separationis ex vi sacramenti repræsentatæ, in qua vera est ratio sacramenti & sacrificij: eius verò quæ ex naturali connexione & concomitantia extat præsentiæ totius Christi, secundo loco item præcipuam; ad huius enim meditationem ex illa progredimur, & in sacramento & sacrificio sacrosancto Christum ipsum præsentem confitemur, offerimus, atque adoramus: ex illa vim accipimus ad peccatorum remissionem, & meritum vitæ æternæ, & passionum nostrarum mortificationem: ex hac cordis exultationem, & vitæ renouationem, vt ex præsentia Christi glorioſi, resuscitati, in dextra patris cum diuina maiestate sedentis. Quem autem hoc loco IESV dolor non moueat? Quem non compungat? Se se offert Deo patri Christus IESVS omnium Deus & Dominus, non tantùm vt semper fecerat, animo, atque interna oblatione, sed vera repræsentatione mortis & crucis suæ. Quem Christi vehemens desiderium huius mysterij & repræsentationis cum morte sua coniunctissimum ad pietatem non excitet? Quem immensus ille amor, quo in cibum, & oblationem quotidianam se exhibuit & donauit, charitate non inflammet? Adi ad cor IESV, comperies illud desiderio, amore, dolore ardere. Apostoli mœsti quidem & trepidi, admiratione tamen vehementi, & deuotione afficiuntur. Maria verò Christi gesta videt in spiritu, & contemplatur deuotissime. Christi filij animum perfectissimè imitatur, addit suum matris dolorem, & amoris dulcedinem. Frangit igitur IESVS Sacramentum, id est panis species, in tredecim particulas, re Sacramenti in singulis particulis perseuerante: accipit ipse primus, dat exinde manu sua Petro, dein Ioanni, medius enim inter hos sedebat IESVS, deinceps cæteris Apostolis. Calicem similiter tradit omnibus, Iudæ etiam ipsi sceleratoproditori, biberunt enim Apostoli omnes: neque enim adhuc Iudas abscesserat.* Hieron. Chrys. August. Glos. ordin.

## MEDITATIO.

DEserit me spiritus meus & vires, magne IESV, vbi propiùs accedo ad tuæ passionis meditationem. Quis enim possit tot ac tanta mysteria, tantam rerum diuinitatē vel intelligere, vel enuntiare, nedum ego? Quis sine summo timore & tremore de illis cogitare audeat? Verùm age, obsecro te, Domine IESV, illumina tu tenebras meas, foue infirmitatem, dissipa timores improuidos, per infirmitatem illam tuam, per illum timorem quem benignissimè suscepisti pro nobis, & glorioſissimè superasti. Te, ô virgo Mater Maria, quæ adfuisti, & illa nunc planissimè mysteria intelligis & percipis; vos, ô Angeli qui fuistis præsentes, quique vel absentes vel præsentes in Deo illa vidistis & videris mysteria; vos beatæ animæ, quæ totam Christi passionis œconomiā in vestra beatitate contemplamini, iuuate in Deo, subleuate meam imbecillitatem, & scintillam aliquam mihi impetrate vestræ lucis & intelligentiæ. Aggreditur IESVS suæ passionis excellentissimū principium: quid dico principiū? Principium quidem illud est, sed quod veteris legis vniuersorum sacrificiorum & sacramentorum veritatem contineat, & simul nouæ verā sacrificij cruenti, hoc est mortis Christi exhibeat repręsentationem. Quod cùm facit, verè seſe immolat pro nobis incruentè Christus, verè cruentum sacrificium nobis applicat, verè dat Ecclesiæ facultatem eodem modo sacrificandi pro nobis. Quænam igitur est huius sacrificij ratio, benigne IESV? significarunt veterea sacrificia & oblationes meā mortem, sed imperfectè, animalium immolatione, & oblationibus alijs; significauit nefariè allata mors Abel, significauit sacrificium Abrahæ in monte Moria; hoc idem designauit sacrificiū Melchisedech, dum Deo offert panem & vinum: verùm hæc omnia nihil aliud quàm significabant, non exhibebant rem ipsam in signo. Hoc ego volui ante passionem meam facere, impleui enim illorum mysteriorum significationem, & re vera per hoc sacrificium incruentum perfectam repræsentationem, vt in verissimo signo exhibui: ex vi enim verborum & diuinæ consecrationis, panis in corpus meum transſubstantiatur, & vinum in sanguinem meum. Hæc est mors verissimè repræsentata, hoc verum sacrificium: nam reliqua ex naturali connexione adsunt, in specie panis sanguis, in specie vini corpus, in vtraque anima, & diuinitas, & totus ego. Et quidem cùm consecraui sacrā Eucharistiam ante passionem, aderam in vtraque specie totus, verùm idem qui mortalis eram ac passibilis; Angel. de fide ad Petr. cap. 19. & lib. de comm. Fulg. ad. Gen. 14. Gen. 14. Gen. 14.



bilis; post resurrectionem verò vbi consecraui, & quando vos consecratis, sum præsens immortalis, impassibilis, & glorioſus. Neque hoc solùm gessi, sed simul sacrificando feci, vt augustissimum sacramentum extaret reliquis sex sacramentis excellentius; sacramentum autem hoc destinaui in cibum & potum spiritualem meorum fidelium, sub panis specie necessariò omnibus, sub vini non etiam. Ita summum hoc memoriale, & amoris mei diuinū insigne reliqui Ecclesiæ meæ, vt in eius omni loco, donec venirē ad iudicium, sacrificaretur & offerretur nomini diuino oblatio munda, & perseueraret sacramentum, atque acciperetur in animæ & spiritus cælestem nutritionē & robur, ad augmentum donorum omnium & virtutum, ad refrigerium & suauitatem incomparabilem, ad remissionem peccatorum. O quàm est magna, sancte IESV, multitudo tuæ dulcedinis, & bonitatis, & mysteriorum, quæ perfecisti & abscōdisti in hoc tuo sacrificio & sacramento timentibus ac sperantibus in te! Re vera hic panis est electorum, hoc vinum virgines, puritatem animorum, ac perfectionem germinans diuinitus. Hæc fecisti tu magnalia, Christe IESV, præsentibus Angelis plurimis, omnibus idē in diuinitate cernentibus, admirantibus, laudantibus. Similia Dei opera nō videratis Angeli sancti, præter Verbi incarnationem, quæ omnia Dei opera antecellit, sed hoc reliqua omnia. O excelsum mysterium! sacrificatur Christus, & eo sacrificio non moritur: quod tamen esse non potuisset, nisi verè mortuus fuisset Christus. Itaque sacrificium hoc non est aliud quodammodo quàm illud crucis: & hîc tu, Christe IESV, sacrificaris & illic: illic fit sanguinis à corpore separatio cruenta, hîc incruentā: illic verè mortuus es vera separatione, hîc verò ex vi verborum eadem fit separatio, vt in sacramento. Et quidem si quo triduo tuus sanguis fuit à corpore separatus, aliquis Apostolorum sacrificasset (quod tu tamen fieri noluisti) verè extitisset separatum corpus à sanguine, & mortuus fuisses, Christe, in sacramento: Quod tunc factum nō est quia viuebas, neque nunc fieri potest, viuis enim in æternum. Itaque idem crucis sacrificium hîc exprimitur perfectè, &, vt fieri potest, fit. Hoc verò est cur per sacrificium incruentum fructus cruēti redundet in eos quibus incruentum applicatur, & illud completur quod scripsit Paulus Apostolus tuus, vna oblatione consummasse te in æternum sanctificatos. Non enim alia est hostia, non alia oblatio quæ in Missa, quàm quæ in cruce, sed alius modus eandem hostiam offerēdi. Nunquam autem hæc sola incruenta oblatio vim habet redimendi mortales, sed illa cruenta; nec incruenta ex se propitiatoria est & salutaris viuis & defunctis, sed ex vi cruentæ, quæ in eam suas opes quasi effundit. Quis igitur est, bone IESV, huius incruenti sacrificij Sacerdos? Ego qui cruenti, factus enim sum Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: sed cruentum feci semel me offerens immaculatum Deo, incruentum autem facio semper eandem hostiam me offerens Deo Patri, quæ est ratio particularis sacerdotij mei secundùm ordinem Melchisedech. Neque tamen in cœlo celebro Missam, & sacrifico in pane & vino, sed è cœlo per Ecclesiam, & mei Euangelij Sacerdotes. Horum hostias ego conficio, & illi conficiunt; in meo enim verbo illi conficiunt sacrificium & sacramentum. Quocirca summa mea interpellatio apud Patrem, & aduocatio, & intercessio, & oratio illius oblationis virtute perficitur: offero enim ego meam passionem & mortem Patri, & in Ecclesia mea verissimè repræsento per meæ Missæ mysteria. Hæc mysteria, sancti Angeli, non solùm diuinis præconijs celebrastis, & celebratis, sed ad sanctos patres nuncij de his in Limbum aliqui descendistis, & ipsos summa admiratione & luce repleuistis: illos præsertim qui mysticè illa designauerant sacramenta, Melchisedech, Abraham, Mosen, Zachariam, Malachiam, & alios. Laudabant autem vniuersi ad vestrum nuntium, his præcinentibus, Dei potentiam atque misericordiam; Princeps verò Melchisedech gratias Deo egit & Christo eius: ego quidem, inquit, Domine IESV, vinum obtuli & panem, cuius oblationis significatio faciebat meum sacrificium sanctum, immaculatam hostiam. Quòd si typus erat sanctus & immaculatus, quid prototypum & exemplar? Nónne hoc oportuit omnem sanctitatem & puritatem antecellere? Hoc ego nunc plenius contemplor exemplar in meo sacrificio, hoc omnibus præconijs veneror & suspicio: sit nomen tuum, Christe IESV, in secula benedictum, Amen.

Mal. 1. Psal. 109. Gen. 14. Heb. 10.

Obstupuit natura vniuersa, & simul gauisa est; certè Ecclesia in illa, se esse à diuina potentia superatam: sensit non omnia in sua quam

Universidad de Deusto
Biblioteca



quam accepit à Deo facultate sita, fieri multa supra suam omnem potentiam; agnouit se Creatoris esse ancillam, ex se nihil esse, nihil habere; exeruit potentiam illam quam dicunt obedientialem, diuinæ omnipotentiæ obediendi: incitatum autem in ipsa perpetuum illud desiderium, quod facit vt parturiat & ingemiscat, reuelationem filiorum Dei expectans; atque adeò hæc mysteria illius partus expectationem promouebant. Apostoli eriãsi timore erant de rebus impendentibus conturbati, de Christi tamen beneficio singulari tantisper dum hæc geruntur recreati, tũ etiam mente illustrati, & tantarum rerum miraculo suspensi, summa animi deuotione in sacrificium, in sacramentum, in Christum vtriusque authorem & effectorem mouentur, summa animi humilitate potestatem illam excelsam accipiunt qua Angeli carent, animum confirmant ad futura pericula. Vtinam, Apostoli sancti, hunc animorum vestrorũ statum retinuissetis constanter: sed in vobis nos docuit Christus, vt nostram agnosceremus fragilitatem; quòd si quid nobis accideret, vt de eius clementia bene semper sperateremus. Sanctissima Virgo Mater hæc videbat sacramenta fieri, vel præsens, vel absens in spiritu filij sui. Et verò vt præter cæteros perspicaci erat ingenio, & super omnes Deo gratissima, & summis donis secundùm filium ornata, absque dubitatione horum mirabilium excellenti luce fruebatur, excelsis illa laudibus celebrabat. Quid nos miseri, quibus præconijs tantam rerum maiestatem extollemus? Profiteamur necessum est ingenuè nostram indignitatem atque infantiam, & quibus illa celebrarunt & celebrant virgo mater, Angeli, & sancti, eas laudes nos Deo demus, spiritu & fide illis laudibus acquiescamus. Sed tamen meditemur deuotè quid faciat Sacerdos in Missæ celebratione; id videlicet facit quod fecit Christus in sua cæna: peragit sacrificium incruentum, verum, propitiatorium; & pro

*Rom. 8.*

viuis & defunctis offert: conficit Sacramẽtum longè quàm alia Sacramenta præstantius. Contemplemur Christum, qui in cælis sedet ad Patris æterni dexteram, illud sacrificium facere & Sacramentum per Sacerdotem; eius virtute & præcepto, eius verbis Sacerdotem sacrificare, & sacram Eucharistiam conficere; consequi etiam vt anima, diuinitas, totus Christus inibi sint. Verè Sacramentum hoc domus Dei est, & porta cœli, atque adeò Paradisus cælestis: Deus enim ipse ibi est, corpus Christi & anima, immensa luce & gloria refulgentia; quæ omnia dantur nobis in cibum & potum, in nutritionem, in augmentum omnium virtutum ac donorum, in petitionum nostrarum adeptionẽ, in necessitatum subleuationem, in remissionem item peccatorum. Hæ verò sunt diuitiæ & opes nostræ inæstimabiles ac diuinæ; vt ego, qui post omnem præparationem sum futurus semper indignus, in cibum sumam tamen corpus Christi & sanguinem, Christum ipsum verissimè, diuinis his rebus pascar & nutriar: nam verè illis pascor & nutrior, corpore Christi & sanguine, Christo ipso, morte ipsius, & vita. Sed quo pacto, IESV bone? At vide tu ne curiosiùs agas, & ad Dei tentationem pertineat tua interrogatio. Dic vt voles, magne IESV; fac vt placet de me, de meis desiderijs; emenda meas ignorantias, & corrige insipientes interrogationes. Esto sat tibi nunc si intelligas te Sacramento pasci & nutriri supersubstantialiter, vt pane & vino supersubstantiali: quæ nutritio etiamsi spiritualis sit, & per dona mea fiat, & ad animum & spiritum pertineat, tamen illius spiritualis nutritionis tanta est vbertas, tam diuina vis, vt ad omnes potentias cælesti miraculo deriuetur, & in totam humanitatem. Benedictum sit nomen tuum sanctum, magne IESV; benedicta atque superexaltata opera tua: sit tibi laus & gloria sempiterna. Amen.

*Gen. 28.*

DE



# DE GESTIS POST SACRAM COMMVNIONEM.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XIII.

*In lxxix. imaginem adnotatiuncula.* *lxxix.* 103

*A. Nondum surgit à mensa IESVS, sed turbat se.*
*B. Recumbit Ioannes supra pectus eius, & interrogat; Domine, quis est, &c.*
*A. Respondet IESVS: Cui ego, &c.*
*C. Accipit Iudas buccellam a IESV: & exagitatus a Dæmone, furiosè a cœnatione se prorsipit.*
*A. Sublatis cibis, &c. prædicit Apostolis scandalum quod essent passuri.*
*D. Princeps Petrus confirmat eum nunquam se esse deserturum: similiter omnes.*
*E. Surgit cum omnibus, secedit in aliud cubiculum, vbi Apostolos docet.*
*F. Tandem hymno dicto egreditur ad hortum Gethsemani.*

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XIII.

*Cùm hæc dixisset IESVS, [a] turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit; Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu [a] IESV, quem diligebat IESVS. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei; Quis est de quo dicit? Itaq; cùm [b] recubuisset ille supra pectus IESV, dicit ei; Domine, quis est? Respondit IESVS; Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset [a] panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et [c] post buccellam introiuit in eum Satanas. Et dicit ei IESVS; Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei: quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei IESVS, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis vt aliquid daret. Cùm ergo accepisset ille buccellam, [c] exiuit continuò; erat autem nox. Cùm ergo exisset, dixit IESVS; Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.*

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXVI. | MARC. XIIII. | LVC. XXII. | IOAN. XIII. |
|---|---|---|---|
| *Tũc[a] dicit illis IESVS; Omnes vos scãdalum patiemini in me in ista nocte.* | *& ait IESVS; Omnes [a] scandalizabimini in me in nocte ista;* | *& ait Dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum:* | *Filioli adhuc modicum vobiscum sum: quaretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modò. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* |
| *Scriptum est enim; Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* | *quia scriptum est; Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* | | |
| *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* | *Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* | *ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* | |
| *[d] Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* | *Petrus autem ait illi; Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* | *Qui dixit ei; Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* | *Dicit ei Simon Petrus; Domine, quo vadis?* |
| *Ait illi IESVS; Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* | *Et ait illi IESVS: Amẽ dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.* | *Et ille dixit; Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* | *Respondit IESVS; Quò ego vado, non potes me modò sequi: sequeris autem postea.* |
| *Ait illi Petrus; Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* | *At ille amplius loquebatur; Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.* | | *Dicit ei Petrus: Quare non possũ te sequi modò? animam meam pro te ponam.* |
| | | | *Respondit IESVS; Animam tuam pro me ponesne? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* |
| *Et [f] hymno dicto* | *Et hymno dicto exierunt* | | *[f] Surgite, eamus hinc. Ego sum vitis vera, etc.* |
| | | *Et [f] egressus ibat secundum consuetudinẽ* | *Hæc cùm dixisset IESVS, egressus est cum discipulis suis* |

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* POst sacram verò communionem, cùm eius mors plenè iam fuisset repræsentata, nec aliud esset reliquum nisi vt illam subiret, ad carnis tamen veritatem manifestandã turbat seipsum IESVS per spiritum. Etenim erant omnes Christi tum corporis, tum inferioris animæ portionis passiones non solum voluntariæ, sed spirituales, perfectissimæ, diuinæ.

*B.* Vt autem eum vidit turbatum dilectus discipulus Ioannes, singulari animi pietate deliberatus, ita recubuit in sinu eius, vt caput ad pectus eius inclinaret, quod præcipui amoris fuit & indicium & priuilegium; aperuit enim illi tunc Christus diuinum pectoris sui fontem, vnde gratiæ & Euangely fluenta potaret. Testatur rursum Christus palàm, ac futurum denuntiat, quod aliquis ex duodecim ipsum proderet in mortem. Commouentur Apostoli & perterrentur: attoniti inter se inuicem respectare, animo torqueri: Iudas verò fremere quàm antè truculentius; exagitabat enim eum acerbius indignæ communionis conscientia. Ibi Petrus innuit Ioanni recumbenti in sinu IESV, vt eum interroget, quis nam esset futurus proditor. Quid te præter cæteros, Petre, mouit? Mea feruida natura, meus singularis in IESVM amor, mea confessio eius diuinitatis præcipua, quæ ab eo acceperam beneficia atque prærogatiuæ, zelus vitæ agni innocentissimi, detestatio impijssimi proditoris: denique is animus me mouit, quo erã Christo dicturus; Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: ecce duo gladij hic, ex quibus ego vnum habeo, is animi feruor, quo erã Malchi auriculam in horto abscissurus. Sed quid agis, frater? Nisi Christus me cohibuisset, fueram proditorem dentibus etiam discerpturus. Suauiter inquirit à IESV Ioannes ac familiariter; quis nam esset proditor; cuius mansuetudine ac modestia abductus IESVS, non Petri feruore improuido, soli Ioanni proditorem indicat: sed eo signo, quo & ipsum Iudam acriùs etiam quàm ante ea officij admoneret.

*A.* Respondet igitur Ioanni in aurem; Cui ego panem intinctum porrexero, ille est proditor: accipit porrò panis buccellam, intingit siue intinatum, siue in vinum, nam ea erant in mensa seposita, non ablata.

*C.* Accipit offulam Iudas, alij quorsum res spectaret non intelligere, tacet Ioannes, vt intelligebat velle IESVM. Iudam iam antea vi sua oppleuerat Dæmon, at nunc violentius corpus, animam, vires omnes occupat, possidet, atque exagitat. Itaque versus in furiam surgit, egreditur è triclinio, vt proditionem vrgeat & conficiat celeriùs: audit tamẽ antea, Quod facis, fac citiùs, ex Christo, non probante quidem vel adhortante, sed exprobrante, & animum eius pungente salutari admonitione, si audisset. Erãt alioqui verba illa alacriter permittẽtis facinus, & ad passionem, & mortalium redemptionem properantis. Hoc nemo intellexit discipulorum, ac ne Ioannes quidem propter animi simplicitatem & bonitatem, sed variè omnes verba Christi interpretabantur.

*A.* Ablatis porrò cibis & vasis omnibus è mensa (quod non potuit repræsentare eadẽ imago) docens vndecim discipulos IESVS, in eum incidit sermonem, vt illis prænunciaret scandalum quod erant ea nocte in ipsum passuri.

*D.* Quo audito Princeps Petrus acerrimè confirmauit se nunquam esse illum deserturum, etiam si oporteret simul cum illo mortem oppetere: promptiùs tamen id dixit, & audacius quàm firmiùs. Similiter consequuti reliqui omnes dixerunt, extentis manibus, Petro & alio discipulo capulum etiam tenentibus gladiorum quibus erant accincti.

*E.* Postea verò dixit Christus discipulis: Surgite, eamus; & surgens è mensa secedit in aliud cubiculum, vt plenius Apostolos doceat: ibi enim dixit suauissima illa verba; Ego sum vitis; & quæ sequuntur. Antequam autem discedit ad hortum IESVS, post diuinam illam doctrinam quam discipulis tradidit, euocata matre (vt piè possumus meditari) illi exponit dulcissimè, simul atque humillimè rationem sui aduentus in mundum: propterea se ex ipsa carnem suscepisse, sub illa adoleuisse, illi fuisse subditum reuerenter, vt in eam horam veniret, & tempus quod Pater præscripsisset: implendam esse Patris voluntatem; quæ & mea, inquit, est, & Spiritus sancti: moriendum mihi est pro salute & vita mortalium, implendæ Angelorum ruinæ, reponendæ sedes in cœlo; quod ego volens ac lubens facio. Vincam mea morte mortem ipsam, Dæmones omnes, infernum, peccatum, mundum. Erit quidem mihi acerbissima mea passio & mors: sed ita acerba, vt brevis sit illa futura acerbitas, æternus eius acerbitatis fructus, sempiternum

Universidad de Deusto
Biblioteca



bonum. Mortuus ad Infernum descendam, illinc animas patrum educam, tertia verò die resurgam gloriosissimè, & tibi primùm omnium apparebo, & te omni repleboiucunditate. Hæc etiamsi placidissimè dicebat IESVS, dicebat tamen dolenter, & dulcissimis lachrymis interdicendum miscebat. Tandem illum accepit finem eius oratio ad Matrem, vt iuberet eam animo esse forti & generoso; factum se vt etiamsi amarissimè, tamen summa cum constantia & magnanimitate esset illas pœnas latura. Quum primùm os suum diuinum aperuit IESVS, intellexit diuina Virgo rem totam, quam iam alias cognouerat, intellexerat etiam ex verbis Simeonis; & tamen amarissimè quidem, decentissimè tamen plorans, respondit; Non possum, fili mi Deus, ex denuntiatione mortis tuæ non summa mœstitia & dolore confici; vulneratum est cor meum, transfixa est anima mea gladio tuæ passionis & mortis: simul video hunc dolorem auctum iri, vt augebuntur tuæ passiones: verùm solatur animi mei cruciatum, quòd ita sciam Patrem tuum velle, ita te, ita Spiritum sanctum. Laudo te Deus meus Trinitas, in admirabili & summo hoc tuo opere, qui hanc solam rationem redimendi mortales iudicasti esse conuenientissimam. Scio, fili, breuem fore passionem tuam, breuem mortem; expecto breui resurrectionem & triumphum tuum, sed per passionem tamen tuam & mortem; omnia de manu Patris tui gratiarum & donorum plena accipio lubens: trado etiam ego te, quod in me est, morti pro vita mortalium, vt Pater, vt tute; & hæreo verbo bonitatis tuæ, quo auxilium mihi in meis tribulationibus spopondisti. Tua igitur passio & mors, quæ mearum pœnarum erit causa, erit eadem patientiæ & longanimitatis: sis benedictus, fili, à Patre tuo, sis à te, sis à Spiritu sancto: ego tamen interim ero desolata, omni mœrore confecta.

F. Tandem hymno dicto domo egressus, venit ad portam auream, qua erat iter in montem Oliuarum, vt veniret ad hortum Gethsemani; sequebantur dolore & timore pleni Apostoli. Possumus hic pie meditari quid interea agebat Virgo Mater: earum rerum quas gerebat filius non erat ignara; contemplabatur enim omnia, ad Christi affectus animo ferebatur, cum absens imitabatur, aliqua exponebat sanctis mulieribus: mœstæ quidem erant omnes & anxiæ, sed Deum magnificabant, Christi mansuetudinem prædicabant, suspenso animo tantarum rerum exitum exspectabant.

(∴)

# ORAT CHRISTVS
## IN HORTO.

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*In lxxx. imaginem adnotatiuncula.* lxxx. 107.

A. Torrens Cedron.
B. Hortus Gethsemani.
C. Rupes concaua, qui est primus locus vbi octo discipuli substiterunt.
D. Secundus locus superiùs ad dexteram, vbi tres reliqui.
E. Specus ad iactũ lapidis à tribus discipulis distans, vbi orauit IESVS.
F. Apparet illi Angelus è cœlo confortans eum.
G. Locus quo semel & iterum venit IESVS ad visti discipulos.
H. Iudas cum cohorte properat ad hortum.





MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | *in montem Oliuarum: sequuti sunt autem illum & discipuli.* | |
| *Tunc venit IESVS cũ illis in villam quæ dicitur [b] Gethsemani,* | *Et venĩt in prædium cui nomen Gethsemani:* | | *trans [a] torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quẽ introiuit ipse, & discipuli eius.* |
| | | *Et cùm peruenisset ad locum,* | |
| *& dixit discipulis suis; Sedete hic, donec vadam [c] illuc & orem.* | *& ait discipulis suis; [c] Sedete hic, donec orem.* | *dixit illis;* | |
| | | *Orate, ne intretis in tentationem.* | |
| *Et [d] assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis; Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum.* | *Et assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum: & cœpit pauere & tædere. Et ait illis; Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate.* | | *Et [e] ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis;* |
| *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans,* | *Et cùm processisset paululum, procidit super terram, & orabat, vt, si fieri posset, transiret ab eo hora: & dixit; Abba [c] Pater,* | | |
| *& dicens; Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* | | | |
| | *Omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem hunc à me.* | | |
| *Verumtamẽ non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes: & dicit Petro;* | *Sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro;* | | |
| *Sic, non potuisti vna hora vigilare mecum?* | *Simon, dormis? non potuisti vna hora vigilare?* | | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidē promptus est, caro autē infirma. Iterum secundò abijt, & orauit dicens;*
*Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*
*Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorū grauati.*

*Et relictis illis iterum abijt, & orauit tertiò, eundem sermonem dicens.*

*Tunc venit ad discipulos suos,*

*& dicit illis; Dormite iam, & requiescite:*

*ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: Ecce [h] appropinquauit qui me tradet.*

*Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidē promptus est, caro verò infirma. Et iterum abiens orauit, eundem sermonem dicens.*

*Et reuersus denuo inuenit eos dormientes; erāt enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei.*

*Et [g] venit tertiò.*

*& ait illis; Dormite iam, & requiescite.*

*Sufficit; venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum: surgite, eamus: ecce qui me tradet propè est.*

*& positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi [f] Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat: & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*
*Et cùm [g] surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia: & ait illis; Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

2. Reg. 15. 2. Reg. 15. Ricard. Arland. &c. Matth. 26. Mar. 14

A. TOrrens Cedron ad Orientem Hierosolymæ, qui est Hebraice קִדרוֹן Kidron, id est obscuritas, vel tristitia: transtorrentem statim mons Oliuarum se erigit. Vnde concipiat aquas torrens, dictum est superiùs.

B. Hortus Gethsemani, id est hortus vallis olei, siue vallis pinguis, prædium videlicet, vbi erat hortus, iuxta eum locum vbi monstratur sepulchrū Virginis Matris Dei Mariæ ad Orientem, passibus l. in eliuo montis ad dexteram. Inter sepulchrum & Gethsemani est via publica, qua equitibus est ascensus in montem. In hoc prædio notandi sunt secessus quatuor.

C. Vnus in inferiori parte, sub rupe concaua quæ è monte protenditur, vbi Christus reliquit octo Apostolos.

D. Secundus paulò superiùs ad manum dexteram, vnde à tribus discipulis auulsus secessit IESVS vt oraret.

E. Tertius est locus vbi orauit IESVS ad iactum lapidis, paulò inferius in latere sinistro montis, vbi est specus rotunda: est huius speluncæ introitus ab occidente. Quartus tandem locus est ab hoc tertio si parum progrediaris ad meridiem, vbi captus est Christus.

C. Aspice sub rupe octo discipulos, id est reliquos præter Petrum & duos filios Zebedæi, merore & mœrore confectos, sedentes quidem, sed somno oppressos hinc inde deijci atque obdormire. Hos ibi subsistere voluit Christus tanquam infirmiores, indixit autem & his vt orarent.

D. Duxit secum ad secundum locū Petrum, Iacobum, & Ioannem: quò postquam secessit, cum tristis esset è superiorum actionum cœnæ legalis, institutionis sacrosancti Sacramenti, & sacrificij incruenti meditatione, quæ mortem suam complectebatur, tum ex propinquitate mortis, & sacrificij cruenti; tamen quasi illa tristitia nihil fuisset quæ erat magna, incipit ex integro contristari, mœstus esse, pauere, & tædere, & hæc apud tres discipulos præ se ferre, & eis dicere paucula: Sustinete hic, & vigilate mecū, & orate.

E. Venit deinde solus ad proximam specum; ibi verò prostratus humi in faciem orans, acriorem crudelissimæ passionis & mortis repræsentationem concipit animo, ex qua necessario verissimus & perfectissimus homo, excellentissimis corporis sensibus tum exterius tum interius præditus patiebatur vehementissimè: dolebat, mærebat, vehementer ægrescebat, commotis vniuersis sensibus: & quò viuacius passio & mors ante oculos humanitatis ponebatur, eò acerbius anima simul, & sensus omnes cruciabantur. Sed quænam fuit afflictissimi IESV Dei omnipotentis oratio? Patrem orabat, si tamen ea esset eius voluntas, vt calicem passionis & mortis ne biberet, & mortem euaderet. Ita sensus appetebat voluntas, ita anima prout erat sensui coniuncta Deo per orationem exponebat: simul perfectè animæ obedientiam offerebat Christus, ea mentis tranquillitate qua maior esse non poterat. Accepit autem eius metus, anxietas, & pauor magnas accessiones; venit enim ad tres discipulos semel & iterum, leuandi doloris causa, admonens vt vigilarent, vt orarent, ne se deserent in tanta afflictione constitutum. Deinde Pater Deus eius angustias augeri videns, mittit Angelum qui illum confortet: is fuit Michael, Synagogæ antea, nunc Ecclesiæ Christianæ Princeps. Non fecit Angeli confirmatio vt Christi afflictio abigeretur, vel se remitteret; atque adeò post ea venit in agoniam, quasi videas Christum cum morte confligentem, & in ipso vitæ & mortis conflictu laborantem. Ex hoc conflictu, & doloris vehementia cū oraret prolixius factum est vt copioso sanguinis sudore diffluerent vniuersum Christi IESV corpus, & sudoris sanguinei guttæ ad terram vsque descenderēt, terraq; Dei sanguine maderet. Nihil citra mortem potuit validius veram Christi humanitatem demonstrare; hæc enim cum verissimè fierent, ex verissima Christi humanitate prodire necesse est. Verum extrema hæc afflictio atque agonia non faciebat vt animum remitteret aliqua ex parte Christus, sed summa constantia, fortitudine, magnanimitate, quæ in vires corporis redundabant, ad passionem & mortem se offerebat. Itaque post agoniam, post sanguinis sudorem, venit tertium ad tres discipulos, alia ratione exprobrans illis somnum per ironiam. Dormite, inquit, iam, & requiescite, sufficit: quasi diceret; iam etiamsi velitis dormire, id non poteritis, sat dormistis hactenus superq;, nunc adsunt qui vos excitabunt atque exagitabunt; ecce hora mea appropinquabit, ecce propè est proditor Iudas, ecce cum illo armata multitudo: surgite, eamus. Surgunt non hi tres solum, sed alij vocantur oclo, omnes Christum sequuntur: procedit verò IESVS obuiam Iudæ

Theoph. in 26. c. Matth.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*& armatis. Est autem rationi consentaneum, cùm tertiò oraret Christus, Angelū esse missum à Deo, qua de re cùm solus Lucas tradat, & tres orationes non explicet, quod dicit, ad tertiam potiùs orationem pertinere videtur; nam agonia, orandi prolixitas, sudor in vltima oratione res ipsa postulat vt euenerint, ante quæ dicitur confortatus ab Angelo. Adde quod subditur; cùm surrexisset ab oratione, quasi ad eam non rediturus. Præterea inuenit tres Apostolos dormientes iam, non tam somno grauatos vt priùs, quàm tristitia post duas interrogationes. Etiam quod subiungitur, hanc sententiam confirmat: nam post primam orationem non dixit: surgite, post secundam, nihil: surgite igitur post tertiam dixit. Nec est verisimile hoc, orate, retulisse Lucam ad primam orationem: nam contigisset in prima oratione confortatio, agonia, prolixitas & sudor, quod nemo dixit.*

*F. Archangelus Michaël ad IESVM in specu orantem & afflictum è cœlo descendit, missus à Patre Deo vt IESVM confirmaret atque corroboraret. O Angeli excellentem dignitatem, qui homini Deo suppetias venerit! O hominis Dei admirandam infirmitatem, quæ serui sui ope egeret! Quis assequi vel cogitatione possit quid Angelus Christo dixerit, quibus verbis illum solatus sit ac confirmauerit, quid Christus responderit, quo pacto suum dolorem & afflictionem exposuerit? Tandem aliquid quidem effecit Angelus, sed ita vt eo discedēte Christus acerbius angeretur.*

*G. Locus, quò semel venit Christus ad tres Apostolos, illos excitauit & castigauit verbis, quòd vna hora cum ipso non potuissent vigilare: nominatim verò Petrum increpauit. Eodem iterum cùm venisset, excitat quidem dormientes, quæ fuit tacita & vehemens increpatio: hærent ad eius conspectum, sed eos non increpat sed dimittit, quasi idem vellet ipsos intelligere atque priùs dixerat: tertiùm verò ad eos rediens ironia vsus est, quod priùs exposuimus.*

*H. Iudas interim proditor accepta cohorte, & à Principibus & Pharisæis ministris, Hierosolyma egressus ducebat ad Gethsemani armatorum manum, cum laternis & facibus, antecedens ipse plenus furijs & Dæmone. Vide diabolos impellentes non solùm Iudam, sed turbam, & Principes Sacerdotum, Magistratus templi, & Seniores qui multitudini se adiunxerant. Conuenerāt vndecim ad Christum discipuli, eos ipse præcedit, & obuiam progreditur Iudæ proditori, & turbæ armatorum: sequuntur discipuli. Sunt autem in superioribus actionibus personarum affectiones considerādæ: Christus mœrens, desolatus, tristis, opis angelicæ atque humanæ indigus, pauidus, tædio affectus, in agonia factus, & in extrema vitæ linea cum morte congressus, sudorem sanguineum sudans, sanguine copiosè diffluens ad terram vsque, & tamen cum summa patientia, longanimitate, fortitudine, constantia, magnanimitate, eò sese propēsius ad mortem offerens, quò acerbior ea, & indignior erat futura: Apostoli octo illi profundo somno sepulti, toto tempore quo Christus orauit, tres excitati nihilò secius identidem obdormiunt: omnes mœrore timore, anxietate consternati vix sunt apud se. Quid virgo mater? Hæc omnia vt præsentia contemplabatur, secundùm filium animo patiebatur, mœrebat, dolebat maximè: verùm constanter atque heroicè, ad filij imitationem. Aliæ mulieres rerum quæ gerebantur ignaræ, abitione tamen IESV, tristitia matris, mortis recordatione à Christo prædictæ omnia timebant, in summo erant animi mœrore atque anxietate.*

## AD CHRISTI PASSIONEM MEDITANDAM PRÆLVDIVM.

ET quoniam hîc pati incipit Christus, & sanguinem pro nostra mortaliū omnium redemptione effundere, nō erit abs re aliqua compendio annotare, quæ & his meditationibus possint aliquam vtilitatem afferre, & ad reliqua Christi mysteria accommodari. Quis igitur patitur? quis crucifigitur? quis moritur? Filius Dei Patris omnipotētis, Deus ipse omnipotens, impassibilis, immortalis, Patri consubstantialis, hic est qui patitur in humanitate, crucifigitur, moritur. Patitúrne diuinitas, vel Deus in se crucifigitur, moritur? Nihil horum: neque diuinitas, neque Deus in se, sed Verbū Dei, propter vnionē personalem qua vnitum est huic humanitati, recipit in se has passionum enunciationes: vt enim verè factus est homo Dei filius, & hæc vnio fecit vt verè esset homo in vnitate diuini suppositi, ita



tisita efficit vt verè qua homo pateretur, crucifigeretur, moreretur; nihil in sua diuinitate, nihil in verbo patiens, sed in humanitate & carne assumpta.

Cùm igitur patiebatur ille homo IESVS, ērāne cæli & terræ, Angelorū & hominum creator & Dominus vt nunc est? Erat vt est nunc planissimè; erat splēdor gloriæ, & figura substantiæ Patris, portabat omnia verbo virtutis suæ, lux erat infinita, potētia immensa, in ipso erant, in ipso mouebantur & viuebant quæ vinebant & mouebātur omnia, erat Angelorum & beatitudo & gloria, cælum & terram ipse implebat, ipse gubernabat. Quid secundùm humanitatem? Vera erat Christi IESV humanitas ex anima rationali & corpore, vtroque perfectissimo composita, omnium quotquot fuerūt, sunt, vel erunt excellentissima. Hæc erat Verbo Dei vnita hypostatica vnione, in persona filij Dei, non sua. Itaque subsistebat in verbo illa humanitas, vnde homo iste verissimè erat Deus, filius Dei, Verbum Patris æterni. Quænam erat in Christo excellentissima gratia, & est? Ea quā appellamus vnionis, qua Verbum Dei factum est homo, atque sustentat in vnitate personæ suæ diuinæ illam Christi humanitatē. Quid in anima eius est contemplandum? Gloria Paradisi summa, gratia item summa. Erat igitur Christus in gloria, & Paradisi cœlestis delicijs quando patiebatur: verùm Dei miraculo fiebat, vt ea gloria nec in corpus redundaret, nec in animam, quâ illius corporis erat forma, vel quâ ex viribus corporis operabatur, & erat inferior portio, vt videlicet pati Deus secundùm humanitatem posset. Nam nisi gloriam animæ Christi Deus cohibuisset, ea corpus glorioſissimum reddidisset, & animam beatam planissimè; nec potuisset vniuersa creatura humanitatem illam ne minima quidem ex parte offendere. O admiranda atque adoranda Dei nostri mysteria! ô benignitatem omnibus Angelis & hominibus prædicandam! Porrò autem gratiæ Christi effectus hic erat, vt non solùm ipse Deo Patri esset suprà quàm dici potest acceptissimus, atque omnes eius actiones & opera gratissima, sed vt per ipsum, per eius actiones omnes & opera in omnes gratia deriuaretur, omnes virtutes, omnia dona omnibus communicarentur, æternam gloriam tandem per ipsum omnes consequerentur, quotquot eius doctrinam reciperent, & illi obtemperarent: factus est enim omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Christus enim omnia in omnibus adimpletur, totus scilicet in membris, non tamen singulis, né nulla sit diuersitas meritorum. Itaque cùm sibi nec gratiam meritus sit Christus, nec gloriam, nec virtutes, nec dona (quæ omnia Dei beneficio per vnionem hypostaticam accepit) sed corporis tantùm glorificationem, nominis exaltationem, resurrectionem à mortuis, &c. nobis tamen & illa, & hæc meruit copiosissimè atque efficacissimè. Sed copiosam animaduerte Christi IESV redemptionem; à primo vsque momento conceptionis in Mariæ Virginis matris vtero, & sibi, & nobis omnia prometitus est futuræ passionis & mortis, vitæ suæ, omnium operum applicatione ad Dei Patris gloriam maiorem: idem tota vita, idem passione & morte consummauit. Vidit Christus in Verbo & diuina sua essentia habitualiter omnia quæ sibi & Patri erant possibilia: vidit per species creatas Christi anima quæ erant omnia, quæ fuerant, quæ erant futura; sciuit quinam essent credituri, & fidem operibus essent expressuri, quinam à fide defecturi, qui erant in gratia perseueraturi, qui non; denique qui saluandi essent, & qui damnandi; offerebat vitam suam, passionem & mortem pro omnibus quidem sufficienter, efficaciter pro solis prædestinatis. Nam cùm omnia haberet in numerato, hos tamen præter ceteros ab æternitate, atque in æternitatem dilectos habebat. Adhæc erat Christus supra omnem vel hominum, vel Angelorum captum omnium virtutū excellentijs ornatissimus; quod faciebat Dei persona, vnio hypostatica, gratia eius summa & gloria: vnde rursus illud fiebat, vt nec fidem haberet nec spem; subierat enim locum fidei à primo conceptionis momento excellentissima Dei, & earum rerum omnium quæ fide continentur, visio, spem excluserat Dei præsens fruitio beatissima: tametsi erant nonnulla quæ ex dispensatione carnis expectabat, nondum possidebat Christus. Contemplare in Christo patiente non solùm quæ dixi omnia, sed charitatē immensam, fortitudinem, magnanimitatem, patientiam, humilitatem, sapientiam, summas alias, excellentissimasque virtutes. Hęc autem cùm ita essent, & omni ex parte esset ille homo consūmatissimus, profecerat tamē sapientia, ætate, gratia apud Deum & homines, didicit ex his quæ passus est obedientiā. Planè Chri-

*Hebr. 1.*

*Hebr. 5.*

*Ephes. 1.*

*Hier.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſtus IESVS progreſſum habuit in ætate, & in exercitio atque vſu virtutum ac donorum quæ acceperat: vtebatur naturalibus bonis, intellectu agente ac poteſtatis, & voluntate: ea exercebat quæ vel à naturali facultate, vel à ſupernaturali proficiſci poterãt & debebãt, iuxta legationem & mandatum quod à patre acceperat: ita dicitur verè profeciſſe, non ſolùm apud homines, qui videbant mãiora in dies Chriſtum opera, & illuſtriora deſignare, ſed etiã apud Deum. Illæ enim Chriſti actiones verus erat apud Deũ profectus, ſine quibus ad finem redemptionis humanæ veniendum non erat: tameſi nullius virtutis, nullius meriti in Chriſto fiebat acceſſio, nouum aliquid merendo, fiebat tamen amplior, fiebat copioſior ac cõſummatior Chriſti eadem illa redemptio & meritum. Quid præterea proderit ad meditationem Chriſti paſſionis & mortis? Si perfectiones eius conſideremus, non ſolùm quas perſtrinximus, ſed humanitatis naturales, animæ videlicet excellentiam, & corporis, & omnium potentiarum, & ſenſuum omnium, tum interiorum tum exteriorum. Harum rerum perfectio etiamſi humana ſpecie continebatur, tamen erat longè quàm aliorum omnium hominum eminentior: erant enim illa omnia eius humanitatis, quæ hypoſtaticè erat verbo Dei vnita: erant etiam diuinitatis organa. Quæ diximus hactenus, ea facichant vt indigniſſima atque acerbiſſima eſſet paſſio & mors Chriſti, ac proinde efficaciſſima ſuprà quam vel verbis, vel cogitatione aſſequi poſſimus. Sed quid, & à quibus paſſus eſt Chriſtus? vbi, & propter quos? Quis fructus eius paſſionis & mortis? Suſtinuit pœnas acerbiſſimas Chriſtus, tum interiores animæ, tum corporis exteriores. Et interiores quidẽ animæ iam inde poſtquam conceptus eſt, doluit enim vehemẽter atque aſſiduè de omnibus offenſis atq; peccatis quę diuinitatem offenderant, offendebant, erant offenſura. Si enim verè dixit Paulus, vt dixit, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego nõ vror? Quid de Chriſto IESV nõ poſſumus credere & debemus? Corporis exteriores ſuſtinere incepit, non ſolùm à circumciſione, ſed à natiuitate, lachrymis, frigore, egeſtate: huc adde fugam in Aegyptum, abiectionem & humilitatem vitæ atque obſcuritatem, antequam Euangelij prædicationem aggrederetur. Adhæc ignominias, opprobria, cõtumelias: bis tulit illum ſublimem Dæmon per aërem, ter tentauit. Quoties eum voluerunt lapidare Iudæi? quoties manus in eum injcere? ſemel etiam ſui ciues eum propulerũt, vt præcipitem è montis prærupto darent. Quoties frigus, calorem, famem, ſitim ſenſit? quoties luxit? quoties deſtitutus eſt, nec hoſpitio quiſquam eſt illum dignatus, qui alioqui nõ habuit vbi ſuum caput reclinaret? Poſtremò quis enumerer pœnarum multitudinem quas in paſſione tota & morte pertulit? quis illarum acerbitatem exponere poſſit? quis mortis infamiam, ignominiam, contumeliam, indignitatem? Sed de his peculiariter ſuis locis dicendum erit; nũc perſtringamus reliqua. A quibus illata paſſio eſt & mors? Si nihil aliud, ab hominibus quos ipſe, cui illata eſt, creauerat, quorum ſubſtantiam, motum, viram, bona omnia continenter ſuſtentabat, pro quibus homo factus erat, & mortalis, pro quibus patiebatur, quos ſumma charitate amplectebatur, quibus viram ſempiternam amariſsima morte conciliabat. Hæc indigniſsima ſunt & luctuoſa. Verum adde quòd à ſuæ gẽtis hominibus morte turpiſſima afficiebatur, ab jis in quos tot beneficia contulerat, è quibus innumeros ęgros curauerat, mortuos ſuſcitarat, quibus cæleſtem doctrinam benigniſsimè communicauerat: manus verò illi inferebant teterrimi latrones gentiles, tum Iudæi, hominum colluuies: traddebatur in mortem à diſcipulo, damnabatur inuidia & malitia Principum, interficiebatur à Præſidis ambitione. At vbi paſſus, vbi crucifixus eſt? In celeberrima totius Orientis vrbe, etiamſi extra portam, quæ & à ſe, & Patre præter cæteras electa fuerat, infinitiſq́ne beneficijs ornata; vbi templum ſuum Deus eſſe voluerat, nullum alibi; vbi religionem ſuam inter mortales vnicè collocauerat. In loco tamen clariſsimæ vrbis infami atque contaminato, vbi ſcilicet homines flagitioſi ſupplicio afficiebantur, in monte Golgotha, id eſt Calvariæ, oſsibus damnatorum, & caluarijs, & omni immunditia pleno: etiam ſi illud fortaſsis verum ſit, & ad myſterium referendum, primum hominẽ ibi magnum illum Adam fuiſſe ſepultum. Contemplare hoc loco ſpectaculum indigniſsimum eſſe factum Chriſtum IESVM Dei filium Angelis, qui & frequentiſsimi è cælo conuenerant, vel è cælo morientem Regem ſuum ſpectabant; Dæmonum principi Lucifero gratiſsimum, & turbæ nequam ſpirituum, quorquot permittebat

*Pſ. 50. & 129. Heb. 5.*

*2. Cor. 11.*



rebat Deus adeſſe; hominibus, hinc paucis bonis crudele, illinc multitudini, & hominũ fæci, Iudæis & Gentilibus optatum. Oculos hîc paululum mentis aperi, animaduerte ſingulorum animos, & affectuum varietatem. Propter quos mortuus eſt Deus? propter inimicos, omnes videlicet homines, propter eos qui illum ſupplicijs innumerabilibus, ignominia immenſa atque opprobrijs, tandem acerbiſſima morte affecerunt. Erant enim omnes mortales Deo Patri, & Chriſto eius inimici, è quibus nullus faciebat bonum, nullus facere poterat ex ſe, ne vnus quidem: pro his omnibus, etiamſi non peccaſſent in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, id eſt etiamſi nihil peccati actualis addidiſſent, & tantummodo originale contraxiſſent, mortuus eſt Chriſtus. Rurſum pro ijs qui liberati per Chriſti ſanguinem ab originalis peccati lue, tot ſcelera, tot flagitia in Deũ cõmiſerãt, cõmittebãt, erant cõmiſſuri. Et hæc quidẽ commẽdabãt Dei erga homines, & Chriſti IESV ineffabilem charitatem, non tamen faciebant vt maior non eſſet paſſionis indignitas, crudelitas, interficientium ingratitudo atque iniuſtitia. Quis tandem tam probroſæ atque acerbæ mortis fructus? Multus, atque per omnem modum maximus. Reſtituuntur per Chriſti mortem ruinæ Angelicæ, repletur Paradiſus, numerus à Deo ad gloriã cæleſtem prædeſtinatorum præſtitutus impletur. Hæc veriſſima quidem ſunt, ſed illud ſimul eſt indubitatum, multò maiorem eſſe hominum multitudinem pro quibus mortuus eſt Chriſtus, qui tamen ex eius morte nullam acceperunt vtilitatem, quæ eorum fuit culpa; qui filium Dei IESVM conculcarunt, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerunt. Quot ante Chriſtum homines perierunt? pro his mortuus tamen eſt Chriſtus. quot eo viuente? pro his paſſus eſt Chriſtus. Hinc exiſtit rurſus paſſionis & mortis maior indignitas, hinc Chriſti dolor vehementiùs augebatur: videbat enim innumerabiles homines ex ſua morte nullam accepiſſe, vel accepturos eſſe vtilitatem; atque adeò quamplurimos maiorem condemnationem: ex his verò quibus fructum & ſalutem ſempiternam vel attulerat, vel erat allatura eius mors, quàm multos videbat qui in eius mortem per lethalia peccata vel offenderant identidem, vel erant offenſuri? Hæc faciebant omnia vt maiorem Chriſtus conciperet mœrorem, maiorem dolorem ſentiret.

*Heb. 10.*

Hæc pro compẽdio ſat multa, cùm tamen nihil ſatis eſſe poſſit ad fructuoſam paſsionis Chriſti meditationem. Hæc meditaturus animo complectatur: illud verò præcipuè quod primo loco attigimus, quis nam ſit qui patitur, qui moritur, ſi intima cordis pietate imbibamus ac retineamus, ſingularem fructũ ex meditatione paſsionis & mortis Chriſti ſumus relaturi. Alij alijs adnotationibus & præſidijs vtuntur, qua in re ſinguli abundent in ſuo ſenſu, cum humilitate cordis arq; ſimplicitate: illud tamen meminerint, vt vnde Dominus ſenſum ſpiritus, ac fructum ſpiritualem ſubminiſtret, ibi ſe exerceant, nec facilè ad alia animum diuertant. Mihi viſum eſt placere, ſi in meditationibus paſsionis Chriſti, ſanguinis præcipuè effuſionem, quatuor capita meditemur: primum, rei indignitatem infinitam; dum vulnerari à teterrimis hominibus Dei filium, Deum ipſum omnipotentem conſpicimus: ſecundum, doloris quẽ patiebatur homo ille Deus acerbitatem: tertium, ſanguinis ipſam effuſionem, quæ per mortem Chriſti vitam mihi parit: quartum, ſi meditemur, quid ſacroſancta Mater virgo patiebatur, ſiue abſens ex meditatione, ſiue præſens ex rerum præſenti contemplatione. Qua in re illud piè credere poſſumus, quod beneficium tam multi pij homines ac mulieres à Deo ſunt conſequuti, vt quaſi præſentia myſteria paſsionis ac mortis Chriſti contemplarentur abſentes, id beatiſsimæ Virgini Dei matri Mariæ non eſſe negatum. Illud poſtremò addam, multis prætermiſsis: qui paſsionẽ & mortem Chriſti eſt meditaturus, ad animi mœrorem, & Chriſti compaſsionem ſe comparet, omnem à ſe voluptatem & lętitiam abijciat, vt idẽ in ſe poſsit ſentire quod in Chriſto IESV: tũ illa duo addat, gratiarũ actionẽ pro ſingulis Chriſti doloribus, tũ vt per ſingulos gratiã aliquã à Deo & Chriſto petat.

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

VIdeo te, sancte IESV, præterquã quòd mortem tuam in cœna Simonis leprosi, in typica cœna, in sacrificio & sacramẽto Eucharistiæ tuæ sacræ repræsentasti, adire nunc acerrimam mortis tuæ repræsentationem, & cõfligere acerbissimè cum morte ante mortem; & ita confligere, vt morti aduersum te permittas vires citra mortem maximas. Quid sæuis ô mors? quæ est ista tua ferocia tam truculenta? Non sat tibi erit si Deum interficias in cruce, nisi etiam in horto tam acerbè, tam implacabiliter affligas, & ante mortem necare moliaris? O impia mors, immitis, sæua, crudelis, pessima, filia peccati primogenita,
*Rom. 5.* quæ tam es peruersa & mala, vt te Deus non fecerit, sed peccatum! Tu heu nimium regnasti. Sed video vnde sit illa atrocitatis tuæ importentia, in te enim operabatur Dæmon, qui concepta ingenti iracundia, quòd suspicare-
*Apoc. 12* tur sibi tempus libertatis diabolicę modicum restare, & se immaniorem facit, & te erga innocentem IESVM. Ergòne, magne & parue IESV, potens & infirme, tam fuit vehemens & acris illa mortis tuæ repræsentatio, & tuorum cruciatuum, vt ad mortis portam ipsam te adigeret metus & tristitia? Causam nobis obsecro, benigne IESV, explica tui metus & tristitiæ. Obuersabatur ob oculos mentis meæ infinita illa Iudæorum & Gentilium atrocitas in meam vitam, catenæ, vincula, raptationes, colaphi, alapæ, sputa, vulsiones, cũ insanis increpationibus atque irrisionibus coniunctæ & contumelijs, flagella, corona spinea, crucis baiulatio, crucifixio, crucis leuatio, crucis suspendium, mors tandem ipsa, & ea quidem plena omnis dedecoris & ignominiæ. Simul videbam immensam Iudæorum & Gentilium impietatem, fructum verò ex mea cruce etiãsi qui in prædestinatione mea erat videbam ingentem, tamen innumerabili hominum multitudini fructũ ex ea nullum, atque adeò maiorem sciebam inde à multis acceptum iri condemnationem. Hæc verò omnia vt contemplabar ego clarissimè, & futura esse certissimè sciebam, ita anima mea in magnas angustias conijciebatur, sęua tristitia, pauore, & tædio conflictabar; quæ eò erant acriora, quòd cum potentijs sensitiuis erant coniuncta, & toti humanitati acerbissima. Itaque eò fuit progressum vt in agoniam venirem & luctam cum morte, orarem verò factus in agonia prolixiùs; vnde tanta exstitit etiam corporis angustia, vt quasi ad mortem properaret natura, in profluuiũ sudoris sanguinei exæstuaret. Audio, sancte IESV, & credo omnia: sed illud cupio doceri, quænam fuerit tanti doloris ratio? & quo pacto anima tua in afflictione fuit, beata cùm esset? Probo quòd primùm fide omnia cõcepisti; ea enim via est ad mysteriorum meorum intelligentiam: igitur ratio tam vehementis metus hæc fuit: natura ipsa hominis, quem ego creaui, facit, vt nihil illi sit morte terribilius; creaui enim hominem inexterminabilem: faciunt autem cruciatus si addantur, mortem vt acerbiorem, ita horribilem magis. Quòd si perfecta natura sit, qualẽ ego habui, ibi verò longè maior est & metus & horror, vt est illa mors magis contra naturam. Hæc fuit ratio tam acris meæ mortis, timoris, & tristitiæ. Volui simul veram esse meam humanitatem docere excellenti exemplo, & mereri apud Patrem vt meis martyribus, & meis Christianis formidabilis ne esset mors & cruciatus: illum enim metum mea infirmitate ego debilitaui, nec patior vt quam vim in me exeruit mors, eam in meos obtineat: atque adeò facio sæpenumero vt vel parùm, vel etiam nihil sentiatur & mors, & mortis cruciatus. Quòd autem anima mea Deũ cùm prospiceret in suo conspectu semper, dolere, & tristari, & pauere potuerit, illud fuit mysterium in mea vita mortali perpetuũ, vt simul & Deus essem, & homo; passibilis, & impassibilis; mortalis, immortalis; omnipotens, infirmus; beatus, viator. Video, magne IESV, & credo plenissimè: sed nondum satis intelligo. Audi igitur. Anima per actionem intellectus & voluntatis erãt beata, quum Deum videret clarè in se, eoque frueretur; atque eum statum in ęternitate perpetuò possidebat. Hanc beatitudinem obtinui ego perfectissimè iam inde ab incarnatione mea: suspensus verò fuit illius gloriæ splendor & communicatio in corpus per diuinum miraculum; neque enim aliter compleri potuit humana redẽptio per meas passiones & crucem. Itaque tota illa mea gloria animæ, etiamsi immensa, veluti se colligebat in se, & animam quidem meam faciebat perfectè beatam, eandem tamen vt corpori vnitam,



vnitam, & corporis viribus vtentem, ita relinquebat passibilem, vt ea quæ corpus affligebant, pertingerent ad animam, & ea ipsa, vt corpus fouebat, pateretur. Quare virtus diuina faciebat vt animæ passionibus nõ corrumperetur eiusdem gloria, sed similiter conseruaretur, atque si nullum pateretur detrimentum. Sis benedictus, Domine IESV illuminasti cor meum: ex eodem igitur miraculo nascebatur quòd sic orares: neque enim ita orasses, si anima tua, cùm beata esset, nõ sensisset tamẽ corporis passiones, & illas tu non assumpsisses. Vt operabatur ergo anima tua per potentias, iuxta quod erat simul passibilis, vt fugiebat ac timebat passiones, ita orabat, ac vehementer orabat: verùm vt erat eadem beata, atque iuxta inferiorem partem rationi perfectè subiecta, simpliciter non orabat, sed sub conditione; sciebat enim quod petebat non esse impertrandum. Mysterium igitur hoc erat: dolebat anima, tristabatur, timebat; cum quo erat coniunctum vt peteret liberari. O Christe IESV, quot ex hoc tuo metu, & oratione, & agonia, & sudore prouenerunt nobis diuina emolumenta! Iam primùm intelligimus quàm tibi fuerit acerba passio tua & mors, quum illius cogitatio tantam tibi attulerit afflictionem. Assumpsisti præterea illũ mortis & suppliciorum metum, vt temeritatem, & stupiditatem naturæ sciremus nobis esse fugiendam, ac timendam, secundùm rationis rectæ iudicium; vnde & mala per te auerteremus: nec propterea debere nos de statu mentis nostræ & spiritus decidere. Illud verò singulare fuit tuũ beneficium, quòd per ruum metũ nostris timoribus prouidisti, etiam naturalibus; ne nobis essent tam molesti, quàm fuissent futuri. Orare verò docuisti perfectissimè, & perseueranter; quòd ter orasti & eãdem de re, & de ea re quã sciebas te non esse impetraturum; vt magnum affectum nos afferremus ad orationem, magnum desiderium & constans; deinde vt Dei voluntatem nostris orationibus pro regula poneremus, in ijs quidem quæ ad salutẽ animæ necessaria non sunt, semper omni ex parte, siue Deus det quæ postulamus, siue non det; siue statim concedat, siue non statim; siue aliter quàm nos petimus tribuat, siue aliud det: in rebus verò ad salutem necessarijs, rei magnitudinem & modum ad Dei voluntatem referamus: denique omnia ita petamus, vt voluit Deus à se peti. Quòd autem in agoniam venisti orans, quòd prolixiùs orasti, quòd sudasti sanguineum sudorem ad terram vsque decurrentem, quæ corda non moueat? Deus enim illud supplicium patiebaris; & pro quibus? pro abiectissimis atque indignissimis. Quis porrò inde non moueatur ad deuotionem orationi adiungendam, & acrem contritionem & humilem? tum ad plenitudinem orationis, & prolixitatem, si non verborum, certè pietatis? Quis non nitatur ita orare, vt sensus etiam ipse ex orationis contentione & deuotione variè afficiatur, animo quidem semper, corpore etiam frequenter? Doce nos, benigne IESV, huiusmodi rationem orandi exercere, vt oremus vero spiritu & vera mente, & des vires tuas, quibus perfectè orare Patrem, & te, & Spiritum sanctum possimus; per tuæ huius orationis virtutem, & earum afflictionum quas in hac oratione perpessus es, vt vigeat in animis nostris vis tua diuina. Amen.

# DE IVDÆ PRODITIONE.

Veniunt ad hortum armati.

EISDEM CAPP.

*In lxxxi. imaginem adnotatiuncula.* *lxxxi.* 108.

A. *Accedit ad IESVM Iudas, osculatur eum: respondet ei benignè IESVS: nihil milites mouere audent: redit ille ad cohortem.*

B. *Procedens IESVS interrogat; Quem quæritis?*
C. *Solo verbo Iudam, militesque resupinos prosternit omnes.*

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter IESVS conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm [a] accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum lucernis & facibus & armis.*

*Adhuc ipso loquente ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, missi à Principibus Sacerdotum, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens; Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*

*Et adhuc eo loquente venit [a] Iudas Iscariotes vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & lignis, missi à summis Sacerdotibus & Scribis & Senioribus. Dederat autem traditor eis signum, dicens; Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.*

*Adhuc eo loquente.*

*ecce turba.*

*Et qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim antecedebat eos, & appropinquauit IESV vt oscularetur eum.*

*Et confestim accedens ad IESVM, dixit; Aue Rabbi: & [a] osculatus est eum. Dixitq; illi IESVS; Amice, ad quid venisti?*

*Et cùm venisset, statim accedens ad eum, ait; Rabbi: & [a] osculatus est eum.*

*IESVS autem dixit illi; Iuda, osculo filium hominis tradis?*

*IESVS itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis; [b] Quem quæritis? Responderũt ei; IESVM Nazarenum. Dixit eis IESVS; Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum; [c] abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos; Quem quæritis? Illi autem dixerunt; IESVM Nazarenum. Respondit IESVS; Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire: vt impleretur sermo quem dixit; Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

CVM esset in sua oratione Christus & angustijs, veniebat ad hortum Gethsemani Iudas cum cohorte Romanorum militum, cum ministris Iudæorũ, & Principibus, & templi Magistratibus, & Senioribus, vt IESVM ipsis proderet: eò autem peruenit adhuc loquente IESV discipulis. Hic vides cohortem, id est quingentos quinquaginta quinque milites Romanos pedites, ante cohortem Tribunum, in media cohorte Draconarium, qui signum, cui erat de more Romanorum Draconis insigne, altè gestabat, deinde Centuriones cum suis insignibus, crista videlicet, & paruo signo in galeis, equites Præterea quinquaginta: cohorti coniungebantur ministri Iudæorum, satellites scilicet Magistratuum templi & Principũ, horum & Seniorum familiares cum gladijs & fustibus. Cur tã multi venitis Iudæi? cur armati? Timebatis opinor: sed quid timebatis? non discipulos IESV plebeios homines atque inermes, non turbam nam nocte nulla erat hominum turba timenda. Esto fortassis & hãc timebatis homines ignaui & timidi, nõne simul illius diuinæ virtutis, quam in IESV toties animaduerteratis, vobis venit in mentem? nõnne illa vos multò vehementiùs terrebat? Igitur paratis cohortem & satellites aduersus diuinam potentiam Christi? O vesaniam singularem! Animos Romanorum considera atroces atque insolentes, Iudæorum miseros sed crudeles, insaniam Principum, perfidiam atque impietatem Iudæ, in omnibus his sæuientes Dæmones: contrà verò boni IESV mansuetudinẽ atque magnanimitatem, Apostolorum ancipitem trepidationem. Expectauerat mansuetus IESVS quos sciebat ad se properare, nunc progreditur illis obuiam: Iudas verò, qui ante turbam veniebat, accedens osculatus est IESVM; Aue, inquit, Rabbi: vt eo signo eum designaret ac proderet: IESVS verò benignè illũ accipit; Amice, inquit, ad quid venisti? Iuda, osculo filiũ hominis tradis? Quid impietate Iudæ execrabilius, quid Christi mansuetudine diuinius, quid amabilius? & tamen Iudæ atrox malitia beneficijs inflammatur. Homo detestabilis, nõnne intelligis Christum te ad salutẽ vocare & amicitiam, quem sciebat hostem, & parricidam terrimum? Amicum te vocat, qui aliquando fueras, non qui esses, sed qui esse debebas, & cupiebat te esse, ad quod etiã te inuitabat. Sed cùm redijsset ad cuneum armatorũ Iudas, IESVS vlteriùs progreditur ad turbã. Nõnne signum inter vos conuenerat? cur non irruitis Iudæi? Cur ne Romani quidem? Deus erat IESVS, nolebat teneri vel pati, nisi sua voluntate, quod fit apertius sequenti adnotatione.

Vigilate

*B.* Nihil audebant Iudæi, nihil Romani, nihil Dæmones, stupent omnes ad conspectum IESV. Ad hos igitur propius accedens IESVS; Quem, inquit, quæritis? Sed qua mansuetudine hoc dixit? sua, Dei. Attoniti quidẽ erant omnes, sed respondent tamen timidè Tribunus, Centuriones, Antesignani cum tẽpli ducibus; IESVM Nazarenum. Respondet IESVS; Ego sum. Quis es, bone IESV? Ego sum qui sum, ego Dominus & Deus vester, ego sum IESVS Nazarenus, quẽ vos quæritis. Cur ne nunc quidè impressione factã IESVM cõprehenditis? Iudas enim osculo prodidit, ipse se cùm professus est quem quæritis.

*C.* Exeruit Christus nonnihil virtutis è diuinitate cùm dixit, Ego sum: quæ illos adeò perculit vehementer, vt exanimati omnes cum suis armis retrorsum abeuntes in terram resupinè vnus super alium prosternerẽtur, & Iudas quidem cum illis. Aspice simul Dæmones cum illis in terram deiectos volutari diabolice. Respirant paululum Apostoli. O incredibilem obstinationem! ne tum quidem virtutem agnouerunt diuinam: nam cùm vim illam remisisset Christus, exiliunt Dæmones, surgũt omnes: rursum idem interrogat mitis IESVS; Quẽ quæritis? idem inclamant, IESVM Nazarenum: iterum respondet IESVS; Dixi vobis quia ego sum, verũ vim non exerit diuinitatis: vt intelligere possent, IESVM illic se Deum, hic hominem esse professum: illinc non potuisse interfici, hinc posse; sed ipso permittente posse, ipso nolẽte non posse.

## MEDITATIO.

ADeste huc, aduertite, animaduertite omnes quotquot deuotionẽ amatis, & piãorationem sectamini, & meditationem passionis & crucis IESV Christi cupitis exercere, vt debemus omnes: attendite ad mirabilia quæ facit in Christo Deus, quæque admittit

Universidad de Deusto
Biblioteca



mittit in se mansuetissimus agnus, Deus ipse omnipotens pro inimicis suis; & idem sentire in vobis, quod in Christo patiēte & moriēte; quæque in ipso geruntur, eadem in vobis fieri non existimetis solùm, sed eam cordis pietatem concipiatis, vt in vobis ea fieri spirituali quadam experientia percipere possitis, etiam exterioribus sensibus communicare Christo propitio. Verùm facit nostræ mentis inertia, & spiritualium sensuum hebetudo, vt hæc inusitata & aliena videantur, quæ esse non deberent: quid enim coniunctū magis est cum
*Rom.6.* Christiano homine, quàm mortem Christi sentire? vt qui in mortem Christi baptizatus sit, & in mortem eius cum illo consepultus, & complantatus factus sit similitudini mortis ipsius. Itaque hæc scire deberemus omnes, non speculatione tantùm (non enim speculatione tantùm traduntur) sed praxi, & sensu deuotionis, & pio nos tangēte affectu, & quadam spiritus experientia. Quid ergo sentire
*Rom.6.* deberemus? Quòd vetus homo noster simul cum Christo crucifixus est, vt corpus peccati destruatur & vitiorum. Hanc mortem in nobis sentiamus, ac confirmemus in dies. Quid verò significat Paulus, cùm dicit; Hoc scientes, quòd vetus homo noster simul crucifixus est? non enim nudam ibi scientiam requirit, sed piam, & affectu rei cōsentaneo imbutam: est enim baptismus noster in Christo, mortis eius virtus nobis communicata; cruci enim affixum est peccatum, vnde mortui omnes sumus peccato, vnde sepulti, vt cum Christo mortui, & sepulti cum Christo resurgamus in nouitatem vitæ, & gratiæ, & lucis diuinæ, nihil in nobis veteris hominis agnoscēres. Alia est ratio sentiendi mortem Christi in nobis & resurrectionem, si efficaciam mortis peccati ex illius morte perspiciamus, quasi surculi inserti mortis ipsius similitudini; & sciamus corde & spiritus gustu, quia simul vetus homo noster crucifixus est, & quòd accepimus vim mortis peccati à morte Christi, qui peccatum non fecit, sed pro nostris peccatis mortuus est, vnde & vim resurrectionis spiritualis adipiscimur. Sapientissimè his metaphoris vtitur Paulus, vt per res admodum sensibiles potentiæ nostræ mouēatur, & in spiritus sēnsum assurgant. Petrus etiam salutariter nos passionis Christi meditatione armat, inuitat etiam ad exemplum & imitationem; Christo
*1.Pet.4.* igitur, inquit, passo in carne, vos eādem cogi-
*1.Pet.2.* tatione armamini. Et rursum; Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Arma dant nobis fiduciam & securitatē, armis protegimur ab aduersarijs, armis pugnamus contra aduersarios: hæc tamen non facient arma, nisi nos illis scitè & fortiter vtamur. Sed quid in nobis armatur illa cogitatione? Mens, animus, voluntas, cor, potentiæ omnes, quibus contra hostes nostros pugnandum est. Quapropter illas potentias armis illis indui necessum est, ipsis se munire, illorum virtute imbui; vt legitimè illis & vtiliter vti possimus, & victoriam adipisci. Exemplum verò Christi passionis humana exempla omnia infinita virtute antecellit, nam illa creatam vim continent, hæc diuinam, hæc diuinitus nos mouent & iuuāt, cælesti quodam numine ad corda nostra penetrante. Et exempla quidem ad praxim per se spectant, non ad solam rerum speculationem; exemplum enim propterea proponitur, vt animum & vim ab illo accipiamus, & ad imitationem nos per illud exerceamus. Contendamus igitur, fratres, ad veram quidem mysteriorum passionis & mortis Christi intelligentiam, maiori tamen cura aspiremus & pietate ad illorum mysteriorum interiorem sensum, & spiritualem vtilitatem: non enim vbi plus est scientiæ, ibi maior animi nostri fructus: sed vbi spiritualis sensus & gustus rerum plurimus est, ibi vberior fructus. Quid igitur post orationem facis, Christe bone? Videbam proditorem Iudam ad meam mortem arroci animo properantem cum armata Iudæorum manu & Romanorum: excussi illū timorem & tædium generosè, ac profilij quasi exultans gigas ad currendam viam passio- *Psal.18.*
nis & mortis; atque adeò potentiùs quouis gigante exilij, & constiti in acie aduersus mūdum, carnem, & diabolum, mortem, infernum, & peccatum. Hæc stabant contra me in acie, non solùm Iudæi & Romani; sed per illa, ac pro illis hi bellum illud contra me fusciebant. Videbam Principem Satanam cum scelestissimis Diabolis, præter alios qui aderant frequentissimi, ad atrocitatem acuere homines illos teterrimos. Signum dat Iudas quod inter eos conuenerat; Salue, inquit, Rabbi. O ironiam execrandam! ô funestam salutationem! & osculatur IESVM. Vide ex ore nefandi latronis efflari in IESVM anaritiam, parricidium, impietatem, omnium scelerum obscenitatem: refundi tamen ex diuino IESV ore mansuetudinem, benignitatem, diuini-



tatem. O abominandum Iudæ osculum! ô IESV adorandum! Non mouetur tamen osculi IESV diuina virtute proditor, nitiuetur Iudæ osculo mansuetus IESVS, clementer illum compellat; Amice, ad quid venisti? Non solùm non detrectat osculum Iudæ mitis IESVS, sed illum verbis etiam inuitat ad sanitatem, aperit portam illi ad amicitiam, allicit ad sceleris sui cōfessionem: sæua tamen obstinatio Iudæ fecit & obcæcatio, vt beneficio summo ad maleficium nefarium abuteretur. Redit ad armatos, stat in acie, atque etiam ante aciem contra Christum. Quis ex his rebus non timebit? quis non cauebit? quis contrà non sperabit? Iudas Apostolus Christo aliquando acceptus, fit postea Diabolus: audit tamen doctrinā Christi, videt miracula, accipit facultatem consecrandi Eucharistiam & ministrandi, recipit corpus & sanguinem IESV ex eius manibus, toties admonetur à Christo officij sui & pietatis; & tamen non retardatur à suis sceleribus, non à proditione Christi. Quis non timeat Dei occulta iudicia, qui hæc passus sit in Apostolo? Quis ne similiter sibi eueniat non formidabit? Quasi verò Diabolo nos propter res vilissimas non tradamus toties Christum, qui in nobis habitat per gratiam: audimus verò doctrinam Christi & Apostolorum, videmus ex fide miracula, sacramenta accipimus, Eucharistiam etiam frequentius; vtinam nunquam vt Iudas, admonemur officij & pœnitentiæ identidem; & illa videmus in Iuda, & erimus absque metu? & non exhorrebimus ad Iudæ calamitatem? non cauebimus? Iam si quis præterea sit Sacerdos, si Religiosus, si Episcopus, nónne magis etiam erit Iudas quàm Iudas, si piè non viuit, si vocationem non tenet & pietatem? Quis verò contrà non simul cauebit, & sperabit, vbi alias misericordias in Iuda contemplabitur, tum osculum, & verba illa; Amice, ad quid venisti? Cauebit quidem ne non respondeat admo- *Apoc. 3.*
nitioni diuinæ, pulsui manus Domini, qui semper ad ostium cordis nostri stat & pulsat: sperabit verò, modò nolit esse Iudas: quod qui volet, deterior erit quàm Iudas; ille enim exemplum sui non habuit, nos habemus ipsius. Illud autem animaduertentum, & quidem summa cum humilitate & metu; vbi tentat quempiam Dæmon, & eò venitur vt tentationi videatur consensurus, aperiat interiorem aurem ad vocem Christi, qui tunc similiter atque Iudæ loquitur suauissimè; Amice, quò deuenisti? Iudas me tradere voluit Iudæis, non statim interficere; tu, si consentis in peccatum, non solùm me trades Diabolo, sed continuò crucifiges quod in te est; certe gratiam per quā ego in te sum necabis. Quid porrò gestum est, magne IESV? Volui omnibus demonstrare me mea voluntate pati pro mortalibus, processi armatis obuiam, interrogaui; Quem quæritis? Dicunt; IESVM Nazarenum. Respondi; Ego sum: quibus verbis aliquid addidi meæ virtutis, quavires armatorum omnium eneruaui, & omnem multitudinem in terrā prostraui, & cum ipsis Iudam, Satanam, & eius omnes satellites. Victi igitur estis omnes Romani, Iudæi, orbis vniuersus, omnes Dæmones. Eodem negotio, imò absque vllo negotio potuit Christus omnes homines conculcare. Cur non pergis ita hostes tuos accipere, maxime IESV? Hac ratione si egissem, perierat salus vestra, & mea vestri redemptio. Non enim veni in mundū, vt cum hostibus sola potētia diuinitatis dimicarem, vel eos vincerem, (id enim de cælo poteram) sed ex infirmitate assumptæ gumanitatis fuit mihi cominus confligendū: & tamen meam virtutem similiter exero in hoc etiam genere belli; prosterno enim hostes meos & conculco, frango eorum superbiam humilitate, robur infirmitate, mortem ipsam morte mea expugno. Itaque cùm me ligant, cædunt, contumelijs afficiunt, crucifigunt; ijs ipsis rebus eos ego prosterno atque vinco. Hæc ratio vincendi facit, vt quādo vos hostes vestri quęrunt ad mortem animæ, prestro ego sim, & respondeam Diabolo, si velitis audire; Ego sum. Non huius animam miseri hominis tu vis interimere, sed me: & fiet, si meo spiritui consentiatis, vt frangatur illa vis diabolica & extirpetur. Video, benigne IESV: ego verò te authore ex horum mysteriorum virtute me ita comparabo. vt osculum tuæ sapientiæ è tuo ore diuino humillimè in spiritu recipiam, quod mihi significet ligandum me diuinis tuis mandatis & consilijs, ac diuina tua virtute faciat fortem. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# MALCHI AVRICVLÆ ABSCISSIO.

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*In lxxxij. imaginem adnotatiuncula.* lxxxj. 109.

*A. Seruo Principis Sacerdotum insolentius adorienti IESVM, abscidit auriculam Petrus.*
*B. Nihil propterea mouentur Iudæi, obiurgat tamen Petrum IESVS.*
*C. Malcho restituit auriculam: permittit se capi.*

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*Tunc* [a] *accesserunt.*

*Et ecce* [a] *vnus ex ijs qui erant cũ IESV, extendens manũ exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum,* [a] *amputauit auriculam eius.*

*Vnus autem quidam de circunstantibus educens gladium, percussit seruum summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam.*

*Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerũt ei; Domine, si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum Principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.*

*Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus.*

*Tunc ait illi IESVS;* [b] *Conuerte gladium tuũ in locum suum: omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrẽ meũ, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?*

*Respondens autem IESVS ait;* [b] *Simite, vsque huc.*

*Dixit ergo IESVS Petro; Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

*In illa hora dixit IESVS turbis;*

*Et respõdens IESVS, ait illis;*

*Et cùm* [c] *tetigisset auriculã eius, sanauit eũ. Dixit autem IESVS ad eos qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniores;*

*Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me: Quotidie apud vos sedebã docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autẽ totũ factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarũ.*

*Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis comprehendere me: Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed vt impleantur scripturæ.*

*Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus: Cùm quotidie vobiscũ fuerim in templo, non extendistis manus in me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* SIgnificauit itaque se potestatem facere mitis IESVS, vt ipsum possent comprehendere; verum illud interdicit, vt ne è suis aliquem capiant, nulli è suis noceant. Perterriti fuissent Apostoli iam tunc, nisi Christum ipsis cauisse intellexissent. Facta potestate vt eum tenerent, irruunt quidem, sed trepidantes; neque enim se omnino receperant à superiori consternatione. Id quum facerent, & vnus è seruis Principis Sacerdotum primus IESVM adoriretur insolentius, non potuit id perpeti Petrus; & cum omnes commoti dixissent; Domine, si percutimus in gladio? ille nullo expectato responso eripit è vagina gladium: dictum ac factum, percutit Malchum (hoc enim erat nomen seruo illi summi Pontificis) abscindit illius dexteram auriculam. Et hoc quidem cùm patraret Petrus, interdicebat IESVS omnibus ne id facerent; Sinite, inquit, vsque huc, desinite, abstinete ad paulum temporis, donec patiar: post hoc tempus meæ erit vindictæ, ego retribuam. Horrent factum Petri ceteri Apostoli, & parum abfuit quin fugerẽt, sed adhuc illorum animos Christus sustentabat. Quid etiam nunc moramini milites, satellites, ministri, Tribuni, Duces templi? ecce prælium committit vnus piscator aduersus Romanam potentiam & Iudaicam: vulnerat, membrum amputat serui Principis Sacerdotum: cur hæretis? quæ nam hæc est vestra omnium tanta ignauia? Non poteratis, quia nolebat Christus adhuc comprehendi.

*B.* Timor igitur cùm corripuisset omnes ac stupor, astant attoniti, & audiunt IESVM, quemadmodum Petrum obiurgat; Mitte, inquit, gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibã illum? omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quòd non possum rogare Patrẽ meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Videtis nunc planissimè Romani & Iudæi, vniuersi videtis mortales, IESVM suæ voluntate passum, vt Patris Dei voluntatem impleret. Hæc enim cùm audirent tam multa verba, nullus tamen commouetur.

*C.* Iacebat Malchus sanguinolentus, hunc sanat IESVS solo auriculæ contactu, & auriculam restituit: dein summa cum animi mansuetudine dicit Principibus Sacerdotum, templi Magistratibus, ideſt præfectis militum qui templi agebant custodiam, & Senioribus, qui cum armatis conuenerant. Iudæis loquitur Christus, non Tribuno, non Romanis; Iudæi enim necis Christi erant authores, Iudæi Christum interficiebant: necabant quidem etiam Romani, sed minori facinore. Quid igitur dicit IESVS sceleratis Iudæis? Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me; quotidie eram apud vos, sedebam in templo docens; cùm itaque quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me, nec me tenuistis: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Quid hæc sibi volunt, bone IESV? Ea illis demonstrauit quorum ipsi erant sibi conscij; voluisse eos me tam frequenter comprehendere, lapidare, interficere; non potuisse tamen testè eorum conscientia; ac ne nunc quidem cum tanta armatorum multitudine, vel potuisse, vel posse, nisi ego velim, nisi permittam: sed tunc planè permisi, cùm dixi: Hæc est hora vestra, hæc potestas tenebrarum.

## MEDITATIO.

OIESV, Dei & Domini nostri adorandam mansuetudinem! Rursum se offert latronibus ligandum & ad mortẽ ducendum, dat eis etiam facultatem vt id possint, quod ipso nolente non valebant; recreat enim illos ex consternatione, restituit vires prostratas, quas in ipsum exerceãt. Verè oblatus es, Domine, quia voluisti, verè tua voluntate ex patris obedientia tradidisti temetipsum pro nobis; & nos tamen nulla voluntate quæ nobis sese offerũt tribulationes pro peccatis nostris

Esa. 53. Ephe. 5.

susçipimus, sed auersamur illas, exhorremus & fugimus; quod contrà factum oportuit authore Christo, exemplo Christi. Quis enim non ferat pro se quasuis pœnas eo corde, quo sentiat promptitudinem oblationis Christi ad mortem pro nobis? præsertim cùm cauerit ne nostro spiritui nocceant omnes aduersarij nostri. Propterea enim sibi non cauit, sed se ligari, & ad mortem perduci permisit, vt tanta hostium nostrorum violentia in ipsum solum effusa eneruaretur, nec nostrã conscien-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tiam lædere quisquam posset, nisi stolidè lædi nos ipsi velimus. Quum igitur sentiunt sibi vires esse factas, primus Malchus intēperantiùs IESVM adoritur. Miserum scilicet seruum, & abiectum Iudæorum regnum & potentia. Idcirco noluit Christus per Iudæos ligari, sed per Romanos: simul tamen per Iudæos permisit postea, vt vniuersus orbis contra Dominum, & contra Christum eius staret. Huc verò magnæ incurrunt rerum vicissitudines, magnæ antitheses: Malchus inijcere manus in IESVM audet, quod non poterat: mouentur Apostoli ad præliū, ad defendendum Christum duobus gladijs, quod non debebant: Petrus committit prœlium, & tamen Christus prohibebat, dicens; Sinite vsque huc: paruo hoc tempore, quum adhuc vires habere videmini ad resistendum, illis ne vtamini tamen, statim nihil erit quod vos ego prohibeā: Iudæis enim ac Romanis omnia permittentur, & vos nil vel audebitis vel poteritis propugnare. Armata adstat turba Iudæorū, Principes, Magistratus, cohors Romanorum, Tribunus, Centuriones, Antesignani: ab IESV vndecim homines stant cum duobus gladijs, & nullus audet manus in IESVM inijcere, præter vilem seruum, & Pontificis, & Malchum. Abscindit huius auriculam dexterā Petrus, hāc restituit IESVS, increpat Petrū & docet, deinde omnes Principes Sacerdotum, & templi Magistratus, & Seniores; & humanissimè arguit inhumanitatis & insolentiæ. Quorsum hæc omnia, sancte IESV? Quod ad Malchum attinet, mysterio factum est vt rex vocaretur, & seruus esset qui primus in me ausus est manus inijcere: regnum enim Iudæorū erat seruum; reliqua erat religionis libertas & legis, ea tamen seruiebat, non Romanis solùm, sed ambitioni etiam Iudæorum, & illius libertatis deprauationi. Video, Domine, quod ex facto Petri ostensum sit esse iam abscissam auriculam, qua poterant vti legitimè Iudæi, non vtebantur tamen. Cur ergo restituis illam aurem, Christe IESV? Non illam restituo vt suam; illa enim erat vetus, hæc noua; illa Iudæi, hæc mea Christi; illa, qua veterem legem audiebant, hæc, qua Euangelium filij Dei debebāt audire. O te felicē si intelligas, Malche, quam aurem amisisti, & quam recuperasti! Sed tu meministi tuæ atrocitatis, & iniuriæ Petri, nec desiisti Christum insectari: vt in te intelligeretur, Iudæos, etiam postquam Christus mortuus fuerat, non destitisse à sua pertinacia, & Ecclesiæ persequutione. Quid autem nobis? Non sæpenumero per prædicatores & bonos patres auris turpium vel verborū vel cogitationum amputatur, & Christi subrogatur, tamen subinde hanc respuimus, ad illam redimus? Amputa mihi, Christe IESV, per Petrum vtramque aurem meam, & vtramq; restaura tua manu, vt vanitates ne audiat anima mea, sed insonent semper ad cor meum verba tua suauissima, & passio tua efficacissima. Sed, heus tu Petre, quid facis? Christus prohibet, tu tamen sine Christo per te prælium committis, & dejcis hominis auriculā? Quod non debuisti facere, fecisti; simili ardore animi propulsus atque tunc, quum dixisti; Et si oporteat me mori tecū, non te negabo. Quocirca iussè à Christo fuisti obiurgatus. Verum doces nos vtiliter, ne feruores dumtaxat nostros, etiam qui videantur excellenter spirituales, temerè sequamur, quin priùs ad Christum accurramus, atque ex vero & humili spiritu recta ratione illos impetus examinemus; vt à Deo, si rectè sint comparati, vim accipiant, & in actiones salutares progrediantur: vt ne faciamus Dei spiritum vel zelum, qui noster est, vel etiam Dæmonis. Quid autem, bone IESV, voluisti in hac tua māsuetudine & benignitate, quid verò in Iudæorum obiurgatione? Et hîc, & toto passionis meæ mysterio eò spectabam, si quis ad cor rediret, vt eum ad pœnitentiam recipere possem clementer: quod planum feci, & cùm pro meis crucifixoribus oraui, & cùm latroni spopondi Paradisum, qui modò fuerat mihi conuitiatus. Et quidem tota mea passio, omnes meæ passionis actiones oratio quædam erat pro ijs à quibus patiebar: nec mirum, quia erant pro totius orbis redemptione meritum. Simul hoc vobis dedi exemplum amplissimum, quo meam doctrinam confirmaui validissimè; vt inimicos vestros diligeretis, benefaceretis ijs qui oderunt vos, oraretis pro persequentibus & calumniantibus vos; vt sic filij adoptiui essetis patri meo, sicut ego sum naturalis. Tandem pro meæ mansuetudinis consummatione feci Iudæis & Romanis facultatem, vt in me ea possent, quæ pater constituerat. Diuinè hęc egisti, magne IESV, vt omnia. Sit tibi gloria in seculum. Amen.

*Euthy. ex Chry. Sostomo.*

*Matth.*





# CAPITVR CHRISTVS.

## IISDEM CAPP.

*In lxxxiij. imaginem adnotatiuncula.* lxxxiij. 110.

*A. IESVS ligatur collo & manibus.*
*B. Diffugiunt Apostoli omnes.*
*C. Adolescens relicta sindone nudus aufugit.*
*D. Sedet Lucifer in throno igneo & tenebroso, vnde furias omnes immittit in Christum.*

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*Tunc discipuli omnes relicto eo [b] fugerunt.*

*Tunc discipuli eius, relinquentes eum, omnes fugerunt.*

*[c] Adolescēs autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerūt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis.*

*Sed [a] hæc est hora vestra, & potestas [d] tenebrarum.*

*& manus iniecerunt in IESVM, & tenuerunt eum.*

*At illi manus iniecerunt in IESVM, & tenuerunt eum.*

*Cohors ergo & Tribunus & ministri Iudæorum comprehēderunt IESVM, & ligauerūt eum.*

## ADNOTATIO.

*A. Illa cùm dixisset IESVS, sentiunt primi Apostoli datam omnino potestatem armatis in IESVM, diffugiunt omnes perterriti atque exanimati. Idem intelligunt Dæmones, vrgent truculenter, sentiunt Romani & Iudæi vires sibi restitui & animum, abscessisse timorem; iniciunt teterrimas manus in IESVM, Deum colligant, insultant, exagitant: ligatum verò creditur eius collum catena, manus retrò funesto fune: lætantur Iudæi, gaudet execrabilis Iudas, exultant omnes. Luge tu colligatum Deum omnipotentem, vt tibi solueret vincula peccatorum & inferni.*

*B. Diffugiunt Apostoli omnes consternati. Et initio quidem simul Ioannes territus aufugit cum reliquis, etiamsi statim cum Petro redierit, & sequeretur à longè. Fugerunt quidem dissipati Apostoli, nec quò ierint scimus; est tamen verisimile aliquos accurrisse ad Matrem IESV, atque ad eam acerbissimum nuntium attulisse, repletam domum tristitia & luctu, magno animo id tulisse Mariam, etiamsi omnium ægerrimè.*

*C. Fugientibus Apostolis, sequebatur adhuc IESVM adolescens quidam sindone amictus super nudo (num hic fuit Ioannes, vt non dissimulat Gregorio?) tenetur sindone; excutit ille sindonem & aufugit nudus. Alij simpliciter accipiūt vnum quendam adolescentulum illum fuisse, incertum verò quisnam fuerit.*

*D. Sedet Princeps spirituum omnium malignorum Lucifer in throno igneo ac tenebroso, aūtant innumerabiles Diaboli, suo imperio gubernat Romanorum ac Iudæorum sæuitiā, Principum malitiam auget atque atrocitatem, vrget mortem Christi. Verūm hoc fecit donec incepit sibi à morte Christi timere; tunc enim per vxorem tentauit reuocare Pilatum à nece Christi. Itaque omnibus imaginibus, donec pro tribunali sedit Pilatus, est intelligenda præsens affuisse hæc tenebrarum potestas & Satanæ, tunc primùm abscessisse.*

*Ignat. ad Philipp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



SEd hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Faciem rerum harum luctuosissimā contemplemur fratres. Accipiunt licentiam simul & vim à Christo Lucifer, Iudæi, Romani: nihil iam verentur, nihil timent, *Psal. 37* Angeli longè astant, vim faciunt atrocissimā qui quærebant animam IESV: narrantur Patribus in Limbo quæ fiunt, aduertūt mentem Angeli è cœlo omnes, incipit vniuersa natura stupescere, quum videt creatorē suum ligandum. Sed quid Apostoli? Quum intelligerent per illa verbā daram facultatem hostibus Christi, & cernerent irruere omnes in illum, sibi miserè timentes diffugiunt omnes ac dissipantur, quasi oues percusso pastore. *Zach. 12.* Quid facitis, ô boni? Animum cur non retineris quem modò exercebatis confidenter? vbi est illud, Si percutimus in gladio? Non recolitis accepisse vos ante duas horas Christi corpus & sanguinem, & gratiam Dei singularem, & diuinum robur? Iam si omnia vos deficiunt de vestra infirmitate, nónne nunc audistis ex ore IESV vobis esse cautū, ac proinde nullum posse vobis nocere? Nolite fugere, quod facitis, Christo ingratū in primis, quasi illi non fidatis; quasi vestra fuga prius illum videatur damnare quàm Iudæorum vincula: pedem figite, aderit vobis IESVS è vinculis, è passione, è cruce, è morte. Contemplamini potiùs, quæ coram Deo, & Angelis, & hominibus mirabilia, inuisa, & inaudita permittat in filio suo Deus, quæ filius ipse summa voluntate patiatur à mortalibus, vt mortales redimat: animum recipite heu nimiùm pauidi, & ad harum admirabilium rerum fructum, quæ fieri incipiunt, vos comparate. At vos fugitis, & animū abijcitis præsente Christo, patiente pro vobis Christo, & ad vim illam externam & ferociā sensum & animum totum aduertitis, & illa deseritis subsidia quæ sunt vobis præsto diuinitus. Neque verò hæc ita dico, vt negem vos iuuante Christo, cohortante etiam virgine Matre, ad quam venistis, animum recepisse: sed illa noto in vobis, dum vestram historiam narro, vt similia in nobis notem. Quid enim nos similiter non facimus? quoties ad minimam vel Dæmonis, vel mundi, vel carnis tentationem animum despondemus? faciem à Christo auertimus? &, quod longè est deterius, illis cōsentimus, ac vires nostras cum illorum coniungimus, & Christū cum illis oppugnamus? Quid autem timemus in tentationibus? enerauit timores nostros timor Christi in horto. Cur animum deijcimus, quem recepit pro nobis Christus exiens obuiam armatis? Quid ligari nos sinimus ab hostibus nostris? quorū vincula non solùm vt soluerentur, sed vt ne ligari nos quidem possent fecerūt Christi vincula. Cur nō potiùs damus ligandos nos Angelis Christi vinculis? Erant igitur omnia quæ gerebantur plena mysterio: Apostoli fugiunt, vt nos ne temerè fugiamus; nihil patiuntur à Iudæis, vt salutem nostram discamus vnicè in Christo collocare, nec timere quid faciat nobis vel homo vel Dæmon. Sequitur tamē adolescens fugientibus Apostolis: desciscentibus scilicet Iudæis, sequitur noua gentilitas Christum, oppugnatur, eripit se tamen ab illis, & ad salutem contēdit relictis omnibus, per martyres, & per religionis statum. Verùm ad vincula Christi veniamus. Incipit pari Christus filius Dei: paremus animum nostrum, & eius passiones omnes intimis visceribus recipiamus, illis nostra corda & carnes configantur. Aperi cor nostrum, mitis IESV, & reple suaui & forti compassione, & sensu viuido tuarum pœnarum; ibi enim ianua recluditur ad cœlū, & ad ea quæ è cœlis dona tua deuotis animis communicantur, quæ significari nonnihil possunt, explicari plenè non possunt. Infinitam atrocitatem & rabiem contemplare capientiū, trahentium, raptantium benignum IESVM, & collum eius, manusque ligantiū; ibi enim pessimus maiori atrocitate sæuit Iudas, instigat nefariè, hortatur tamen vt ducant cautè. Instāt omnibus Principes Sacerdotum & Seniores, Magistratus templi, Tribunus, Dracōnarius, vrgent Centuriones & insultant; Habemus, tenemus sacrilegum, præstigiatorem, & seditiosum, opprobrium hominum, & plebis abiectionem: gaudent Dæmones, exultat Lucifer, regnum suum iactat ligato IESV, nihil sibi iam timendum. Lugent è contrario Angeli, & præsentes, & è cælo; & quibus lachrymis condolere possunt, patienti Domino & Creatori suo compatiuntur. Similiter reliqua creatura creatori & conseruatori suo, & gubernatori condolet: lugent è Limbo patres:



tres: verè tangitur dolore cordis intrinsecus amarissimè Virgo Mater, quæ hæc nouerat per internuntios, & eos qui ad se iam redierāt *Luc. 22.* Apostolos. Planè hora & tēpus pessimorum hominum illud erat, & rectorū tenebrarum harum, & inferni potestas exerta diuina permissione. Sed quis capitur? quis autē ligatur? Deus, potentia immensa & infinita: is qui captus & ligatus sustentat tamen creaturam omnem, animas omnes creat, gubernat cœlum & terram: is qui per sua vincula illos ligat qui eum ligabant, & quidem inferni vinculis: ille qui suis vinculis peccatorum vincula soluit æterna & temporalia. O vinculorum potentiam adorandam! O vinculorū incomparabilem libertatem! O vincula salutaria! Hæc sunt quæ te constringūt Satan, te mors, te inferne, te peccatum: hæc vincula soluunt patres è Limbo; hanc enim tunc potestatem habebā illa vincula. Hæc vincula potestatem illam ingentem hominibus dederūt soluendi peccata, tum etiam ligādi ad peccata & horum pœnas. At nos tamen nihil aliud quàm continenter te ex nobis ligamus, magne IESV; nostra quidem peccata hoc faciunt, quibus à Deo faciem auertimus, ad ea quæ tibi non placent conuertimus: tum si quando in Spiritum sanctum peccamus, ibi verò manus Dei benignitatis in nos ligamus arctiùs. Certè quò magis demeremur Dei misericordiā, eò manus Dei ligamus magis; & vbi nobis vult beneficare, id ne faciat quod in nobis est impedimus. Nostram simul mentem, voluntatem, potērias ligamus atque corrumpimus, & eò deducimus, vt ne possint quod possent. Illa verò est nostra Dei manuum ligatio, heu nimium vsitata: quum enim nunquam Deus *Apoc. 3.* non ad ostium adstet nostri cordis, cùm continenter illud pulset; nos tamen adstantē non agnoscimus, illi non aperimus, illius gratiam præuenientem & excitantem auersamur, illi non cooperamur; atque adeò fortiùs illi ostium occludimus, quò pulsantem minus audimus. Eodem negotio, imò maleficio hostibus nostris aperimus, illorū manus soluimus, & contra Deū & nos ipsos armamus. O miseriam omnibus lachrymis deplorandam! Et tamen postquam ita fecimus, rursum si velimus, si Deū admittamus in corda illo iuuante, si ad eius hæc vincula confugiamus, soluemus denuo illi manus quas ligaueramus, & effundetur eius in nos benignitas: ligabitur simul eius in nos iustitia atque indignatio; si opera pia exerceamus, si orationibus deuotè instemus & feruidè: nec vindicabit suas iniurias pro nostro merito, sed clemēter manum suam in nos exercebit, misericordiam expediet; corripiet nos, sed vt pater: nam si flagella adhibeat, erunt illa benigna & salutaria: quòd si non emendemur, ibi verò exeretur illa manuum Dei solutio, illa Dei ira in nos, ille furor æterni exitij. Ex quo malo libera nos, benigne IESV, per tuam hanc captionem & vincula, & trahe nos funiculo tuæ humanitatis atque clemētiæ, vinculis charitatis tuæ infinitæ complectere nos, allicias nos ad te, & ad tuam bonitatem alliges, tibi vnias excellenti illa gratiæ tuæ vnione, vt in te viuamus, moueamur, & simus, in te & per te operemur. Liga nos tuis præceptis & consilijs salutaribus, & dissolue vincula nostrarum iniquitatum, & impedimenta nostrarū potentiarum & actionū. Fac nos quæ vincula passus es corde gestare, quæ nobis parient veram libertatem in te & salutem. Amen.

DVCI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DVCITVR AD ANNAM PRIMVM.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*In lxxxiiij. imaginem adnotatiuncula.* lxxxiiij. 111.

*A. Deducitur IESVS ex itinere ad Annæ domum.*
*B. Annæ sistitur.*
*C. Remittit eum Annas ad generum Caipham.*

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *At illi tenentes IESVM, duxerunt ad [c] Caipham Principem Sacerdotum.* | *Et adduxerunt IESVM ad summum Sacerdotem.* | *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad [d] domum Principis Sacerdotum.* | *Et adduxerunt [a] eum ad Annam [b] primum: erat enim socer Caiphæ qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo.* |

## ADNOTATIO.

*A. EX horto Gethsemani per torrentem Cedron & portam auream trahitur benignus IESVS à crudelissimis latronibus, cum summa indignitate & contumelia: illinc præcedunt qui catenam eius tenent, hinc sequuntur qui funem manus retro colligantem. O bone IESV, quis erat tunc animus tuus? Te & mortales redimentis mea patientia. Præcedunt alij armati, alij sequuntur, medius rapitur IESVS; qui prius fugerant Ioannes & Petrus recepto animo sequuntur longè. Capiunt iter latrones ad Caipham, vt summo eius anni Pontifici IESVM sisterent iudicandum: & tamen ex itinere ducunt illum primum ad Annam Caiphæ socerum. Vide turbam, arma, faces, laternas, tumultum; vide Iudam solicitum vt caute agerent, vt caute IESVM ducerent; adhuc timent omnes: nam cum timida sit omnis malitia, quem animum arbitremur fuisse pessimorum hominum in tam atroci & nefario scelere? Contemplare collum Christi crudeli catena constrictum & afflictum, lucrem carnis Christi deosculare, ideam in manibus facito; nec existimes ligatum collum vel manus IESV catena & fune suauiter, sed acerbe atque crudeliter, & non ea de causa sollum lædi, sed violentia trahentium & contumelia.* Sap. 7.

*B. Domus Annæ, quam ingressi obtulerunt IESVM ligatum Pontifici (dicebatur enim Annas Pontifex, etiamsi non esset anni illius; sed ex gratificarentur, & genero Caiphæ.*

*C. Respondet illis Annas; Gratum mihi fuit officium vestrum fratres, quod reum ad me primum adduxistis, sed tamen apud Caipham agenda est causa; verum ego quasi obiter aliquod præiudicium venari vellem ab imputato. Deinde omnes; Ad Caiphã: sic nihil interrogat IESVM Annas. Propterea subditur alia adnotatio.*

INTER-



# INTERROGATVR AB ANNA: NEGAT EVM PETRVS.

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

*In lxxxv. imaginem adnotatiuncula.* lxxxv. 112.

*A. Annæ interrogans respondet IESVS.*
*B. A petulante milite alapa IESV infligitur.*
*C. Ingreditur Ioannes in atrium.*
*D. Huius rogatu Petrus quoque introducitur.*
*E. Exagitatur ab ancilla ostiaria.*
*F. Negat sibi notum esse IESVM.*
*G. Surgit, egreditur foras ante atrium.*
*H. Gallus cantat primo.*
*A. Iubet Annas duci IESVM ad Caipham: Petrus eodem properat.*

MATTH. XXVI. MARC. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | *Sequebatur autem IESVM* |
| | | | *Petrus verò sequebatur à longè.* | |
| | | | | *Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici: & [c] introiuit cum IESV in atrium Pontificis; Petrus autẽ stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & [d] introduxit Petrum.* |
| | *Et cùm esset Petrus in atrio deorsum,* | | | |
| *& accessit ad eum [e] vna ancilla,* | *venit vna ex ancillis Summi Sacerdotis; & cùm vidisset Petrũ calefacientem se,* | *Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorũ:* | *quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita,* | |
| *dicens;* | *aspiciens illum ait;* | | *dixit;* | *Dicit ergo Petro ancilla [e] ostiaria; Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?* |
| *Et tu cum IESV Galilæo eras.* *At [f] ille negauit coram omnibus,* | *Et tu cum IESV Nazareno eras. At ille negauit,* | | *Et hic cum illo erat. At ille negauit eum,* | |

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



| | | | |
|---|---|---|---|
| dicens; Nescio quid dicis. | dicens; [f] Neque scio, neque noui quid dicas. Et [g] exijt foras ante atrium, & gallus [h] cantauit. | dicens; Non noui illum. | Dicit ille; Non sum. |

Pontifex ergo interrogauit IESVM de discipulis suis, & de doctrina eius. [a] Respondit ei IESVS, Ego palam loquutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto loquutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt, quid loquutus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. [b] Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorũ dedit [b] alapam IESV, dicens; Sic respondes Pontifici? Respondit ei IESVS; Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum [a] Annas ligatum ad Caipham Pontificem.

## ADNOTATIO.

*A.* NON potuit interrogare IESVM Annas vt Iudex, quia Iudex non erat, sed dolosè captans aliquid vnde eum posset vel damnare vel accusare, de doctrina, de discipulis interrogauit in atrio ipso. Auersatus est Christus IESVS pessimi hominis malignitatem, & constanter respondit; Cur me tu de ijs interrogas quæ ego palàm loquutus sum, & quæ tu nosti? Sunt innumerabiles qui ex me doctrinã meam audierũt, & nouerũt discipulos. Nihil enim in occulto docuit Christus; nã si explanabat omnia priuatim discipulis, nolebat tamẽ esse occulta.

*B.* Hæc quum in contumeliam dicta interpretarentur Annas & circumstantes ministri, vnus ex his incussit Deo IESV alapam in maxillam. O Angeli qui hoc cernitis, quid statis? Cur tam atrocem contumeliam in regẽ vestrum & Dominum non vindicatis? O bone IESV, permitte vindictam Angelis: erro tamen ego vehementer, longiùs me rapit contumeliæ atrocitas; vereor ne audiam vt Petrus audierat: redeo igitur ad me, detestor impietatem, doleo ita pati Christum propter me, illi compatior, desleo mea peccata, deposco similiter pati pro Christo, desidero in corpore meo & corde non hanc alapam solum, sed omnes Christi passiones sentire, Christi responsum plenum diuina mansuetudine, patientia, & sapientia adoro.

*C.* Cùm hæc aguntur, introducitur Ioannes in atrium, quòd eum sciret ostiaria ancilla esse Pontifici notum; Petrus verò non admittitur, ignotus homo.

*D.* Cùm autem Ioannes vidisset Petrum non esse ingressum, egreditur rursum, & impetrat ab ostiaria vt eum admittat: Ioannes confidãtius accedit ad milites, obseruat ad focalas quid fiat.

*E.* Petrus verò miscet se turbæ, ad ignem accedit, modò stat, modò sedet; non sinebat scilicet sol, ciitudo & metus illum esse quietũ. De Ioanne dissimulabãt Iudæi, vt quẽ Pontifici scirẽt esse familiarem, Petrũ exagitant; & primum ancilla ostiaria sola illũ adoritur; Tu cũ Galilæo, cũ Nazareno eras, tu ex discipulis es hominis istius?

*F.* Petrus in omnium conspectu negat omnia. Hem Petre, quid facis? vbi es? vbi sunt illæ tuæ pollicitationes tam feruidæ? Etiamsi omnes scandalizati fuerint, sed nõ ego; Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire; quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam. Nonne memoria tenes professiones tuas de IESV fidei & pietate plenas? Verba vitæ æternæ habes; Tu es Christus filius Dei viui. Non veniebat in mentem tibi priuilegiorum quæ à Christo acceperas tã multa, & illorum præsertim quo designatus à Christo fueras fundamentũ Ecclesiæ, ac Regni cælorũ ianitor? At tu omniũ immemor præmorore & metu obstupuisti ad vocem vilis ancillulæ, & grauiter peccasti Dei offendisti. Sed mysterium hoc fuit diuinæ



sapientiæ, quæ te permisit cadere turpiter, vt conscium tuæ infirmitatis ouium Christi te commiseresceret, futurum pastorem ouium & gubernatorem.

Mar.14 *G.* Et tamen nondum sentit Petrus quid egerit, surgit, foras egreditur, quasi quærens effugia, turbatus.

*H.* Ibi cùm esset, gallus cantauit primùm.

*A.* Acerbissimè tulit responsum IESV Annas: iubet corripi, & trahi ad generũ Caipham Pontificem anni illius, quò omnes Sacerdotes, Scribæ, & Seniores conuenerant, quos sequutus est ipse festinus, vt concilio & iudicio interesset. Hic rursus meditare quanta cum indignitate & contumelia bonum IESVM ducerent homines scelerati, vt longè Petrus & Ioannes timidè sequerentur. Facilè enim assentior Augustino & communi consensui, fuisse interrogatum IESVM ab Anna, ibi accepisse alapam, apud Annam à Petro negatum: & tamen sunt imagines suæ ad vtramque intelligentiam accommodatæ. Nam si nihil eorum quæ dixi, apud Annam factum est, illud tamen apud Annã meditandum; quemadmodum IESVS illi offertur, & confestim ipse innuit vt vlterius ad Caiphã ducatur, se consequuturum. Reliqua ex præsenti imagine quasi in domo Caiphæ facta intelligantur.

## MEDITATIO.

MEmento, anima mea, te captam esse & ligaram cum Christo: vide igitur quid præterea fiat in eo qui pro te capi ac ligari dignatus est, qui te suis vinculis colligauit, vt de te similiter sentias. Video captum & ligatum in meis peccatis Christum Dominũ, Deum gloriæ, cui dicebatur: Sub vmbra tua viuemus in gentibus. Verè quam nobis vim & sensum internum vinculorum & passionis suæ communicauit IESVS, lucida vmbra est eius vinculorum & passionis: in hac vmbra diuina viuimus inter hostes nostros, hęc nostrum refrigerium, hæc quies, hæc robur; ex hac cordis nostri vita percipitur. Ducitur IESVS, immo trahitur & raptatur atrociter, sed tamẽ cautè, armatis circundatus, ne qua ratione elabi posset: quod admonuerat Iudas proditor, & præstari curabat. En cum summa & violentia & insolentia trahitur Deus tuus, vita cordis tui, agnus infinitæ innocentiæ, tamquam malefactor, tanquam latrò ab impijs hominibus, spectante Deo & Angelis & hominibus, imperante Satana & instigante. Contemplare singularum personarum habitum & sensum, audi quid loquãtur, vnde fructum accipiat spiritus tuus. Hæc patitur Deus tuus, vt ne tu similiter ab hostibus tuis patiaris: & tamen tu quoties illorum deceptionibus & illecebris te capiendum dedisti, & in peccatorum ducendum tua voluntate, & in animæ tuę mortem! Et tamen vincula Christi & captiuitas te soluunt ac liberant: vt enim te è vinculis eriperet & captiuitate, propterea hæc passus est Christus. In hoc enim apparuit filius Dei, vt dissolueret opera Diabolo suis operibus, sua passione & morte. Sed illud singulare fuit Christi beneficiũ, vt peculiaribus actionibus & passionibus suis Diaboli particulares machinationes & malignitates euerterer, & contra has in illis vim poneret diuinam, qua vinos freti & nixi hostes nostros profligaremus; & si quando nostra culpa vinceremur, in illis opportunum effugium ex eorum manibus reperire possemus. Pugnat Diabolus vt me vinciat & captiuum ducat ad Infernum; vinculis ego his & captione Christi munitus, in fide, in spe, & charitate Christi illius manus effugiam. Me vicerit Dæmon (quod Deus auertat) quum victus ducebatur Christus, simul eripiebat me de manibus mei hostis & peccatorum. In eo enim quòd passus Heb.2. est ipse & tentatus, potens erat, & est, eis qui tentantur auxiliari. Fecit igitur hanc potentiam in brachio suarum passionũ & operum Christus, qua nos vti possimus ad auxilium nostrarum tentationum, & ad peccata euitanda. Sed cur ad Iudæos, & non ad Pilatum ducitur Christus? cur verò ad Annam primùm, qui non erat Pontifex anni illius? Ad Iudæos ducitur, vt priùs illum impieratis & hæreseos damnatum offerrent Romano præsidi condemnandum seditionis & maleficij. Ad Annam, quòd ita conuenerat inter eos vt primùm ab Anna examinaretur causa IESV, qui & senior erat, & summus Pontifex, etiamsi non illius anni, & socer Caiphæ; vt maiori authoritate damnaretur in concilio ex Annę præiudicio. Sistitur bonus IESVS ad summum Pontificem, ambitiosum & sacrilegum hominem; sacrilegè enim Pontificatum & emerant communiter ipse & gener, & vicissim gerebant flagitiosè. Sed antequam de affligente Anna (sic enim est eius nomen) dicamus, Petrum cogitemus. Quid agis, Petre?

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quum Christus ad Annam sistitur, & ab eo interrogatur, & Annæ respondet, & impiam alapam accipit, das item tu tuam alapam IESV. At cui? Ei qui habebat verba vitæ æternæ, & qui erat Christus filius Dei viui. Sed ego nihil horum cogitabam, tantus metus me & horror corripuerat, & tanta mentem meam ignorantia & socordia obsederat. Peccaui, fateor, heu nimium, & alapam inflixi Christo, nihil excuso. Euge Petre, hoc permisit in te IESVS, vt intelligeremus iniuria à pijs, si ab statu mentis discedāt, Christum & Deum affici posse, non solùm ab impijs; & huius rei exemplum esse impium Iudam, qui discipulus IESV, & pius aliquando fuerat; tum Petrum, qui & discipulus, & pius semper fuerat: timendum verò nobis esse, vnum pœnitentiæ locum non accepisse, aliū accepisse. Quid enim nos? Nónne vbi peccamus, Christo colaphum impingimus nefariè, & eius lædimus non solùm humanitatem, sed diuinitatem? Cùm enim qui lethaliter labuntur omnes faciem Dei offendant, illi tamen præcipuè lædunt, qui per infidelitatem vel hæresim peccant: etsi enim vtrique dignitatem violant Dei, quod in ipsis est, eius etiam præsentiam, manifestationem, potentiam, quæ semper exserta est, illi tamen lædunt, non tollunt; hi & lædunt impiè, & ex specie sceleris quasi tollunt, vbi vel negant vel oppugnant. Verùm illud qui Catholici sumus intelligamus, etiāsi fidem non inficiemur neque oppugnemus, nostris tamen peccatis causam offerimus, vt impietatē & hæreses extare permittat Deus, deinde non extirpet. Quid autem interim agitur, Christe IESV? Magna contumelia sistor ad Annam: soluuntur mihi vincula, qui erat mos dicentium causam, vt liberiùs viderentur suum ius defendere: circumstant Principes Sacerdotum, Seniores, Tribunus, Magistratus templi, Centuriones, Antesignani atrociter minaces. Interrogat me homo miserrimus magna arrogantia & impotentia de discipulis meis, interrogat & de doctrina. Dic de discipulis, non illis solùm paucis qui nunc ignauiter fugerunt, sed de occultis, tum de multitudine quæ tibi solebat esse semper præsto: & quid sibi voluit ante quatuor dies ille tuus in vrbem & templū introitus, cum tanta pompa, cum tam infinita frequentia, cum tam honorifica acclamatione? Hæc conficiūt te hominem esse seditiosum, & ambitiosè regnum affectare. Quid præterea tu doces? Nos Mosen habemus, cui Deus est loquutus, cui legem dedit; hunc nos docemus: tu verò & nos & nostram doctrinam nunquam cessas oppugnare; nec hoc solùm facis (quod tamen intolerabile est) sed simul eò videmus tuam omnem doctrinam spectare, vt videaris esse filius Dei & Deus, quod impium est ac blasphemum, atque omni lapidatione dignum. Conclamat omnis colluuies circūstantium, laudant Pontificem, insanè viruperant omnes IESVM. Imperat Annas vt ad hæc respondeat. De his autē ego cùm intelligerem me esse accusandum posse ea, & scirem Annam Pontificem anni illius non esse, & nihil aliud quàm per insidias venari aliquid ex me, vnde Virulentiùs accusaret, neque vel locus esset vel tempus vt responderem ea quæ postea respondi, de his nolui sigillatim respondere; illud dumtaxat dixi; Nihil est quod ego tibi respondeam, vel tu me interroges, præsertim cùm palàm loquutus sim mundo, semper in synagoga docuerim, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sim nihil. Nihil potes de mea doctrina interrogare quod putes attinere vel ad seditionem vel ad ambitionem, quin id palàm dixerim; nihil verò dixi occultè, vel quod occultari voluerim, & nōxi occultè, vel quod occultari voluerim, & nō potiùs omnia in ore & oculis omnium prædicari: vel Iudam interroga, qui vobiscum est, & rebus meis omnibus interfuit; vel ministros vestros, qui cùm ad me ligandum missi à vobis essent, meminisse quid vobis responderint. Et quidem doctrinam meam tam apertè docui, vt propter illam toties me volueritis lapidare. Quid igitur me interrogas, & non potius eos qui me audierūt? Noluī non Iudici id confiteri alieno tempore & loco, quod Caiphæ in concilio, & Pilato in prætorio confessus sum; nam neque ipse Iudæorum rempublicam repræsentabat priuatus, minùs Romanorū Imperium: & tamen confessurus eram bonā confessionē ijs qui rerum potiebātur. Vsus itaque sum prouidentia & magnanimitate, tū libertate animi & constantia, vt nihil à rectitudine dimouerer propter metum, vel humanū respectū. Ambitio autem Annæ & socordia tantā virtutē ac veritatem pati non potuit, non barbaries assistennū & ferocitas: significat ille contumax esse & iniurioſum responſum, hi atrociter in IESVM incitātur: prævenit vnus, & alapam infingit IESV domino ori; Sic, inquit, tā temerè, tam imperanter, tam superbè respōdes Pontifici? O ho-

*Ioan. 6. Matt. 16.*



*Euseb. ex Chry.*

O hominem hominum omnium nefandissimum! sceleratiorem etiam si tu ipse es Malchus, cui IESVS auriculam restituerat: & tamen Deus tantam impietatem permittit; Angeli non vindicant, patienter fert bonus IESVS: oportebat enim Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, & afferre salutem credentibus. Quid verò mirum si permissa à Deo tenebrarum potestas hanc audet atrocitatem in eum, quem cruci obstinatè destinauerat affigere? Vide vt ad hanc contumeliam vires conferunt Dæmones, & Satan ipse præsens. At benignus IESVS, qui nutu poterat omnes ad infernum proijcere, benigna mansuetudine vtitur. Nihil est quòd me cædas, ô homo: nam si malè loquutus sum, age apud Iudicē legitimè; sin benè, vt benè sum loquut⁹, quid est causæ cur infligas alapam immerēti? Quid mitius, quid diuinius potuit responderi? Hæc geruntur apud Annam, & incipit cædi à Iudæis IESVS cum summa cōtumelia. O Christe IESV, Deus omnipotens, video indignitatem summam. Pateris Deus ab impio & detestabili homine in honestissima corporis tui parte, in facie, vbi vigent sensus tui diuini; video fuisse percussionem violentissimā, totum caput tuum concussum, liuidam genam, oculos sanguinolētos. Vbi est, ô Angeli, facies illius splendor quem adoratis? Adoratis certè & nunc, sed tumidam, liuidam, turbatam, sanguinolentam, qualem noluisseris: sed elucet vobis in illa contumelia diuina quædam lux obediētiæ & patientiæ Christi, & mortalium redemptionis. Quid facimus, anima? Accipe istam alapam, istam indignitatem, dolorem, & cordi tuo illa omnia inflige: incipe myrrhæ fasciculum colligere, lachrymas salē ex corde incipe effundere, quibus tuas alapas peccatorum, quas tā sæpe Christo infregisti, eluas; quæ lachrymæ, qui sensus & dolor pariat in te veritatem, magnanimitatem, patientiam in aduersitatibus tuis; freto veritate, magnanimitate, & patiētia hac Christi Domini & Dei nostri. Amen.

*Luc. 24.*

*Cant. 1.*

# TRAHITVR AD CAIPHAM
## IESVS. NEGAT ITERVM PETRVS.

IISDEM CAPP.

*In lxxxvi. imaginem adnotatiuncula.* lxxxvi. 113.

A. Sistitur ante Caipham IESVS.
B. Citantur falsi testes: reyciuntur.
C. Abeunt confusi.
D. Veniunt tandem duo testes peruersi.
E. Exurgit Caiphas (quod non potuit assequi pictura) e solio, interrogat, & furens IESVM increpat, Nihil respondes, &c.
A. IESVS tamen tacet.
F. Turbatum Petrum ex prima negatione, & ianuam exeuntem accusat ancilla apud eos qui aderant.
G. Ad ignem rursus ab astantibus vrgetur.
H. Praterea ab alio.
I. Negat Petrus adhibito iureiurando.

| MATTH. XXVI. | MAR. XIIII. | LVC. XXII. | IOAN. XVIII. |
|---|---|---|---|
| *adduxerunt ad a Caipham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ & Sacerdotes conuenerant.* | *Et adduxerūt IESVM ad a summum Sacerdotem: & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores.* | | |
| *Petrus autem sequebatur eum à longe, vsque in atrium Principis Sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris, vt videret finem.* | *Petrus autem à lōgè sequutus est eum vsque intrò in atrium Summi Sacerdotis, & b sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se.* | | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



[b] *Principes autem Sacerdotum, & omne cõcilium quærebant falsum testimonium contra IESVM, vt eum morti traderent: & nõ inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent.*

*Summi verò Sacerdotes, & omne concilium* [b] *quærebant aduersus IESVM testimonium, vt eum morti traderent; nec inueniebant. Multi enim falsum testimonium dicebant aduersus eum, &* [c] *conuenientia testimonia non erant.*

*Nouissimè autem venerunt* [d] *duo falsi testes, & dixerunt; Hic dixit;*

*Et quidam surgentes falsum testimonium ferebãt aduersus eum, dicentes; Quoniam nos* [d] *audiuimus eum dicentem; Ego dissoluam templũ hoc manufactum, & post triduum aliud nõ manufactum ædificabo. Et* [d] *non erat conueniens testimonium illorum.*

*Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.*

*Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi; Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? IESVS autem tacebat.*

[c] *Exurgens autem summus Sacerdos in medium, interrogauit IESVM, dicens; Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab his? Ille* [a] *autem tacebat, & nihil respondit.*

*Petrus verò sedebat foris in atrio. Exeunte* [f] *autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi; Et hic erat cum IESV Nazareno. Et iterum* [i] *negauit cum iuramento, quia non noui hominem.*

*Rursus* [f] *autem cùm vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. At ille* [i] *iterum negauit.*

*&* [f] *post pusillum alius* [h] *videns eum, dixit; Et tu de illis es?*

[i] *Petrus verò ait; O homo, non sum.*

*stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei,* [g] *Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit* [i] *ille, & dixit; Non sum.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

Mat.26. Mar.14. Luc.22. A. SIstitur IESVS ante Caipham summum eius anni Pontificem, assidet Annas & alij Principes Sacerdotum, sedent primarij Semores & Scribæ, tetra lues nequissimorum hominum, tenent mansuetum IESVM duo horridi milites, agitur causa inuidiosissimè.

B. Citantur falsi testes permulti, accusatur, audiuntur falsa testimonia, exquiruntur omnes calumniæ vnde bonum IESVM damnent.

C. Vincebat tamen veritas tacente Christo: non enim erant apud iniquissimos etiam Iudices & pestilentes conuenientia testimonia vel idonea, abibant pleni confusione & ignominia iniqui testes.

D. Veniunt tandem duo falsi testes qui dicerent iurati, se audisse quum diceret IESVS, demoliturum se templum manufactum, & aliud non manufactum restituturũ post triduum. Ne horum quidem conueniens vel satis idoneum visum est testimonium, sciebant enim Iudæi non dixisse Christum, possum destruere, vel, ego dissoluam templum hoc, sed, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; itaque non reprehenderant primum, sed secundum mirati tantum fuerant contemptim, nec ea de re eum ausi sunt interrogare: timebant enim ne laus Christi, & eorum ignominia consequeretur si Christus dictum suum exposuisset. Nulla calumnia vim aliquam obtinebat, neque aliud quicquam eorum malignitas quàm Christi innocentiam confirmabat.

E. Ira verò præceps atque impatiens moræ, loeum calumniæ non reperiens, excutit (quod non potuit exprimere vna imago) de solio Caipham, de suis sedibus omnes; demonstrant vniuersi motu corporis vesaniam mentis ac furias quibus exagitabantur. Insultat Caiphas; Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur?

A. Ne ad hoc quidem respondet dulcis IESVS; quid enim responderet, cum ipsi sibi pro ipso responderent, & calumnias ipsi esse omnia testimonia confiterentur? Cur enim tot & tam variys testimonijs quasi oppressum non damnatis, præsertim cùm se non defendat? cur non opponitur illi violatio sabbati? Cur non quòd esset vini potator, & Publicanorum amicus ac peccatorum? Cur non quòd Dæmonium haberet, & in principe Dæmoniorum Dæmonia eiceret? quòd esset Samaritanus? Nihil horum probant, de quibus fuerant tam sæpè oratione Christi ac miraculis confutati: reliquum erat vt eum dimitterent; nisi atrox eorum inuidia, malignitas, & deplorata malitia impediret: hærent omnes, discruciantur animo.

F. Cum semel iam negasset Christum Petrus, perculsus conscientia, nec tamen adhuc ad se reuersus (nam ad domum Caiphæ etiam si nõ precariò, sed liberè sit ingressus, fuit tamen post primam negationem inquietissimus) modò stat ad ignem, modò sedet foris in atrio, modò ianuam egreditur quasi diffugiens. Hic illum intuita alia ancilla, apud circumstantes accusat; redit tamen ad ignem Petrus, eò illi consequũtur.

G. Commoti vrgent; Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?

H. Vnus alius præterea instat; Et tu ex illis es.

I. Negat ille rursum vehementiùs, adhibito iureiurando, non ad vocem ancillæ, sed aliorum instigante ancillula. Hic gallus non cantat, nec hic Petrus commouetur: inter primam enim & tertiam negationem videntur interceßisse duæ horæ: nam solent variè nocte cantare galli, præsertim post initium. O Petre, aduerte quid faciat IESVS, quid tu eodem tempore: ille à nemine adhuc condemnatur, tu quasi illum iam damnas dum negas. Tu illum negas te nouisse, vt mortem effugias, & tamen debueras meminisse quod tibi & socijs cauisset Christus, vbi dixit; Sinite hos abire, nec potuisse tibi nocere Christo nolente.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

ACcepit impius Annas magnam occasionem accusandi IESVM arrogãtiæ, quòd noluisset sibi respondere Pontifici; & quòd respondisset, id fecisse intemperanter. Mittit igitur ligatum magna cum indignatione ad generum. Rapiunt eum milites violentissimè; conceperant enim & ipsi indignationem ex responso Christi omnes, non solùm qui alapa illum percussit. Atrociùs etiam agunt videntes id Pontifici placere: hortari qui aderant alij Pontifices, Magistratus templi, & Seniores ministros & milites ad maleficium. Inter primos instare Iudas proditor, & subinde monere vt cautè ducerent. Contumeliosè quidem trahebant IESVM per eius vincula, sed quoad poterant absque tumultu & strepitu, ne nocturna aliqua plebis seditio exoriretur: vt enim metus fecerat ne in die festo illũ dolo tenerent & occiderent, ita nunc vt cautè & absque clamoribus & tumultu ducerent. Considera anima mea qui adsunt præsentes luctuosissimo huic spectaculo, singulorum mentes, omnium affectus, verba, actiones, facta cogita; vnde sensus cordis commoueantur ad vtilitatem tuam spiritualem. Simul illud sit in passione Christi perpetuũ cogitare: quis, quid patitur, quãta sit rei indignitas, quantus dolor, pro quibus, à quibus, vbi, cur. Venitur ad domum Caiphæ, vomitoris impurissimi, sedet pro suo tribunali sceleratus, assidet Annas, & Pontifices, & Seniores: non erat tamen vniuersum concilium congregatum, quod manè factum est. Quid autem hæc hominum sentina sibi vult? quò spectat? Vt scilicet damnatum adducant ad concilium, vnde maiori authoritate condemnatum profiteri apud Pilatum possent, summo omnium consensu eum se ipsi offerre morte plectendum. Statuitur ante Pontificem benignus IESVS, ore ex crudeli alapa liuido, oculis sanguinolentis; illum omnes truci aspectu, & atrociter minaci excipiunt: narrat Annas quanta contumacia responderit apud se, quum de discipulis & doctrina eius interrogaretur. Non placuit tamẽ concilio vt illas interrogationes vrgerent, vnde nihil sperabant criminis se esse confecturos: & planè desperãtes aliunde suam causam vel accusationem probare, ad falsos testes sese omnes conuertunt: non enim contendebant vt iure damnarent, sed vt iniuria & dolo. Proiecerant verò omnem Domini timorem, & posuerant mendacium spem suam, mendacio & falsitate sese armabant. Dicuntur certarim falsa testimonia; hic est Samaritanus: alij; habet Dæmonium, vini potator est, amicus Publicanorum: illi; iustificat meretrices: alij; vilis est homo & abiectus: rursus; magus est iste homo, & in Principe Dæmoniorũ Beelzebub Dæmones cijcit; & virtutes facere videtur, non facit; est subdolus præstigiator, est homo seditiosus; sectatur plebis & multitudinis fauorem. Quoties eduxit in solitudinem homines infinitos ad conuiuiũ, vt Rex crearetur! Discipulos propterea congregauit innumerabiles. Nam hæc quorsum spectant nisi ad ambitionem, & vt regnum per vim occupet? Caput verò est omnium, quòd non ad ambitionem solùm hic homo, & ad terrenum regnum contendit, sed cœleste etiam sibi arrogat stolidè, & filium Dei se subinde facit per summam blasphemiam & impietatem. Plures etiam & amatulentiores testes conueniebant conferrim: & illi duo tandem inculcant; hic dixit; Possum destruere templũ Dei, & post triduum reædificare illud: nec tamen fidem quisquam faciebat concilio; non enim erant conuenientia testimonia, vel quæ rerum atrocitatem æquarent, & fidem facerent. Vide discruciari Annam, Caipham, omne concilium, Dæmones etiam ipsos infrigatores. Ferunt acerbissimè quòd à veritate tanta vi superentur, nihil excusante, nihil respondente IESV. O Christe IESV, veritas infinita, splendor & sapientia Patris immẽsa! calumnias struit & mendacia in te Satan pater mendacij, & synagoga malignantium, tu tamen taces. Nihil videlicet veritas patiebatur iacturæ, sed elucebat potiùs, & tua patientia & virtus illustrabatur, & mea insipientia instituebatur. Tandem omissis omnibus testibus & testimonijs, interrogante Pontifice perhibuit IESVS veritati summæ excellentissimum testimonium; quòd ipse esset filius Dei. Hinc colligere debuistis, ô homines impij, IESVM vt Meschiam recipiendum, vt Deum adorandum. Nam quo pacto Prophetis crediderunt patres vestri? quo pacto Moysi & ipsi, & vos creditis? Nimirum quòd Spiritus Dei in eorum verbis elucebat, quòd verba signis editis confirmabant. Quid horum non vidistis in IESV? Quid verò non supra hæc omnia conspexistis? & tamen illorum verbis credere



credere vos iactatis: cur non IESV, quum de IESV illi summo consensu sint vaticinati, & vos Prophetas omnes de IESV testimonium diuinum ferẽtes legatis? Date fidem Prophetis, & Christo credidistis: sed vos illis coarguimini non credere, qui in ipsis Christum non videtis. Hem Christe IESV bone, æterna salus animæ meæ, sciebas propter hoc tuum testimonium te neci esse tradendum, & tamen nihil dubitas illud dare: videlicet tuã voluntate morti tradebas te, tradebat te Pater, sed & ego tuæ voluntati non repugno: non enim volo audire quod Petrus, sed sapere quæ tu qui Deus es, non quæ homines. Alia tamen præterea ratione ego trado te; nam mea peccata ea sunt quæ te morti addixerunt. Angustiæ mihi sunt vndique: nollem, si Pater vellet tuus, ea dicere te propter quæ interficiendus es; assentior tamen tuæ & Patris voluntati: simul illud acerbè me angit, quòd ego causa fuerim quòd ita velles respondere, & quod mori pro meis peccatis velles. Iam nunc eò deuentum est, vt sacrilegi homines nulla ampliùs quærant testimonia, sed pro blasphemia & impietate diuinum illud responsum Christi accipiunt, & toti sunt in te affligendo humilis IESV. Præter illa enim quæ in commemoratione tuæ mortis, & sacrosancti sacrificij & Sacramenti institutione passus es, præter ea quæ in horto, quæ in vinculis, quæ in domo Annæ sustinuisti, quasi ex integro nunc contumelijs impeteris, maledictis, iniurijs, fœtis, palmis, pugnis cæderis, omni genere improperij afficeris. O mansuetudinem infinitam & patientiam! Incipit in te sæuire concilium, hoc est Iudæorum latrocinium; excipiunt te milites crudeliter, insana sex ministrorum te affligit. Quid autem tu interim Petre, quid rerum agis? Timeo, angor, distrahor animo, nõ sum apud me, nego IESVM me nosse semel, iterum, tertiò; & nisi me respexisset IESVS, habitasset in inferno anima mea: penetrauit tamen ille respectus meum cor è vestigio vt tertium negaui. O misericordiam adorãdam! Ad me redij, amarè fuxi meum peccatum, veniam reuli. Quid nobis formidandum non est? Negat ter Christum qui tot beneficia à Christo acceperat, tot priuilegia, tam insignẽ mentis & fidei illustrationem. Quis hæc videns, etiamsi ad Seraphinos attingat, nõ timebit? Quocirca tunc esse securum se credat quisquis, si nunquam se ex se esse securũ credat, sed in Christo: verùm quum nũquam sit securus ex se quòd in gratia sit, quòd gratiæ cooperetur, in timore suam constituat securitatem & cordis humilitatem in Christo. Contrà verò quis non speret securitatem, si cogitet Dominum propterea permisisse cadere Petrum, vt postea esset firmissimus, & nos illius exemplo eruditi, vt circumspectiùs nobis caueremus? Tum si, quod auertat Deus, caderemus, nulla esse nobis ratione animum despondendũ, sed firmiter semper de misericordia Domini sperandum in Christo. Ceterùm quòd ad accusationes non respondisti, sancte IESV, & tamen confessionẽ diuinam illam professus es; martyres docebas, vt soliciti ne essent, neq; anxiè cogitabundi quid respondere deberẽt: datum ipsis iri os & sapientiam, cui resistere nõ possent omnes eorũ aduersarij: ita enim futurũ, vt in rebus omnibus quid vel respondendum vel non respondendum, absque eorum solicitudine diuinitus institueretur, si quod est necessarium constanter profiterẽtur & clarè, summa cũ fide & integritate & syncerirate. Quam rationẽ scio ego à duobus Catholicis vsurparam, cùm ab hæreticis essent capti, & in periculo versarentur: conuenerat enim inter ipsos, vt si quando in manus inciderent hæreticorum & periculũ, de reliquis ne essent admodum soliciti; sed vbi viderent in discrimen vitæ se venisse, interrogarent ex hæreticis causam cur eos vellẽt interficere; nescire illos an eorum fidem vel teneant, vel sint parati accipere: ita repressa eorum furia, planissimè tunc & constantissimè expedirent ac profiterẽtur suam fidem Catholicam, & orthodoxã confessionem; & anathema Luthero, Caluino, & omnibus eorum sequacibus & hæreticis dicerent. Ita futurũ; vt nulla alia posset causa eorũ mortis effingi, quàm veræ fidei, & orthodoxę vnitatis professionem in gloriam Dei. Imprime, Domine IESV, per ea quæ hac nocte passus es, lumen cordibus nostris sapientiæ tuæ, vt horum mysteriorum sensum spiritualem, & accipere, & retinere possimus ad gloriam nominis tui sempiternam, & nostrarum animarum salutem & perfectionem. Amen.

Matt. 16.

Psal. 39.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# ADIVRATIO CAIPHÆ:
## CONFESSIO DIVINA CHRISTI.
### Tertiò negat Petrus.

EISDEM CAPP.

*In lxxxvij. imaginem adnotatiuncula.* *lxxxvij.* 114.

A. Adiurat IESVM Caiphas num sit filius Dei.
B. IESVS constanter pariter ac modestè confitetur.
C. Scindit Caiphas vestem, & omnes: clamat, clamant omnes; Blasphemauit; & mortis condemnant.
D. Concurritur ad clamorem. IESVM quidam è concilio conspuunt; tum ministri & milites eum velant atque percutiunt.
E. Qui astabant, Petrum accusant.
F. Alius quidam affirmabat; Verè & hic cum illo erat.
G. Tandem seruus Caiphæ cognatus Malchi illum vrget vehementer.
H. Negat tertiò Petrus cum detestatione & execratione.
I. Continuò gallus cantat.
B. Conuersum IESVM intellige respexisse Petrum, quod non potuit exprimere imago.
K. Egressus foras Petrus flet amarè.
L. Gallinarium, vbi cantat Gallus.

MATTH. XXVI. MAR. XIIII. LVC. XXII. IOAN. XVIII.

Et [a] Princeps Sacerdotum ait illi;

Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.

Dicit illi IESVS; Tu [b] dixisti.

Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentē à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.

Tunc Princeps Sacerdotum [c] scidit vestimenta sua, dicens; Blasphemauit; quid adhuc egemus testibus?

Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur?

At illi respondentes dixerunt; Reus est mortis.

Tunc expuerunt in faciem eius,

Rursum [a] summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei;

Tu es Christus filius Dei benedicti?

IESVS autē dixit illi; Ego [b] sum:

& videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.

Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait;

Quid adhuc desideramus testes?

Audistis blasphemiam: quid vobis videtur?

Qui omnes [c] condemnauerunt eum esse reum mortis,

Et [d] cœperunt quidam conspuere eum,

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



& velare faciem eius,
& colaphis eũ ceciderũt: & colaphis eũ cædere,
alij autem palmas in faciem eius dederunt,

dicentes;
Prophetiza nobis Christe, Prophetiza:
& ministri alapis eũ cædebant.
quis est qui te percussit?

Et post pusillum
accesserũt qui astabant, Et post pusillum
& dixerunt Petro; [c] rursus qui astabant
Verè & tu ex illis es; dicebant Petro;
Verè ex illis es;
nam & loquela tua manifestum te facit. nam & Galilæus es.

[f] Et interuallo facto
quasi horæ vnius, alius
quidam affirmabat, dicens; Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.

Dicit ei vnus ex [g] seruis
Pontificis, cognatus eius
cuius abscidit Petrus
auriculam;
Nonne ego te vidi in horto cum illo?

Et ait Petrus; Homo, Iterum ergo negauit
nescio quid dicis. Petrus;

Tunc
cœpit [h] detestari
& iurare
quia non nouisset hominem. Ille autem
cœpit anathematizare
& iurare,
quia [h] nescio hominem
istum
quem dicitis.

Et continuò
[i] gallus cantauit. Et statim
[i] gallus iterum cãtauit. Et cõtinuò adhuc illo loquente cantauit gallus. & statim
gallus cantauit.

Et recordatus est Petrus verbi IESV
quod dixerat illi;
Priusquã gallus cantet, ter me negabis.
Et egressus [k] foras,
fleuit amarè. Et recordatus est Petrus
verbi quod dixerat ei
IESVS;
Priusquam gallus cãtet bis, ter me negabis:
& cœpit flere. Et [b] conuersus Dominus
respexit Petrum;
& recordatus est Petrus
verbi Domini,
sicut dixerat;
quia priusquam gallus
cãtet, ter me negabis.
Et egressus foras Petrus,
[k] fleuit amarè.





## ADNOTATIO.

A. SVrrexerat furiosè Caiphas, insultauerat IESV; nunc acerrimè vrget:

A. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei benedicti.

B. Constantissimè & planissimè id confitetur Christus; Tu dixisti, ego sum. Hoc toties ex ipso audistis Iudæi, hoc toties diuino testimonio, id est tam multis miraculis confirmauit Christus, toties propterea voluistis eum lapidare: quid nunc tibi vis, pestilentissime Caipha? quid petis? Tu quidem sanguinem & vitam Christi petis per calumniam & impietatem, at Dei prouidentia factum est vt illud interroges, cui præclarissimum illud responsum det Christus, vnde gloriosissima eius mors consequeretur. Etenim propter testimonium illius summæ veritatis, quòd ipse esset Christus, quòd esset filius Dei, crucifixus est IESVS, mortem verò ipse suam ad redemptionem mortalium contulit & applicauit. Audite verò Iudæi: si non terret vos miraculorum præteritorum recordatio, si non vis diuina qua vestrum exercitum prostrauit solo verbo IESVS, si non sanatio Malchi; illud animaduertite tamen quòd nunc vobis comminatur futurum, vt cuius nunc mortem decernitis nefariè per calumniam, eum sedentem videatis ad dexteram virtutis Dei, & ad iudicandũ orbem vniuersum venientem cum maiestate. Hæc cùm audissent omnes, Caipham, quem de sacerdotali solio furor excusserat,

C. eundem rabies ad scindendas vestes prouocat, quod erat solemne Iudæis facere ad blasphemiam, vel ad rei alicuius atrocitatem singularem. Scindit vestimenta Caiphas, & quasi se priuat Pontificatu, scindunt omnes, conclamant, Blasphemauit, audiuimus ex eius ore blasphemiam, reus est mortis. Exultant simul Dæmones, atque adeò idem illi priores in corde Iudæorum vociferantur; Blasphemauit, dignus est morte. Quid te mouet Satan, vt in eum quem nouisti insontem, cùm suspiceris esse Deum, fœdas? Meum me odium mouet aduersus Deum & IESVM: nihil cogito siue filius Dei sit siue nõ sit, pereat, eradatur nomen eius de terra viuentium. Idem dicunt Iudæi inflammati tetra inuidia atque malignitate.

D. Concurrunt milites & ministri Iudæorum ad clamores, audiunt damnatum mortis. Insultant in benignum IESVM primùm aliqui e cõcilio, dein ministri & milites cædunt, rapiunt, dissipant, qua de re proxima dicetur imagine.

Bis negauit Christum Petrus, & gallus erat secundùm cantaturus.

E. Rursum ij qui stabant vrgent propius Petrum; Non potes negare quin Galilei sis discipulus, loquela enim tua manifestum te facit.

F. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens; Verè & hic cum illo erat, nam Galilæus est.

G. Postremò seruus Caiphæ Malchi cognatus acerrimè vrget; Nõne ego te vidi in horto cũ illo?

H. Oppressus tot accusationũ impressione Petrus cœpit anathematizare & iurare se hominem non nouisse. Addit iusiurandum ad execrationem, quæ חרם cherè est Hebræis, execrabilem scilicet sibi maledictionem atque excommunicationem imprecatur si nouisset.

I. Compleuerat negationem Petrus, & ecce tibi gallus cantat: excipit galli cantum Christi commiseratio in Petrum.

B. Conuersus enim illum respicit (quod vna imagine repræsentari non potuit) & vulnerat vno oculorum suorum, atque adeò in vtroque: exæstuãt eius præcordia, hinc memoria eius quod audierat à Christo; Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: simul recordatione superiorum negationum; subeunt mentem tot beneficia quæ à Christo acceperat; nũc habet verba vitæ æternæ IESVS, nunc Christus est filius Dei viui: operatur in eius præcordijs diuina illa boni IESV conuersio atque respectus, cooperatur Petrus, agnoscit patratum facinus, detestatur, in rugitũ cordis primùm, dein etiam vocis erumpit. Ioan 6. Matth. 16.

K. Iam nihil timet armatorum multitudinẽ, per medios foras se proripit plenus amaritudine ac pœnitentia, deflet amarè peccatum suum Petrus, sumit in eo magnas accessiones Christi gratia, clariùs videt Christi bonitatem, potentiam, maiestatem, misericordiam: inflammatur amore in IESVM, dolor, & peccati pœnitentia augetur, profluunt copiosæ lachrymæ, rugit, lamentatur, deprecatur à Christo veniam: tandem confert se ad matrem misericordiæ Mariam Virginem (quod piè possumus meditari) & exponit suam calamitatem, veniam precatur & opem: pollicetur illa benignissimè, bene sperare iubet.

G. Gallinarium, & in eo locus vbi gallus & gallinæ nocturno dormiebant. Ibi complosis alis gallus cantans Petrum arguit. Porrò traditione accepimus, Petrum, quotiescunque post illum diem audiuit gallos nocturnu cantantes, conscientia præteriti

Universidad de Deusto
Biblioteca



*teriti criminis sui vehementer indoluisse. Vocat omnes ad humilitatem, & arrogantiæ detestationem gallicantus, & Petri primùm casus, deinde pœnitentia.*

## MEDITATIO.

*Prou. 4.* DE quibus Salomon dicere illud potuit, Non dormiunt, nisi cùm malè fecerint; & non rapitur ab eis somnus, nisi cùm supplantauerint, si de vobis non dixit, homines impij & nepharij? Non potuistis hac nocte dormire, nisi pessimè egisseris; nec potuistis altè dormire, vt à vobis eripi somnus non posset, nisi iustum ad mortem conscelerato latrocinio condemnassetis: & tamen nisi essetis in abyssum omnis malitiæ demersi, furiæ nocturnæ nō sinerent vos oculum claudere.

*Pro. 18.* Verissimum certè illud; Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: vt enim progreditur in impietatem, ita in contemptum: & Dæmones tamen illas à vobis furias abigebant, & vestram contemptionem fouebant: Angeli vestri custodes tordescere vos ampliùs in vestro maleficio permittebāt, neque volebant Christi mortem impedire, neque poterant: profligatissimè ergo facicbatis omnia. Illud verò horrendum, quòd curastis Christum non duci solùm & ligari in carcere teterrimo, sed continenter affligi per totam noctem imperauistis. Quis enim possit vel cogitatione complecti quæ in concilio, quæ cùm ad carcerem traheretis, quæ ligatus in carcere passus sis, Domine IESV, vita animæ meæ? Quæ lachrymæ, indignitates, & dolores, & improperia illius noctis plangere valent? Incipe iam, cor meum, comprimere venas tuas, & spiritus tuos constringere, ac te verberare colaphis, palmis, omnibus modis affligere, vt salutares lachrymas, & dolorem vehementem de ijs quæ fiunt concipias. O noctem luctuosam ac crudelē, & omni acerbitate plenissimam! Luna & Stellæ, nolite lucem vestram spargere, continete apud vos lumen vestrum; neque enim poteritis creatoris vestri contumelias videre vel pati. Noli ampliùs tuam illam noctem deplorare Iob, hanc deplora, quæ tanta sæuitia Deum gloriæ affligit. In hac nocte luge ô Hierusalem; ô anima Christo deuota, assume lamentum super dilectum tuū, super lumē cordis tui; sint lachrymarum fontes in maxillis tuis: non enim habes qui consoletur te ex omnibus charis tuis, omnes amici tui dereliquerūt IESVM tuū, Pater, Angeli, discipuli: ipse tamen in manus se hostium suorum tradidit. Quid faciunt homines scelerati & impij? Interficietis IESVM paucis his horis, quid illum antea tam acerbè afflictatis? Nullum humanitati locum dabitis homines pessimi, nullum pietati? Sed contrà video vos quod author & agente Dæmone facitis, id nisi etiam vt vincatis vestra crudelitate. Et tamen, miris IESV, tu taces, nullum gemitum edis, nullam significationē voluntatis alienæ ab illis contumelijs & crudelitatibus. Planè illud imples diuina tua patientia quod discipulis præscripseras, & percutienti te in vna maxilla præbes alteram. Vides detuis opprobrijs, alapis, colaphis Angelos mœrentes, naturam tot am laborantem, tu tamen exhibes faciem tuam vt petram durissimam, & non confunderis; Pater enim Deus, tu, & Spiritus sanctus auxiliator tuus est. Hæc lugēda sunt in carcere Christi hac nocte: ibi adesse mente debes, pie meditator; personas consideres, verba, facta, vnde fructum possis elicere animæ tuæ salutarem. Verùm vbi te Christus suo tempore tenuerit; illa mente gerens quæ eris meditatus, ac plenus amaritudine ad marrē Dei adi: eam reperies in monte Sion, vbi descendens ad orationem in hortū Gethsemani IESVS reliquerat, & se ire ad mortem renuntiauerat. Ibi virgo mater cum sanctis mulieribus hanc noctem exegit in luctu & mœrore, non solùm mente & cogitatione complectens, & nuncijs cognoscens quæ IESVS agebat, quę patiebatur, sed videns etiam clarè oculis fidei. Nam si Paula vidit illis oculis infantem IESVM pannis inuolutum, & vagientem in præsepi, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem virginem, nutritium sedulum, pastores nocte venientes, paruulos interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Matrem fugientes in Aegyptum; cur non magis quæ patiebatur Filius vidit abscur non magis quæ patiebatur Filius vidit absens Mater? siquidem receptum est, nulli factum fuisse à Deo priuilegium, quod Maria Virgo nō cumulatè acceperit pro eius dignitate & gloria. Flebat igitur sancta Mater longè amariùs, quàm Tobiæ Anna, digressō à se Tobia filio. Quō iuisti lumen Angelorum & meum?

*Iob 3.*
*Thre. 1.*
*Hier. 7. & 9.*



meum? Quò vita cordis mei discessisti? Etsi nihil aliud quàm à me discederes, luctum mihi relinqueres intolerabilem: at verò ad mortem abis, vt immoleris agnus innocentissimus discedis. Iam hinc animo complector omnes & pœnas, & contumelias, & mortem tuam plenam cruciatus & ignominiæ: omnia me mouent, omnia angunt, omnia contristant, omnia timeo: tuus enim metus, mœror & oratio, & sudor sanguineus, & agonia me affligunt secundùm te acerbissimè; neque me Angelo te ad passionem confortanti coniungere possum, sed tuæ orationi. O Pater filij mei, Deus immensæ atque æternæ potestatis, si vis, transfer calicem à filio meo, & mihi applica; & vt hoc velis, oro te atque obsecro: lubens ego ac læta mortem obibo, ne filius meus & tuus moriatur. Scio quia omnia potes, neque defuisse tibi rationem aliam qua genus humanum redimeres; sed exemplum voluisti dare mortalibus, & misericordias tuas magnas communicare: si tamen aliter fieri te volente non potest, fiat voluntas tua bona, beneplacens, atque perfecta. Hoc tamen peto Domine, quod spero me impetraturam, vt eius omnes passiones & mortem ita sentiam, vt sentire ac perpeti animo debeo, & tu de tua in me perpetua & singulari clementia facias vt possim. Verùm heu fili mi, iam te video prodi à discipulo, fugere alios discipulos, ligari te, duci, alapā ab impio seruo accipere, trahi ad teterrimum Caipham, ad mortē damnari, in carcerem claudi, à crudelissimis latronibus alapis & colaphis te ligatū cædi, ignominijs & cōtumelijs in te sæuiri noctem totam: video Petrum te ter negantem. Veniunt ad me trepidi ac cōsternati discipuli: quæ ego per me in spiritu video, illi referunt identidē. Venit Petrus plenus lachrymarum & pœnitentiæ, ad me omnes accurrunt: ego illos ad te vt accurrant admoneo & adhortor, abs te doceo fidei & spei firmitatem petendam, & animi constantiam. Habere eorum præceptorem thesaurum in manibus misericordiæ & miserationum præsentem, atque adeò illū nūc conficere per singulas pœnas suas & passiones. Illum mente & cogitatione inuocate, ô Apostoli, & mihi nolite pœnam luctu vestro augere, nimijs vestris animi tribulationibus. Hæc est mea nox fili, quā ego in te & per te sustineo: mœsta quidem sum, & desolata suprà quàm dici potest, sed ita tamen, vt sentiam per te, per eadem illa quæ tu pateris & ego doleo, deriuari ad me virtutem patientiæ & fortitudinis. Sis benedictus in sæcula, fili mi & Deus meus. Amen.

*Rom. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DE GESTIS IN CARCERE CAIPHÆ, POST DIMISSVM CONCILIVM.

EISDEM CAPP.

*In lxxxviij. imaginem adnotatiuncula.* lxxxviij. 115.

*A.* Excubiæ aguntur ad ianuam, more militari.
*B.* Crudelissimè affligunt IESVM quod erat reliquum noctis.
*C.* Deuenit ad virginem Matrem Petrus & Ioannes.

## ADNOTATIO.

*Dissoluitur concilium, deducunt Pontificem aliquot è Senioribus ad cubiculum, animos ille confirmat omnium, indicit in auroram ad curiam vt conueniant, non hi solùm qui iam conuenerant, sed vniuersum concilium, milites excipiunt discedentes, vt domum deducant. Discedit Annas, & Principes Sacerdotum abeũt omnes: gaudent inuenisse se causam cur IESVM interficiant, confirmant se inuicem & cohortantur in eius necem, condicunt vt rursus in auroru ad Pontificem conueniant.*

*A. Ad ianuam militari more excubant milites ad domus Caiphæ custodiam.*

*B. Acerbissimum spectaculum ob oculos & Angelorum & hominum proponitur. Cœperant conspuere IESVM & illudere è concilio quidam, tum qui eum tenebant ad iudicium; deinde accurrentes milites Romani ac ministri Iudæorum ad concilium & clamores, excipiunt mãsuetum IESVM, insultant in illum coram Pontifice ac toto concilio, expuunt in eius faciem certatim. Animaduerte quid, cui faciant, & quasi præsens omnia contemplare; Christo compatere, & defle peccata tua, propter quæ patitur Deus. Alij velatis eius oculis palma vtramque genam crudelissimè verberãtes, cum summo opprobrio obtrudunt; Prophetiza Christe, quis nam est qui te percusit? Alij colli posteriora alapis cædunt, alij colaphis & pugnis caput eius vndique atrocissimè contundũt, cunctí diras blasphemias in eum iaciunt. O Angeli, nónne hæc est facies eius in quem desideratis prospicere? nónne hic est vultus Dei omnipotentis? O homines execrabiles! O pessimos Dæmones instigatores! Tacet bonus IESVS, dat corpus percutientibus genas vellentibus, non auertit faciem ab increpantibus & conspuentibus ipsum; absconditur spiritorum immunditia diuinus eius vultus & despicitur: pomnit tamen ipse faciem vt durissimam petram, non confunditur. Deturpatam vide diuinam Christi faciem, tuber caput, liuidas genas, barbam & capillos sordidos, dissipatos, exulsos; ex ore & naribus excussum sanguinem. Imperat tandem Caiphas vt diligentissimè quod reliquũ erat noctis illum asseruent milites ac ministri, summo mane omnes ad eius iudicium conuenturos. Trahitur cõtinuò ad domesticum carcerem, alligatur benignus IESVS columnæ, circumstant truculenti latrones, affligunt atque illudunt IESVM similiter vt prius totam noctem.*

*C. Deuenerat ad Matrem Virginem Petrus, Ioannes eodem venit Ioannes; narrãt quæ vel viderant vel audierant, renouatur dolor & lachryma. Eunt, redeunt tota nocte discipuli, vt sciant quid agatur apud Caipham, si quid de IESV possint intelligere, ad Matrem Virginem vt referant: omnia sunt plena amaritudine, acerbitate, luctu. Maria, vt omnes superat sensu doloris, ita magnanimitatis robore omnibus antecellit.*





# DE GESTIS MANE IN PRINCIPVM ET SENIORVM CONCILIO.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXII.

*In lxxxix. imaginem adnotatiuncula.* lxxxix. 116.

*A.* Curia, quò conuenerunt omnes Principes Sacerdotum, Seniores Populi, & Scribæ.
*B.* Sistitur ante Caipham & concilium IESVS, interrogatur rursum.
*C.* Confitetur rursum se filium Dei.

MATTH. XXVII.

[a] Manè autem facto [a] consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi aduersus IESVM, vt eum morti traderent,

MAR. XV.

Et [a] confestim manè consilium facientes summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis & vniuerso [c] concilio,

LVC. XXII.

Et vt factus est dies, conuenerunt Seniores plebis & Principes Sacerdotum & Scribæ, & duxerunt illum in [b] concilium suum dicentes; Si tu es Christus, dic nobis.
Et ait illis; Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc [c] autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.
Dixerunt autem omnes; Tu ergo es filius Dei? Qui ait; Vos [c] dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt; Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

## ADNOTATIO.

*A.* Proxima nocte conuenerant tumultuariè Iudæi, causam agit auerant, respondebat præclarissimum de se testimonium IESVS; exclamauerant, reum esse mortis; sed restabat, quæ erat eorum singularis malignitas, vt vniuersum concilium coiret, & rursum ageretur causa, ac damnaretur IESVS; deinde vt Tertull. Præsidi traderetur ignominiosè necandus. Ita- a contra que manè non ad domum Caiphæ conueniunt, Oleast. sed ad curiã, quæ vocabatur eorum lingua גזית Cyprian. Gazith, vbi sanhedrin, id est synedrion conueni- Hieron. re solebat, & plenum concilium agitari. Erat hæc domus ampla, in inferiori parte ciuitatis, quæ fuerat sub Antiocho Epiphane ædificata. Huc vniuersum concilium summo manè properauit: consedit in suo solio Caiphas, assidẽt Principes, Sacerdotes, Seniores, & Scribæ: inter quos non dubium quin essent Pharisæi multi & Sadducæi. Citatur reus IESVS Nazarenus, soluitur è columna, extrahitur à carcere, rapitur ad concilium per mediam vrbem cum summa contemptione & opprobrio, armatorum multitudine circumseptus. Aspice hic quasi præsens mansueti IESV totius corporis habitudinem;

Universidad de Deusto
Biblioteca



*riget è nocturno frigore è loci situ & squallore, colligatus est, collum dura catena, manus crudeli fune, vultus est deformatus sputis, dissipata barba & capilli, caput contusum, liuidæ genæ, sanguinolenta facies. Ita trahitur IESVS vita nostra & salus ad mortis iudicium. Renunciatur Virgini Matri eductum è carcere duci filium, properat ad illum pia Mater & afflicta, sequuntur Magdalena & mulieres aliæ, venit cum illis Ioannes, conueniunt ducti pœnitentia fugitiui discipuli: omnes properant vt ad Christum veniant, longo tamen interuallo præmetu; virgo Mater prouidenter, ne quid ab insana multitudine iniuriæ patiatur, quod fieri nunquã passus est IESVS.*

*B. Sistitur benignus IESVS ante Caipham & concilium, soluitur vinculis: quod malitiosè fecerunt Iudæi, vt videretur liberiùs causam suam dicere. Iam non citantur testes, toti sunt in superioris noctis præiudicio, vt idem coram vniuerso synedrio profiteatur si ipse sit Christus: id igitur solum vrgent confertim homines terrimi. Aperit primùm bonus IESVS palàm eorum animi peruersitatem; Non quæritis vos an ego sim Christus, sed occasionem inquiritis, vnde in me calumniam deuoluatis, & interficiendum tradatis Præsidi. Neque enim si professus fuero me Christum esse, credetis; neque si vos interrogauero, & causam meam egero, me dignabimini responsione, neque verò dimittetis. Illud igitur quod superiori nocte de me audistis, rursum vobis denuncio, me in maiestate Patris cœlestis venturum, vt vos, & orbem iudicem vniuersum. Optabant ipsi præterea idem illud responsum elicere quod antea audierãt; Tu ergo, inquiunt, es filius Dei?*

*C. Quod cùm esset constantissimè professus IESVS, consurgunt omnes, conclamant, damnant illum mortis, decernunt vt tradatur Pontio Pilato Præsidi interimendus. Iubent rursum vinciri & duci; conclamatur tota curia IESVM esse Romanis tradendum, ac morte plectendum; concurrunt armati, illum rapiunt.*

## MEDITATIO.

CEssarunt tandẽ in aurora carnifices horridi Christum affligere, iussi illum ad curiam ducere & plenum concilium. Quietem aliquam accepit agnus mansuetus, sed vt ducatur ad mortem, & vt illi aliæ succedant afflictiones. O ærumnosam quietem, quam excipiunt itineris insanæ rapiationes & contumeliæ! Et nos animum deijcimus si in minimam tribulationem incidamus, nec cogitamus Christũ, non eius tribulationes; vel tam miserè cogitamus & improbè, vt illud nunquam assequamur quò semper peruenire deberemus, vt Christi passiones magis sentiamus, illis magis moueamur quàm nostris: quod signum nostræ imperfectionis est, & argumentum quòd vigeat adhuc in nobis caro nostra, non spiritus. Aspice vt ad curiam summo manè festinant præcipites homines exercandi, concilium malignantium: vide vt concilio supernè incumbit, atque adeò internè Satanas cum suo Dæmonum concilio infernali, vt illis furias immittit: cogita quid Dæmones, quid illa lues hominum animo verset & machinetur; maleficiũ, sanguinem, sæuitiam; quid mitis IESVS meditetur & conficiat; illorum, si velint, & omnium mortalium salutẽ, & vitam cœlestem. Internuntij à Virgine & ad Virginem soliciti obseruabant quid de IESV ageretur: ab ijs audit duci illum: finem alij dolores accipiũt, & luctus alius denuo innouatur. Quò ducitur? Ad iudicium ducitur iustitia sempiterna, lumẽ cordis mei; vt rursum condemnetur & rapiatur ad mortem trahitur æterna vita. Noui sunt hi dolores, quòd videam tam contumeliosè & crudeliter duci; sed superat etiam hunc dolorem metus, & animi mei anxietas de iudicio & rerum euentu, qui est futurus & ærumnosus & crudelis. Venite mecum sociæ, venite fratres mei; neque enim sustinet charitas mea in filium, vt eum non videam; etiamsi planè iam renouatũ iri dolores meos ex eius tam calamitoso conspectu: videbo tamen filium Dei & meum, vitam animæ meæ aspiciam. Sed quid vos? quid agitis in Synagoga vestra, in cathedra pestilentiæ, imò quid Satan per vos? En Caiphas ad omnes euomit; De hoc homine, viri Israëlitæ, iam antea meam sententiam intellexistis: neque verò nunc eum vobis sistimus, vt de ipsius causa iudicium feratis, damnatus enim iam est propter atrocem in Deum blasphemiam: his enim paucis horis coram nobis, coram Principibus Sacerdotum, & multis è vobis confessus est se filium Dei



Dei esse, minàtus simul nobis omnibus supplicium est sceleratus. Quod vt sciatis esse verissimum, & hominem esse dignum non vna morte, en coram vniuerso concilio illum interrogo. Si tu es Christus, die nobis. Si vobis dixero, non credetis mihi; si autem & interrogauero, non respondebitis, neque dimittetis: ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Tu es igitur filius Dei? Vos dicitis, quia ego sum. Videtis insolẽtiam? percipitis minas? auditis blasphemiam? Quid expectamus? Audistis omnes de orẽ eius: non est quòd de re tàm manifesta consulamus; sed tamen quid vobis videtur? Ego verò necessarium esse censeo, vt confirmetur ab omnibus superius præiudicium, & morti rursum addicatur ignominiosissimè. Hoc fiet, si eum Pilato Præsidi tradamus crucifigendum. Sed tamen conueniat nobis inter nos, quot, & qualibus criminibus illum apud Præsidem accusemus. In omnia consentiunt omnes, agunt de accusatione, dein exurgunt seditiosè, conclamant ad Pilatum, rapitur benignus IESVS. Verùm heus tu pie meditator, illud hoc loco considera; qui in lethale crimẽ consentiunt, eos semel Christum morti addicere; qui iterum consentiunt, eos rursùm Christum damnare ad mortem: quanta igitur erit illius hominis immanitas, qui frequẽter Deũ offendit? Nónne eius vita est tota in Christo condemnando, & tradẽdo ad mortem, atque adeò Christum ille identidem ad mortẽ ducit, & cruci affigit? Verùm simul sit, vt cùm peccator IESVM ducit ad mortẽ, totus ipse ad mortem æternam, & in infernum tradatur, & in manus Dæmonũ. Nam vbi tandem est peccator, nisi in manibus & potestate Dæmonum? vbi, nisi in inferni reatu, separatus à Deo, à Christo, à charitate, & sanctorum vnione? Lata enim in illum est æterni ignis sententia; nondum tamẽ executioni demandata, & quidem scire non potest quando sit exequenda. Erat vehementer afflicta Mater Virgo; erat in summis angustijs, quum sciret agi causam filij sui in concilio: & ecce tibi personant voces damnatum IESVM esse, tradendum Pilato vt necetur: hic fuit gladius nouus Mariæ animam transfigens. Sciebat quidem sancta Mater interficiendum, sciebat semel fuisse damnatum, gladius in corde eius erat: sed cùm hæc ad actum prodeunt, ex integro recrudescit dolor cordis eius & mœstitia, quasi tunc primùm gladio feriatur. Congeminant luctum mulieres sociæ, discipuli, & sanctus comitatus; &, quod piè credere possumus, properat locum occupare Virgo Mater, vnde etiamsi eminus, videat tamen egredientem filium. O pij meditatores, adeste, quæso; mentem aduertite ad hæc mysteria. Videtis IESVM cordis vestri dulcedinem, ligatum tamen, & despicatum, & ad mortem denuo damnatum, summa patientia spectabilem; solicitam Matrem virginem ad filium suum IESVM festinare: festinate & vos eius precibus & intercessione animati, vt Christum ex spiritu & sensu cordis vestri videatis & cõtemplemini. Transfigatur cor vestrum compassione, lachrymis, luctu: illa patitur animæ vestræ lumen, vita, refugium, & virtus. Adiuua verò tu, sancte IESV, qui iã per Matrem iuuas: peculiari tamen auxilio subueni: in his enim afflictionibus est vis tui meriti infinita, est tua misericordia, & laus tua sempiterna. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DVCITVR IESVS AD PILATVM ET IVDAS LAQVEO SE SVSPENDIT.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII.

*In xc. imaginem adnotatiuncula.* xc. 117.

*A.* Ducitur à Concilio IESVS ad Pilatum.
*B.* Iudas plenus Dæmone meditatur desperationem & laqueum.
*C.* Accusat se apud Principes, offert precium proditionis, ab his reijcitur.
*D.* Venit Dæmone plenus in templum, proijcit triginta argenteos.
*E.* Abit perditus furijs, & laqueo ex arbore se suspendit.
*F.* Properat virgo Mater, vt videat filium.

| MATTH. XXVII. | MAR. XV. | LVC. XXIII. |
|---|---|---|
| *Et vinctum* [a] *adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* | *vincientes IESVM, duxerunt, &* [a] *tradiderunt illum Pilato* | *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.* |

*Tunc videns* [b] *Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset: pœnitentia ductus,* [c] *retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens; Peccaui* [c] *tradens sanguinẽ iustum. At illi dixerunt; Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in* [d] *templo, recessit, & abiens* [e] *laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerũt; Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Consilio autẽ inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturã peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Hacheldemah, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem; Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël; & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

## ADNOTATIO.

*A.* DVcitur IESVS ad Pilatum ab impijs hominibus per mediam ciuitatem ligatus, despicatus, contumelijs & afflictionibus plenus: sequuntur Principes Sacerdotum & cõcilium, vt illum apud Præsidẽ accusent. Ductus autem est à curia, quò fuerat à domestico Caiphæ carcere pertractus, ad prætorium: hinc est quòd Ioannes à Caipha ductum dicit.

*B.* Iudas, quem hactenus seua auaritia, atque animi malitia transuersum egerat, cùm videret damnatum à concilio IESVM duci ad Pilatum, tunc tandem agnoscit suam impietatem, intelligit prodidisse se ad mortem mansuetum agnum, sanguinem iustum, dominum & præceptorem: à quo tot acceperat beneficia, tam indulgenter, etiam vbi machinabatur eius mortem in cœna, & vbi illum prodebat in horto fuerat admonitus, & tam benignè ad sanitatem inuitatus. Quid hinc, Iuda, colligis? quid meditaris? Pœnitentiam tu quidem cogitas, sed diabolicam, sed Caininam: exagitant te furiæ acriores; Non potest tantam iniquitatem mihi, inquis, Deus condonare; mortem mihi ipse conscisca: fieri aliter non potest. Verùm fecit diuina prouidentia ex hac Iscariotis desperatione, etiam testimonium vt caperet Christi iustitia, ac Iudæorum impietas. Sequebantur Principes armatorum multitudinem: illis prætereuntibus fit obuiam in atrio Iudas diro ac desperato vultu;

*C.* Peccaui, inquit, tradens vobis sanguinem iustum; & ego qui illum prodidi, & vos qui interficitis illum iniusti ac scelerati. Non audent negare Principes, etiamsi essent iniquissimi, illudunt; Quid ad nos? tuum est illud deputare: nos nihil aliud quàm cogitamus illi vitam eripere, per fas per nefas. Contempto Iscariote properant Principes.

*D.* A Principibus ad templum amens festinat Iudas, hic idem profitetur, iustum esse IESVM, se impium qui illum ad mortem prodiderit: proijcit palàm triginta argenteos, & abit: reponunt Leuitæ pecuniam, de qua referant ad Principes, quum à morte Christi redirent. Redeunt, referunt; tunc etiam dederunt testimonium Principes innocentiæ Christi; Pretium est sanguinis, contaminata pecunia (quid vos, per quos est contaminata?) ne misceamus illam sacris thesauris & corbonæ, emamus agrum in peregrinorum sepulturam.

*E.* Vide abeuntem Iudam, plenum ira, desperatione, sauitia, Dæmone. Venit verò extra portam Dauid, siue piscium, siue negotiatorum, quæ ad Occidentem respiciebat, vnde erat exitus ex vrbe per testudinem, quæ duas valles coniungebat, vnam ab Aquilone, aliam ab Oriente: erat porta hæc frequentissima ac celebris. Ad dexteram verò huius testudinis & portæ, vt habet traditio, peruenit Iudas, affert secum laqueum, quærit arborem sycomorum: conscendit, inserit priùs collo funem, dein arbori alligat; instigant horridi Dæmones, gaudent, insultant. Proijcit se ex arbore in mortem & infernũ homo omnium hominum sceleratissimus atque impijssimus: cõflictatur cum morte pendens, augẽt pœnam & desperationem pessimi Dæmones, crepat medius, effundũtur viscera eius omnia; tandem arripiũt animam teterrimam Dæmones, atque in infernum proijciunt profundissimè. Conueniunt plurimi ad rei atrocitatem, causam suspendij intelligunt, prædicatur iustus identidem IESVS, impius Iudas, scelerati Iudæi. Brocard. ex vrbe per testudinem

*F.* Properabat quidem sancta Virgo videre filium, non potuit tamen illum consequi, nec tũc videre. Venit ad curiam, obseruat opportuno loco cum suis mulieribus, vnde eductum posset filium conspicere. Contemplare quanta erat cordis afflictione benedicta Mater, in quanto mœrore mulieres & discipuli.



# QVÆ PRIMVM GESTA APVD PILATVM.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XVIII.

*In xci. imaginem adnotatiuncula.* xci. 118.

*A.* Domus Pilati.
*B.* In ea prætorium.
*C. D.* Propylæum cum vexillis, & tribus ianuis.
*E.* Scala, per quas ascendit & descendit IESVS.
*F.* Præmittunt Principes Iudæorum nuntium de IESV ad Pilatum.
*G.* Perueniunt Principes ad domum Pilati.
*H.* Sistunt Pilato milites IESVM.
*I.* Ex vestibulo Pilatus querit à Iudais, quid contra IESVM criminationis afferant.
*K.* Insolenter respondent Iudæi primùm; tandem accusant eum maiestatis, &c.
*L.* Interrogat IESVM leniter de Regno; alia reijcit Pilatus.
*I.* Profitetur se causam non inuenire.
*K.* Addunt eum commouisse gentem inde vsque à Galilæa.
*I.* Occasione Galilææ causam IESV Pilatus reijcit ad Herodem.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Adducunt ergo [h] IESVM à Caiphain [a b c d e] prætorium. Erat autem [c] mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. [i] Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quã accusationem adfertis aduersus hominem hunc? [g] Responderunt & dixerũt ei; Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus; Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi; [g] Nobis non licet interficere quemquam.*
*Vt sermo IESV impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus.*

*Cœperunt autem accusare illum, dicẽtes; [k] Hũc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicẽtem se Christũ Regem esse.*

*[h] IESVS autem stetit ante Præsidem:*
*& interrogauit eum Præses, dicens;*
*[l] Tu es Rex Iudæorum?*
*Dicit illi IESVS;*
*Tu dicis.*
*Et cùm accusaretur à Principibus Sacerdotũ & Senioribus, nihil respondit.*
*Tunc dicit illi Pilatus;*
*Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia?*
*Et non respondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehementer.*

*Et interrogauit eum Pilatus;*
*Tu es Rex Iudæorum?*
*At ille respondens, ait illi; Tu dicis.*
*Et accusabant eum Summi Sacerdotes in multis.*
*Pilatus autem rursus interrogauit eũ, dicens;*
*Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant.*
*IESVS autem amplius nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus.*

*Pilatus autem interrogauit eum, dicens;*
*Tu es Rex Iudæorum?*
*At ille respondens, ait;*
*Tu dicis.*

*Ait autem [l] Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas; Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes; [k] Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. [a] Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset: & vt cognouit quòd de Herodis potestate esset,*

ADNO



## ADNOTATIO.

Traditio

A. Domus Pilati, in inferiori ciuitatis parte ad Septentrionem, à qua distabat ad Austrum longius domus Caiphæ, non tam longè domus Herodis, in cliue superiùs ad Septentrionem.

B. In domo Pilati prætorium, id est regia aula, & huius ianua amplior; tum aliæ duæ minores hinc inde.

C. D. Prominet propylæum siue vestibulum, cum duabus columnis, quæ sustentabant duo Romanorum vexilla, quorum sinistri erat insigne aquila, dextri Tyberius Cæsar: cingebat pergula prætorium extrinsecus, in qua ad dexteram eminebat tribunal Romanorum Præsidum, quod Gabatha Hebræis dicebatur, opere mirifico.

E. Scalæ, per quas ascendit & descendit benignus IESVS: hæc topographia ex antiquis Lateranj monumentis bona ex parte desumitur.

F. Premittunt Principes militem, qui nunciet Pilato adducere se hominem facinorosum; rogare vt se ab omni occupatione expediat, & ipsos audiat benignè.

G. Peruenit nefaria multitudo ad Pilatum, trahunt milites per scalam mansuetũ IESVM.

H. Sistunt Pilato, impletur atrium hinc armatis, illinc turba Iudæorum promiscua, qui ad rei spectaculum & nouitatem conueniebãt: stant Principes propiùs ante propylæum, neque volebant prætorium intrare, ne contaminarentur, sed possent Pascha manducare. O execrandam hypocrisim! omni contaminatione & scelere coopertj parricidæ, simulant tamen externam sanctitatem.

I. Ad eos prodit ad propylæum Pilatus, rogat quamnam afferant accusationem aduersus hominem.

K. Respondent arroganter; Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Audierat de IESV & eius præclaris gestis Pilatus, de inuidia & odio Iudæorum intellexerat; itaque recusabat de eo iudicium habere: propterea respondet Principibus; Si malefactor est, iudicate illum vos ex vestra lege, nihil ego intercedo.

Deut. 17. Num. 15. Nobis, inquiunt, non licet interficere quẽquam. Insanè respondent: coarguo ego vos mendacij, Iudæi; ex lege enim lapidare poteratis blasphemum: eccum IESVM, quem dicitis blasphemum; cur non lapidastis antea? cur ne nunc quidem permittente Præside lapidatis? Noluit Christus aliud genus mortis subire quàm crucis; toties enim voluistis illum lapidare, nunquam tamen vobis permissum est: sed vos amentes & vecordes, nolebatis dicere quod dicebatis: nam cùm antea statuissetis illum crucifigere, & id velletis dicere, non dicitis tamen; sed quod dicitis, mentimini; quod voluistis dicere, veteratorie adhuc dissimulatis. Ita per vestram malignitatem implebatur quod Deus statuerat & Christus prædixerat, se à Gentibus crucifigendum: quod genus mortis à Iudæis decerni non poterat, à Romanis in summam ignominiam infligebatur, nõ solùm ad cruciatum. Recusant Iudæi damnare IESVM, recusat Pilatus: ergo IESVS pervtrosque liberatus est. Non potuit Principum obstinatio hanc ambiguitatem sustinere, accusant IESVM atrociter. Hæc est nostra accusatio, ô Præses, quandoquidem nostra authoritate non noueris: subuertit hic gentem nostram, prohibet dari Cæsari tributa, dicit se Christum regem esse. O detestabiles latrones! Nónne paulò ante confessi estis in concilio, nulla esse testimonia quæ vim aduersus IESVM obtinerẽt? tantùm quòd professus esset se Christum filium Dei, idcirco illum damnastis. Cur hoc non defertis ad Pilatum? cur dissimulatis? Timebatis scilicet ne commotus Pilatus illa accusatione IESVM liberaret: quæ fuit causa, vt non nisi coacti ea veremini. Igitur ad falsissimam, atque inuidiosissimã accusationem confugitis. Vbi enim seditiosus IESVS? Quando prohibuit dari Cæsari tributum? quod & ipse dissoluit, & vos vt solueretis hortatus est. Et hæc quidem erant Pilato nota: sciebat enim nihil esse seditionis ortum à IESV; & seditionum erant diligentissimi obseruatores Romani.

L. Alia itaque reijcit Pilatus, de regno sa- Matt. 27.
tim interrogat, sed quasi per contemptum, non Mar. 15
serio; vti quum iterum ingreditur prætorium Luc. 23.
apud Ioan. cap. xviij. postquam remiserat IESVM Herodes: Túne es, inquit, Rex Iudæorum? tam vilis, tam abiectus, tam solus? Respondet Christus; Tu dicis (quod erat genus affirmationis) tu dicis me Regem; ego nec nomen, nec maiestatem regni mihi arrogo vel vsurpo. Nihil tamen mouetur Pilatus, sed memor inuidiæ Iudæorum, quam habebat perspectam, redit ad propylæum post ipsum reducitur IESVS. O bone IESV, quas pateris indignitates Deus omnipotens! duceris, retraheris, discepta de morte tua mundus, tu te vt agnum mansuetum exhibes.

I. Profitetur apud Principes Pilatus se mortis nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*tis nullam causam reperire in IESV. At ne vos quidem Iudæi, sed ex cæca inuidia & malignitate confingitis. Quid præterea calumniamini? Nam quæ adhuc dixistis omnia, quem vos delegistis iudicem Pilatus omnia repudiat.*

*K. Commouet, inquiunt, plebem perpetuò docens per vniuersam Iudæam Romanorum ditionem: quam doctrinam inchoauit in Galilæa spargere, & hucusque peruexit. Vultis vos quidem inuidiam accusationis vestræ aggrauare malitiosè, commotionem ex doctrina adducitis: ea nec seditio est, nec vobis permisit Christus vt diceretis seditionem nunc, vel peruersionem, quod ante inuidiosè fecistis: tantùm dixistis commotionem, quod verum est; & vobis præ-*
*Agg. 2. dixit Aggeus futurum, quòd Christus commo-*
*Heb. 12. ueret cœlum & terram; quid mirum si corda hominum commouerit ad veritatem Euangelij sui suscipiendam? Sed cur non addidistis miracula, per quæ doctrinam Christus confirmabat diuina authoritate? Fuit hæc vestra malignitas. Verùm quid ad Pilatum si docebat Christus? Itaque negligit vestram calumniam, tantùm arripit occasionem, vt ne sineret se tam iniusta causa implicari. Interrogat an Galilæus esset IESVS; confirmant omnes Galilæum è Nazareth, & de Herodis esse potestate. Hoc verò audito re-*
*sponderunt Iudæi, sperãtes apud Herodem damnatum iri IESVM, quod apud Pilatum desperabant: quæ fuit causa, vt homines versuti mentionem Galilææ fecerint.*

*I. Defert igitur Pilatus totam causam ad Herodem, gaudet illa molestia se esse leuatũ, gaudent Principes item, rogant vt iubeat IESVM duci; rapitur extemplò mansuetus agnus à prepyleo, trahitur per scalas, toto atrio clamor tollitur, ab Herode iudicandum IESVM. Mittit familiarem aulicum ad Herodem Pilatus, per eum causam illi exponit, se eius iurisdictionis habuisse rationem, nec de homine Galilæo voluisse iudicium vsurpare: vt intelligat, quæ fecerat in sacrificantes Galilæos, ea nulla eius iniuria fecisse. O benigne IESV, quò te trahunt cum tanta contumelia homines impij? Ad Herodem scelera-*
*tum latronem, ad eum qui Ioannem Baptistam per scelus interfecerat, ad eum qui te in Galilæa*
*Luc. 13. voluit quidem primùm videre per curiositatem, deinde, cum tu nolles ab illo videri, quæsiuit necare; ad eum quem tu vulpem esse dixisti, à quo credebãt Iudæi te esse interficiendum: sed aliud erat Dei consilium: vt Romani & Iudæi Christum occiderent, id est vniuersi homines, quia omnes ad*
*Rom. 5. mortem subibat ad vniuersos homines ab æterno interitu redimendos.*

## MEDITATIO.

EDucitur è Curia IESVS, atrocius etiam quàm antea; raptatur ad Pilatum, vt qui etiam ab vniuerso concilio damnatus erat. Conspicit ille prior mœrore confectam Matrem, in illum vicissim figit oculos virginales & cor Mater. Vide ingentem vtriusque dolorem: iunguntur amborũ oculi, corda vniuntur; corde & oculis, & diuino spiritu & amore inter se colloquuntur, vterque alterius mœstitiam auget & dolorem, vterque alioqui vtriusque leuat: vtrumque IESVS facit vehementiùs & diuiniùs, vt qui causa erat doloris, & simul fons pietatis immensus & consolationis. Similiter patiebatur sanctus Mariæ Virginis comitatus. At tu impie Iuda, vbi es? Quid iam tandem moliris? Quum vidi IESVM ab vniuerso concilio condemnatum ad Pilatum duci, infernalis horror me & furiæ corripuerunt. Confiteor peccatũ meum Principibus & Senioribus, offero triginta argenteos; spretus ab illis proijcio illos in templo, laqueo desperatus me suspendo, sepelior in inferno. Hem homo hominum omnium sceleratissime: quantum negotij vel operæ fuit vt Christo confitereris peccatum; quem admodum faciebas Principibus? Hi te proijciunt, ille te ad suam misericordiam suscepisset. Nam quod tibi persuades, mentiris mortalium miserrime; non est tuum peccatum maius quàm Dei misericordia, non maius *Gen.*
quàm quod per Christi meritum deleri possit: sed tu hoc non capis, quod facit tua malignitas, & malitia desperata. Cur igitur nunc non me iuuit Christus? Iuuit toties antea, & eius auxilium proiecisti: & nunc quidem te iuuat; sed tu non solùm abijcis eius virtutem, sed negas esse posse virtutem vllam quæ te iuuare possit: Deum te non posse iuuare. Quid ergo cogitas? Vellẽ esse nihil, quòd prædixit IESVS, melius mihi fore si nõ essem. Men-
*Matt.* tiris rursum; id non dixit Christus; sed, si non
*26.* esset natus. At nunc eris, & semper eris, & in inferno semper cruciaberis atrocissimè: semper mortuus, semper viuens; vt semper æternis pœnis sufficere & tua anima possit & corpus. Satanam es sequutus, Satanæ traditus es in



in perpetuum; es à Deo maledictus, es ab Angelis, es à Sanctis, & à creatura Dei vniuersa execratus in æternum. Scio te in inferno nihil aliud quàm confirmare causam quæ te in infernum coniecit, & probare proditionem Christi, & tuam desperationem; vt eius interfectores qui ad pœnitentiam non redierunt,
*Isa. 14.* semper probant Christi necem, vt Diabolus vbicunque in inferno sit, semper dicit; In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero altissimo: vt Lutherus semper in inferno euomit; Fides sola iustificat: Caluinus; Non est Eucharistia realiter corpus Christi: Ambo; Papa est verus Antichristus, blasphemantes. Iustitiæ zelus, & honoris Dei amor nobis hæc suggerit vt dicamus. Verùm interim zelum similem in nos conuertamus: quoties nos Christum prodimus, vt capiatur, ligetur, & ad mortem damnetur, vt crucifigatur! At enim dicas; Nunquam hoc ego ne cogitaui quidẽ. Concedere possem; neque enim tam eris impius: res tamen, & peccatum interpretatur te ita agere. Neque tamen si cogitasses, propterea
*1. Pet. 3.* quicquam nunc pateretur Christus; semel
*Rom. 6.* enim pro peccatis mortuus est, & resurgens à
*Heb. 1.* mortuis iam non moritur, iam mori non potest: sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Quo pacto igitur prodit Christum peccator, damnat, & crucifigit? Vt causa primùm passionis & mortis eius. Quid enim fecit vt pateretur crudeliter filius Dei, quid vt crucifigeretur, nisi peccata mortaliũ? Tolle hominum peccata, nunquam Christus esset necatus, ac ne mortuus quidem vel ipse vel homo quispiam. Præsciebantur omnia omnium hominum peccata, qui fuerunt, sunt, vel erunt à Deo ab æterno: prouidit sua misericordia tã immenso malo omnipotens Pater remediũ; & lui omnium mortaliũ peccata voluit morte consubstantialis & coæterni filij sui. Hinc oritur sensus spiritus, quo vti deberemus omnes vbi tentatio molesta est; quasi non solùm videremus, sed etiam oculis cerneremus, peccatum esse quod illas passiones omnes, quod mortem infert Christo. Erant enim præsentia tua & omnium peccata Christo patienti & morienti, & eum ad passionem mouebant & mortem. Coniuncta cum his illa considerratio est & sensus spiritus; si tua voluntate, & tuis manibus, tua lingua, tuis potentijs quibus peccas, corde perceperis te Christum conspuere, & verberare, & crucifigere: quò verò hæc tuum cor magis afficient, & altiùs penetrabunt, eò crescet solidiùs peccati horror atque execratio. Huiusmodi sensum da nobis continenter, Domine IESV bone, hunc spiritum cordibus nostris imprime & confirma; & fac efficacem per hęc tua mala quæ pateris, & da vt de proditione Iudæ cautionem accipiamus salutarem. Pretio prodidit Christum Iudas, de quo tam erat benemeritus Christus, in quem tanta contulerat beneficia: & tamen quoties illum nos prodimus pro rebus vilissimis! auarus pro vili pecunia, Iascivus pro detestabili voluptate, superbus pro gloriola, & fumosis hominum rumoribus; sic alij pro rebus nihili. Et non solùm Christum tradimus, quod facit consensus in peccatum, sed ita tradimus, vt è vestigio occidatur, hoc est pereat gratia, per quam in nobis Christus inhabitabat. Nec hoc fit solùm, sed proditur anima in manus Dæmonum, & seruitutem omnium teterrimam. Hæc intelligimus & videmus; quid igitur causæ est quòd tam paucos illa moueant, quasi fabulæ sint futiles, & non verissima doctrina, vt sunt, & veritas firmissima, & spiritus Domini? Peccata hoc faciunt; quæ cùm mentem, & cor, & spiritum obsideant, & cùm his Dæmones, ita reddunt animam nostram tenebrosam, vt illi lumen Dei non effulgeat, sed mundi, & carnis, & Dæmonum. O bone IESV, reuela oculos
*Ps. 118.* meos, vt surgam à mortuis, & illuminetur cor meum ad gloriam tui nominis sempiternam. Sed age; quid rabiosi Iudæi, quid machinantur? Crucem IESV. Veniũt ad Pilatum, IESVM illi primùm offerunt, vt à se compertum maleficij, & damnatum: petunt in-
*Mat. 27* uidiosissimè vt eum supplicio afficiat. Hac
*Mar. 15* impudenti arrogantia à Pilato reiecta, accusãt
*Luc. 23.* atrocissimè seditionis, & rebellionis, & maie-
*Ioan. 18.* statis: quibus nihil commotus Pilatus, neque quòd se Regem Iudæorum confiteretur offensus est; carebat enim inuidia & malignitate in IESVM Pilatus, etiamsi esset idololatra, quibus vitijs Iudæi erant inflammati: quo fiebat vt Christi responsum non interpretaretur malignè, sed fortassis aliquid inesse ibi religionis Iudaicæ, quod ad se nihil attineret. Quocirca semel, iterum, tertiò IESVM excusauit apud Iudæos. O indignitatem deplorandam! Sistitur ante infidelem hominem author veritatis & fidei, vt criminosus homo, vt vir nefarius; non vt simpliciter necandus, sed cum infinita contumelia & ignominia

Universidad de Deusto
Biblioteca



minia crucifigendus: quod erat atrox Iudæorum concilium; etiamsi nondum se aperiebant perfidi. Sed à quibus accusatur? Ab abominandis latronibus, qui iustitiam ipsam & misericordiã IESVM iam bis blasphemiæ iniustissimè damnarant & crudelissimè. Hæc vident Angeli, & tacent, Deus permittit, IESVS mansuetissimè patitur, neque respõdet ad accusationes, defendit Pilatus: soli fuerunt Iudæi, & Dæmones accusatores furiosi. Iam hinc Gentibus præsagire suam salutem licet ex Pilati animo, qui tã sæpe defenderit Christum, nec animum alienum ab ipso præ se tulerit: neque verò propter accusationem, sed propter suam ambitionem tradidit tandẽ Iudæorum voluntati. At contrà Iudæi, iam nũc significant suæ gentis obstinationem & execrationem futuram. Pone ante mentis oculos rerum conflictationem admirandam: IESVS vult mori, idem Deus, & Angeli; hæc enim erat salus mundi: iudicat tamen eã mortem Christus, Deus, Angeli iniustam & sacrilegam. Contrà execrantur Iudæi vitam Christi, sitiunt mortem, & vrgent nesariè ac furiosè, & falsam causam adducunt per malitiam & inuidiam. Pilatus causam mortis nullam probat; & tamen prodit ad mortem per ambitum. Diaboli & mortem procurant, & accusationem vrgent vt Iudæi; illi tamen dubitanter, & tandem desistunt: Iudæi obstinatissimè, neque vnquam desinunt. Heu bone & sancte IESV, hæc omnia de te cogitantur, de te aguntur. O adorandam mansuetudinem! ô charitatem infinitam! Dixerat Iudæis palàm; Quis ex vobis arguet me de peccato? Itaque Mat. 26 Ioã. 8 nullus te de peccato arguere poterat, & tamẽ superiori nocte semel, iterum manè à Synagoga malignantium accusatus & damnatus es, nunc apud Romanos accusaris; quasi dicamus apud vniuersum orbem. Hæ sunt accusationes, non tuæ, sed nostræ: hæc enim vna ex causis est quòd te non excuses, omnium enim hominum peccata agnoscis quasi tua, pro illis pateris, pro illis crucifigeris. At nos hîc è contrario facimus: primùm peccata nostra nõ agnoscimus, cùm Christus aliena pro suis agnouerit; deinde nõ solùm nos de illis non accusamus, sed sumus perpetuò in excusandis excusationibus in peccatis. Quotus enim quisque leuiora non deputat sua vitia quàm sunt? Quis non excusat? Cui, si eius aliquid errati vel culpæ reprehenditur, è vestigio non occurrit excusatio, vel criminis in alios deriuatio? Miseri sumus semper, sancte IESV, & miserabiles: adiuua nos, Domine Deus noster, per tuas atroces quas passus es indignitates & contumelias, ad gloriam nominis tui semper benedicti. Amen. Psa. 69. 63. 25.

# QVÆ GESTA SVNT APVD HERODEM.

## LVC. XXIII.

*In xcij. imaginem adnotatiuncula.* xcij. 119.

A. Conclamatur ad Herodem incipit duci.
B. Concurritur ad spectaculum.
C. Herodes Antipas, eius Proceres, Duces exercitus, & Iudæi.
D. Exercitus Herodis in armis.
E. Accusant eum Iudæi constanter.
C. Interrogat Herodes IESVM multis sermonibus.
F. Nihil respondet IESVS.
E. Iudæi falsas accusationes cumulant.
C. Spernit IESVM Herodes, & fatuum iudicat.
G. Induitur veste alba, tanquam fatuus.
H. Remittitur ad Pilatum.

## LVC. XXIII.

[a] *remisit eum ad* [b] *Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus.* [c] *Herodes autem viso IESV gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret multa de eo: & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* [c] *Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse* [f] *nihil illi respondebat. Stabant autem* [c] *Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum* [d] *exercitu suo, & illusit* [g] *indutum veste alba, &* [h] *remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem.*

ADNO-



# ADNOTATIO.

A. *Audiunt primùm clamorem sublatũ toto atrio prætorij Maria Virgo Mater, mulieres, Apostoli, discipuli, & vehementi timore concutiuntur: vident deinforas egredi ẽtem multitudinem, audiũt ad Herodẽ duci IESVM, magis timent ac lugent. Porrò multò fit maior gemitus & planctus omnium, vbi Christum vident longè cum summo improperio rapi per acciuem viam. Contemplare Virginis ingentem quidem dolorem, sed cum ingenti animi fortitudine coniunctum, alias omnes mulieres, Apostolos, magna cordis angustia conflictari.*

B. *Concurritur vndique certatim ad spectaculum, contemnitur ab omnibus IESVS Deus.*

C. *Herodes Antipas, filius Herodis Antipatri Regis, Tetrarcha Galilææ & Peræ, conuenerat ijs diebus Hierosolymã ad Pascha: sed cum exercitu, timens sibi à Pilato: exercebat enim in Pilatum inimicitias, vt Iudæis videretur faucre, quos vehementer Pilatus vexabat; tum propter crudelitatẽ Pilati, qui Galilæorum sanguinem cum eorum sacrificijs miscuerat. Sedet hic homo subãolus in solio, apparatu & cultu regio: circumstãt eum proceres sui, & duces exercitus; astant Principes & Seniores Iudæorum.*

D. *Exercitus item Herodis erat in armis. Sistitur mitis IESVS ante Herodem.*

E. *Accusant illum grauissimè atque inuidiosissimè Principes Sacerdotum: negligit accusationes Herodes, cui gesta Christi erant notiora etiam quàm Pilato: intellexerat de doctrina, de miraculis; sciebat quanto odio & inuidia illum prosequerentur Iudæi; nihil erat illi ignotum: gaudet potiùs id se consequutum Hierosolymis, quod multo tempore in Galilæa consequi non potuerat, vt IESVM videret: simul sperabat miraculum aliquod à IESV in sua præsentia designari.*

C. *Itaque auidè IESVM alloquitur, multa quærit curiosè, præ se fert non obscurè fore sibi gratum si aliquod signum in suam gratiam faciat, vnde sibi posset esse commendatus, & suo exercitui charus, atque etiam Pilato; vnde fieret vt confusi discederent à sua accusatione Iudæi.*

F. *Nihil respondet bonus IESVS. Poterat quidem id quod expetebat Rex facere, sed noluit ad dare vulpi, noluit eius vanitati: maluit per ignominiam mori, quàm per miracula à morte liberari.*

E. *Conduplicant maiori contentione suas accusationes Iudæi, nihil mouetur Herodes; sed miratur vehementer quòd nihil sibi IESVS, nihil accusatoribus respõdeat. Contemplare, obsecro, vultus Christi modestiam, constantiam, & dignitatem; contrà verò Principum atrocitatẽ & furias, dum metuunt miserè vt euadat IESVS iudicium Herodis. Herodem vide IESV innocentiam demonstrare, calumniã Iudæorum reijcere, totum esse vt videret miracula, cogitare quemadmodum Pilato posset cõciliari, si eius iudicium de innocentia IESV confirmet.*

C. *Verùm vbi prorsus nihil videt sibi à IESV responderi, nullum edi miraculum, existimat fatuum & amentem hominem, contemnit illum ac nihili facit. Manus Herodianorum militum qui astabant, similiter illum exsibilãt & subsannant. In signum amentiæ, simul & innocentiæ, iubet veste alba indui Herodes, id est fulgenti ac splendida, id enim est λαμπρὰν; qua in re enituit Dei prouidentia: non enim, vt inquit Ambrosius, ociosum fuit quòd induitur veste alba ab Herode Christus, immaculatæq. tribueret indicia passionis; quòd agnus Dei sine macula, cum gloria, mundi peccata susciperet. Ita vestitum imperat Herodes reduci ad Pilatum: mittit item qui illi renunciet se gratum habere, quòd reum Galilæum hominem ad se remiserit; se quidem in illo nihil reperisse vnde damnetur, noluisse tamen absoluere, sed totum iudicium vicissim illi deferre voluisse. Aegerrimè hoc factum ferunt Principes Iudæorum: aperte enim omni crimine liberabatur IESVS: non audent tamen repugnare, fremunt inter se ac discruciantur. Animaduertite homines miserrimi; nullum crimen in IESV agnouit Pilatus, nullum agnoscit Herodes, illum pronunciat fatuum quidem, sed extra noxam: vos eo non contentis, sanguinem & vitam petitis: & quò sit Christi innocentia illustrior, eò vestra inuidia, & odium, & malignitas inflammatur virulentius. O homines execrabiles! Vides quæ aguntur, bone IESV. Astant Reges terræ, & Principes conueniunt in vnum* Psal. 2. *aduersus Dominum, & aduersus te Christũ eius: sed Pater quidem deridet eos, & tu simul cum Patre eos derides, illis cum Patre comminaris, verùm grauiter etiam doles. Heu contumelias: mittit te Pilatus ad Herodem, accusant te rursum pessimi Iudæi, spernit Herodes & eius exercitus, pro fatuo, pro nihilo habet; remitteris rursum ad Pilatum ligatus, despicatus, afflictus: neque enim te cessabant milites & Iudæorum ministri affligere: de tua autem vita conciliant*

Cc amici-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*amicitiam Pilatus & Herodes, dum diuinum sanguinem tuum vicißim sibi permittunt & gratificantur.*

*G. Induitur cum ingenti contumelia à latronibus Christus veste alba, in signum fatuitatis & amentiæ.*

*H. Trahitur ad Pilatum: ibi verò rursus illum videt mater Virgo, penetrat eius cor ille conspectus, illa ignominia, veste illa, ille armatorum & Principum furor, congeminatur à mulieribus & Apostolis luctus.*

## MEDITATIO.

QVum Pilatus negligeret primam Rabbinorum accusationem, & illam violentiùs vrgentes ipsi Galilææ meminissent, audiens Præses quòd sub iurisdictione esset Tetrarchæ Herodis, sumpta hinc occasione reiecit totam IESV causam ad Herodem. Hæc est iam sexta Christi ductio, & potius raptatio: prima enim ab horto fuit ad Annam, secunda ab hoc ad Caipham, tertia, etsi breuior, plenior tamen crudelitate, ab aula Caiphæ ad carcerem domesticum, quarta à carcere ad curiam, quinta ab hac ad Pilatum, sexta à Pilato ad Herodem. O luctuosa itinera! ô vias horridas! ô execrabiles latrones Christū trahentes! Quis possit enumerare quanta passus sit mansuetus IESVS in tot violentijs, protrusionibus, retractionibus, contumelijs, percussionibus, improperijs? Hæ fuerunt Christi processiones, hæ stationes doloribus & angustijs plenæ. Has obire debet Christianus corde, dolore, lachrymis, animi deuotione; & Christum sequi, & illius compati passionibus; desiderare illius subire labores, & illa Dei sui mala intimo mentis sensu percipere: tum ad finem processionum stationem agere, & orare cum vehementi cordis pietate, animo erecto ad pœnitentiam, & ad vitæ innouationem, & ad Christi imitationem, & proximi salutem & perfectionem, ad omnia misericordiæ opera omni studio & diligentia, omnibus officijs procuranda. Hanc rationem processionum & stationum processiones ecclesiasticæ imitantur & stationes, illinc sumunt initium & vim, illinc fructum pijs animabus afferūt: propterea illis actionibus contulerunt indulgentias salutares summi Pontifices, benignè animarum vtilitati prouidentes. Sistitur ante Herodis Antipæ tribunal sanctus sanctorum IESVS, de eo audit ille nuntium à Pilato, gaudet; accusant Iudæi: interrogat per curiositatem & vanitatem multa ex IESV, nihil ei respondet IESVS, spernit illum Herodes cum exercitu, stolidum censet & amentem; in cuius indicium iubet veste alba indui, & ad Pilatum reduci. Considera meditator pie, in his omnibus Christi vultum, etiamsi sputis & alapis fœdatum atque afflictum, serenitatem tamen quandam, & diuinam vim præ se ferentem: ipsius constantiam contemplare, & patientiam, & magnanimitatem incomparabilem: vide ipsum sapientissimè omnia gerentem, totumque in eo esse vt Patris sui obedientiam obeat, salutem mortalibus & vitam conficiat. At nos si quid patimur, cuius etiam rei propter vitia nostra causa sumus, confestim irritamur, obloquimur, ardemus impatiētia: & si quis hæc non facit, tamen vel non longè ab his abest, propter animæ suæ imperfectionem, vel certè nunquam fere eò euadit, vt in sola Dei voluntate conquiescat & recreetur, suam extinguat vel facilè abigat. Quid facis Pilate? Quid per legatum significas Antipæ? Tradis illi sanguinem & vitam Christi ad eius voluntatem condemnandam. Ita solet hominum peruersitas amicitias conciliare per maleficium. Cur tu non liberas à calumnia IESVM? Cur verò inimico condonas? Quid enim factura est illa vulpes, nisi versutè & subdolè? Quid autem gaudes tu vulpecula veteratrix? Qui voluit illum interficere in Galilæa & non potui, non committam vt per meum iudicium liberetur; sed quemadmodum Pilatus ad me iudicium de sanguine & vita IESV detulit, ita vicissim ego ad illum referā; interim meæ cupiditati satisfaciam: exigam ab isto IESV aliquod miraculum; nec propterea sum illum liberaturus, etiamsi innocētem reputo: blandis igitur interrogationibus illum aggrediar, si quo modo exigere aliquod signum possim. Etenim hæc erat astutia Dæmonis per Herodem, vt quod non potuit efficere in deserto prima tentatione, vt in panes conuerteret lapides per miraculum, id nunc assequeretur, si per Herodem miraculū eliceret: nam tametsi non rogauit miraculum Herodes, quod fortassis fecit, mente tamen petebat & expectatione, quod idem esse Christo experientia

Dæmon



Dæmon didicerat. Sed quid inde commodi sperabat veterator Satan? Vt in Deum peccaret IESVS, vnde Deus esse desineret, si quidem tandē Deus esset: quod si fieret, iam amplius nihil sibi timendum fore à puro homine: ardebat alioqui cupiditate rerū nouarum Herodes è vanitate animi & curiositate. Hæc sciens sapiētia Dei IESVS, illi nihil respondit; minus Iudæorum virulentis accusationibus, quibus planè nunquam respōdit: itaque eiusa est omnis Antipæ versutia. Audite qui recto corde ad Deum non accurritis; audite qui inani cupiditate ducimini & curiositate; audire qui Deum tentatis: nullum ex vobis exaudiet Dominus, nulli respondebit: porrò cui Deus non respondet, quis tandem respondebit nisi Diabolus? Heu quoties aut duplici corde oramus Deum, aliud animo interiùs cupientes, aliud verbis significantes! (Væ his à Domino) aut certè imperfecto corde postulamus, neque solùm Dei gloriam vt debemus quærētes, neque quæ postulamus Dei voluntate metientes. Quàm frequentes rursum sumus in cupiditatibus curiosis! qua in re implicata est Dei tentatio. Possumus, si nostras vires & industriam adhibeamus, Deo iuuāte, nostras cōsequi pias deprecationes, vt nos per nostram segnitiem volumus illa à Deo solo accipere; eoque euadit nostra oratio & actiones, quasi adigere Deum velimus vt sine nobis illud operetur, quod scimus fine nobis operari illum nolle. Quid? in oratione quoties erratur! Meditor, sum in oratione, subitò tamen animum subit sensuum interiorum, reuelationum, visionum cupiditas; si non aperte & actu, certè animi nescio quo vitio & propensione; & his tamen volumus Deum respondere. Hem miseriam! Animaduertamus Christi silentium ad Herodem, & ea primùm vitemus, freti hoc silentio Christi, quæ videmus à Christo notata in Herode; tū sanctum silentium amplexemur cordis nostri in Christo. Quid tandem Herodes? Quum spes miraculi eū esset frustrata, videns nolle Christum, quod minimo negotio poterat, miraculum edere, vnde in expectationem veniret veniæ, fatuum hominē iudicat & amentem, non solùm tumidum & arrogantem, spernit, illudit, veste alba pro insigni amentiæ illum induit. Hæc contumelia tibi reliqua erat, magne IESV: quum esses tam multas passus, nullus tamē te hactenus appellauit stultum, nullus te pro stolido habuit: vt malefactorem quidem accusarūt, vt seditiosum, vt rebellem, vt regni affectatorem: &, quod verisimile est, apud Herodem non hæc solùm tibi obiecerunt Iudæi quæ apud Pilatū, sed ea etiam quæ aliàs, cùm concionareris, potatorem, amicum Publicanorum, in Principe Dæmoniorum Dæmonia eiecisse, Dæmonium habere, Samaritanum esse, hoc est impiū & ignobilem, templi euersorem; & postremò blasphemiæ toties antea coarguitum, sed bis in concilio confessum; fatuum tamen nunquā quisquam dixit. Nam tui fratres mente excedentem dixerunt præ magnitudine rerum gestarū, non fatuum; Herodes non solùm hanc tibi irrogauit ignominiam, sed publicè veste alba testatus est: quam iniuriæ atrocitatem mansuetissimè tulisti, bone IESV. At nos homines vilissimi nihil iniquiùs audimus, nihil ferimus acerbiùs, quàm si minima ex parte nostra lædatur existimatio, id est superbia. Quid superbis, stolide homo? humilibus consensit Deus & Dominus omnium IESVS; propter arrogantiam tuam irrideri, contemni, fatuus haberi elegit & sustinuit, vt tuam extingueret superbiam sua humilitate: contrà tamen tu illam, quæ cum ipso crucifixa est & sepulta, è mortuis excitas; quasi nolis illam à Christo esse sepultam. Quod verissimè facis, si tu illius humilitati non consentias, si albam ipsius vestē te non induas, si superbiā ex animo tuo non exscindas, virtute illius contemptionis Christi & merito. At si scires, miser, quanta nō solùm dignitas sit in animi summissione, sed etiam suauitas spiritus, sed gloria & splendor coram Deo, & Angelis, & Sanctis, & bonis omnibus; nunquam te in angustias & miseriam deijceres vilissimæ superbiæ. Vbi superbia? In Satana, in eius Diabolis, in inferno, in infidelitate, in hæresi. Vbi humilitas? In Christo, in Paradiso, in Matre Dei Maria, in pijs & fidelibus Christianis. Quibus igitur vis te coniungere? vbi esse? Scis, ô homo superbe, quò te traducat fatua animi tui electio? ad idem illud quod fugere te autumas. Tu credis te per superbiam fieri sublimem & honoratum: at contrà fit; quò enim te extollis magis, eò profundiùs deijceris: simul haberis & peior & vilior apud pios & sapientes homines, non solùm apud veritatem ipsam, quę Deus est. Contrà verò humilis, quò se magis abijcit, eò altiùs tollitur, eò melior existimatur: ita pij & sapientes iudicant, Deus confirmat; virtute illum oportere esse præditū qui

Cc 2 se non

Mat. 11 Luc. 7. Luc. 11. & Mat. 12. Ioan. 7. 8. 10. Ioan. 8. Mat. 20 Mar. 3.

Rom. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca



se non nititur, sed Deo; se non laudat, sed Deum; se non extollit, sed Deum; qui se cognoscit tandem nihil esse ex se, sed in Deo, & à Deo esse, à Deo habere si quid boni habet, illi dat gloriam sempiternam. Exemplum humilitatis nobis dedit Christus IESVS hoc loco excellens & peculiare. Cogitemus illum pro fatuo veste alba indutum, spretum ab Herode & ab eius exercitu, in signi hac pompa amentiæ esse per mediã Hierosolymam traductum, cum summa eius animi moderatione & patientia; & ea quidem ad tuam & doctrinam, & disciplinam, & facta esse, & tibi proposita ad imitandum: ea spiritu suscipiamus, & quod in nobis erit desideremus pro stultis haberi, irrideri, contemni, falsis testimonijs & contumelijs appeti: tunc elucebit in cordibus nostris vera humilitas, vera Christi imitatio, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

*2. Cor. 3*
*2 Cor. 2.*
*Rom. 4.*

# QVÆ GESTA SVNT POSTQVAM REDVCTVS EST AD PILATVM.

MATTH. XXVII. MARC. XV. LVC. XXIII. IOAN. XVIII.

*In xciij. imaginem adnotatiuncula.* *xciij. 120.*

A. *Renouatur actio contra IESVM: defendit IESVM Pilatus.*
B. *Pilatus reiectis Iudæis interrogat attentius IESVM de Regno.*
C. *Respondet IESVS Pilato perbenignè.*
B. *Respondet arroganter Pilatus.*
C. *Respondet rursum IESVS de Regno, &c.*
D. *Exit tum IESV Pilatus, capit consilium de Barabba, vt dimittat IESVM; refert de eare ad Iudæos.*
E. *Furiosè petunt Barabbam sibi dimitti.*
D. *Quæsit quid igitur fiet de IESV.*
E. *Exclamant; Crucifigatur.*
D. *Capit consilium Pilatus de flagellando IESV, vt desinant insectari ad mortem.*
F. *Repræsentatur in circulo hora tertia, qua ita, linguis, & obstinata pertinacia Iudæorum crucifixus est IESVS.*
G. *Audit clamores afflicta Mater cum suis, & crescit omnium afflictio.*

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XVIII.

*Pilatus autem,[a] conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe, dixit ad illos; Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto ex ijs in quibus eum accusatis: sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est ei.*

*[b] Introiuit ergo iterum in prætorium [b] Pilatus, & vocauit IESVM, & dixit ei; Tues Rex Iudæorum? Respondit IESVS; A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? [b] Respondit Pilatus; Nunquid ego Iudæus sum? gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feceisti? [c] Respondit IESVS; Regnum meum non est de hoc mundo:*

MATTH.



MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XVIII.

*si ex hoc mũdo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarẽt vt nõ traderer Iudæis: nunc autem regnũ meũ non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus; Ergo Rex es tu? Respõdit IESVS; Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mũdum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus; Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterũ [d] exiuit ad Iudæos, & dicit eis; Ego nullam inuenio in eo causam.*

*Per diem autem solennem consueuerat Præses dimittere populo vnum vinctum quem voluissent. Habebat autem tunc vnum vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.*

*Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis quemcunque petyissent.*

*Emẽdatum ergo illum dimittam. Necesse autẽm habebat dimittere eis per diem festum vnum.*

*Congregatis ergo illis, dixit Pilatus;*

*Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.*

*Pilatus autem respondit eis, & dixit;*

*[d] Quem vultis dimittam vobis, Barabban, an IESVM qui dicitur Christus?*

*Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum?*

*Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudeorũ?*

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XVIII.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum.* | *sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Pontifices autem* | | |
| *Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis vt peterent Barabban.* | *concitauerũt turbam, vt magis Barabban dimitteret eis.* | | |
| *IESVM verò perderent.* | | | |
| *Respondens autem Præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti?* | | | |
| *At illi dixerunt;* | | | |
| | | [e]*exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens; Tolle hunc, & dimitte nobis Barabban.* | *Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes; Non hunc, sed Barabban. Erat autem Barabbas latro.* |
| *Barabban.* | | *qui erat propter seditionẽ quandam factam in ciuitate & homicidium missus in carcerẽ.* | |
| | *Pilatus autem iterum respondens,* | *Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos, volens dimittere IESVM.* | |
| *Dixit illis Pilatus; Quid [d] igitur faciam de IESV qui dicitur Christus?* | *ait illis; Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum?* | | |
| *Dicunt omnes;* | *At illi iterum clamauerunt;* | *At illi [c] succlamabant, dicentes;* | |
| *[c]Crucifigatur.* | *[c] Crucifige eum.* | *Crucifige, crucifige eũ.* | |
| *Ait illis Præses; Quid enim mali fecit?* | *Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit?* | *Ille autem tertiò dixit ad illos; Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuẽnio in eo: [d] corripiam ergo illum, & dimittam.* | |
| *At illi magis clamabãt,* | *At illi magis clamabãt;* | *At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur;* | |
| *dicentes; Crucifigatur.* | *Crucifige eum.* | *& inualescebant voces eorum.* | |
| | *Erat autem hora tertia, & [f] crucifixerunt eum.* | | |

ADNO-



## ADNOTATIO.

Luc.23 A. RENouatur, postquam ab Herode redierant, tota actio violentiùs, audit nuncium ab Herode Pilatus, interrogat IESVM in propylæo corã omni multitudine, accusant Principes, respondet Pilatus; Desinite iam tandem, Iudæi, huius hominis insectari vitam; ecce enim coram vobis ego interrogãs de omnibus, nullam tamen planè video mortis causam; sunt omnia vestra crimina, quæ illi obijcitis, vana, falsa, & malitiosè conficta. Quòd si nihil Romani imperij maiestas apud vos valet, quæ summa esse debet apud omnes, nihil mea vestri Præsidis authoritas, quæ illã vobis repræsẽtat, credite saltẽ vestro proselyto Herodi Galilææ Tetrarchæ de homine Galilæo: is illum similiter atque ego omni culpa, vt exposuit eius nuncius, & vos scitis, liberauit: tantum contempsit vt fatuum: cuius rei etiam vestis illa alba indicio est. Ille igitur illusit, ego flagellis cæsum dimittam; hoc est tote contenti. Ad hæc verba furebant Iudæi.

B. Pilatus verò, reiectis vocibus Iudæorum, ingreditur rursus prætorium vocato IESV: subit eum cogitatio vt curiosius de regno interroget. Sciebat quidem regnum Iudææ per seditionem non quæsisse IESVM, quòd esset Romano imperio rebellare; interrogat tamen quod sit eius regnum, vbi, quale sit.

C. Respõdet benignus IESVS; Ex animi tui sententia, Pilate, hoc interrogas, an alij de meo regno te docuerunt? Nunquam vlla de re interrogauit Christus quòd eã nesciret, multis enim modis omnia semper præcognouit; sed vt nouam rerum cognitionẽ per experientiam præsentem concipiebat, ita pro ratione œconomiæ, quam à Patre acceptam gerebat, nunc interrogare solet quasi nesciat, nunc mirari quasi ad rem nouam. Sciebat quidem Christus vulgatum fuisse sermonem de regno quod ipse, quod Apostoli prædicabant & discipuli; sed regnum cælorum, non terrarum annunciabat & Christus & sui. Ad hoc regnum nouerat Pilatum spectare; propterea illi benignè consulens, eius animum allicie bat ad sanitatem: Num tu ex te concepisti de regno quod ego prædico aliquam existimationem, an verò ab alijs eius rei aliquid intellexisti?

B. Arroganter respondet Pilatus, indignè ferens quòd eius mentem pietate in Deum solitam citaret IESVS; Num, inquit, Iudæus apella ego sum? vt tuam superstitionem vel intelligam, vel curem, & non potiùs contemnam? Auersatus igitur illam Christi interrogationem aliò se confert; Gens tua, & Pontifices tui te mihi à se damnatum tradiderunt vt plectam capite; Quid fecisti? Cur interrogas, Pilate, quid fecerit IESVS? Non audisti Iudæorum accusationes? Audiui; verùm ego illas reieci, reiecit Herodes, propterea rogo quidnam fecerit; aliquid enim est fortasis, quod nec Iudæi proferunt, nec ego intelligo: dic igitur tu, cur tanta contentione te Iudæi prosequuntur & accusant? quod acerbè indignabundus dixit, commotus Christi responso. Duo ex IESV rogauit Pilatus; num esset Rex, & quid nam fecisset: ad vtrumque respondet IESVS.

C. Ad primum; Regnum meum, regnũ quod ego prædico, non est de hoc mundo, quale vos, vel vnde acquiritis vel possidetis, corporale, terrenum, humanum; sed spirituale est, cœleste, diuinum. Nam si vestro simile ego regnũ haberem, decertarent vtique mei ministri, ne vel Iudæis traderer, vel tibi: verùm nunc regnum meum non est hinc. Respondet de Regno Christus constantissimè, quæ erat confirmatio suæ omnis doctrinæ: quorsum enim docuit Christus, aut quid omni sua prædicatione, nisi regnum suum, id est spirituale & cœleste? Propterea ter dixit, regnũ meum, & quidem cum vehementi significatione, ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ, quasi diceret, illud regnum, illud meum regnum; simul grauissimè animum Pilati excitauit ad rerum cœlestium considerationem, & illa sermonis acrimonia, & cũ dixit; Nunc regnum meum non est hinc. Nunc ergo vnde est, si hinc non est? Nunc est, & semper fuit, & erit cœleste & diuinum, & regnum omnium seculorum: regno enim ego semper cum æterno Patre. Est aliud regnum, quod per meam incarnationem acceptum, per meos labores & mortem mihi expedio; exercebo autẽ post meam à mortuis resurrectionem, & ad Patrem ascensionem: huius regni vsum nondum exerceo, tunc exercebo vbi ad dexteram Patris sedero; donec subiecero Patri omnia, cùm omnem potestatem euacuauero, cùm iudicato orbe, conclusis in æterno igne contrarijs potestatibus, & damnatis hominibus, destructa morte, regnum Patri tradidero: & regnabo ego cum Patre & Spiritu sancto in cœlo & in terra per omnem æternitatem. Cùm Pilatus audisset à IESV; Nunc regnum meum non est hinc, & id tanto opere asseuerare, commotus vehementer, placidè colligit, non ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*men sine omni inuidia & tacita accusatione: Si quæ dicis vera sunt IESV, tu igitur Rex es? Cui IESVS; Tu dicis me Regem, & ego non inficior: sed nihil est quod inde tibi, vel Romano imperio timeas: quod vt intelligere possis, me audi; vt simul scias quod tantopere scire desideras, quid ego fecerim. Ego quidem natus sum à Patre æterno coæternus filius, & Rex omnium seculorum, ac verbum infinitum: itaque sum ego expressio virtutis diuinæ, & testimonium sempiternum ex ratione meæ à Patre processionis &*

*Psal. 2.* *natiuitatis. Sum præterea ad hoc natus ex Virgine Deus homo, & constitutus sum Rex à Patre meo super Sion montem sanctum eius, vt testimonium illud veritati æternæ perhibeam, &*

*Heb. 1.* *prædicem præceptum Domini, & mysterium diuinæ veritatis & gratiæ. Ille fecit me hæredem vniuersorum; verum per mortem, quam ego item subibo in testimonium diuinæ veritatis, vt regnum ego mihi parem per martyrium & crucem, quam subiturus sum pro ea ipsa veritate, & Euangelij mei prædicatione. Ita intelliges, si velis, quid ego fecerim, quid Pater in me & operatus sit & fecerit; tum quale sit regnum meum videbis, si oculos velis mētis aperire paululum. Hæc quidem erant in verbis IESV, etiam si non aperte; neque ea intelligebat Pilatus. In hoc enim fuit IESVS, quandoquidem videbat aliquid moralis boni esse in Pilato, & nonnihil eum veritatis tenere, & tamen in se esse peccaturum; vt daret operam quò minori culpa peccaret, & remissius periret si fragilitate peccaret, non malitia. Propterea propius se in eius animū insinuans addit; Omnis qui est ex veritate, vocem meam audit; dulcissime illum inuitans ad pietatem. Aliquid in te est veritatis Pilate, illi te permitte, ad illius efficaciam tuam operam adiunge; fiet vt quæ ego loquor non solum audias, sed intelligas etiam & sequaris. Fecit tamen Pilati ambitio & superbia, & impius Deorum cultus, vt quod ad pietatem spiritus attineret nihil caperet, nihil ex verbis Christi moueretur, nihil intelligeret: nisi quòd firmiter statuit apud se innocentem esse IESVM: obiter tamē interrogat per curiositatem quidem, sed negligenter & contemptim, quid sit veritas; nec responsum expectat.*

*D. Sed exit continuò in propylæum ad Principes & turbas Iudæorum secum ducēs IESVM; atque identidem apud omnes IESVM innocentem esse testatur; Ego, inquit, in eo nullam inuenio causam cur damnari possit IESVS. Atrocius autem accusantibus Iudæis, & nihil planè respondente IESV (neque enim vnquam apud Pilatum respondit Iudæorum accusationibus) hortatur illum Pilatus, atque vrget vt respondeat; Non respondes quicquam? non audis quanta aduersus te dicunt testimonia? non vides in quantis te accusant? nihil, ne tum quidem amplius respondet Christus. Miratur vehementer Pilatus, non despicit tamen vt Herodes, nec fatuum existimat, quem modò viderat suis interrogationibus sapientissimè satisfecisse: eò magis demiratur eius mansuetudinem, & innocentiam comprobat, & vitæ morumq; integritatem: itaque totus ferebatur vt IESVM liberaret, clarius subinde prospiciēs quòd per inuidiam & calumniam illum sibi tradidissent Iudæi. Cepit ergo ex consuetudine Iudæorum in præsenti consilium, quod fore existimauit IESV salutare. Erat in more Hierosolymis positum, vt ad Paschæ liberationem alicuius vincti peterent Iudæi, & vt Præses Romanorum ijs concederet quem postulassent. Erat in vinculis latro insignis Barabbas, homo seditiosus, qui fecerat in seditione homicidium: hūc producit ad Iudæos, & simul cum illo benignum IESVM statuit in propylæo Pilatus, hoc consilio, ex duobus alterum illis vt concederet, alium neminem: sperabat enim non fore tam execrandè inuidos & crudeles Iudæos, vt Barabban omnibus flagitijs coopertum & infamem hominem, IESV benignitati & mansuetudini præferrent; neque credebat hoc hominum esse posse. Erras, Pilate, si Principes homines esse existimas: sunt quidem homines figura, sed atrocitate ac malitia plusquam Dæmones; quod experieris continuo. Constitutis in propyleo ambobus, hinc Barabba sæuo homine, & toto corporis & vultus habitu horrido atque detestabili, illinc benigno IESV, etiamsi toto vultu & corpore iniuria Iudæorum deturpato, diuina tamen verecundia, mansuetudine, dignitate spectabili; Nihil est, inquit Pilatus, quòd alium petatis, ô Iudæi, vt de more vobis dimittam, offero vobis Barabban & IESVM; animaduertite quis hic, quis ille sit; ex his duobus alterutrum petite, alium nullum: non eritis adeò truculenti, adeò inuerecundi, vt Barabban IESV anteponatis; præsertim quum vestra petitione, & mea dimissione videri possit plane esse condemnatus: hoc estote contenti, nec sanguinem & vitam petatis. Non est tibi sat perspecta obæcatorum Iudæorum malignitas, Pilate; non petent IESVM, hoc est Deum mortalium Saluatorem, sed Barabban latronem, homicidam, nefandum hominem. Audita Pilati propositione timēt miserrimè Iudæi, ne tur-*



*ne turbæ suffragio eripiatur sibi IESVS: itaque diuidunt inter se operas Principes & Seniores, prehendunt omnibus locis plebem, subornant, concitant aduersus Christum, persuadent vt Barabban petant, non IESVM. Aspice concurrantes, ac seditionem incendentes; vide quam atrocibus mendacijs ac calumnijs plebem concitent, quanta malignitate conflētus; addunt hinc preces, illinc minas atque imprecationes; inter ipsos volitāt Dæmones, qui omnibus suas furias immittunt: expectat Pilatus quorsum tandem eorum furor erumpat. Quum iam confiderent plebem se in suam sententiam pellexisse, redeūt, ascendit turba, commiscet se Principibus. Interrogat igitur ipsos rursum Pilatus: Quid? quem vultis vobis dimitti de his duobus?*

*E. Conclamat omnis turba Principum Seniorum plebis; Barabban petimus nobis dimitti, non IESVM. O homines diabolici, latronem anteponitis ei, à quo infinita accepistis beneficia, seditiosum hominem pacis & trāquillitatis conciliatori, homicidam vitæ æternæ authori. Nec Deum timetis, nec Pilati de vobis iudicium veremini? videtis vt omnia prosequatur Pilatus vt IESVM liberet vestrum ciuem, vestrum Prophetā, vestrum Regem, vestrum Doctorem; & vos omnia peruertitis & mentimini vt perdatis? Rursum Pilatus cùm videret eos non IESVM, sed Barabban tam furiosè efflagitauisse, nec successisse sibi suum consilium, aliò se vertit vnde IESVM liberare posset. Vos quidem Iudæi petistis Barabban, de quo tamen ego nihil statui, nec vobis respondeo; tantùm hoc interrogo; si Barabban dimitto per vos, latronem, seditiosum hominem & homicidam; consentaneum est vt velitis dimitti hominem iustum & mansuetum, necessarium vt ego dimittam:*

*D. Quid igitur faciam de IESV, qui Messchias vester dicitur? non potestis non consentire eius liberationi. Hic verò furiosius concitantur Iudæi, & id tandem euomunt, quod adhuc per astutiam suppresserant; nondum enim de cruce egerant, quæ erat causa quapropter IESVM Pilato tradiderant, vt scilicet crucifigeretur.*

*E. Conclamant omnes; Crucifigatur IESVS. Pati non potest eorum insolentiam & rabiem Pilatus; indignabundus respōdet per exprobrationem impudenti Iudæorum atrocitati; Cur illum crucifigam? Nihil enim mali fecit; sed hoc vestrum est odium, & liuor teterrimus: scio enim ego, & vos negare non potestis (tametsi estis pessimi) IESVM virum iustum esse & sanctum. Succlamant rursum violentius; Crucifige, crucifige eum. Quò magis odio & malignitate videbat Pilatus accendi Iudæos, eò nitebatur magis IESVM ex manibus impietatis Iudaicæ eripere: tertium ergo excusat IESVM, Iudæos acriùs accusat. Vos impij, hic pius; vos iniusti, hic iustus; vos inuidia, odio, malignitate pleni, hic charitate, benignitate, mansuetudine excellens: quare idem quod sæpe dixi vobis, Iudæi, cōfirmo; nihil mali IESVM fecisse, non inuenire me vllā in eo mortis vel damnationis causam, tantum abest vt illum crucifigam, hoc est, crudeliter & ignominiosè interficiam.*

*D. Arripit tamen aliud consilium Pilatus, si fortassis possit Iudæis satisfacere, atque aliqua ex parte illorum odium mitigare, & IESVM à morte eripere: hoc deputat se consequuturum, si crudelissimè illum imperet virgis cædi, si corona spinea coronari; vt eius sanguine & cruciatu Iudæi & ignominia satiati, desinerēt mortē IESV appetere. Impij sunt Iudei & crudeles, Pilate; tu non tam impius & crudelis sed tamen impius & crudelis. Cur enim vis IESVM innocentem, iustum, sanctum hominē virgis cædere? cur spinis coronare? Multæ erāt aliæ viæ IESVM liberandi. Vt places Iudæos? sciebas esse implacabiles: & siue placabiles essent, siue implacabiles, erant à te contemnendi: neque enim erat è dignitate Cæsaris vel tua, ad pessimorum hominum voluntatem sanguinem iustum & sanctum fundere: tua fuit hæc impietas, crudelitas, & tyrannis.*

*F. Repræsentatur in circulo tota actio, cum significatione horæ tertiæ, posito sole ad quadrātem primum cursus sui super horizontem: vtebantur enim Iudæi communiter, vt antea diximus, horologio indicante horas inæquales; itaque perpetuò erat dies duodecim horarū æqualium inter se. Erat autem hora tertia vbi primùm Principes & vniuersi Iudæi conclamarunt, & pertinacissimè, donec crucifixus fuit, vrserunt & efficaciter, vt crucifigeretur IESVS: propterea scripsit Marcus; Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.*

*G. Non ita longè erat afflicta Mater virgo, mulieres, & discipuli; audiebant strepitum tumultuantium Iudæorū in atrio prætorij, & clamores, & erāt (quod piè credi potest) siue ex discipulis, siue ex notis, qui quæ agerentur identidem nunciarent. Erat perinde perpetua omniū afflictio & luctus, qui subinde augebatur ad nuntiorum relationem, vel noui tumultus auditum. Coniungere animo, affectu, sensuum internorum applicatione ad hunc sanctum cœtum, contemplare quid ibi fiat, & id imitare.*

MEDI.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

MIserè torquebantur Iudæi de Herodis facto, & timidè redibant ad Pilatum; videbant enim IESV innocentiam illũ defendere: tori igitur, cùm sibi displicerent, nouis furijs exagitabantur, & eò magis fremebant in IESVM; non ipsi solùm, sed eorum etiam administri & milites. Vnde colligere licet, hanc fuisse quàm hactenus ductionem opprobrijs pleniorem, & contumelijs & violentia. Celebremus nos hic septimam processionem, & Christi iter hoc afflictum lachrymis prosequamur, & Virginis Matris comitatui nos coniungamus, quæ filium sequebatur eminus cum suis, summa cum animi acerbitate, fixis in eum oculis continenter quoad licebat. Tandem raptus est mansuetus IESVS per scalas ad Pilatum in prætorium. Hìc septimam stationem agamus simul cum Maria, & oremus Christum, vt hæc sacra mysteria intimo cordi imprimantur deuotè; Matrem etiam ipsam, vt idem nobis impetret, deprecemur. Quum occasione accepta ex facto & responso Herodis Pilatus in Christi liberationem incumberet, neque tamen quicquam proficeret apud execrabilem Iudæorum malitiam & obstinationem, denuo de Regno
*Ioan.18.* IESV interrogat, & diligentiùs quidẽ; quasi de alia ratione regni quàm antea, de qua audierat & ipsum esse concionatum, & eius sectatores. Sed vide Christi mansuetudinẽ admirabilem & diuinam, tum erga Pilatum benignitatem. Pilatus vno verbo liberare eum à Iudæis poterat; quod cùm non faceret, nefariè faciebat & impiè: & tamen bonus IESVS illum beneficijs prosequitur; & quod pessimè faciebat, id dissimulat; quod boni naturalis habebat, id respicit & probat, ac beneficio prosequitur; quamuis nouerat ab eo se prodendum esse Iudæis ad crucem. At nos miseri quid facimus? Si quem inuenerimus aliquo crimine laborare, id in oculis habemus, id insectamur, hinc de illo siniſtrè iudicamus & odiosè; si quid boni habet, si quam virtutem, si quid bonæ mentis, si quam facultatem vel industriã, ea dissimulamus, eorum nullam habemus rationem. At cõtrà factum oportuit, salutari hoc Christi exemplo, respicere ad virtutem vel bonum, quodcunque in aliquo inuestigare possimus: nullus enim est qui omni ex parte malus sit; quod si esset, naturam certè bonam haberet, quam Deus fecit. In bonum semper oculos debemus conijcere, vt in illo bono Deum omnium bonorum authorem contemplemur & laudemus, inde in amorẽ illius hominis descendamus, bona illa laudemus, ita animũ eius nobis cõciliemus, vnde pateat nobis aditus ad illius salutem omnibus officijs procurandam. Porrò erat quidem Pilatus in defendenda Christi innocentia, verùm debili animo & timido; verebatur vanos hominum rumores, dignitas sua ne minueretur timebat, ne oriretur aliqua multitudinis commotio: veritatem nouerat causæ IESV, non tamen forti animo & constanti tuebatur. Quæ vtinam non esset Principum & Iudicum deprauatio; timidè enim sæpenumero veritatem tenent & infirmè, tam multa circumspiciunt nec necessaria nec vtilia: at veritas ipsa manet stabilis & inconcussa, & vim semper obtinet diuinã: Deus enim veritas est, & sunt omnes veritates illius summæ veritatis participatio quædam. Principes ac Iudices vtinam semper moueret hæc veritas, nec de gradu illos vnquam deijceret vel honoris respectus, vel amicitiæ, vel improuidi & noxij timores. Respiciamus Christi actiones, & eas præcipuè quas in passione sua obiuit, & nulla erit nostra infirmitas, cui non reperiamus paratum remedium singulare. Summa illa mysteria quæ in adnotatione recensentur, erant quidẽ tunc in verbis Christi, vt nunc sunt, non intelligebantur tamen à Pilato idolorum impietate occupato & vitijs: itaque cùm de veritate audiuisset, & ex Christo interrogasset quid esset veritas, quasi ex contemptu alias res ageret, exiuit foras non exspectato respõso. Heu quotics nos Pilatum imitamur nostra socordia! quoties vel vbi scripturas legimus, vel sacros scriptores, vel concionatores audimus, aut nihil spiritus percipimus, aut adeò negligenter attendimus, vt illud appareat quod ferè semper est, quòd nullam animi dispositionẽ afferamus ad res diuinas audiendas: neque enim aures audiendi aduertimus, sed potiùs non audiendi, aures scilicet externas, & cum pecudibus communes; cordis verò aurem, qua mysteria intelliguntur, nullam. Quòd si aliquid contingat nobis insinuari mysticæ veritatis, & excitetur cupiditas nonnulla illius cognoscendæ, diffluunt



fluunt è vestigio omnia, eò diuertit animus vbi semper est, exteriùs, interiora relinquit & meliora, destituit salutaria. O miseros nos, vsque adeò sumus semper hominum filij, semper graui corde, & ad terrena depresso, vnde naturales nostras potentias, & quod est nobis inditum diuinæ virtutis & gloriæ, damus in ignominiã. Hinc fit vt diligamus vanitatem, & mendacium quæramus in rebus omnibus, vt Christum relinquamus, foras diuertamus, nec solùm è cœlo nos docentem auertamus, sed per has creaturas inter quas viuimus vocantem prætereamus. Ipse tamen lux est æterna, perfectio infinita, veritas summa. Foras autem extra hæc quum discedimus, quò abimus? vbi sumus, nisi in tenebris, & in vanitate, & in mendacio, & in peccato, manibus Diabolorũ excepti? Et non tantùm primam veritatem Deum relinquimus, sed eam etiam lucem & veritatem quam Deus in creaturis suis posuit non agnoscimus. Vestigium enim sui in his posuit Deus, in homine etiam imaginem: nos horum nihil contemplamur, nihil intelligimus: ita, quod in nobis est, in nihilum redigimur, extra Dei & creaturarum eius syneeram veritatem & lucem exulantes miserrimè. Conuerte iam mentem, anima mea, ad detestabilẽ Iudæorum peruersitatem simul & atrocitatem. Dat vobis, ô perfidi, Pilatus optionem, vt pro consuetudine vestra alterutrum à morte liberetis, IESVM, vel Barabban, id est vel virũ excellenti innocentia & virtute, clarum miraculis; vel latronem hominem, & homicidam, & seditiosum omnibus abominabilem. Et quidem dat occasionem vt IESVM petatis, & ferè cogit, nisi effetis adeò peruicaci malignitate; & tamen effagitatis obstinatissimè Barabban. Quæ malum ista est truculentia? vos ne estis homines, & non potiùs atroces feræ hominum figura? Parum est quòd vos omnibus partibus supetat Pilatus, ipse etiam Barabbas præ vobis iustus est, ille vos condemnat; denique gaudent tetri Dæmones quòd vos malitia non antecedant: neque enim præponi Barabbas IESV potuit nisi à vobis; neque condemnari, nisi ab ijs qui malitia & peruersitate Dæmones vel æquarent vel superarent: nam nunc quidem Dæmonijs æquales estis, eritis superiores pòst paulò, vbi Satan Christi mortẽ impedire conabitur, vos vrgere ferocissimè cõtenderetis. O luctuosissimam collationẽ Christi & Barabbæ! O spectaculum horrendum & miserabile! Adstant duo, IESVS & Barabbas ad iudicium pessimorũ hominum; Deus scilicet & homo teterrimus, vita æterna & peccatũ, quæ est mors æterna; qui parat mortalibus vitam sempiternam, & qui mortis & sempiternæ & temporalis est reus: & tamen furibundè Barabban præponũt IESV Principes; illum dimitti petunt, hunc damnant, hunc ad crucem flagitãt, & idem vt petat plebi persuadẽt. Fuit sæua hæc contumelia Christo illata inuidiosissimè: hoc videlicet contendebant conscelerati, vt videretur IESVS esse pessimo homine & detestabili peior atq; detestabilior, & fieret opprobriũ hominum & abiectio plebis. Adestis Angeli, sat scio: quid vobis videtur, ô beati spiritus? Scitis vos quis sit IESVS, qui Iudæi, qui Dæmones vestri antagonistæ, quis Barabbas: & non dissipatis Dæmonum & Iudæorum pessimas artes & maleficia, & pro vestro Deo & Domino diuinum iudicium non fertis. Ferimus, fert Deus, cœlum; natura ipsa ab eorum scelere abhorret: sed illud quoque scimus, Deũ hoc etiam filij conuitiũ ad mortalium vitam æternam conferre voluisse, sed ad salutarem etiam disciplinam. Primùm, vt intelligant omnes, Christum non solùm in passione & cruce sua leuia hominum tulisse peccata, sed atrocissima etiam tulisse omnia: verè enim induit personam illius latronis Christus, verè pro illius peccatis, & similibus, & maioribus mortuus est. Instruit rursum Deus insipientiam nostram: quis enim non fert impatiẽter si quis sibi præferatur, non solùm qui videatur indignior, sed qui æqualis vel dignior? quæ vera est superbia, vt contrà vera est humilitas se omnium existimare indignissimum atque infimum: alij omnes si ipsi præferantur, non solùm æquo animo ferre, sed iucundè, & cum cordis sui suauitate videre. Quid cogitas vilis homo? Christus terræ cœlorumque creator & Dominus fert patienter vt sibi præferatur latro, & tu iniquè ferre potes vt quiuis tibi præferatur? Christum cogita, eius gesta imitare, & non solùm superbiam abiges, sed inuidiam, tabificum malum & lethale. Neque mihi dicas, Malignè mihi aliquis præfertur. Num maligniùs quàm Iudæi Barabbã Christo anteposuerunt? & tamen illa malignitas non solùm non minuit Christi virtutem, sed admirabilem fecit magis. Quænam, ô Angeli, est alia hìc nostra instructio? Multæ atque excellentes: sed hanc audite. Magna est hominũ

*Psal. 4.*
*Rom. 1.*
*Psal. 4.*
*Isa. 1.*
*Matt. 11*
*Ioan. 14.*
*Psal. 18.*
*Ioan. 16.*
*Ioan. 18.*
*Matt. 27 Mar.*

*Psal. 21.*

erra-

Universidad de Deusto
Biblioteca



errratio in rerum æstimatione: quis enim est qui non deteriora semper amet, & diligat, & sequatur? Cuius erroris etiamsi illum initio patere soleat infirmitas vestra, vel ignorantia, vel vtrumque; adeò tamen malum serpit, vt prudentes etiam & volentes deteriora deinde vestra voluntate eligatis & sequamini; quæ est vltima animæ vestræ calamitas. Nã vtrum melius? vitium, an virtus; Satan, an Christus; Infernus, an Paradisus; tenebræ, an lux; ignis æternus, an gloria sempiterna? Quæ horum eligere vis, ô homo? Sed scimus quæ eligas, quæ fecteris: priora scilicet illa serè, quæ sunt tua ignominia & perditio, alia autem quæ vera sunt bona negligis stolidè & postponis: placet tibi magis vitium, Satan, Infernus, tenebræ, ignis æternus; quàm virtus, quàm Christus, quàm paradisus, quàm lux, quàm gloria sempiterna. At dicent qui excusare excusationes solẽt in peccatis, quasi latere Deũ vellent; qui illa faciunt, desperati homines sunt. Num tu peccator, qui nõ es desperatus, non eadem facis? Nam quum gulam, quum luxuriam, quum mammonam, quum gloriolam sequeris, nónne Dei volũtati (quæ Deus ipse est) spurcissima & absurdissima anteponis? Quod quum facis, quid aliud quàm quæ faciunt desperati facis? Discamus peccatores ex hac Iudæorum teterrima electione meliora amare atque amplecti: iuuabit nos Christus per meritum ac mysterium huius suæ contumeliæ incomparabilis, vt illius voluntati & benignitati seruiamus ad eius gloriam sempiternam. Amen. *Ps. 140.*

# FLAGELLATVR CHRISTVS.

MATTH. XXVII. MAR. XV. IOAN. XIX.

*In xciiij. imaginem adnotatiuncula.* xciiij. 121.

*A.* Pratorium, & Propylæum, vnde prospectat Pilatus flagellationem.
*B.* Columna, vbi ligatur IESVS.
*C.* Stipes, vbi capite plectebantur damnati.
*D.* Multitudo Iudæorum, & Romanorum.
*E.* Durissimè verberatur IESVS.
*F.* Desistunt IESVM cædere lictores iussu Pilati.
*G.* Mater Dei audit strepitum flagellationis. Vide quàm acerbè eius anima & cor flagellatur.

MATTH. XXVII. MAR. XV. IOAN. XIX.

*Tunc ergo apprehendit Pilatus* a *IESVM, &* b *flagellauit.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* PRætorium, & in eo propylæum & pergula, vnde Pilatus & eius aulici spectant quemadmodum flagellis cæditur IESVS.

*B.* Columna, ad quam alligati damnati virgis more Romanorum cædebantur (de qua columna Hieronymus in Epitaphio Paulæ: Ostendebatur, inquit, illi columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini) ad quam ducitur & flagellatur. Huius pars est Romæ in ædibus Præxedis.

*C.* Stipes, vbi collum aptare iubebantur damnati, quo certius ac facilius securim exciperent.

*D.* Multitudo vniuersa Iudæorum & militum Romanorum circumfusa ad spectaculum.

*E.* Hic, etiamsi omnia non potuit assequi imago, multa tamen sunt animaduertenda: & primum quidem, vt ad imperium Pilati rapiant IESVM lictores per scalas violentissimè. Erãt lictores ministri Consulum, Proconsulum, Præsidum & Prætorum, qui simul carnificum munere fungebantur, & de condẽnatis supplicium sumebant: ex his præstò erant Consulibus & modesti seni alys: præcedebãt lictores suos Magistratus, gestantes altè fasciculum virgarum, & in eo alligatam securim. Aspice præterea vt benignum IESVM pertrahunt ad septum & columnam, vt exuunt vestibus, alba qua induerat eum Herodes & suis, præterea interula inconsutili: proijciuntur humi neglectim vestes, stat in conspectu omnium nudus IESVS. O Angeli sancti qui adestis, nónne tam insignem perhorrescitis Dei contumeliam? & tamen adoratis corporis maiestatẽ. O bone IESV, quantus erat tunc pudor tuus virgineus & sanctus! O animæ quæ Christũ IESVM nostis, videtis vertè nudum dulcissimũ IESVM vestrum Dominum & cœli & terræ, cum summa ignominia sicuti latronem mox crudelissimè flagellandum. Si hæc animus ferre non potest, quid fiet in ijs quæ sequuntur? Dæmones tamen contemnunt Nazarenum nuditatem, non autem milites, sed attoniti ad corporis Christi pulchritudinem excellentissimam, & admirabilem dignitatem stupent, Iudæi suggillant nudus IESVS applicatur adrigidam columnam, colliganturilli manus & pedes ad columnam, dorso exterius patente adverbera; expediũt lictores omnes virgas, humi proijciunt secures; accinguntur horridi carnifices, desinferiunt crudelissimè bini vel terni, succedunt sibi per vices integri fessis. Primis ictibus intumescunt sæui vibices, & liuor cutis sacrosanctæ aperiũtur deinde atrocia vulnera, erumpit vndique sanguis, dilaniatur caro Christi diuina, caro Dei omnipotentis; vrgent milites circumstantes, insurgunt detestabiles tortores maiori conatu, prouocant sese inuicem ad crudiora verbera. Vbi posteriorem partem corporis vident ita lacer atam, vt nullus fere appareat esse relictus nouo vulneri locus, vertũt anteriorem: eam non minori truculentia consauciant; profluit sanguis, vniuersum corpus tingitur sanguine, & columna rigatur & humus. O Angeli sancti qui adestis, quid è cælo ad horrendum hoc spectaculum animum aduertitis, num non amarè lugetis omnes? Lugere, inquiunt, non possumus vel dolere. Quid igitur? omnibus Angelis inauditum hoc facinus auersamur ac detestamur. Obstupescant cæli, terra contremiscat, turbetur creatura omnis à facie Creatoris crudelissimè verberati. Lugent animæ quæ in Limbo accipiunt nuntium huius truculentiæ, gaudet tamen maligni spiritus, qui adsunt absentibus nuntiant, omnes exultant, deridentstolidè flagellatum IESVM; Romani nulla misericordia commouentur; Iudæi hinc crudelitatem suam sæuaillaflagellatione pascunt, illinc eam ægrè ferunt ac repudiant, verentes ne illa contentus Pilatus IESVM dimittat. Grauissima fuerant quæ hactenus passus erat Christus, tristitia, pauor, tædium, agonia, sudor sanguineus horum vi expressus; raptatus fuerat ceu latro nefarius, alapam acceperat, damnatus primùm fuerat in concilio Iudæorum, consputus, cæsus crudelissimè colaphis, palmis, alapis, velatus oculos per cõtumeliam; rursùm in maiori frequentia concilij fuerat condemnatus, ductus ad Pilatum, à Pilato ad Herodẽ, ab hoc rursum cum ignominia & veste candida ad Pilatum; apud vtrumque semper à Principibus & Senioribus pertinacissimè accusatus, ab his & plebe, ab omnibus Iudæis summa contentione ad crucem expetitus: inter hæc quis recenseat opprobria, iniurias, contumelias, impulsus, attractus, raptationes, colli manuũq. liuorẽ, vinculorũ violentiã? O Christe IESV bone, fuisti hactenus duodecim plus minus horas his angustijs conflictatus, frigore & lassitudine confectus, tristitia & animi dolore vehementer fatigatus, dum fers ægerrimè nõ tantum quæ tibi inferuntur mala, sed scelera quæ in te & Patrem admittuntur; cùm vides tot labores quàm plurimis sua ipsorum culpa nullam allaturos vtilitatem. Hæc cùm ita essent; si tamen *Isa. 1. & 35. Ier. Anſel. Bernar.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ad ea conferantur quæ nunc fiunt, quæ præterea subsequuntur, leuissima fuisse videri possunt. Et tamen vt hæc crescunt in te supplicia, benigne IESV, ita charitas tua in Patrem & mortales ardet magis, & ad horum redemptionem per ea quæ passurus es acrius inflammaris, ac maiori vteris animi robore atq; constantia: hoc est, ad ea applicas heroicæ virtutis tuæ excellentissimas operationes, quæ summæ semper fuerunt. Fuit hæc crudelissima flagellatio, & doloris plusquam dici possit acerbissimè plena, vt aliæ omnes Christi vulnerationes; quod aliqua ex parte fortasse intelligemus, si animaduertamus Christi humanitatem omni ex parte fuisse perfectissimam: si enim ad animam spectes, ea erat alijs omnibus animabus, in eadem tamen specie, longè excellentior, propter dotes insitas: si ad corpus, id erat omnibus numeris absolutissimum, siue quoad elementorum, qualitatum primarū, quattuor humorum cōmixtionem & temperiē attinet: siue quoad sensuum interiorum & exteriorum constitutionem, organorumq; harmoniā, perspicacitatem, & viuacitatem: siue figuram & formam, magnitudinémue corporis contempleris, membrorum proportionem & decus, venustatem, robur, dignitatem, maiestatem. Sed quid ego hic balbutio? prædicat humanitatis*
Psal. 44. *Christi excellentiam Dauid: Speciosus, inquit, forma es, Christe, præ filijs hominum, pulchrior & perfectior es quàm reliqui omnes homines, quotquot sunt, fuerunt, erunt: quod verbum יפיפית duplicatum mira energia significat; quasi dicat, incomparabili es decore, Christe IESV, & ineffabili: quem quò magis contemplor, eò maiores cognosco habere te, & ampliores perfectionis accessiones. Decantat idem Salomon,*
Cant. 5. *quasi patrem Dauidem interpretatus; Qualis est, inquit, dilectus tuus ex dilecto? id est singularis ille, & præ alijs dilectus: respondet sponsa; Dilectus meus candidus & rubicundus, electus & insignis præ omnibus denis millibus; quibus verbis totius humanitatis Christi perfectionem proponit: exponit verò per partes in sequentibus præclarissimè. Hoc vnum addam de perfectione humanitatis Christi; illam propterea esse summam, quòd verbi diuini vnioni hypostaticæ fuit manu Dei parata, & verbo Dei vnita. Ex his intelligere nonnihil possumus quàm fuerit acerba Christo hæc flagellatio, quòd etiamsi fortissimè illam ferebat flagrorū atrocitatē; tamen vt erat corporis constitutione tēperatissima, & sensibus viuacissimis, ita læsio eius corporis minima fiebat longè acerbissima.*

*F. Porrò desierunt IESV Mœdere ferocitates lictores ad imperiū Pilati, cauebat enim ne flagellis necaretur: soluunt è sanguine tinctā columnā, iubent vt induat se suis vestibus, ligāt deinde manus; nonnihil refrigerij accipit afflictus IESVS, sed ita tamen vt vestes affligāt acerbè eius vulnera & consaucient.*

*G. Vide Matrem Virginem, quæ quamquam omnia in spiritu contemplabatur, tamen verisimile est non ita longè abfuisse, et si extra atriū, quin crudelitatem illorum flagrorum sentiret, sentirent qui tum illa erant; excitatur gemitus & dolor omnium longè quàm antea maior. Cōsidera verò attentiùs, quemadmodum gladius omnium quæ filius patitur, animam & cor Virginis Matris transfuerberet, animæ eius, & cordi Virgineo & Sacrosancto vt insligantur durissimæ Christi verbera; magnanimiter tamen omnia sustinet. Coniunge te huic luctui, huic doloris sensui, & illa tria cogita: indignitatem qua flagellatur Deus à teterrimis latronibus, dolorē quem patiebatur, tum sanguinis copiosam effusionem: compara verò animum vel hinc, quod antea factum oportuit, vt in te sentias quæ patitur Christus, in te trāsformes, vt ea viuo animi sensu excipias, quasi illa flagra animæ tuæ & cordi insligantur: quòd si viuacitas hæc sensus interni tibi non contingat in meditatione passionis Christi, adhibe saltem exteriorem flagellationem & afflictiones, quæ illos animi sensus repræsentent, excitent, & apud Deū impetrēt: nec tamen si illi sensus adsunt, propterea non est adhibenda exterior aliqua afflictio, prouida tamen & sale condita. Libet hoc loco adnotare passum quidem fuisse Christum summum animæ, summum corporis dolorem in passione sua & morte, sed quem summæ animæ virtutes excipiebant ac sustentabant, & inter cetera excelsa animi magnanimitas immēsa, & charitas summa: quæ faciebant, vt dum cogitat sua passione & morte salutem se parere mortalibus sempiternam, & eam esse Patris sui volūtatem, nihil illi non videatur leue, nihil non cum summa animi alacritate sustinendum. Similibus virtutibus cùm esset munita Virgo mater Dei Maria, quum spem & fidem conseruaret excellenter, sic milibus præsidijs fulciebatur, hinc virtutum aliarum, illinc fide & spe vtilitatis ingentis quæ ex filij passione & morte erunt prouenturæ.*

MEDI-



## MEDITATIO.

OImmensam Dei Patris, & Filij Dei misericordiam & miserationes! Ergóne non solùm est Christus cruci affigendus, & in cruce cum summo cruciatu necandus, sed flagellandus etiam crudelissimè? Esto satis, Domine Deus, si moriatur filius tuus; ne flagelletur, obsecro te, si tibi ita placeat, & si vis. Verùm video, Domine, te aliter velle; flagellāda
Tom. 14. & 1. est vita cordis mei, vera lux oculorum meorum, salus animæ meæ & virtus. Intelligo le-
Psal. 34. & 45. gem filiorum adoptiuorum posuisse te filio
Matt. 3. tuo naturali & coæterno: Si filius meus est, vt
Psal. 2. est, & consubstantialis mihi filius est, flagel-
Hebr. 12. letur & ipse vt adoptiuus pro adoptiuis; quam tamen flagellationem confero ego nō ad necessitatem: nulla enim filij mei passio necessaria ad mortalium salutem & vitam fuit præter mortem; nam mors Dei satis ad illud erat superque. Tametsi ne mors quidem necessaria erat simpliciter; si enim ita voluissem,
Exod. 5. vno merito Christus apud me comparasset vobis & salutem, & vitam sempiternam: sed miserationes etiā illas magnas in vos, ô mortales, volui explicare; nec tantùm illa misericordia in vos vti placuit, quæ esset si filium facerem hominem, & absque eius morte procurarem vt vos à peccato & Satana redimeret: sed adhibui etiam misericordiam meam magnam, mortem filij, flagellationem, coronationem ex spinis, alias passiones, & contumelias, & opprobria: Vt non solùm sufficiens illa esset redemptio, sed copiosa & am-
Psal. 129. plior: ita enim declaraui in Psalmo, copio-
Psal. 50. & alibi, Amplius laua me ab iniquitate mea,
2. Esdr. 9. & dixit Dauid Spiritu sancto inspirante. In-
Psal. 102. telligo Domine Deus longanimis & multùm misericors; addis ad mortem hos cruciatus filij tui, ad pleniorem peccatorum nostrorum redemptionem, quæ tamen per mortem fuisset plenissima; qua morte, quibus pœnis tuæ charitatis indicium nobis demonstrasti, & excellentem naturæ humanæ, quæ tua est creatura, ostendisti dignitatem, & efficacissimum humilitatis, & obedientiæ, & omnium virtutum in filio exemplum tradidisti. Hic fons ille est, Domine IESV, tuæ benignitatis immensus. Pateris tu quidem, quod non fuerat necessarium, & plura pateris quàm necessaria fuerant: neque pro te pate-

ris, sed pro nobis: nobis enim gratiam & glo-
Psal. 13 riam meruisti, non tibi: & si quæ tibi meritus, ea es meritus quæ dimiseras propter nos, vel non assumpseras; qua in re tuam item bonitatem exaltasti; quum volueris illa meteri per mortem & passionem, quæ tibi alioqui debebantur, corporis gloriam, & quæ ad
Philip. 2. exteriorem excellentiam pertinebant. Hæc cùm ita sint, meritus illud etiam es, vt liberaretur Ecclesia tua à persecutionibus impiorum, hæreticorum, & Antichristi, & vt purgari possint post mortem qui in gratia decedentes aliqua egerent purgatione: magna est gloria, Domine, tuæ bonitatis, ineffabilis est. Vides tu, magne IESV, quàm refugiam ad ea quæ instāt tuarum passionum progredi, omnibus viribus animi destituor, stupet cor meū, planè ad nihil quasi fatuus redactus sum, nec intelligo qui sequuntur tremendos tuos cruciatus & mysteria. Adiuua me, Domine IESV, per eadem hæc mysteria & passiones tuas, qui plenus es misericordiarum. Flagellandus ergo es, Deus IESV, pro nobis, & durissimè flagellandus: eripiunt iam tibi vestes carnifices furiosi, tu illorum furijs obsequeris mansuetissimè, & appares omnibus nudus. Non impediebantur antea Angeli, non Dæmones, quin te viderent nudum, sed aliter exspoliatum conspiciunt: sis nudus præcipuè Iudæis, Romanis, & mundo, tuis hostibus, ijs qui ad contumeliam te tuis vestimentis expoliauerunt, vt induerent confusione
Psal. 34. & cruciatu. Erubescis tu quidē vehementer, sancte IESV, non erat tamen illa verecundia ex te, qui purior eras quàm Adam in Paradiso fuit; nullum enim in te peccatum fuit,
1. Pet. 2. nulla ad peccatum propensio, ac ne esse quidem potuit: noua igitur est pœna hæc, quam è nobis pro nobis assumpsisti; ac ne noua quidem, erubuisti enim hactenus totam noctem & diē in tot opprobrijs quæ sustinuisti
Psal. 68. quasi latro, quasi blasphemus, quasi facinorosus homo & nefarius. At verò tu, magne IESV, in tua nuditate vestitus eras virtutibus & donis cœlestibus; iustitia eras indutus, decore cælesti & lumine, & fortitudine immensa; eras vestitus diuinitate: simul indutus
Isa. 59. Psal. 92. & 103. eras vestimentis vltionis, & opertus quasi pallio zeli. Magnus eras, Domine, in tuis oppro-
Isa. 59. bris & infirmitatibus; nā quod tui infirmum
1. Cor. 1. est,

Universidad de Deusto
Biblioteca



est,fortius hominibus est, & omnibus aduersarijs potestatibus,potentius peccato & Inferno. Verùm pariter illa tua nuditas & contumelia vestiebatur misericordia & pietate in genus humanum; sic enim nostram salutem operabaris, & vestimenta quibus nostrā nuditatem cooperires: tua igitur nuditas excellentissimè fuit vestita,excelse IESV. Nos sumus verè & deformes & nudi, qui vestem iustitiæ quam accepimus in Adam amisimus;at illius culpa, sed nostra simul; illius actuali, nostra originali. Nudi concepti sumus & nati, texisti tamen nos tu, Domine IESV, gratiæ tuæ dono per aquæ salutaris Sacramētum: sed postea heu quoties nudata est anima nostra! Quoties nuda & fragilis se coniecit in manus hostium armatorum & crudelium! Quoties suam fœditatem ante Angelorum & Dei conspectum flagitiosè aperuit! Da nobis, sancte IESV, vt nos semper tua hac nuditate tegas,in qua est virtus vestimentorum iustitię & donorum tuorum. En anima, iam ligatur Deus tuus,& ad frigidam columnam colligatur vigente frigore,&obstrictiùs ligatur atque acerbiùs quàm fuerat hactenus,quum septies fuerit ligatus,in horto,ad Annam, apud Caipham primùm, iterum manè ad Caipham, præterea coram Pilato, item coram Herode, rursum quum mitteret flagellandum Pilatus: nam cùm stabat corā Iudice,soluebatur; quū inde mittebatur, rursus colligabatur. Nunc igitur vides illum acrius colligari, vt moueri ad verbera nullo modo possit. O rem miserandā in se, & flagrorum exspectatione miserabiliorem! Da mihi,IESV,ex hoc mysterio *1.Tim.3* fructus alios,& vt columnæ veritatis Ecclesiæ tuæ colliger strictissimè, neque propter acerbissimas quasque afflictiones ab illa columna separer; atque adeò me ipsum salutari flagellatione vt affligam ne ab illa dimouear,sed in dies illi hæream firmiùs. O si mihi dares præterea,bone IESV, vt quotidie me magis tuæ voluntati, & præceptis tuis astringerem, & maiorem illam constrictionem consiliorum euangelicorum, quam de tua singulari gratia suscepi,perfectiùs implerem! Da item, Domine, ijs qui illam obligationem non susceperunt, vt ne tua consilia contemnant, vel statum religiosæ vitæ fastidiant, qui est salutare *Mat.11* tuum beneficium,suaue iugum, gratia excellens: quam vitæ perfectionē qui non assequi- *Mat. 19* tur( vt non omnes capiunt illud verbum) ita tamen vitæ suæ rationes astringat,vt quæ poterit alia consilia persequatur,nec simplici sola præceptorum obseruatione sit contentus. Porrò autem quamuis refugiat animus vlteriùs procedere propter rerum indignitatem & dolorem; tamen veniendum est ad infinitam atrocitatem flagrorum, te iuuāte ô Deus meus flagellate. Iam leuant manus flagellis crudelibus armatas horridi carnifices,iam incutiunt flagra crudelissimè, exit liuor in plagas atrocissimas carnis sanctissimæ,carnis Dei omnipotentis, conciditur totum Christi corpus,& à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas;reputatur quasi leprosus è plagis, & percussus à Deo & humiliatus, ipse tamen vulneratus est propter iniquitates nostras, vehementia & multitudine verberum attritus est propter scelera nostra.Hæc autem est disciplina & castigatio non ipsius, sed nostra,qua pax nostra paratur; nam eius liuor nostra est medicina. O res miserabiles & luctuosas! Deus acerbissimè vapulat atque ignominiosissimè propter peccata nostra, & nos peccatorum delectationibus gaudemus: itaque nostra voluptate flagitiosa Deo plagas & mortem irrogamus. O abominabiles lictores! non sat erat si virgis more Romano cæderetis hominem innocentem, nisi etiam flagella adhiberetis vt seruo;eaque crudeliora quàm virgas,vt nefario homini? Luge anima mea,luge;plora cor meum; plangite immites oculi: certè cernitis vestram vitam Dei flagellis concidi, videtis flagellatum IESVM, & quasi leprosum, contemplamini percussum & humiliatum, vulneratum, attritum: luget IESVS ipse, non oculis, certè vulneribus : fiunt enim oculi in corpore eius innumerabiles, quibus plorat, non aquam, sed sanguinis acerbos riuos : lugent Angeli vt possunt: plangit Virgo Mater filij cruciatum atrocissimum : lugent Sancti Patres in Inferno : lugent Henoch & Elias in terrestri Paradiso; si quidem ad ipsos per internuntios Angelos perferebantur Christi mysteria passionis, vt piè credi potest: luget natura vniuersa sensu suo.Quis igitur tam est homo immitis & excors qui non lugeat, qui non lamenterur? Quis,qui infinitam illam crudelitatem animo recolat, cam non ita sentiat, atque si infligerentur omnia verbera, non eius corpori tantùm, sed cordi ipsi & animæ ? Et quidem minora sunt & leuiora quæ dico, quàm quæ sentire debeo, quamuis declarare verbis non valeam. Considera



sidera,pie meditator, rei huius indignitatem miserandam : flagellant excellentissima forma,virtute,innocentia hominem, quod omnes intelligebant; flagellant filium Dei,quod omnes poterant credere, & multi debebant. Hæc non indigna solùm sunt, etiam si indignissima sint, sed infiniti sceleris & impietatis. Aspice ad dolorem, imò ad infinitos dolores innumerabilium vulnerum,qui ex corpore ad animam Christi penetrabant amarissimè. Verberant omnes illi ictus & vulnera cor Christi & animam plurimis alijs de causis & maximis afflictissimam. Aduerte animum ad Paradisum tuum IESVM, qui *Gen.2.* illum amas; vnde non quatuor tantùm flumina egrediuntur, sed innumerabilia ; non aquæ, sed sanguinis ; non à loco voluptaris terrenæ,sed cœlestis; sed simul à loco doloris & mœstitiæ incomparabilis ; quæ non plactdè vt illa egrediuntur, sed acerbissimè;& non irrigant quidem omnem terram vt illa, etiāsi possunt,& planè possint, & potentiùs quam illa possunt ; sed terræ maxima pars hæc sanguinis Dei flumina non admittit, nō admittet , quod est longè tristissimū & miserrimū. Porrò cùm esset vita Christi in sanguine, quantum sanguinis effundebatur,tantum vitæ adimebatur, & debilius erat in corpore anima & vita . Diuerte tandem mentem ad Virginem matrem, & in ipsa perspicies non solum summum dolorem & afflictionē, sed illud simul, nullum flagrum corpori filij infligi, quod eius corpori, cordi, & animæ non incutiatur, & quod illa non cruentet amarissimè. Erat enim filio copulata perfecto amore Mariæ , non poterat ergo filius sine matre flagellari . Conciditur crudelissimis verberibus Mariæ amor, & assiduè simul augetur, & quò magis augetur,eò cruciatur magis. O dolores filij! o dolores Matris ingentes! ò hominem immitem & sæuum qui hæc nō sentit!Quot acceperis vulnera è flagellis, Domine IESV,tu scis ; & tamen piè credo reuelationi piorum hominum,qui tradiderunt numero fuisse ad quinquies mille & quadraginta. Fuisse quidem maximo numero certum est; non enim in re flagellando tanta cum atrocitate seruauit Pilatus Romanorū legem, minùs Iudæorum ; sed eò spectauit totus, vt enormi & immodica crudelitate in te edita placarentur Iudæorum animi: vt cædereris, miris IESV,sæuissimè quidē, citra mortem tamen . O immanitatem flagrorum, quibus licebant omnia, tantùm ne vitam eriperent. Fit contra omnes leges in te affligendo, IESV sancte;datur id peruertitari Iudæorum,& diabolicæ malignitati: qua in re, nec quod volebat, id assequutus est Pilatus, vt discederent à malitia Iudæi, nec aliud quicquam, quàm vt præter suam,& contra Iudæorū voluntatem, IESVS atrocissimè cruciaretur: ita tamen prophetiæ adimplebantur & Dei promissio, tum salus mortalium parabatur. Verè hac flagellatione, præter cruciatum immensum,reputabatis,sancte IESV,cum sceleratis; nam Pilatus permissione Dei in hac re quod dixit Moses seruauit,vt te verberarer;quod erat in- *Deut.25* dicium ex lege mortem non mereri qui cædererur: verùm in plagarum numero contra legem fecit; pro magnitudine enim criminis comperti cædebatur reus ex lege pluribus paucioribúsue plagis; sed ita vt ne quadraginta excederent. At tu,innocentissime IESV, cùm sine modo cæderis, omnium criminum videbaris esse damnatus: & Pilatus dum verberans te vult mortis non esse reum significare, tamen infinitè cum verberat, multis mortibus esse te dignum ostendit. Infinita est hæc significatio, bone IESV,amoris erga nos tui ; singuli enim tui liuores, singulæ plagæ quid aliud quàm immensam in mortales charitatem tuam declarāt? Quid? Si singulæ, quid omnes ? quid tam immenso numero? Clamant omnia vulnera tua,magne IESV,ad patrem tuum , & peccatorum nostrorum precantur veniam: singula impetrare possunt & impetrant; quanto potentiùs simul omnia! Neque tamen potentiùs,quum singula idem possint; verùm alioqui longè potentiùs,quòd idem,eademque virtute tam innumerabili numero replicant. Verè omnibus passionibus tuis, magne IESV,amplius *Ps. 50.* lauas iniquitates, semper exhibes copiosam *Ps.129.* redemptionem; faciunt dulcem harmoniam & actem diuinæ hæ voces, & auribus Patris, & tuis, & Spiritus sancti suauem & efficacem: clamant contra peccata,contra mortem,contra infernum, & exaudiuntur : clamant pœnitentiam vt agant suorum malefactorum mortales, Deum cognoscant, eius voluntati vt obediant : inclamant pijs medi atoribus facillimam viam ad deuotionem comparandam. Vulnera Dei tam crudelia sponte susceptа, tanta voluntate nobis ad salutem applicata, monstrant certissimū nobis & diuinum refugiū in nostris necessitatibus, atque adeo

Universidad de Deusto
Biblioteca



innumerabilia nobis offerunt refugia in nostris laboribus & ærumnis: vnumquodque enim vulnus tuum, benigne IESV, ampla
*Psal.30.* est domus refugij & cœlestis vt saluos nos facias. At enim sunt vulnera tua mihi terrori, magne IESV: quid enim non merētur mea peccata, si tu propter illa, Deus quum sis, tam atrociter flagellatus es? sunt tamen, & esse debent vulnera tua spes certa salutis. Quid enim sperare nō possum & debeo à te, qui ex amore tuo immenso antequam essem tantā crudelitatem es passus, vt mihi mea peccata remitteres, & tuis virtutibus & donis ornares? Dant animæ meæ vires vulnera tua, Domine IESV; date certè possunt, & dabunt quidem si mea peccata non faciant vt ne deāt: sunt enim illa suscepta à Deo meo, vt vulnera sanētur animæ meæ, vt vulnera animæ meæ ne
*Psal.37. Isa.1.* infligātur. Porrò cùm non sit sanitas in carne nostra, vulnus sit tota, & liuor, & plaga tumens, non circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo, & eam tu sanam susceperis vt nostram sanares; factum est vt restituant nobis sanitatem tuæ plagæ, vulnera & liuores nostri tuis vulneribus & liuoribus curentur. tuæ plagæ tumentes, quæ non fuerunt circumligatæ, non curatæ medicamine, non fotę oleo, atque adeò quarum circumligatio, medicamen, & fomentum, vulnerum aliorum fuit sæuissima replicatio. Faciunt igitur tuæ hæ plagæ, vt animorum nostrorum, tum sensuum vulnera tua virtute circumligentur, medicamine curentur tui sanguinis, oleo foueantur tuæ misericordiæ. Quis, si in flagella & tribulationes incidat, conqueri possit, & non potiùs patienter & longanimiter illa ferre debeat? Quis non deposcat plura pro peccatis suis pati, & pro Christi amore atque imitatione? Ponamus ante oculos fidei & meditationis piæ filium Dei IESV Mad columnam ligatum acerbissimè verberari; consideremus liuores, vulnera, sanguinis riuos; & si nostra sentiamus detrimenta, fateamur oportet non esse vulnera animæ nostræ curata perfecto medicamine, non oleo; & miseros adhuc nos esse credamus. Collige prævaricatrix anima mea ex hac Dei flagellatione vitiorum tuorum contritionem & luctum: tu illa vulnera Christo inflixisti: quoties enim peccatum in Deum commisisti, toties illi flagellum incussisti, &, vt verius dicatur, quoties peccasti, toties omnia simul vulnera Christo inflixisti: pro singulis enim tuis peccatis omnes plagas sustinuit Christus. Concipe ex Christi vulneribus virtutem animo quidem acri & constanti, humili tamen & sapienti per flagellationis tui corporis vsum, vt quum hoc facis, ex Christi plagis vim accipiat tui corporis afflictio, quasi in te illæ diuinæ plagæ suscipiantur, & tuæ per illas sint fructuosæ, vt esse possunt. Confer hanc corporis tui disciplinam ad tuorum peccatorum satisfactionem, adhibe ad vitiorum extirpationem, ad virtutum adeptionem; vtere interna flagellatione cordis & animæ tuæ, hoc est contritione, quæ, vt semper peccamus, nunquam non est adhibenda, & ad hanc diligentius confer Christi verberationem & deuotiùs, tum vt acriùs vindices in peccata tua, quæ virtus est contritionis, simul vt plagas cordis Christi & matris Virginis Mariæ imiteris & sentias salutariter: sic vitia tua & habitus malos verberabis, & virtute vulnerum Christi excuties. Discamus hinc præterea, Diabolum, præsertim vbi molestus est, flagellare; & sicut ille facit nobis, ita nos contrà illi faciamus. Illius flagella nituntur superbia in Deum, inuidia in nos: nos illum flagellemus Christi IESV flagris, quæ diuinam spirant humilitatem, immensam charitatem: his nos armati, vim vulnerum Christi in illum conuertamus, illi eam opponamus; ita illam feram bestiam cruētabimus. Ille flagellat nos superbia, nos illum humilitate Christi, & nostra in Christo; ille nos cædit inuidia, nos illum Christi charitate, & nostra in Christo; ille nos alijs vitijs verberat, nos illum alijs Christi virtutibus, & nostris in Christo & per Christum. Et simpliciter quidem flagellum est Dæmonis, & vehemes, & efficax oratio, & quem accipimus à Christo in oratione sensus spiritualis: his magna dexteritate, & humilitate, & animo vtamur, & fugiet Dæmon à facie vulnerum Christi IESV profligatus, cuius est gloria, virtus, & potentia infinita. Amen.

CORO-



# CORONATVR SPINIS IESVS.

MATTH. XXVII. MAR. XV. IOAN. XIX.

*In xcv. imaginem adnotatiuncula.* xcv. 122.

A. IESVS ab atrio in aulam Prætorij crudelissimè cæsus trahitur.
B. Reseruat Pilatus in cubiculum, & quid vellet fieri significauerat.
C. IESVS veste pariter ac pelle atrocissimè exutus, purpurea chlamyde per ludibrium induitur.
D. Sedere inbetur in scamno, capiti corona è spinis impositur, arundo pro sceptro datur.
E. Acerbissimè cadunt, illudunt, feriunt arundine, consalutant Regem Iudæorum.
F. Virgo Mater foris cum suis omnia ex internuntijs cognoscit.

MATTH. XXVII. MAR. XV. IOAN. XIX.

*Tunc milites Præsidis [a] suscipientes IESVM in Prætorio,*

*congregauerunt ad eum vniuersam cohortem:*
*& [c] exuentes eum,*
*chlamydem coccineam*
*circumdederunt ei:*
*& plectentes coronam de spinis,*
*[d] posuerunt super caput eius,*
*& arundinem in dextera eius:*
*& genu flexo ante eum,*
*[f] illudebant ei,*

*dicentes;*
*Aue Rex Iudæorum.*
*Et expuentes in eum,*
*acceperunt arundinem.*
*& percutiebant*
*caput eius.*

*Milites autem*

*duxerunt eum in [b] atrium Prætorij,*
*& conuocant totam cohortem.*

*& induunt eum purpura,*

*& imponunt ei plectentes spineam coronam.*

*Et cœperunt salutare eum;*

*Aue [f] Rex Iudæorum.*

*Et percutiebant caput eius arundine,*
*& [f] conspuebant eum:*
*& ponentes genua,*
*adorabant eum.*

*& veste [c] purpurea*
*circumdederūt eum.*
*Et milites plectentes coronam de spinis,*
*imposuerunt capiti eius:*

*Et veniebant ad eum.*

*& dicebant;*
*Aue Rex Iudæorum.*

*& dabant ei alapas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A.* ATrium, vnde IESVM suscipientes milites Romani traxerunt per scalas intrò in aulam Prætorij: in atrio verò remanent Iudæi in eadem hypocrisi perseuerantes, ne contaminentur: obseruabant tamen quid de IESV ageretur per internuntios.

*B.* Pilatus in interiorem partem domus secesserat, à quo milites intellexerant quid fieri vellet: dixit enim vt flagellatum eum instar Regis per ironiam spinis coronarent, & Regem consalutarent, vt eo magis esset vnde possent placari in eum Iudæi, & ipse maiorem causam haberet IESVM dimittendi. Intelligimus autem missos antea qui spinas ferrent, ex quibus milites coronam plecterent, quasi regium diadema.

*C.* Conuocata vniuersa cohorte in interiorem aulam prætorij, alij plectunt coronam de virgultis spinæ Aegyptiæ, trucibus aculeis horridæ, ex eo arbusculo scilicet, ex cuius floribus iucundæ coronæ fieri solebant. Alij afferunt chlamydem purpuream & coccineam, dibapham, id est bis tinctam, vel quòd materia esset purpurea, color coccinus: quale regium erat indumentum, & à Romanis solebat honoris causâ Regibus amicis transmitti: forma chlamydis erat vt pallij, id fibula ad collum connectebatur. Alij IESVM suis vestibus rursum exuunt, quæ fouebant quidem vulneratum eius corpus, sed simul vulneribus hæserant, quod ex sanguinis concretione necessum erat euenire itaque renouantur vulnera boni IESV: purpuream & coccineam chlamydem eum induunt, iubent autem sedere pro tribunali in vili scamno.

*D.* Cùm sedisset benignus IESVS, & recruduissent vulnera, & sanguine perfunderetur toto corpore: affertur atrox corona, eam illi offerunt; eam esse quam ipsi honoris causa Romanis Imperator mittit: concedere illi Regnum, sed spineum & miserum, quale ipsum decebat: hæc ad contumeliam. Dein coronam nõ tam imponunt capiti, quàm truculentissimis furculis impingũt atque infigunt. Erat ea lata, ac densa, vt bonam capitis partem sæuissimis aculeis transfigeret. Vndiq; perfluit diuinus sanctũ IESV sanguis per vultum, per aures, per collum: ad hæc arundinem, siue calamum dextræ inserunt, tanquam regium sceptrum: ita ornatum per summam contumeliam consalutant Regem Iudæorum genu flexi.

*E.* Aue, inquiunt conferti, Rex Iudæorum: hi cædunt diuinam faciem alapis, illi conspuunt, eripit vnus è manu arundinem, quæ solida erat & robusta, vt esse solent orientales; illa caput ferit, quo fiebat vt profundius infigerentur spinæ: omni denique cotumelia illum, & opprobrio, & cruciatu afficiunt execrabiles latrones. Hæc contemplare, pie meditator, in tua præsentia fieri, indignitatem considera, dolorem vulnerum, sanguinis effusionem: si penitus es Christo vnitus, similia in te senties fieri, & viuax animi tui sensus cruent abitur cum Christo & affligetur, nonnũquam corpore etiam similem senties cruciatum. Hoc est Dei vestri caput, ô Angeli, dignitatis corona splendens, hæc vestra gloria, in hoc omnes thesauri scientiæ & sapiẽtiæ sunt absconditi, hoc cœlum, terram, vniuersam creaturam suo imperio sustinet & gubernat & tamen acerbissime sæuissimis spinis configitur. Hæc est facies in quam desideratis Angeli aspicere, cuius conspectus vestrum desiderium beat; & tamen sputis putidissimis conspurcatur, alapis crudelissimis verberatur; non tamen velata facie IESV, vt fecerant Iudæi, quasi suam æcitatem illi prædicentes, hi lucem: sentit hanc crudelitatem & ignominiam cœlum, terra, omnis creatura; & tamen homines illam, hi infligunt, alij non sentiunt. Pudeat te esse hominem, quòd homines hæc faciant; doleat tibi quòd propterpecent atque fiant; confidas quòd per hæc tua expientur peccata. Considera rursum Dæmones adhuc gaudentes, totam militum cohortem infinitis blasphemijs Christum lacessentes, risu, cachinnis, sannis illi conuiciantes. Iudæi hæc non videbant quidem, audiebant tamen tumultum & clamores, sciebant per suos internuntios quid ageretur, partim verò lætabantur, partim illorum animus angebatur: metuebãt enim ne tot pœnæ & contumeliæ euaderent tandem in IESV liberationem, qua nihil cõtingere poterat illis acerbius. O IESV bone, vellem ex te scire quo pacto hæc feras. Primùm non heroico tantùm, sed planè diuino animo; sentio tamen summum dolorem, perseuerat mecum tædium, mœror, afflictio quæ per tot horas pertuli, vulnera flagrorum me excruciant, spinæ his omnibus adiunctæ me conficiunt: attamen quamuis crescunt cruciatus, longè tamẽ illos superat animi mei promptitudo, constantia, & fortitudo. Atque illos quidem cruciatus, cùm sint sæuissimi, non ob necessitatem tuæ redemptionis patior, ô homo sat quidem futura esset mea mors ad infinitos homines saluandos: do tamen tuæ vtilitati, quæ alioqui sunt tua redemptio: ne committas per insipientiam cordis tui vt horũ meditatio tibi non prosit, & ad meritũ, & ad spiritus vim, quæ incomparabilem habent vtilitatem & salutem. Hoc præterea volo te intelligere, inter acerbissimos dolores quos tota mea passione sustinui, illũ continenter accessisse amarissimum, quòd semper prospiciebam vnicè dilectam ac venerandam matrem Virginem de doloribus & pœnis meis conflci: videbam meis colaphis, palmis, alapis, conspuationibus, meis flagris, contumelijs, spinis, pauore, tristitia, frigore, lassitudine illã vehementissimè affligi & cruciari.

*F.* Quo tempore coronatus est Christus, foris extra atrium prætorij lugebat beata Virgo cum suis, neque quicquam eorũ quæ in IESVM fiebant videre poterat: audire aliquid poterat, sciebat item vel per nuncios, vel ex turbæ vocibus, ex quibus permanabant & diuulgabantur omnia: contemplabatur tamen desolata Virgo singula spiritu in corde suo: duplicatur gemitus omnium & afflictio, horrent ad spinas, abominantur carnifices, compatiuntur Christo, omnibus modis se affligunt.



## MEDITATIO.

Cant. 3. EGredimini iterum filiæ Sion, meditatores deuoti, egredimini, videte Regem Salomonem: egressi enim antea estis, & vidistis Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius, id est quando ex Maria Virgine nostrã assumpsit naturam Prou. 8. vnigenitus Dei filius, & delicias suas fecit esse cum filijs hominum. Egredimini rursum filiæ Sion, seponite illam coronationem incarnationis, & ad eam passionis, cui tunc se offerebat Christus, totum animũ atque affectum omnem intendite, quæ plena doloris est & ignominiæ, spineam sponsi vestri coronationem. En vobis sese offert Christus IESVS truculentissimè flagellatus, videtis recentia vulnera Dei, imò totum corpus quasi vnum vulnus aspicitis, cõcisas carnes, vndique fluentem sanguinem, madidam terram Filij Dei sanguine, absque ijs quos intrinsecus patitur dolores immẽsos. Considerate, obsecro, quid faciat è columna solutus: inuestigat vestes suas, quas latrones & atrociter illum exuerãt, & contemptim disperserant. Exanguis IESVS, & vehementer debilitatus & afflictus colligit iussus vestimẽta sua hinc illinc, rigat sanguine suo terram. Sed cur indui imperatis, homines impij, quẽ modò estis rursum spoliaturi? Vt illum cõtumelia maiori & cruciatu afficiamus, propterea id facimus. Nulla fuit ferè mora quin ex Pilati vel imperio, vel permissione, è flagellatione conferant se latrones pessimi ad opprobriũ & crudelitatem spinææ coronationis. Adeste filiæ Sion, animaduertite quid fiat sponso vestro. Appropera**rant illum rursus** exuere vestibus suis: crucia**tus ille fuit quum** se è flagellatione induit Christus, addere volunt rabidi canes acerbiorem, & per violentiam rursus IESVM exspoliant. Verùm quid fuit, quapropter voluistis coronare spinis purpura indutum, non suis vestimentis? Primùm voluimus illum cruciare vestes eripiendo, dein placuit vt conspicua essent illius flagra ad maiorem contemptum & abiectionem; ad hæc noluimus ne vestigium quidem hominis illius vllum remanere in illo, minùs magistri, qualem repræsentare videbantur suæ vestes: vestem verò albam Herodis auferre placuit, ne videri posset fatuus, sed potiùs homo nequam & facinorosus. Nihil scilicet conscelerati homines excogitare poterant ad te contumelia afficiendum, sanctè IESV, & cruciatu, quod non auidissimè exequerẽtur & crudelissimè. Vidistis filiæ Sion sponsum vestrum nudum, Thr. 1. quærentem sua vestimenta, induentem se, in- Is. 26. dutum rursus exui, & iterum nudum: quem fructum igitur ex his animo concepistis? Exercuimus sensus nostros interiores, tum spirituales illis mysterijs, sensimus intimo animo indignitates illas & acerbitates immẽsas, & cordi impressimus; contabuit anima nostra dolore & compassione: simul illinc vim spiritus acrem cõcepimus humilitatis & patientiæ; voluissemus illi suas vestes offerre, eum iuuare, horridos illos carnifices abigere; nec sanè eius volũtas erat vt hæc illi seruitia quisquam deferret. Quod illũ velle intelleximus, id conandum vobis est, vt lugubri & pia meditatione vestes orationis spirituales, quas ille simul nobis quærebat, inquiramus atque inueniamus, ipso nobis præeunte: illis eum induamus, quibus libenter tegitur, imò quibus nos ipse induit placidè & fructuosè: nostrana

Universidad de Deusto
Biblioteca



stram nuditatem agnoscamus, quam effecerunt peccata nostra; vestes salutares virtutum quæramus, quibus nuditatem contegamus: contẽdamus porrò ne rursus à nobis eripiantur, illud considerantes, quòd à se denuo vestes eripi permisit IESVS, vt ne nobis per illũ semel partæ ab hostibus nostris diripiantur. Sed quid hîc nos moramur? non morantur sæui milites: IESVM ecce trahunt introò in aulam prætorij, congregant ad eum vniuersam cohortem, exuunt, circumdant ei purpuram, sedere iubent vili in scabello, coronant atrocissimè corona ex spinis. Et coronam quidem non solùm ad ludibrium conferunt, vt chlamydem & scamnũ, sed ad acerbissimum cruciatum, impactis trucibus spinis: non autem tantùm vulnerarunt, sed crudelissimè etiam lancinauerunt. Porrigunt in manum eius tanquam sceptrum arundinem, illudunt & conuiciantur ei, genu flexo, quasi illum adorantes inclamant, Aue Rex Iudæorum, conspuunt eum, dant ei alapas, tum accepta ex manu eius dura arundine crudeliter caput eius percutiunt; quò fiebat vt non solùm priora spinarum vulnera renouarentur, sed vt altiùs impactis spinis, noua fierent vulnera & crudeliora. Eccam vobis, filiæ Sion, apertam meditationi vestræ materiæ immensitatem: quid enim immensum non est & infinitũ in gestis Christi, & passionibus, & morte, siue ad eum qui patitur spectes, siue ad peccatorũ pro quibus patitur Deus grauitatem, siue ad fructum passionum? Ad prætorium adducunt IESVM scelerati, veluti ad Regiã è loco supplicij, ad augendũ ludibrium. Voluisti, inquiunt, homo nefarie, Rex fieri; eris Rex, sed flagellatus; Rex eris, & spineus, & horridus, & omnibus abominabilis. O tetrũ Satanam, qui hæc per sua mẽbra audet. Nolumus tuam coronationem faciant Iudæi, ludus enim ille esset si facerent: nos verè te volumus Regem coronare Romanorum enim est Reges designare, non vilium Iudæorum; quæ sanna longè altius opprobrium faciebat. Sequimini filiæ Sion sponsum vestrum spinis coronandum, adorate vestigia pedum eius, ad cor vestrum sanguinem è vulneribus defluentem recipite, ne ad aliam quàm ad vestram terram recipiatur: exuitur vestibus suis, illas accipite vos, etiamsi nolint Dæmones, illas seruate & deosculamini; sunt Christi, sunt Dei, sunt flagellati Christi & Dei propter vos, sunt quibus animæ vestræ amicimentur vestimenta salutaria & diuina. Congregant ad probrosam coronationem IESV cohortem latronum; cõuocat simul Satan suos Diabolos maiori numero: conuocate vos filiæ Sion Angelos, vocate sodales vestras, adnocate cœlum, terram, creaturam omnem ad spectaculum omnibus seculis inauditũ, horribile toti creaturæ & luctuosum, quo coronatur spinis Deus summa contumelia & cruciatu. En iam sedet abiectè omni ludibrio expositus; contemplamini eum filiæ Sion, is enim ipse est qui super thronos sedet & super Cherubim, is qui per hanc vilem sedem meretur consessum ad dexteram Dei Patris omnipotentis in excelsis, & vt iudicaturus orbem sedeat super sedem maiestatis suę; is qui sedẽs ad dexteram Patris, stat simul iniungens suam indignationem, & vindictam in malos, simul protendens manum cælestis auxilij & retributionis in bonos. Conferte illã maiestatem cum hac abiectione, & videte ex illa in hanc influere diuinam virtutem; hanc per illam fieri excellentissimam vilitatem & potentissimam. Intelligite hinc, nihil aliùs esse humilitate quæ est in Christo, gustate vt omnem suauitatem superet sedere nudum, vulneratum, abiectum cum Christo. Iam circumdant Christo purpuream chlamydem, obsoletam & contemptibilem, sed purpuream quidem illam & coccineam. En principium Regni tui, en purpuram te dignam, iam regnare incipe Regnum quod huius mundi nõ est. Non hoc solum tunc dicebant homines impij, sed habent illius impietatis imitatores quamplurimos; Machumetanos, & Iudæos, & Hæreticos. Et illi quidẽ apertè Christo conuiciantur, hæretici cùm alium sibi confingũt Christum, aliam Christi doctrinam appingunt, vero Christo, & veræ eius doctrinæ illudunt & conuiciantur insolenter. Sed hi impij sunt; quid nos, qui orthodoxam pietatem profitemur, non similiter facimus? Hæretici nunquam non habent in ore Christum, illum tamen alienis vestibus induunt, id est suis erroribus: nos Christum confitemur, fidẽ Catholicam tenemus & doctrinam; & tamen ira viuimus, vt eum identidem chlamyde simili atque milites amiciamus mortua fide, & peruersa eius confessione & factis. O acerbi latrones, cur illum purpura induitis? iam enim est purpura amictus ampliori, & quidem vermiculata purpureo suo sanguine & vulneribus: si quæritis despectionem, maior est

*Mat. 27*

*Tertul. de coron. Milit.*

*Psal. 79. & 98. Hebr. 1.*

*Mat. 11*

*Matth.*



est in hac purpura quàm in vestra chlamyde; quid vultis? Veram assimulare volumus Regiæ inaugurationis pompam, ad maius ludibrium. O sæuam malignitatem! Verùm parat vobis hæc purpura Christi, ô Martyres, vestras purpuras: nam propterea sanguis vester preciosa purpura est, quòd sua purpura imbuerit illum Christus. Vestit vos sponsus, ô Virgines, vestra stola, non solùm alba, sed simul quæ purpureum referat colorẽ; est enim in virginitate vestra suum martyrium: atque adeò induantur necesse est omnes sancti sanguine Christi, & sese lauent: non enim nisi per sanguinem, & ex sanguine Christi dealbantur, & euadunt in claritatẽ sempiternam; sanguis enim IESV vitã generat æternam. Properate filiæ Sion, venite; en facit Christus ex scamno suo distributionem chlamydum purpurearũ: accipite, purgate animas vestras actionũ puritate atque perfectione in Christo. Sed en afferunt magna pompa homines peruersissimi ad IESVM spineã coronam, eam offerunt ob oculos per contumeliam, impingunt dein crudelissimè in Dei caput, in caput capitis vestri, ô Angeli, in vestri, ô Ecclesia vniuersa; vnum enim est caput omnium Christus, ex quo etiã sumetis vestrum influxum diuinum Angeli, vt omnem influxum Ecclesia & omne bonum: huius capitis caput spinis coronatur. Absque dubitatione dolor vester, & animorum auersio tanget vos, Angeli, quum è capite Christo in Ecclesiam suus dolor redundat: ad nos autem huius coronationis cruciatus pertinet propriè, ô mortales; ex nostris enim spinis plexa est hæc Christi corona, nostra peccata sunt coronæ illius spineæ; atque adeò singula peccata omnes spinæ sunt, & tota corona. Pœna nostrorum peccatorum æterna in illarum spinarum vulnera conuertitur; vulnera illa, infinitæ illi pœnæ satisfaciunt. O miseros nos si hæc non sentimus; miseri item si sentimus, & tamen non compungimur, & vitam in melius non commutamus: pugnabit enim ille sensus contra nos, & nostram socordiam coarguet. Animaduertite filiæ Sion, quantum afferat hæc corona Regi vestro cruciatum: vigent omnes sensus vel ex capite vel in capite, tum externi tum interni; illi omnes acerbè lædebantur, etiamsi præter cæteros cruciabatur tactus: interni simul omnes affligebantur, in totum corpus deriuabatur capitis dolor, vt ab eo principium sumunt omnes animales operationes: & tamen singulæ spinæ hoc faciebant, quid omnes? quid in sensibus Christi perfectissimis? Si vnum corporis membrum patitur, membra cætera compatiuntur: nunc verò in te, benigne IESV, humilis IESV, flagellate IESV, coronate spinis IESV, omnia membra, omnes sensus patiuntur; quid est consequens nisi vt compatiantur omnia membra tua, & immensa ista sit passio & compassio? O ferini cordis animam quæ hæc non sentit! ô immites oculos qui non plangunt! Si membrum es Christi, comparere è spinis amarissimè patienti Christo: quod si non facis, quid respondere poteris, nisi tuam insipientiam esse, & cordis stupiditatem accusandam? Luctum habe saltem quòd hæc non lugeas quæ lugent Angeli, qui tamen lugere non possunt: quæ cœlum, terra, creatura omnis obstupescit, & suo luctu luget. O verum & perfectum nostrum redemptorem & Samaritanum IESVM! Non solùm delet iniquitates nostras, sed infirmitates sanat tactus nostri per flagellationem, tactus rursum & reliquorum sensuum per coronationem. Etenim quid fuit Christi flagellatio, quid verò coronatio, nisi sensuum nostrorum correctio, & noxiorum motuum repressio, & tentationum depulsio? Quotquot enim plagas Christo infligebant flagra, quotquot spinæ, tot vulneribus Christus cædebatur ob petulantiam nostrorum sensuum, quibus simul sanitatem afferebat: quòd si non sanentur peruersi sensuum tuorum motus, nec sedetur procacitas, tua est illa culpa, non imbecillitas medicinæ, vel Medici imprudentia. Corde recipe illa vulnera, ex corde deriua ad sensus, accipies diuinum auxilium, si non vt dissipentur motus, certè vt ne noceant. Debent autem hæc quæ de appetitu sensuum dicimus, intelligi & vsurpari in appetitu rationali, & in rationalibus potentijs; & prius quidem in illis disciplina institui debet atque exerceri. Deerat sceptrum ad Regiam pompam; inserũt in dexteram mitis IESV homines scelerati arundinem acrem, qua vtebãtur quidem ad ludibrium, conferebant tamẽ ad maleficium: accipit libens arundinẽ mansuetus IESVS, factus obediens teterrimis etiam hominibus. En vobis, ô Angeli, homines, en orbis vniuersę Regem vestrum, Regem Regum, & Dominum dominantium, Regem omnium seculorum; Omnipotens nomen

*1. Cor. 12*

*Psal. 50. 102.*

*Mar. 15*

*Apo. 19 1. Tim. 1 Exo. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nomen eius. Hic idem sedet duplici indutus purpura, sui sanguinis, & obsoleta illa: sedet coronatus spinis, pro sceptro gerit in manu arundinem, saluratur genu flexo per irrisionem & detestationem Rex Iudæorum, percutitur alapis, conspuitur, verberatur eius caput arundine. Quid hîc videtis, Angeli? Peccata videmus mortalium horrida & innumerabilia, & Dei misericordiam, & Christi patientiam, & Regni cœlestis figurã: hæc enim purpura, hæc corona, hoc sceptrum, & quæ cum his coniuncta sunt, pepererunt hominibus gloriam & Regnum sempiternum. Bestiæ estis, ô Dæmones, quibus semper illudit Deus: existimatis vos hæc fore IESV opprobria; sunt vestra, ac vestrorũ assectarum non solùm opprobria, sed pœnæ infernales; Christi verò glorioſissima trophæa, per quæ vos
*Coloſ.2.* triumphat & traducit palàm. Quid verò vos videtis, homines? Videmus & nos quæ Angeli, sed in contemplatione nostrorum peccatorum hæremus: illa est meditatio nobis fructuosa, quæ applicat Christi passionem & improperia nostris culpis, vt in illas nos per illa vindicemus, simul vt per illa veniam ab eo qui propterea passus est vt illas nobis condonaret, exoremus: quòd si paulò altiùs feramur, illos omnes cruciatus, illa improperia nos Christo infligere intelligemus, nostrorũ peccatorum varietate. Purpura enim cõtemptibili induimus Christum, si per hypocrisim Christum laudamus, vel si negligenter in oratione versamur. Corona spinea illum coronamus, vbi eius seruos conuitijs & contumelijs appetimus, vel vbi malè de illis suspicamur. In dexteram eius arundinem inserimus, vbi contemnimus eius in nobis gubernationem, & disciplinam auersamur. Saluramus genu flexo Regem Iudæorum per ironiam, quãdo subdolè nostris maioribus obedimus,
*Epheſ.6.* quando non animo, sed ad oculum obtemperamus. Infringit Christo alapas, qui ignominiosè illum blasphemat, vel etiam si quis efficitas vel reuelationes, vel dona ementitur. Conspuit Christum, qui lasciuiam persequitur, & carnis corruptiones, vel si quis finem in delectationibus spiritualibus ponit. Percutit arundine coronam spineam Christi & caput, qui rebus diuinis ad malas artes, vel ad coniurationes, vel flagitia abutitur; vel ille etiam qui rebus spiritualibus, & moribus quialioqui probati sunt, abutitur vel ad quæstũ, vel ad dignitates comparandas. Denique in vniuersum vestiunt purpura, coronant, dant in manum Christo arundinem, & illum salutant hypocritæ omnes, quotquot in Deum peccant. Quid vos reliquæ Dei creaturæ sentitis? Nos quidem semper fecimus verbum Domini creatoris & gubernatoris nostri: in ipso enim sumus omnes, in ipso sumus & *Act. 17.* mouemur quamplurimæ, viuimus etiam in ipso permultæ, ipse nos fini nostro coniũgit; Regem illum agnoscimus, & nostris actionibus & obedientia profitemur; nec amplius sentire possumus vel loqui quàm re ipsa præstamus, nisi illud nobis concedat noster Dominus. Hoc si concederet, clamaremus peiores nobis esse qui naturam meliorem quàm nos acceperunt: hi enim Regem negant eum qui orbem regit vniuersum, & cum in quo & ipsi viuunt, mouentur, & sunt, plagis afficiunt & contumelijs. Quòd si nobis illud etiam concederet noster conditor & gubernator, nostras vires cõtra tantam impietatem conuerteremus, perirent omnes miserrimè à facie nostra. Desidero, magne IESV, & peto abs te quàm possum humillimè atque studioſissimè, vt me tuis vestibus induas: purpura, quæ sit feruens meus in te amor, & acre desiderium sanguinem pro te fundendi; corona spinea, quæ sit gloria ea apud te, quæ per mortificationem omnium sensuum perficitur; spinis me simul compunctionis transfigas, & zelo iustitiæ & gloriæ tuæ; da mihi in manum arundinem, qua meas passiones, & tentationes, & insolentes Dæmonũ importunitates, tanquam virga ferrea in te flagel- *Pſal. 2.* lem & dissipem, & fiat mihi virga illa virga directionis, virga Regni tui, qui es benedictus in sæcula. Amen.

GESTA



# GESTA POST CORONATIONEM, ANTEQVAM FERRETVR SENTENTIA.

## IOAN. XIX.

*In xcvi. imaginem adnotatiuncula.* xcvi. 123.

A. *Ostendit Pilatus Iudæis IESVM flagellatum & coronatum e spinis: dicit, Ecce homo.*
B. *Cùm defenderet IESVM Pilatus, ad accusationem blasphemiæ veniunt; Filium Dei se fecit.*
C. *Magis timuit Pilatus, propterea ingressus in prætorium accuratius interrogat IESVM: Vnde es tu?*
D. *Non respondet illi IESVS.*
C. *Quod videns Pilatus, vrget illum concitatè.*
D. *Respondet IESVS; Non haberes potestatem, &c.*
A. *Motus verbis IESV, apertius agit vt ipsum liberet.*
B. *Addunt Iudæi; Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.*
A. *Hac plaga Pilatus à IESV defensione dejectus est.*

## IOAN. XIX.

*Exiuit ergo iterum [a] Pilatus foras, & dicit eis; Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullã inuenio in eo causam. [a] Exiuit ergo IESVS portans spineam coronam, & purpureum vestimentum: & dicit eis; [a] Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes; Crucifige, Crucifige eum. Dicit eis Pilatus; Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non inuenio in eo causam. [b] Responderunt ei Iudæi; Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei [b] se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, [a] magis timuit: & ingressus est in prætorium iterum, & dicit ad IESVM: Vnde es tu? [a] IESVS autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi [a] non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respõdit IESVS; Non [a] haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc [b] dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.*

## ADNOTATIO.

Postquam edixerat Pilatus vt finem faceret milites affligendi IESVM, iussit duci: prædedit ipse ad Propylæum eo animo, vt qui verbis & authoritate non potuisset Iudæos ab insectatione IESV reuocare, commiseratione flecteret. Peruenit prior ad anteriorem Propylæi partem; conuertunt ad illum ferociter ora Iudæi. At Pilatus: Ecce, inquit, adduco eum ad vos foras virgis cæsum, atque spinis coronatum; vtrumque cum ingenti crudelitate atque ignominia, vt intelligatis me vestræ importunitati hæc dedisse, vt tandem vestri ciuis miseriæ animum vestrum placent, neque ad mortem vsque velitis in illum sæuire: profiteor enim, quod sæpe dixi, me in illo nullam mortis causam inuenire: dimittam igitur illum emendatum, ita vt nec ille iactare possit se Regem, nec vos ab illo quicquam timere: date hoc humanitati, Iudæi, & veniat vobis in mentem quòd homines estis, qui accusari posſitis, in quos sæuire, quibus condonare noxam Cæsar, vel ego possim. Cur tu per te illum non dimittis Pilate? Vellem quidem dimittere; sed illud contendo, vt consentientibus Iudæis dimittam. Video quidem IESV innocentiam singularem, Iudæorum liuorem tetrum, nec sum tam parato animo, vt pro veritate esse fortiter contra iniquitatem & calumniam. Hæc cum diceret Pilatus, & Iudæi tumultuarentur, ductus

Universidad de Deusto
Biblioteca



IESVS è prætorio venit ad Pilatum portans spineam coronam & purpuram, plagis toto corpore & sanguine horridus, habitu despicatissimus, omnibus modis miserandus: hanc Christi speciem exhibuit Pilatus Iudæis. Ecce, inquit, homo. Ecce homo, inquit Pater Deus, qui filius est meus, mihi in mea gloria coæternus. Ecce homo, inquiunt Angeli, qui noster est creator, noster Dominus, nostra gloria sempiterna. Ecce homo, inquiunt cæli & terra, ac omnia quæ his continentur, qui nos creauit, conseruat, gubernat sua omnipotentia & virtute. Ecce Deus, inquit Virgo, qui ex meis visceribus factus est homo, qui ex meo utero natus est Deus homo. Ecce homo, dicunt pij omnes animi, qui est nostra salus & vita, nostra gloria, nostra cordium exultatio. Sed tu, Pilate, quid dicis? Ecce homo adeò afflictus, adeò dehonestatus, adeò abiectus, vt nullus ei inuidere, nullus eum metuere possit; sed contrà illum potiùs vel cõtemnere, vel miserari omnes debeãt. At impij Principes vel ministri, quid dicunt? (nam plebs videtur tam miserabili aspectu commota tacere, etiamsi in Christum excitata rursum est) quid igitur dicunt conscelerati Principes & ministri Iudæorum? Inrabiem maiorem accenduntur ex Christi maioribus miseriis & ærumnis. Crucifige, Crucifige eum: leuissima hæc sunt quæ cernimus, pro magnitudine odij, inuidiæ, & malignitatis nostræ: vitam petimus per mortem ignominiæ & turpitudinis plenã: crucifige, crucifige. Mira est Pilati constantia hactenus in vita Christi defendenda, quem tam atrox Iudæorum obstinatio nihil loco mouebat. Accipite eum vos, subdit, & crucifigite; ego enim non inuenio in eo damnationis vllam causam. Hæc commoto animo per execrationem Iudæorum dixit, vehemẽter omnes à morte Christi deterrens. Ego illius innocentiã cum videam, nec vos quicquã aduersum eum adducatis, planè illũ nõ possum, nec debeo crucifigere; vos illũ crucifigite: quòd si nõ potestis, vt nõ poteslis, nec si possetis auderetis, est planè vestra malitia detestabilis, qui nec illũ audeatis crucifigere, & me velitis adigere vt crucifigã, qui illũ scio & profiteor innocentẽ, neque tamẽ aliud quàm impotẽter clamatis, Crucifige, crucifige. His Pilati verbis exacerbati Iudæi, ne odia tantum agere viderentur, innouant accusationem; & quod hactenus astutè siluerant, coacti produnt.

B. Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Hoc verò est quod in concilio bis prætenderãt damnationi & morti IESV, nec ausi tamen fuerant hactenus deferre ad Pilatum, metuentes ne id audiens Pilatus perturbaretur, & timeret cum damnare. Nunc nescientes quò se verterent, necessariò illud euomunt; Fecit se filium Dei, propterea iuxtà legem nostram debet mori. Non audent nunc dicere, vt blasphemus, quod aliàs fecerãt, & nuper in cõcilio cõclamauerãt; neq; enim omnia vel Dæmonibus, vel illis permittebat Christus; illud permisit dicere, quo significari posset excellentissima illa veritas; fecisse Christum cum Patre & Spiritu sancto vnica operatione diuinæ virtutis, vt sua humanitas verbo suo vniretur, & fieret Deus homo & esset: propter enim suæ diuinitatis & Euangelij constantem prædicationem, oportebat Christum pati, vt prædixerant Prophetæ, ac constituerat Deus. At Iudæi obcæcati tetra malitia atque malignitate, summam veritatem in summam inuidiam vocant & accusationem: vtuntur malitiosè verbo, fecit, quasi per vsurpationẽ id fecisset Christus, & non professus esset planè se filium Dei, & alibi non semel, & in concilio bis ante aliquot horas, & quasi eam veritatem non confirmasset diuino testimonio, mortuos suscitando, cæcos illuminando, Dæmones suo imperio ejicièdo: quæ omnia & illam veritatem quam ipse profitebatur, & totam eius doctrinam & gesta cœlesti authoritate corroborabant. Lubet tamen tam illustri oculi superborum hominũ & inuidorum obcæcati sunt, agente eos præcipites cacodæmone in omne maleficium & amentiam: vt mirum non sit quòd tam fœdè secum ipsi pugnent. Non licet, modò dixerant, nobis interficere quẽquam, nunc, Secundùm legem debet mori. Igitur vobis licet quod dixistis non licere; non enim lex blasphemum lapidandum, minùs verò crucifigendum tradebat Gentibus, sed vobis lapidandum iusto iudicio; cur non arripitis occasionem ex verbis Pilati, qui dixit; Accipite eũ vos, & crucifigite? Incredibilis erat Dæmonis & Iudæorũ nequitia: volebant IESVM per summum cruciatum atque ignominiam interficere, id est per crucem, vt non solùm neci traderetur, sed execrabilis eius nomen ab hominum memoria: itaque nullus esse posset qui vel illius nomẽ non execraretur, vel non erubesceret; verùm contendebant illud fieri per Romanos, vt illa damnatio & infamia non contineretur tantùm angustijs gentis Iudaicæ, sed totum orbem peruagaretur, & consensisse in damnationẽ videretur omnes mortales: hoc persuaserãt Dæmones, hoc furiosè contendebant Iudæi.

C. Vbi hanc audiuit nouam accusationem Pilatus,



latus, quũ antea semper veritus fuisset IESVM damnare, tunc verò magis timuit. Audierat de Deo Iudæorum, nõ erat inusitatũ idololatras Deorum filios credere & adorare, arcana quæ de Deo Iudæorum audierat admirabatur (ignotum enim Deũ ferè Gentiles colebant) quare exhorret, quum illius Dei, ignoti quidem, sed Dei tamen filium cogitat à se morti iudicandum. Relictis ergo Iudæis rursùs ingressus prætoriũ assumpto IESV attentissimè illum interrogat. Iam non quero an Rex sis, non quid sit veritas, sed hoc vt dicas: vnde es tu? Scio Galilæum, è potestate Herodis; hanc originem non quæro, sed aliam: intellexi quidem ex te non esse Regnum tuum ex hoc mundo, suscipatus sum te Regem esse, sed à quo Romanis non sit timendum; rationem tamen regni non intelligo, audiens quòd te filium Dei dixeris: peto ex te vt aperias mihi vnde sis: vt intelligere possim an sis filius Dei: quod quũ intellexero, eripiãte ex Iudæorũ coniuratione & maleficio. Eò res iam euaserat, vt si respõdisset IESVS, planè videretur à Pilato liberandus, & id sua responsione quæsiuisse: nãq; audiens quòd se diceret Regem IESVS, illum suspitione Regni affectati liberauerat; quid non faceret, si eum apertè & clarè è cælo filium Dei omnipotentis venisse in mundum, sumpsisse ex Virgine carnẽ ad redimendos mortales ab æterna morte, ad communicandam illis sempiternã gloriam venisse audiret?

D. Quocirca quum sciret IESVS, etsi Deum se Pilato fateretur, alia occasione ab eo esse interficiendum, ne grauius peccaret Pilatus, tum propter eius indignitatem noluit respondere, simul vt voluntate sua intelligeretur pati: quod insimitis aliijs factis demonstrauit, dispensationẽ & præceptum Patris, & scripturas voluisse se voluntate adimplere.

C. Videns Pilatus, quòd nihil responderet, iam non admiratur silentium vt antea, sed perturbatus animo, & impensius cupiens aliquid audire, vnde occasionem capere posset illum dimittendi; Mihi, inquit, non loqueris? concitata quidem mente ita loquitur, sed benevola; quasi vehementer illum alliciens ad responsionem. Propterea addit; Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatẽ habeo dimittere te? Tuipse intellexisti, IESV, quanta contentione hactenus à morte liberare vobuerim, & nũc in eo sum totus: respondeo; etsi aliud nihil te mouet, illud moueat, quòd in potestate mea est tua vel mors vel vita, & tua responsione possis à me vitam impetrare.

D. Cum ad primam interrogationem voluisset respondere Christus, ad hanc nolait tacere, propter zelum potẽtiæ Patris sui; Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper. Rursùs reuocat ipsum à terrenis, & ad spiritualia inuitat, vt amè quum dixit; Regnũ meum non est de hoc mundo; quod mouerat Pilatum, & nunc non dubium quin fuerit permotus sed ita tamen, quod sciebat IESVS, vt non propterea esset eum dimissurus, sed minorẽ voluntatem adducturus ad eius damnationẽ. Curabat enim Christus, considerans nonnihil virtutis & veritatis quod in eo erat, Pilatum remunerare, vt leniùs peccaret, & leuiorem pœnam mereretur, quod antea iam curauerat. Respondit igitur Christus; Nõ haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Habes quidem in me potestatem aliquam, verùm non vt arbitraris à Cæsare, vel ex officio tuo, vel à Iudæis; in me enim ne minimũ quidem possunt omnes Dæmones, omnis terrena potestas, vel vniuersa creatura; sed dispensatio est è cælo proueniens, à Deo Patre permissa tibi, vt facultatem habeas meæ vitæ & mortis. Potestatem ergo cum tu profitearis te habere in me, & videris meam innocentiam, grauiter quidẽ in Deum & me peccasti me flagellando & spinis coronando; grauiter simul peccas, qui non dimittere audes propter humanum timorem; grauius tamen longè quàm tu peccant Iudæi; tu enim ignorãtia quadam, & pessimè peccas; illi ex tetra inuidia, malitia, malignitate, & longè minori ignorantia.

A. His verbis perterritus Pilatus, iam inde apertiùs disquirebat vnde IESVM dimitteret, cum antea in hoc fuisset: relicto enim IESV intra prætorium, prodyt rursum ad propylæum, & cum Iudæis acriùs cõtendit, IESVM vt liberet: quod vbi viderunt Principes, sua maleficia & seua consilia in angustum redacta, nec religione moueri Pilatum vt IESVM crucifigeret, quod ipsi sperauerant, sed contrà vt liberaret; veniunt ad illud quod apud Romanos sciebant plurimùm valere, ad ambitionem, vt timorem incuterent Pilato, & caueret ne iacturã faceret dignitatis apud Cæsarem, clamant;

B. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Hæc dicunt furias spirantes, & atroces minas, quasi illum apud Tyberium accusaturi. Non potes, Pilate, tueri tuam dignitatem, non potes

Universidad de Deusto
Biblioteca



*non esse reus Maiestatis, si hunc dimittis qui se Regem esse profitetur. Nihil est quòd tibi persuadeat Regnum eius non esse de hoc mundo, Regem ipse se esse non negat; hoc est aduersari Cæsaris monarchiæ: quod si tu in illum nõ animaduertis, planè te hac rebellione implicas, nec es amicus Cæsaris, sed inimicus & hostis.*

*A. His verbis deiectus est Pilatus à defensione Christi; & victus ambitione & vano timore, dedit manus Diabolo & Iudæis.*

## MEDITATIO.

IAM eò filiæ Sion ventum est, vbi à Pilato IESVS ad crucem damnatur; sed priùs datur nobis in cõspectu, vt intelligamus omnes, si crucem Christi deuotè & fructuosè velimus meditari, nobis præcedentes omnes Christi passiones & improperia ob oculos mentis esse ponenda, & intimo cordi figenda; ita adeundum ad crucis meditationem. Excusat vehementer Pilatus IESVM, vrget acerrimè Iudæos, quasi colligens argumenta ex sanguine & cruciatibus, ex deturpatione & contumelijs Christo inflictis. O nefaria argumenta! ô rationes crudeles! si illum ita flagellem, ita affligam, & despicatum faciam, vt nullius animum ad misericordiam mouere non possit, deserent suam inuidiam Iudæi, suam malignitatem, & crudelitatem, & malitiam; misericordia mouebuntur si tam atrociter mulctatum illis ostendam. Si tuum hoc fuit consilium, Pilate, impium tamen fuit & insanum: quum nouisses Iudæorum deploratam feritatẽ, eos speras miserijs IESV placandos, & non potiùs ad rabiem accẽdendos? sed tamen non tam fuit tua cogitatio, quàm præsentis & sæuientis Satanæ. Multis coniecturis collegerat veterator esse IESVM doctrinam, vt suo sanguine delerentur peccata: huic doctrinæ & veritati diuinæ voluit illudere Diabolus malignitate & conuiciari: persuasit Pilato aliud agenti, vt pro liberatione IESV, IESV sanguis funderetur; ita scilicet futurum, vt eodem sanguine diluerentur Iudæorum malitia & obstinatio; quod per summam irrisionem & sannam cogitauit: ita suum agebat cum suis Apostatis spiritibus triumphum de IESV, deque eius doctrina, simul crudelitatem suam in Christum, & sæuam tyrannidem in Iudæos exercebat. Ecce adduco eum foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam inuenio causam. *Ioan.18.* Loquitur item Pater Deus mortalibus è cælo: Ecce filiũ meum mihi consubstantialem & coæternum; adduco eum ad vos foras mortales, vt quum semper apud me sit intus in mea æternitate & substantia inuisibilis & immortalis, fiat in vestro tempore & fragili substantia visibilis & mortalis. Neque huius rei causam habui nisi vos, ex mea bonitate; propter vos enim venit filius meus in mundum de mea & eius misericordia & voluntate, vt vos è manu Satanæ liberaret, & vestra omnium peccata in se tolleret, patiens ipse pro vobis & moriens. Causam igitur & incarnationis filij mei, & eius passionis & mortis accepi ex mea charitate propter vos: hoc agnoscite, hoc deplorate; compatimini filio meo pro vobis patienti & morienti, neque imitemini impios: Iudæi enimsi etiã nũc in filiũ meũ causam eius mortis conferunt, quos sequuntur alij infideles & hæretici. Iudæi, si nihil aliud, certè ex lege pertinaciter credũt se iustificari; quare Christum propter sua peccata, non mortalium, mortuum esse blasphemant. Idem Mahumetani de sua lege iactant: Christũ verò vtrique explodunt. Hæretici per solitudinẽ suæ fidei à Christi iustitia excidunt, & faciunt Christũ frustra suum sanguinem effudisse. Neque tamen soli Lutherani, & qui ex his prodierunt, sola fide autumant se iustos, sed singuli sua. Catholici vtinam nos similiter nõ facere interpretari possemus. Quid enim sunt varia quæ admittimus contra Deum peccata, quàm eius filium conculcare, & eius sanguinẽ pollutum ducere, & spiritui gratiæ contumeliam facere? & dum abutimur Dei longanimitate, & in peccatis perseueramus, nónne ipsa dicimus Christum frustra mortuum esse? Nam si absque ea causa mortuus est quam Deus accepit è nostris peccatis, & tamen mortuus verissimè est, causam mortis eius in ipso ponere videmur, & esse peiores Pilato, qui nullam in eo causam inuenit. Ecce homo. *Hebr.* O sancte homo IESV! ô Deus homo IESV! ô splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris æterni! Deus homo IESV! Quis fructuosè hunc locũ meditari possit, nisi tu eius cordi dicas tuũ, Ecce homo? Ita fac, bone IESV, per ea mysteria quæ in Ecce homo posuisti. Ecce, rẽ nouã, & inauditam, & stupendam proponit Pilatus, hominẽ innocentẽ, miraculis clarũ, doctrina *Ioã.10.*



ctrina admirabilẽ, existimatione excellentẽ, quæ ne Iudæi quidem ignorabant: hunc hominẽ proponit Pilatus flagellis crudelissimè concisum, spinis læuis coronatũ, purpura per ludibrium ornatum, & arundineo sceptro; & tamẽ Iudæi eius non miserentur, illius etiam crucẽ vrgent eò violentius. Quæ Pilatus ipse ita atrociter fieri imperauerat, vt omne crudelitatis exemplũ superarent, ea ipsi contemnunt omnia. O afflictum te, bone IESV, & vita animæ meæ! Qui te defendebat, is in te non imitabile exemplum edebat crudelitatis & iniustitiæ; & tamen nesciebat te esse Deum omnipotentẽ, eras tamen, vt semper es. Quã infinitè igitur excedit hoc exemplum tuum, illud, Pilate, quod credebas esse incredibile? Tu credebas esse in hominem à te editam illam atrocitatẽ, edita est in Deũ. O tẽ miserũ! ô Iudæos supra omnẽ fidẽ immisericordes & crudeles, qui tam miserabilẽ atrocitatẽ videtes, nõ solùm odium non deposuerunt & accusationem, sed furiosiùs etiã auxerũt & persequuti sunt! Ecce homo Pilati Iudæis nihil profuit, prosit nobis ô meditatores deuoti. Tu quidem, Pilate, voluisti Iudæos ad misericordiã prouocare flagellatione & coronatione IESV, nihil aliud adduxisti, ac ne curabas quidem alia, vel nõ noueras, & illa videbatur tibi causa esse cõmiserationis vehementissima, vt erat. Quid si dixisses pœnas alias, dolores, afflictiones, contumelias, colaphos, alapas, vincula, raptationes, mulctationes acerbas? Si quę intrinsecus passus erat, & illo eodẽ tẽpore patiebatur? Ille enim homo erat, qui ex horto vsque, & illa oratione amarissimè infinitis modis affligebatur. Quid si illius tam afflicti hominis diuina dona, & excellentias tum naturales tum supernaturales prædicasses? Quid si Deum dixisses, & hæc persuadere potuisses? absque vlla dubitatione non te solũ ad misericordiã IESV, & liberationẽ promouisses, sed tetrũ Satanã, & Diabolos omnes non ad misericordiã, sed ad eripiendũ à morte IESVM traxisses repugnantes, atq; adeò Iudæos ipsos ad deserendam accusationem suam commouisses; tametsi dari nõ potest vt Deum esse IESVM illis persuaderi posset: quo fit vt essent Iudæi Diabolis peiores: delituerunt enim tandem Dæmones IESVM insectari propter suspicionem diuinitatis, nunquã cessarunt Iudæi: sed tamẽ si his fuisset persuasum IESVM Deum esse, absque dubio ab illius insectatione discessissent.

At nos credimus omnes passiones Christi, omnes pœnas, omnes perfectiones & dona; fide tenemus simul illum hominẽ Deum esse omnipotentem, illas pœnas Dei veri fuisse & viui, ac propterea fuisse immensas; & tamẽ nulla cõmiseratione mouemur. Nobis dictũ est, Ecce homo, nobis cõtinenter dicitur, Ecce homo, cuius præ vulneribus & contumelijs infinitis nõ est species vel decor vllus, in cuius aspectu nihil nõ despectum, qui vir est post omnes homines abiectissimus, insignis è doloribus, notabilis ab infirmitatibus. Hæc clamant Prophetæ, hæc Euangelia, hæc per imagines huius mysterij Ecclesia sancta; & tamen nõ mouemur. Quòd si nõ ad sensibilẽ deuotionem, saltẽ ad deuotionis actus vehementer nitamur; si nõ ad compunctionẽ sensibilem & lachrymas, saltẽ ad interiores; si nõ ad Christo compatiendũ, & pro Christo quascunque tribulationes patiendũ, saltẽ ad harum desiderium pro Christo. Putamúsne Iudæis duntaxat hæc esse proposita ad commiserationẽ? nobis præcipuè proposita sunt: illis enim non solùm non profuerunt, sed obfuerunt etiam: caueamus ne Iudæis vel similes efficiamur, vel etiã peiores. Ostendit Iudæis Christũ afflictũ Pilatus; isquẽ illi detestabantur, & ingenti odio prosequebantur, & dixit eis; Ecce homo. Nobis eundem ostendit Pater omnipotens; is qui vult omnes homines saluos fieri, nos verò sua charitate cõplectitur, & diuinis beneficijs prosequitur; is quem nos profitemur atque adoramus Patrem immensæ maiestatis: hic igitur est qui ad alias infinitas benignitates, hanc etiam in nos confert, & ad aures interioris hominis, si quis aures audiẽdi habeat, suauissimè loquitur; Ecce homo, ecce vnicus filius meus, Dominus vester, quem pro mea immensa charitate dedi vobis: ecce habetis filium meũ, vester est; ego enim sic dilexi mundum, vt verbum meum donarem vobis vltrò, vt viscera mea, vestra essent. Aperite corda vestra, recipite donum inæstimabile, ecce homo, & in illo, ecce me, ecce Spiritũ sanctũ, ecce nostrã triũ vnam diuinitatem. Vt autem hãc charitatẽ nostrã erga vos commendaremus, voluimus, vt filius hic meus, nõ solùm homo esset, sed vt pro vobis pateretur & moreretur: his ornatum gemmis donum à nobis accepistis, flagellatum filium meum, spinis coronatum pro vobis, & crucifixũ. Ad hęc hic homo ab æternitate voluit offerri ad crucem & mortẽ: *Isa.53.* *1.Tim.2.* *Ioan.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



hæc veniens in mundum pro vobis in se recepit, hæc passus est, vt vobis pareret vitam sempiternam: neque hoc solùm, sed se vobis dedit in cibum; vt in corpore & sanguine suo nostra etiã triũ pasceremini diuinitate. Ecce igitur homo. Hæc autẽ omnia cùm vobis dederim in hoc homine, nihil à vobis vel peto vel expeto, quàm id quod vobis sit salutare & facile, vt me diligatis, & Filium meum, & Spiritũ sanctũ, & mãdata nostra, & Ecclesiæ nostræ seruetis. Diligite, ô fratres filij mei, quos ego in illo dilexi semper, diligite Deũ, & nihil erit vobis difficile; omnia verò proueniẽt in salutem & vitã tum animæ, tum corporis sempiternam. Audite filioli, audite me patrẽ vestrum qui in cælis sum; audite fratrẽ vestrũ IESVM filium meum, qui ad dexterã meã sedet, qui hęc eadẽ vobis proponit, hinc enim fiet, vt volũtas mea vobis placeat, & ad illam faciendam omnes vires intendatis. Hæc si nõ percipiatis, & altiores mentis eleuationes vos non moueant, en aliter vobis propono filiũ meum, factum pro vobis hominẽ dolorũ, & sciẽtem infirmitatem ab initio vsque suæ incarnationis. Videte eum indutũ vestra mortalitate, vestris infirmitatibus, vestra carne, immẽsitatem eius vtero matris inclusam; ibi omnes futuras passiones, ibi mortem futurã cogitatione, voluntate, & spirituali sensu subeuntem cõtemplamini. Natum videte nudum, lugentẽ, frigentem, in summa paupertate, panniculis inuolutum, reclinatũ in præsepio inter asinum & bouem, lacte egentẽ vt viueret, circumcisum vt peccatorem, qui sanctitas erat infinita, sanguinem è vulnere fluẽtem excipite, & abscisum præputium, fugiẽtem cum Matre in Aegyptum sequimini, labores itineris, & egestatem Aegypti considerate. Quoties panẽ à Matre paruulus IESVS petijt, quem illa nõ habuit, vel cum difficultate habuit? rursum labores itineris quum ex Aegypto redirent conspiciite, & metũ ab Archelao, & secessum in Galilæam. Ibi rursum videte paupertatẽ, gustate vt inceperit Matri deseruire puerilib⁹ ministerijs, vt Iosepho in lignaria, vt mortuo Ioseph exerceret ipse per se lignariam, vt ad tricesimum vsque annum incognitus inter homines vixit & quasi abiectus, nec litteras discens, nec magni quicquam designans. Contemplamini porrò quã exercitam & laboriosam vitam ageret post annum tricesimum, in quanta paupertate, in quot laboribus, famẽ quoties sit passus, quoties ex itinere & prædicatione fatigatus fuerit, quẽadmodũ fuerit ter à Satana tẽratus, bis portatus per aërem sublimis, semel à deserto Dommim in tẽpli pinnaculũ, iterũ in montẽ Nebo & verticẽ Phasga. Raptus est à ciuibus suis ad supercilliũ mõtis, vt inde daretur in precipitium. Quoties insidias illi posuerũt Iudæi quũ concionaretur! Quoties illi contradixerunt, & disputatione adorti sunt! quoties illũ conati sunt capere in sermone! Quoties illi os occludere! Quot iniurias & cõtumelias in illum coniecerunt! quot calumnias effinxerunt! quã sæpè voluerunt eum lapidare! quã sæpe capere! tandem in concilio decreuerunt illũ interficere. Ecce homo hactenus dolorũ & laborũ, scientẽ infirmitatẽ & afflictionem. Quid præterea? Ecce homo, qui in horto in oratione cum morte conflictatus ad mortem vsque est, vnde venit in agoniam, & sanguineũ sudauit sudorẽ ad terrã vsque decurrẽtẽ. Traditus à discipulo est in manus impiorum, cum summa ignominia & crudelitate ligatus est, ductus est ad Annã, vbi atrocẽ accepit alapam, ad Caiphã, vbi tanquã impius & blasphemus damnatus est ad mortẽ, & ea nocte contumelias, alapas, colaphos, cõsputationes, euulsiones barbę & capillorum perpessus est; duct⁹ postridie est ad curiã, ad vniuersum cõcilium, vbi rursum condemnatus ad Pilatum rapitur; apud quẽ inuidiosissimè accusatus est & falsissimè; inde apud Herodem pro fatuo habitus, reductus ad Pilatum dirissimè flagellis est toto corpore concisus, spinea corona atrocissimè coronatus, indutus purpura, donatus arundine pro sceptro ad cõtumeliam, & ea percussus est, traditus tandẽ ad crucem est Iudæis ab impio & ambitioso Iudice Pilato. Aspicite baiulantẽ suam crucẽ, sub cruce acerbissimè laborantẽ. Attẽdite verò ad crucifixionẽ, ad crucis & crucifixi Dei leuationẽ. Contemplamini per tres horas mortis cruciatus angeri vsque ad mortẽ; considerate & superiores omnes sanguinis effusiones, & hãc mortis vltimam. Mortui videte transfigi latus & cor ipsum, de cruce deponi, vngi, sepeliri. Ecce homo. Ecce quæ pro te, ô vilis homo, de sua immensa charitate in te Christus filius meus assumpsit & passus est. Porrò autem è contrario gloriosa de Christo contemplare. Ecce homo, qui Angelo nuntiante de Virgine immaculata per Spiritũ sanctũ conceptus est, qua conceptione factus est Deus homo. Impleuit ex vtero Matris gratia, & spiritus

*Luc. 2.* *Matt. 2.* *1. Io. 3.* *Esa. 53.* *Luc. 4.* *Matt. 4.* *Luc. 4.* *Mat. 12* *Luc. 5.* *Luc. 22.* *Luc. 2.*



ritus exultatione, & prophetia Ioanẽ Baptistam in vtero itẽ matris clausum. Prophetat de eo diuinè Zacharias, nascentẽ diuinis prẽconijs celẽbrant Angeli innumerabiles, stella ex Oriente Reges Magos adducit, illũ magiadorant, illi munera offerunt, quibus eum hominẽ, Deum, & mortaliũ redemptorem profitentur. Quum illum vellet occidere Herodes, & malè essent in illum animati Iudæi, quadragesimo post natiuitatẽ die palàm clara luce offertur in templo, prædicatur eius diuina virtus à Simeone & Anna. Duodecimo anno inter doctores cœlestis eius doctrina & sapientia emicuit. Trigesimo in Iordane testimonium audiente Ioanne Baptista accepit à Deo Patre, quòd eius esset filius, idem testimonium accepit audiẽtibus Moyse & Helia, & Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanne. Idẽ de illo testatus est Ioãnes Baptista, & verum Mechiam, & Dei filium professus est, & suis cõcionibus illius parauit viam salutarem. Doctrinam cœlestẽ hic homo, & æternum Dei Euangelium, & Regnum cœlorum, & vitam sempiternam docuit diuina verbi potentia. Hanc doctrinam innumerabilibus miraculis cõfirmauit, omnes insidias Herodis, & patris & filij, omnes Iudæorum persecutiones & in mortẽ eius conspirationes quo ad voluit, & vt voluit, euitauit. In ipsa verò passione verbo prostrauit Iudæorum & Romanorũ manum, restituit auriculam à Petro abscissam Malcho seruo. Permisit se capi quando voluit, ab ijs quibus etiam in horto obuiam venit, quum sciret quæ aduersum se machinabantur Iudas & Iudæi. Sciebat se propter prę clarissimum illud testimonium esse morti adiudicandum, quo testimonio professus est se esse filium Dei, & tamen bis illud dedit in concilio Iudæorum constantissimè. Potuit suã innocentiã tueri apud Pilatũ, quod noluit facere propter Patris obedientiam, & suam voluntatem, ac generis humani redemptionem ad Dei gloriam infinitam. E cruce moriens orauit pro suis crucifixoribus, latronem iustificauit, & pollicitus est illo die Paradisum & dedit, cum magno clamore spiritum emisit, quo clamore permotus Centurio, filium esse Dei cõfessus est. Sensit eius mortem & luxit cœlum, terra, sol, luna; hæc quum præter naturam suam motu subito solem subijt, sol luctuosa sua eclipsi, terra motu suo, sepulchrorum apertione, petrarum scissione; denique omnia elementa, omnis natura luxit morientem hominem Deum. Infernus animas corporibus sanctorũ dedit, filius verò meus descẽdit glorioßissimè ad inferos, dedit toti Limbo patrum gloriã sempiternã, fecit de Limbo Paradisum, multas animas è Purgatorio liberauit, deinde cum excellentissimo & diuino triumpho resumpto corpore resurrexit à mortuis clauso sepulchro, & cùm apparuisset discipulis per dies quadraginta in multis argumẽtis loquens de Regno Dei, assumptus est ad cœlũ, vbi ad dexterã maiestatis meæ sedet in excelsis. Misit tandem à Patre Spiritum sanctum consolatorem in discipulos palàm cũ signis mirabilibus. Hæc sunt rerũ capita quæ filius me⁹ vel passus est magnanimiter, vel gessit gloriosè pro vestra salute & vita; neq; enim à vobis capi omnia possunt. Ecce homo, qui pro te nihil potuit facere, hic perit, peto ego, petit Spiritus sanctus, vt illa cordi tuo imprimas, ex his culpas tuas deplores, peccata tua confitearis, pœnitentiã de commissis agas, vitam viuas verè Christianã, opera pia fecteris, proficias in dies in vitã æternã. Quòd si ne his quidẽ tot actantis mysterijs ad pœnitentiam moueris & pietatem; Ecce rursum homo, qui à dextera mea orbẽ gubernat vniuersum, qui facta tua, omnes tuas actiones, cogitationes, intẽtiones animi videt: Ecce is, apud quem illa quæ dixi mysteria diuina contra te clamant, ac te accusant apud filiũ meũ, & eius thronum maiestatis in cœlestibus. Vsque quò, Domine Deus omnipotens, iste homo vilissimus & nihili nos cõtemnet, & tuos labores, & ærumnas, & dolores, & contumelias, vulnera, sanguinẽ, vitam, mortem cõculcabit, & pro pollutis habebit? Quousque despiciet tuam doctrinam, miracula, potentiam, & gloriam? Tam est magna tua iustitia, Domine IESV, quàm tua misericordia, vtraque enim infinita est: pereat hic homo, deleatur de viuentium libro, contrudatur in æternum ignem. Hoc intentatur in te iudicium horrendum, nisi resipias, ô homo miserabilis: verùm eadẽ illa mysteria intercedunt etiã neglecta pro tua salute. Oramus tamen, Domine, per hæc eadem mysteria quæ obijsti, & tua sunt, vt mentem illi inspires, & spacium concedas pœnitentiæ. Num pro aliquibus peccatoribus passus & mortuus es, & non pro omnibus? Mortuus sum pro omnibus, & quod in vobis & in me est omnibus mortalibus volo dare gratiam & gloriã sempiternam. Illorum est culpa qui nõ accipiũt,

*Luc. 2.* *Matt. 2.* *Mat. 3* *Mar. 1.* *Ioan. 1.* *Mat. 17* *Ioan. 1.* *Act. 1.* *Act. 2.* *Heb. 10.* *Psal. 68.* *1. Io. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



& vocem meam nō audiunt, & auxilio meo quod illis præstò est semper nō vtūtur, quod possent semper si vellēt. Itaque quos scio auxilio meo non esse vsuros, & iam in iudicio meo sunt ad infernum condēnati, ex ijs propter malitiam aliquibus quasi in vita incipio partem inferni irrogare ex mea permissione, & trado illos in obstinationē, indurationem, contemptum omnis boni, & abyssum omnis malitiæ; & tamen ne istos quidem punio pro eorum merito, quin aliqua misericordia in illorum punitione vtar. Alios id genus qui minùs sunt mali, non diu permitto augere peccata sua, sed priuatos vita mortali mitto eos in mortem immortalem. Iam verò quos video mearum passionis & mortis, mearum etiam virtutū & gloriæ præsidio vti nolle, & tamen per afflictiones, calamitates, & pœnas video adiutum iri, vel meru iudicij mei vniuersalis, & particularis in morte, & secretorū iudiciorum meorum, & inferni esse commouendos; his pro vltimo subsidio solet Pater meus è cœlo intonare; Ecce, ecce homo, cuius tu passiones, & mortē, & gloriam contemnis: ecce huic dedi omne iudicium, ipse habet claues mortis & inferni, habet flagellū in manu sua; qui si te hìc non flagellat, vel castigationes eius te ad pœnitentiā & pietatē nō adducant; en stat super caput tuum districto gladio zeli sui & iustitiæ, & in ira indignationis suæ rugit aduersum te? Mane. Thecel. Phares. Numerata sunt vitæ tuæ acta omnia, appensa in statera mei iudicij, imminuta sunt, condemnant te. Diuidatur, moriatur, partem eius proijcite in infernum, aliam reseruate ad vniuersale meum iudicium; tunc enim, quum veniam in maiestate, plenū de eo sumam supplicium, concludam & animā & corpus in ignem æternum, & alias immēsas pœnas, quas paratas habeo Satanæ, & eius Angelis in perpetuas æternitates. Ita fieri solet, vt homo percussus terrore ad salutarem pœnitentiam conuertatur. Quæ cùm ita sint, vides homo miser horrendum hoc spectaculum tibi etiam proponi à Patre cœlesti, vide ne tantam disciplinam & gratiam negligas, & pereas in æternum: vt cauteas à peccato, & à peccato resipiscas, propone tibi horrendum hoc spectaculum; Ecce homo, qui illa passus est ne peccares, qui tibi se talem repræsentat ne pecces, cui tu illa omnia vulnera infliges si pecces, qui in te vlciscetur illas suas plagas si pecces. Quòd si per miseriam tuam peccasti, noli, noli iterum flagellare & coronare spinis Christum, quod semel fecerūt illi impij latrones, sed sana potiùs tua quæ inflixisti illi vulnera: sanabis autem IESVM vulnera, si respiscas, si plagas Christi in te recipias, si affligas & cor tuum & corpus. Cogita liberter illa esse passum filiū Dei, primùm ne peccares, simul vt te à peccato reuocaret: omnia eius vulnera clamant ad aures cordis tui: Ecce homo, qui tanta passus est vt in peccatum ne venires, & à peccato redires ad pœnitentiam. Gere pie Christiane hoc, Ecce homo, continenter in visceribus animæ tuæ, vt gerūt homines peruersi in anima vanitates suas vanissimas & pernicioſissimas. Assuesce tu hūc hominem gestare in animo, ei compatere, ab eo pete gratiam & vim spiritualem, & eius dona, cuius fundetur ex innumerabilibus plagis sanguis, cuius fontes gratiarum sunt in te effusi. Vide vt illum sanguinem & gratias ne patiaris excidere; portæ planè illæ sunt apertæ, quibus ingrediaris in potentias Domini magnas, conquiesce in virtute vulnerum Christi & suauitate, quæ ab eis in cor tuum influit diuina liberalitate. Ad hæc afflictam Matrē virginē cogita, quæ hæc mēte speculabatur, vel etiam corpore. Nónne hìc illius animæ fuit infixus gladius, ex innumerabilibus gladijs & pugionibus compactus? ô doloribus plenam & afflictionibus Matrem! ô vicissim incōparabili magnanimitate & patientia spectabilem Matrem! Ad illam veni, eam ora vt impetret tibi huius mysterij sensum spiritus salutarē: reperies plenam quidē dolore & cordis cruciatu, sed deuotione simul, & sensibus spiritualibus, & Christi vulnerum virtute pleniſſimam, misericordia & benignitate redundantem. Communicabit tibi particulam aliquam suæ compassionis & deuotionis, quæ etiam si minima sit, modò illius præbeat deuotionis gustum, replebit animam tuam ingenti consolatione & fructu. At pestiferos & rabiosos Iudæos, Ecce homo Pilati, ad maiorem rabiem incitat; Crucifige, crucifige. Pugnat Pilatus vt dimittat innocētem; illi eò violentiùs vt crucifigatur vociferantur. Dei filium se fecit, quare debet ex lege nostra mori. Furijs exagitabantur diabolicis; & quò maior fiebat eorū malitia, eò maior obcæcatio. Debebat, ô bestia Iudæe, per legem lapidari blasphemus, non crucifigi: simul nihil poteratis dicere quod vestræ malitiæ magis esset contrarium, quàm vt Dei filium

Ioan. 5. Apoc. 1.

Dan. 5.

Psalm.

Hier. 11. Mittamus lignum in panē eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius: simul morte turpissima condemnemus eum, erit enim respectus eius ex sermonibus eius: dixit enim; Filius Dei sum; quare si moritur, filius Dei nō erit; si turpissima morte, habebitur etiam homo pessimus. Obcæcauerat eos pestilens eorum malitia, nec intelligere poterant Sacramenta Dei, quæ in morte Christi continebantur: nā & filius Dei fuit, vt est, & mortuus est filius Dei, & per mortem triumphauit filius Dei, & ipsos, & mortem, & infernum, & peccatū, & diabolicam omnē potestatē, & est exaltatum nomē eius super omne nomen in sempiternum. Pessimæ matris superbiæ pessima filia est inuidia, quæ eò magis tabescit, quò maiores vires illi communicat mater superbia: hæc autem tunc pestilentissima est, quum ex diuinæ legis intelligentia nascitur falsa & arroganti; & inde vires alit. Huiusmodi erat Iudæorū superbia & inuidia illa, & quæ hæreses peperit semper & aluit: huic est similis hypocritarum superbia & inuidia. Itaque nesciunt superbia & inuidia quiescere, donec in diuinitatem peccent, & omnē veritatē, etiam cognitam, proijciant. Infinita autē est diuinitatis in homines benignitas & vis adoranda, quæ corda nostra penetrat & occupat, si quis non repugnet; si quis cooperetur præeunti Spiritus sancti motioni atque illuminationi. Neque verò est personarum acceptor Deus:

Sap. 2.

Coloss. 2. Hebr. 2. Phil. 2.

Rom. 2.



lium IESVM appellaretis apud eum præsidem, qui totus & antè fuerat in eo defendendo & liberando, & nunc id agebat acerrimè. Illud ergo profeciſtis, vt magis quā antè dubitaret Pilatus, & incitaretur magis ad illum liberandum. Verùm vtrumque prodebat vestræ inuidiæ cæcitatem, & quòd crucifigere blasphemum velletis, & quòd Dei filij mentionem faceretis. O infinitum malum inuidiæ, quæ nullo odio, nullo maleficio, nulla crudelitate contenta esse potest: ita semper inhiat in eius abolitionem cui inuidet. Inuidebant Iudæi Christo virtutes excellentissimas, & gloriam nominis inæstimabilem, &, vt semel dicatur, inuidebāt illi diuinitatis opinionem; quo fiebat vt nullo malo Christi satiari possent, ac ne sola morte quidem corporali, propterea ad crucem damnāri contendebant, vt simul omnis eius existimatio & gloria aboleretur, & in primis diuinitatis opinio. Propterea dicebant intra se; eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius: simul morte turpissima condemnemus eum, erit enim respectus eius ex sermonibus eius: dixit enim; Filius Dei sum; quare si moritur, filius Dei nō erit; si turpissima morte, habebitur etiam homo pessimus. Obcæcauerat eos pestilens eorum malitia, nec intelligere poterant Sacramenta Dei, quæ in morte Christi continebantur: nā & filius Dei fuit, vt est, & mortuus est filius Dei, & per mortem triumphauit filius Dei, & ipsos, & mortem, & infernum, & peccatū, & diabolicam omnē potestatē, & est exaltatum nomē eius super omne nomen in sempiternum. Pessimæ matris superbiæ pessima filia est inuidia, quæ eò magis tabescit, quò maiores vires illi communicat mater superbia: hæc autem tunc pestilentissima est, quum ex diuinæ legis intelligentia nascitur falsa & arroganti; & inde vires alit. Huiusmodi erat Iudæorū superbia & inuidia illa, & quæ hæreses peperit semper & aluit: huic est similis hypocritarum superbia & inuidia. Itaque nesciunt superbia & inuidia quiescere, donec in diuinitatem peccent, & omnē veritatē, etiam cognitam, proijciant. Infinita autē est diuinitatis in homines benignitas & vis adoranda, quæ corda nostra penetrat & occupat, si quis non repugnet; si quis cooperetur præeunti Spiritus sancti motioni atque illuminationi. Neque verò est personarum acceptor Deus:

eccum Pilatum impium idololatrā, plenum ambitione, eadem virtus diuina tangit quæ Iudæos, hos non mouet, illum mouet. Cur ita? Quia Iudæi repugnant Deo, non repugnat Pilatus; cooperatur itē, etiam si imperfectè, nonnihil tamen agit, inquirit, dubitat, aliquid esse suspicatur quod clamant Iudæi: sed faciebant alia eius peccata, & vt tenuiter veritati consentiret, & vt facilè illam desereret. Vnde es tu? Non respondet sapiens IESVS propter eius indignitatem; ipse enim sciebat quid esset in homine. Indignatur Iatim Pilatus, arguit IESVM insipientiæ; Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatē habeo dimittere te? Bis dixit, potestatem habeo, per iactātiam arrogantiē; illic propter eius indignitatē non respondet Christus, hìc respondet ad illius insolentiam aduersus Patrem æternum. Non haberes, inquit, potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper: quod zelo veritatis dixit, vt profiteretur quod sæpe gestis docuerat, se sua & Patris voluntate mortem esse passurū: neque enim Iudæi vel Romani omnes, non dæmones, non creatura vniuersa Christū potuit interficere, nisi excellens quædam Dei permissio intercessisset. Simul diuinum exemplum hìc nobis propositum est, gubernandi prouidenter nostrum silentium, & nostrum sermonem dirigendi. Aliquid moralis virtutis reliquum in se fecerat Pilatus; quare & Christum liberare tutum contendebat: iam Satan quoque ipse desseruerat actionem illam acrem aduersus IESVM, & se conuerterat ad vxorem Pilati subornandā, vt per maritū liberaret IESVM: sola erat Iudæorum plus quam diabolica malitia, quæ Christum persequebatur furiosè. Instigauerat Satan quidem Iudæos in mortē Christi, sed vbi voluit id reuocare, non potuit; potentior enim ad malum est quàm ad bonum, vel ad mali cessationem. Propria ergo fuit Iudæorum postrema in Pilatum impressio, qua illum sunt adorti per ambitionē & metum humani periculi pusillanimē hominem & impium; Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: qui se Regem facit, contradicit Cæsari; eris tu reus apud Cæsarem maiestatis, & nos causam contra te agemus acerrimè: hæc enim erant in eorum verbis & furia. Nihil timidius ambitione, nihil fragilius humana gloria: deiecit hæc plaga Pilatum. O ambitio pestilens, quid non audebis, quæ potuisti

Ioan. 19.

Ioan. 2.

Luc. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca



tuisti filium Dei cruci affigere? ô metus humani, & vani hominum respectus nunquam metuendi, nunquam respiciendi, quantum iam inde inualuit, quæ semper inualuit vestra vis? Est verò mortuus Christus agentibus illis vitijs nominatim, quamuis infinita alia vitia conspirauerint in Christi necem, vt significaretur inter præcipuos fructus mortis eius illas duas esse virtutes, humilitatem, & spiritus libertatem. Fecit autem Iudæorum deplorata malitia, & pertinacia, & furor, vt soli ipsi id proponerent, vnde damnaretur ad crucem Christus; vt iustitia Dei ijs solet horrēda peccata permittere, quos horrēdè vult condemnare pro eorum peruicacia. Addunt porrò ad immensum scelus suas etiam pœnas; Nō habemus Regem nisi Cæsarem. Insanitis; non sat vobis est, vesani, Meschiam Regem vestrū interficere, nisi omnes libertatem vobis adimatis? Subdunt ad cumulum pœnæ ditā imprecationē; Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Si vox sanguinis Abel clamauit in fratrē eius Cain, quātus est clamor sanguinis Dei, ô perfidi Iudęi! qui eò maior & efficacior est, quòd pro vobis moriens orauit Patrē vt vobis ignosceret, quòd vobis semper suam gratiā obtulit: itaque incidistis in immensam Dei iram, quæ incrudesceret vsque ad finem seculorum. At tua Christi defensio, Pilate nequam, eò euadit, vt tuæ ambitioni, & plebis satisfactioni seruiens, sanguinem Christi proderes nefariè, & ad crucem Deum condemnares, nec vxorem audires liberationem Christi vrgentem: vt non solùm Iudæorum malitia Satanam, sed tua etiam ambitio vinceret. Coniungis parricidio hypocrisim, lauas manus, innocentem te pronuntias à sanguine iusti, & deriuare vis crimen tuum in Iudæos. Nihil est quòd in illos tuum crimen conijcias, augeri enim illorum crimen non potest, sed tuum potius auges, quum ambitioni & humano timori hypocrisim addis, & execrabile mendaciū. O Christi IESV bonitas infinita, quanta est horum criminum pestis inter tuos etiam fideles, quāta ambitio & vanitas, quanta hypocrisis, quàm crebra & perniciosa mendacia! Tu scis, Domine, inter quos crudiùs grassentur hæc mala: sana nos, Domine, per hæc quæ meditamur pia & sancta mysteria. Multa iudicia cōscelerata & nefaria homines dederunt; hoc tamen Pilati omnia suprà quàm dici potest superat scelere & iniquitate & maleficio. Nam quid tandem alia latrocinia iudiciorum quàm in puros homines, vel eorum res viles peccauerunt? Hoc Pilati latrocinium in Deum peccauit, vitam Deo eripuit. Auxit verò iudicij atrocitatem, quòd eodem liberatus est latro sceleratus, & Christo Deo præpositus est in contumeliam. Sua porrò morte quū Christus omnes mortales, etiamsi infiniti essent, quod in se fuit, à morte æterna liberauerit; Pilatus contrà, quod in se fuit, omnes illos vita priuauit; sua enim opinione non vitā Christo solùm adimebat, sed resurrectionem, & gloriam, & virtutem hominum liberatricem. Ceterùm in eius facto designauit Deus Romanorum Imperatorū persecutiones, quæ ex similibus vitijs atque Pilati profectæ sunt: timebant videlicet magna ex parte, ne detrimentum pateretur Romanorum imperium per Christianæ Religionis professionem; Iudæorum verò insana pertinacia, hæreticorum significauit obstinatam peruersitatem, quum insanis erroribus Christum conantur ex Ecclesia tollere, atque adeò Deum ipsum; omnis enim hæresis in Atheismum euadit tandem. Fac, Christe IESV, per hæc tua mysteria, vt Ecclesia tua ab omni hæretica prauitate liberetur, atque ab omni Barbarorum tyrannide, & celebretur tua Catholica & orthodoxa doctrina, & laudetur nomen tuum in æternum. Amen.

Genes. 4.

FERT



# FERT SENTENTIAM PILATVS CONTRA IESVM.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In xcvij. imaginem adnotatiuncula.* xcvij. 124.

*A.* Finem facit defendendi IESVM Pilatus: redit ad pergulam Prætorij in Gabbatha, sedet pro tribunali, & dicit; Ecce Rex vester.
*B.* Respondent Iudæi atrociter; Tolle, Tolle, &c.
*A.* Respondet Pilatus; Regem vestrum crucifigam?
*B.* Respondent; Non habemus Regem nisi Cæsarem.
*C.* Accedit ad Pilatum nuncius ab vxore.
*M.* Lauat manus Pilatus, liberat Barabban, tradit IESVM vt crucifigatur.
*D.* Liber exilit Barabbas.
*E.* Arripitur IESVS à militibus, datur illi crux portanda, & latronibus sua.
*F.* Virginis matris statum considera, simul dolorem, parem magnanimitatem.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

[a] *Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras IESVM, & sedit pro* [a] *tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraicè autem Gabbatha. Erat autē Paraseue Paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis;* [a] *Ecce Rex vester. Illi* [b] *autem clamabant; Tolle, Tolle, crucifige eū. Dicit eis Pilatus;* [a] *Regem vestrum crucifigam? Respōderunt Pontifices;* [b] *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

[a] *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens; Nihil tibi & iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptā aqua* [a] *lauit manus coram populo, dicens;*

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXVII. | MAR. XV. | LVC. XXIII. | IOAN. XIX. |
|---|---|---|---|
| *Innocēs ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. Et respondēs vniuersus populus, dixit; Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* | | | |
| | *Pilatus autem volens populo satisfacere,* | *Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis [d] eum qui propter homicidium & seditionē missus fuerat in carcerem, quem petebant; IESVM verò tradidit voluntati eorum* | |
| *Tunc [d] dimisit illis Barabban,* | *dimisit illis [d] Barabban,* | | |
| *IESVM autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur.* | *& tradidit IESVM flagellis cæsum vt crucifigeretur.* | | *Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. [e] Susceperunt autem IESVM* |
| *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis eius.* | *Et postquam illuserunt ei, [e] exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis.* | | |

## ADNOTATIO.

*A. FIne facto Pilatus defendendi IESVM, statuit apud se illum damnare, ac præ se fert: quod vt faceret, concedit ad tribunal, quæ erat excelsa sedes Regia, fabrefacta è lapidibus excellenter in pergula Prætorij, conspicua exteriùs longè: sedet pro tribunali, imperat adduci IESVM; vergebat autem dies ad horam sextam ad meridianum scilicet. Interea cùm hæc agit Pilatus, quasi per exprobrationē & contemptum Iudæorum, dicit; Ecce Rex vester.*

*B. Succlamant; Tolle, tolle, crucifige eum. Tolle moras iam tandem Præses, age, crucifige illum celeriter; videbant enim animum Pilati, non qui defenderet, sed qui esset damnaturus; & qui ante vt crucifigeretur furiosè petierāt, nunc vt citò id faciat crudelissimè vrgent.*

*A. Rursum per eandem contemptionem dicit Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Respondent;*

*B. Non habemus Regem nisi Cæsarem. Insanit is Iudæi; vestrum ciuem è tribu Iuda, ex stirpe Dauid Regem negatis, qui tamen Regem non huius seculi, sed cælestem se profitebatur, & hominem impium, incircumcisum, idolatram, qui vobis ex lege debebat esse execrabilis, vnicum Regem profitemini: quo fit vt vestra confessione ablatum sit sceptrum de Iuda, non solùm sub Herode; & inde rursum fit venisse Meschiam. Stabat pro tribunali Pilatus, stabat hinc bonus & benignus IESVS flagellis cæsus, coronatus spinis, purpura circumdatus, illinc Barabbas infamis & horridus latro, crescebat tumultus, saeuiebant Principes atrociùs, confundebatur atriū prætorij clamoribus.*

*C. Accesit tunc ad Pilatum nuncius ab vxore, authore Dæmone. Hic enim quum semper suspicatus esset IESVM esse Christū, esse Deum, nec sciret tamen, vel credere nollet, ne in concilio quidem; vbi vidit ad accusationem, quòd filius Dei esset IESVS, Pilato tantàm vrgente vt responderet, tacuisse IESVM, silentium interpretatus confessionem, cùm sæuum eius ret. timorem semper animo versaret, miserè perturbatus est; præsertim quum ad alia respondens, negasset vllam potestatem fuisse futuram quæ posset*



*posset eum interficere, nisi Deo permittente; simul videns Pilatū noua accusatione Iudæorum deterritum velle IESVM illis tradere; ibi verò tandem sensit spoliatum se iri sua in homines tyrannide si IESVS occidatur: itaque machinatur impedire Christi mortem, aggreditur in meridiano somno Pilati vxorem, vexat in somnijs, incitat vt maritum à nece IESV omnibus modis auocet. Mittit mulier qui hæc illi nunciet, & qui à damnatione hominis iusti eum deterreat: venit nuncius ad Pilatum, qui iam pro tribunali sedebat; hunc quum audisset, nihil moueretur tamen vt dimittat, sed stimulum concipit, & ex alijs, & ex hac vxoris admonitione, vt se purget corā omnibus de IESV damnatione.*

*A. Petita aqua lauat manus publicè in tribunali: Innocens, inquit, ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. More Iudæorum hoc fecit, vt ostenderet cæde IESV se nolle contaminari. Age Pilate, confitere te tua voluntate iussum hominem interficere, ambitione ductum, ne iacturam aliquam facias tuæ apud Cæsarem existimationis & gratiæ: cur dissimulas? lauas manus qui animum debueras & facta tua lauare? Vos, inquit, videritis. Quid? Vindictam Dei vestri in vos. Quid? tu nihil videris? Videris & tu, vbi in tuas illas extremas incideris calamitates, & tibi tu ipse mortē inferes miserrimam. Resōdit vniuersus populus (rursum enim plebs à Principibus in IESVM concitata fuerat;) Sanguis eius super nos, & super filios nostros. O amentes Iudæi, quid facitis? Non videtis quò vos malitia vestra agat transuersos? scitis vos per inuidiam & odium IESVM in mortē traditum, innocentē (tametsi nescias Deum, quod ipsum culpa vestra nescitis, excæcauit enim vos vestra malitia) & iniustæ eius damnationis pœnam vobis imprecamini? Audiuit vestram imprecationē Deus; vidistis pòst Christum passum innumerabilibus vos, & vestros filios, calamitatibus esse conflictatos, tandem quadrageſimo anno vastatas regiones vestras vidistis, excisam ac deletam Hierosolymam, ac infinitam illā crudelitatem conspexistis: pauci enim ex innumerabili multitudine in ludibrium reseruati estis: videtis quæ mala vos vsque in diem hodiernum perpetuò comprehenderint: quis vos non diripuit? cui genti non seruistis? Nusquā ne passum quidem terræ habetis, vbi pedem in vestro ponatis: estis fæx, & sentina, & opprobrium omnium mortalium; & tamen adhuc retinetis obstinationem vestram. Hæc cùm ita sint, simul tamen misericors & pius IESVS vestram imprecationem interpretatus est benignè, de vobis enim ex cruce impetrauit à Patre, vt multi salutem apprehenderetis per suum sanguinē, & tandem omnibus ad finem seculorum vt esset eius sanguis salutaris. O admiranda sanguinis Christi mysteria! hinc innumeros punit, illinc omnes ad salutem vocat, plurimos primùm saluat, tandem omnes ad salutem recipit. Iam aliud nihil restabat; pronunciat Pilatus è tribunali;* Esa. 10. Ose. 1. Rom. 9.

*A. Petentibus Iudæis Barabban donari placet, IESVM verò tradi vt crucifigatur. Hem infelicissime & conscelerate Pilate, damnas hominem tua confessione iustum, tua persuasione Regem alterius seculi, tua trepidatione filium Dei, te licet ignorante Deum omnipotentem, infinitæ maiestatis & potentiæ, sæculorū omnium conditorem; & damnas quidem vt latronem, vt infamem ad crucem; & quod summæ atrocitatis erat & contumeliæ, tradis profligatissimorū & crudelissimorum hominum voluntati, & IESV hostium, quos sciebas per inuidiam illum tradidisse: non dubium quin toto corpore cohorrueris, vbi impiissimam illam sententiam pronunciasti. Sed quid alij? Conclamāt omnes toto atrio, exultant, agūt gratias amplissimis verbis Pilato, fiūt inter ipsos insanæ gratulationes & crudeles.*

*D. Confestim soluitur Barabbas, exilit, discedit ad suos liber.*

*E. Arripitur IESVS à militibus, nudatur purpura, induitur rursus suis vestimentis, non vinciuntur ei rursum manus; adducuntur duo latrones, qui erant ad crucem damnati: cruces quæ paratæ erant eriguntur, suam tribuunt ferendam IESV, suas dein latronibus. Iubet Pilatus scribi eius causam, & ferri titulum vt cruci præfigatur. O rerum tristissimam faciem! ô vicissitudines inauditas! damnatum ad mortem & crucem duci Regem Angelorū, ac rerum omnium conditorem Deum IESVM, reputatum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra; à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Vulnera eum conficiunt, dum exuunt & induunt redintegrata, spinæ sæuiunt in diuinum caput; frigore, lassitudine, dolore, mœstitia vires eius atteruntur: Pilatus contendit illum liberare, dein vno verbo à Iudæis è sententia deijcitur, & qui acriter prius IESVM defenderat, tradit leuissima ex causa crucifigendū. Dæmon professus hostis Christum infectatur atrociter, dein sibi male timens deserit oppugnationem, vrget illius liberationem.* Esa. 53.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Mulier profana Christum prædicat iustum, nititur eripere de manibus iniquorum, & tamen fit obstinatior & efferatior Iudæorum malitia. Obtinent tandem vt vilissima atq; infami morte plectatur cruce. O bone IESV, nonne ego hic balbutio, & quæ dico nihil sunt ad ea quæ tu præterea vides & pateris. si cõferantur? & tamẽ eã crucem, cui es suffigendus, vt libentissimè amplecteris, ita fortissimè, & maioribus animi viribus quàm sint tuæ pœnæ, atque afflictiones.*

*F. Contemplare Mariam Virginem matrem, quæres has nefandas & confert spiritu in corde suo, & audit ab internuntijs. Animaduerte illius crescere dolorem vehementer ad singulas quas patitur filius crudelitates, & ignominias, & indignitates: verùm simul animi robore constare, consternari alias mulieres & discipulos, tamen à Maria sustentari; fletum & planctum esse in mulieribus, in Apostolis perpetuum, & subinde renouari. De vxore porrò Pilati, quum communiter dicatur vexationem illam per insomnium à Dæmone factam, necessum videtur id nocte præcedenti, vel hora matutina nõ fuisse; nam eo tempore non adhuc Dæmonem pœnitebat mortis Christi, nec prius timuit quàm vbi processerat causa Christi, vt videretur confiteri se Dei filium, cùm iam se esse Regem esset cõfessus Pilato: credidit tunc Dæmõ eum Messiã: hæc verò agebantur ad meridiem. Itaque somnum illum fuisse meridianum est rationi consentaneum; nam insomnium fuisse ferè omnes dicũt, & græcè est κατ' ὄναρ, id est per insomnium.*

# DVCITVR IESVS EXTRA PORTAM, AD CALVARIÆ LOCVM.

MATTH. XXVII. MARC. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In xcviij. imaginem adnotatiuncula.* xcviij. 125.

*A. Vrgent Principes vt ducatur IESVS.*
*B. Fert crucem.*
*C. Peruenitur ad portam veterem.*
*D. Vident Iudæi subpondere laborare IESVM, iubent subsistere.*
*E. Sequebatur turba, & in hac mulieres Hierosolymitanæ: Maria virgo extra turbam cum suis.*

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*& duxerunt eum vt [b] crucifigerent.* *& [a] educunt illum vt crucifigerent eum.* *& eduxerunt eum.*

*Ducebantur autem & alij [b] duo nequam cum eo, vt interficerentur.*

*Et [b] baiulans sibi crucem, [c] exiuit in [d] eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha,*

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. VRgent acriter Principes vt ducatur IESVS in Golgotha, timentes ne sententiam mutaret Pilatus, maledicitur ab omnibus Iudæis, vt suspendendus in ligno, derident eum Romani, execrantur omnes iubent latrones suas cruces portare ac præcedere, impetrant IESVM vt subeat suam, & latrones sequatur; quod vt faciat, soluuntur illi manus: trahitur tamen bonus IESVS catena, præcedit & sequitur multitudo militum & ministrorum; inter hos qui clauos & malleos ferebant, hos sequuntur Principes & Seniores, & turba populi, postremò mulieres.

Deut. 21. Pſal. 22

B. Vide baiulantem sibi suam crucem benignum IESVM, & sub truci pondere non gementem quidem, sed laborantem tamen acerbissimè. Subit crucem saucio humero, facit conatus ad pondus ferendum & laborem, vt recrudescant omnia vulnera, & cruoris renouetur effusio. Accedebat alia atrocitas, quòd ob longitudinem extrema crucis parte humi reptante, oportebat totam insultare in humerum afflictissimi IESV, & acerbiùs vulnerare: quindecim enim pedes dicitur crux fuisse longa.

C. Certum est Christum crucem suam portasse incertum quousque; verisimile extra portam vsque, vbi exeuntes, Simonem redeuntem è villa angariauerunt. Vrgent IESVM ministri Iudæorum & milites, vt tametsi sub crucis sæuo pondere, tamẽ celeriter progrediatur. Peruenitur extra portam veterẽ, siue iudiciariam, vbi vorago à monte Gihon ad vrbem pertinet. Mons enim Gihon imminet ciuitati ab occidẽte ad portam iudiciariã, vbi desinit in magnam humilitatem. In huius radice ad sinistram euntibus à porta, est Caluariæ locus siue colliculus, vbi crucifixus est Dominus.

D. Extra portam igitur cùm peruentum esset, & grauari videret nimio pondere IESVM, timentes Iudæi ne sub pondere interiret, iubent subsistere.

E. Sequebatur multa populi turba, sequebantur mulieres plurimæ in turba, nõ quæ Christum è Galilæa erant prosequutæ (hæ enim non in turba populi sequebantur, sed postremo loco cum Virgine Matre;) in turba enim erant mulieres Hierosolymitanæ, non Maria Virgo Mater. Plangebant tamen, & lamentabantur hæ, vel quòd IESVM ex nominis celebritate, miraculis, & doctrina nouerant, vel quòd tactæ teneritudine cordis, & muliebri misericordia, tantam crudelitatem in hominem mansuetissimum exhorrerent ac detestarentur. Plangebãt Hierosolymitanæ mulieres, populus verò minas & ferocitatem aduersus IESVM adhuc retinebat, procurantibus id Principibus ac Senioribus. Et hæc quidem ita fiebant. Satan verò iam inde postquam vidit damnandũ IESVM, suæ tyrannidi miserè timens, primùm, vt diximus, machinatus est mortẽ impedire per Pilati vxorem, dein cùm videret id non succedere, & esse atrociores per se Iudæos, grauissimè incipit cruciari: hinc enim sentiebat se viribus destitui, & quasi incipere ligari ac superari, illinc maleficiũ mortis Christi placebat, tum infinitum Iudæorum peccatum vehementer probabat, tum aliorum comprobabat. Infernali igitur cruciatu & fluctuatione confligebatur; volebat impedire, nec poterat; placebat mori, quod nolebat; augebatur eius desperatio, blasphemia, infernus. Hic verò tu aduerte mentis oculos ad afflictionem IESV, contemplare eius & animi & corporis labores intolerabiles: sed cuius? Dei, qui cælos eo ipso tempore palmo ponderabat, qui tribus digitis appendebat molem terræ, & librabat in pondere montes, & colles in statera, qui vniuersam creaturam sua omnipotentia sustentabat. Video, bone IESV, principatũ tuum super humerum tuum, intelligo fatigarite Deum sub grauitate crucis, vt nobis fiant nostræ cruces leuissimæ, & iugum tuum suaue. Quid Virgo Mater hoc tempore, quid agis? Audit primùm strepitum, videt egredientes è domo Pilati, tandem videt filium IESVM benedictum sub cruce laborantem, renouãtur illi cordis vulnera, quæ plurima iam acceperat, infligitur hæc noua cordi plaga, sentit similẽ dolorẽ & afflictionẽ atque IESVS: fulciuntur tamen eius vires & animi & corporis à filio, vt licet acerbè, constanter tamẽ illam afflictionẽ sustineat: itaque nihil in ea videres, quod è summa modestia & magnanimitate non proficisceretur. Socias mulieres fortassis aliqua spes priùs sustẽtabat, quum finẽ iudicij expectabant, & scirent Pilatum defendere IESVM; at vbi non solùm audiunt damnatũ, sed vident crucem suam baiulantem ad mortem raptari, miserabiliùs longè anguntur, eiulant, lamentantur: Similiter affliguntur discipuli. Cæterùm, quod piè credi potest, exitincre oculos in Matrem & illas, & discipulos conijciens IESVS, auxit quidem commiserationem, simul addidit animorum constantiam & robur.

Ignat. ad Philipp.

Iſa. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

*Cant. 3.* EGredimini rursum filiæ Sion, videte Regem vestrum: en exuitur veste purpurea, induitur denuo suis vestibus, abijcitur Herodis vestis alba, eximitur illi arundo è dextra, datur aliud sceptrum in humerū, crux atrox. Duo hic videris filiæ Sion; vnum, indui à latronibus IESVM, quod antea non dicuntur fecisse; alterum, relinqui illi coronā spineam, quum alia ornamenta regia illi eriperentur. Quid igitur hīc meditaminī? Vtrumque malitiosa fuit crudelitas; antea enim nihil illi parcebant, quem audierant verberati, & spinis coronari, non vt necaretur, sed vt illis mulctaretur pœnis morte liberandus: nūc autē illum induunt, ne se ipse affligeret amplius, & ad crucem vires illi vt conseruarentur. Coronam verò reliquerunt, primùm ad contumeliam, deinde ne ablatis spinis incrudescētia tot capitis & tam dira vulnera illum ad mortem adigerent, vt solēt periculosa tela è plagis euulsa vulneratorum mortem accelerare. Cur ergo homines feris crudeliores illi imperatis crucem vt portet, quem videris adeò debilitatum atque afflictum? Solēne est vt damnati ad crucem, ipsi suam crucē ferant ad locum supplicij: nolumus hanc illi deesse solennitatem; simul tamē eramus attenti ne nimiū affligeretur, & nō posset viuus crucifigi: quæ fuit causa postea, vt eū crucis onere leuaremus. Hæc scilicet fuit vestra malignitas; at Deus sua mysteria hoc pacto adimplebat; necessum enim erat vt omnia scripta de Christo complerentur: nam ligna tulerat Isaac ad
*Gen. 22.* sui sacrificium; crucem suam Christus baiulat; ignem Abraham manibus gestarat & gladium, Pater Christi Deus amorem infinitū, & diuinam iustitiam exerit in humanam naturam, & in filium suum quā homo pro hominum redemptione. Abrahā erat Isaacum interfecturus in sacrificium, nō tamen interfecit, sed arietē, & in sacrificio arietis viuum Isaac sacrificauit; Pater æternus filium suum, iuxta quod Deus erat, non ablulit quidem in sacrificium, sed in humanitate eum tradidit, & in ea viuum sacrificauit filium: communicabantur enim verbo propter hypostaticam vnionem, quæ de humanitate dicebātur, quæ erat idiomatum communicatio. Itaque verè crucifixus filius Dei, verè sacrificatus: quod mysterium quum intelligeret Abraham, appellauit nomen loci illius; Dominus videbit, id est prouidebit sibi victimam holocausti aliam; non enim est filius meus vera hostia, non aries hic, sed figura tantummodo sunt veræ hostiæ immolandæ, per quā salus mortalibus parabitur. Progressus verò est ad pleniorem mysterij expositionem Abraham, & docuit fideles suos Deum ipsum esse in humanitate immolandum: vnde factum est vt ex traditione ab ipso accepta diceretur; In monte Dominus videbitur, id est prouidebitur victima holocausti. E Limbo vsque celebrabat hanc tuā crucis baiulationem, Christe IESV, Abraham cum filio Isaac & deplorabat, ac per suam & luctus & laudis celebritatem alijs patribus præibat. Fuit crux principatus tuus super humerum *Isa. 9.* tuum infantis, magne IESV, tum in vtero, tum ex vtero nascentis; sed ille in animo tuo & voluntate fuit, qui ad hanc crucis gestationem referebatur, illē pœnā habebat, verūm in animo solùm: hæc crucis atrox gestatio in animo & corpore cruciatum faciebat incomparabilem. Intellexisti tu Haia hoc imperium Christi super humerum crucem esse, quæ regnum cœlorum in terram inuexit, & contrarias potestates omnes subegit. Hoc similiter tu celebrabas cum tuis Prophetis in Limbo atque lugebas, quod toties alibi significasti, vbi passiones & mortem Christi vaticinabaris; Verè languores nostros ipse tulit, dolores *Isa. 53.* nostros ipse portauit: iniquitates portauit, peccata multorum tulit. Crux Christi nostri sunt languores & dolores, nostræ sunt iniquitates & peccata: hæc non solùm in humerum leuauit Dominus IESVS, sed etiam portauit cum cruce. Quid præterea de Christo patiente prædicis, Euangelice Prophera? Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & nō aperiet os suum. O amabilem magni IESV mansuetudinem, superbis verò, ac inmitibus hominibus formidandam! Ita conficiebas nobis animi mansuetudinem benigne IESV, ita largiebaris, & in mansuetudinis tuæ merito & exemplo vim ponebas diuinam: erat alioquī tua illa mansuetudo iræ ruæ aduersus superbos rugitus immanis. Contemplare, obsecro, pie meditator, IESVM sub cruce dūci à pessimis hominibus nihil



nihil contradicentē, sed humillimè atque māsuetissimè obtēperantē, & senties radios diuinæ virtutis ex illo ad te emicāres ad māsuetudinē & humilitatē te, & ad obediētiam illicere. Illud autem attentè considera. Non imponitur Christo crux vt Simoni, non angariatur siue cogitur IESVS, vt ille, ad tollendam crucem; amator enim fuit semper crucis IESVS, hanc expetijt semper & concupiuit per ætatem suam omnem à sua vsque conceptione, hanc ab æternitate voluit libēs accipere, & in ea reponere omnem salutem mortalium & vitam. Non igitur fuit cur illi imperaretur vt crucem suam tolleret, minùs vt eam illi imponerent, ipse vltro summa voluntate atque auiditate illam accepit, & *Isa. 53.* subijt, & baiulauit. O adorandam voluntatem & promptitudinē! Verè oblatus es, bone IESV, quia voluisti, Domine, & libentissimè crucem pro nobis suscepisti & portasti. Contrà verò ó nostram confusionem execrandam, qui ad crucis nomen turbamur, qui crucem nostram formidamus ac reijcimus, hoc est, vim diuinam per crucē nobis oblatā atque exhibitam: subibat Christus in sua cruce omnes omnium quas merebamur cruces, & tu tamen tuam in Christo tollere recusas. Multas & processiones cum Christo, & stationes hactenus egimus, hæc vltima processio & statio est. Eundū cū Christo crucē portante, & cōsistendū eū Christo in cruce suam habente stationē: vtraq; est doloris & luctus plena, sed hāc nunc processionē celebremus: vt ad illā sacratissimam stationē animi nostri præparētur. Sequimini filiæ Siō Regē vestrū spinea corona insignē, purpura suorū vulnerū & sanguinis ornatū, sceptrum imperij sui super humerum gestantē, in quo fert omnes passiones suas, omnes contumelias & opprobria, tollit crucifixionē suā, crucis leuationē, *Ioan. 1.* suspēdium triū horarū, suos crucis cruciatus immēsos, suā mortē. Cum his tollit peccata mūdi; hæc enim erāt in cruce omnia, homines omnes saluādi, & eorū peccata, gloria simul eorū sempiterna & Christi corporis, & cōsessus ad dexteram Patris in excelsis. Durissima erat crux illinc, hinc mollissima, & diuitijs cœlestibus plena. Hæc contemplamini, & reperietis in duritia crucis vestræ positas esse cœlestes suauitates. Iuuate Christum laborantem sub atroci pondere crucis, filiæ Sion; leuiorem crucē facite, atque videte benignum IESVM; nō vult iuuari, nec crucē suam vult fieri leuiorem, ipse solus vult totā crucem subire, totum pondus portare. Verùm intelligite alioqui, quemadmodū possitis illo pondere crucis Christi adiuti, nō pondus crucis Christi vel laborem leuare, sed facere vt ne pro vobis crucem leuet. Id facietis, si à peccatis abstineatis: peccare enim in Deū illud est, Christo crucem ponere: sed tamen hīc elucet Dei & Christi eius copiosa redemptio; etiamsi alioqui non peccemus, ipse tamen subire crucem voluit pro nobis, vt ne peccaremus. Prorsus igitur totam crucem tulit Christus, & siue peccemus, siue non peccemus, crucem pro nobis tulit; vbi enim peccāmus, nos Christo crucem imponimus; si non peccamus, quæ eramus peccata admissuri, & à quibus nos conseruat Christus, ab his nos liberat: qua in re singulari erga nos vtitur benignitate. Quæ cùm ita sint, nostras tamen nobis cruces ipse imponit satisfactionum, tribulationum, quas per Simonem indicauit. Milites quidem Romani Christum baiulantem crucem ducebant, sed aderat Magistratus templi, ministri Iudæorum, Principes *Luc. 23.* Sacerdotum, Seniores, Pharisæi, colluuies hominum pestilentissimorum: sequebatur vulgus virorum & mulierum ad iudicium & spectaculum tam crudele, hominis miraculis, & doctrina, & nominis celebritate clarissimi, inter quos est verisimile fuisse aliquos pios: sequebantur item cū Maria matre Virgine sanctæ mulieres & Apostoli, qui iā tandē intellexerāt sibi cautum fuisse à Christo, à quo etiam animus eorum sustentabatur; aderant verò, vt qui testes erant futuri, non solùm resurrectionis, sed crucis: è cœlo omnes Angeli videbant duci ad crucem filium Dei, summum omniū Dominum, & vitam æternam; aderant simul Angeli quàm plurimi supernè Christum sequentes; non deerat Satan cum infinita præuaricatorum spirituū multitudine: sed & Patres è Limbo hæc sciētes per Angelos internuncios, omnes luctu & deuotione absentes Christum prosequebantur. Hæc erat celebritas processionis Christi vltimæ è prætorio per portam iudiciariā ad Golgotham. Omnium personæ, affectiones animi, & harum externæ significationes sunt animaduertendæ, & à singulis suæ sunt colligendæ spiritus vtilitates. Porrò illam nos prosequentes processionem, pia cogitatione cor nostrum in Christum præcipuè conijciamus. IESVS, qui semper procedit

Universidad de Deusto
Biblioteca



à Patre æterno, procedit ad mortem cruciatu & ignominia plenam, nónne obstupescitis ad hoc Angeli, qui æternam processionem IESV videtis è vestra beatitate, & ibi nouistis mori non posse? Conijciamus item deuotionem nostram in Virginem Matrem.

*Cant. 5.* Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò declinat? Duc tecum nos, vt eũ

*Cant. 6.* tecum sequamur. Descenderat amicus & dilectus tuus in hortum suum, vterum scilicet tuum, hortum conclusum, cuius deliciæ paradisus, & in areolam aromatum suauissimè spirantem, tuas virtutes & dona. Inde descendit in mundum, qui soli filio tuo & tibi fuit hortus & paradisus; in mundo enim nullum agnoscitis peccatum, omnia vobis in bonum cooperabantur atque obtemperabant. Ex mundo tandē hac processione abit & declinat in crucem & mortem, quam loco gaudij habuit, & sustinuit contempta cõ-

*Heb. 12.* fusione. Has delicias ab æternitate voluit lu-

*Prou. 8.* dere inter filios hominum; ad hanc viam

*Psal. 18.* currendam exultauit fortissimus gigas, gaudens bono suæ fortitudinis, & excellẽtissimo ac perfectissimo fine. Areolæ verò aromatũ ipsa sunt vulnera, ex quibus fumus aromatũ ascendit ad Patrem suauissimus. Hæc tamen cùm ita sint, ascendit simul fumus ille per filij Dei & tui dolorem, & cruciatum acerbissimum & immensum; sed qui quò acerbior fuit, ita filio tuo in maioribus delicijs fuit, propter diuinam ipsius fortitudinem. Agebatur processio luctuosa quidem per se, sed eò luctuosior, quòd progressus ille erat ad crucem & mortem Christi, & singulis passibus videbatur esse & crux præsens, & Christus crucifixus. Erant autem contumelioſi & iniurij milites & Iudæi in IESVM, irridebant illum, blasphemabant insolentissimè, nihil tamen illi nocebant, sat ipsis videbatur si crucẽ portaret, quod iniquissima pietate faciebant, veriti, ne si maiora supplicia adderent, vita illi eriperetur, nec crucifigi viuus posset. Itaque vbi viderunt ipsum debilitari, & non confiderent posse mortẽ euadere si sub pondere crucis amplius laboraret, imperant consistere. O homines peruersissimos! Itáne nullum genus pietatis exercere in IESVM voluistis, nisi quo vires non conseruarentur quidẽ (neque enim id facere volebatis quod faciebatis) sed vt conseruarentur ad maiorem crudelitatem? Etenim leue videbatur vobis sub cruce illum necare, quare in ea etiam pietate fuistis crudeles. Ad hæc autem ignominia ingens illa addebatur: ducebantur enim simul duo nequam, sequebantur hi cum suis crucibus, IESVS præcedebat tanquã princeps sceleratorum hominum. Incipis, sancte IESV, cum sceleratis apertius reputari: nam *Ysai. 53.* quas voces arbitramur fuisse ministrorum, militum, Principum, & aliorum: quàm acerbas, quàm contumelioſas? Quò enim minus audebant corpus lædere, eò insolẽtiùs in eius existimationem impetebant. Attamẽ excellens illa tunc enituit pietas mulieris Hierosolymitanæ in afflictũ IESVM; quũ enim constitisset IESVS, armata illa supra sexum singulari pietate atque cõpassione (quas virtutes indiderat magnus IESVS) accedit ad eum confidenter, neque quisquam impedire potest; abstergit linteo & mũdat deturpatum Christi IESV vultum, ac refert diuinam vultus ipsius imaginem in linteo. Neque verò quisquam mihi obstrepat apocryphum hanc esse narrationem; huic enim ego sic nunc obiter respondeo: quem traditio, & vsus, & veneratio Romanæ Ecclesiæ ad huius historiæ deuotionem & fidem non mouet, videat is, ne in eius animo aliquid lateat quod vim habeat radicis amaræ, & pestem sibi & alijs afferre possit. Túne igitur sanctæ mulieri tantam pietatem eripere vis, & extorquere è manibus audes religioſissimi officij linteum, quod ausa non est militum ferocitas, vel Iudæorum crudelitas, nec potuit? O felicem mulieris pietatem! Voluisses tu quidem vulnera Christi curare omnia, atque omnem illi corporis integritatem restituere, hoc non potuisti, nec voluit Christus: quod potuisti & voluit IESVS, id præstitisti, vultum eius diuinum impietate hominum impurissimorum sputis & sanguine deturpatum mundasti, sed suo diuino splendori non restituisti; liuoribus enim ex alapis, pallore ex debilitate afflictus erat eius vultus. Placuit Deo vt Christi apertus vultus mundo ostenderetur, quem erat visurus omnis oculus, & qui eum pupugissent, cùm veniret in *Apoc. 1.* nubibus. Euge beata mulier, applica faciei IESV linteum tuum, ipse te inuitat libenter, finit se à te tangi & mundari, in tuum cor suos oculos illos misericordiæ conijcit, illi primùm suam effigiem suauissimè imprimit, deinde linteo; ostendit gratum sibi fuisse tuum officium. O te beatam, à qua voluit Deus ijs rebus leuari quæ obscurum eius



eius vultum faciebant, quarum erat altera sacrosancta, sanguis Christi; altera abominanda, iectæ ab impurissimis hominibus spurcitiæ: sed ea fuit Christi IESV benignitas, sanguinem enim suum cum nostris peccatis misceri voluit, quo essent purganda: vtrumque enim nos facimus cùm in Deũ peccamus, & sanguine fœdamus faciem Christi, & immundicijs peccatorum. Voluit tamen nos opera vti nostra, vt cùm ad cor redimus, ex eius facie & sanguinem, & immundiciem, quibus illam aspersimus, pijs nostris officijs, & satisfactionibus debitis abstergamus: quæ ipso dante, & probante, & gratum habẽte faciemus, vt piæ illius mulieris probauit sacrum ministerium. O sancte & benigne IESV! Vidi antea vultum tuum deturpatũ, video tamen nunc liuidum, pallidum, debilitatum; vterque me adigit ad pœnitentiam, vtrumque enim ego feci, & deturpaui illum, & debilitaui. Da mihi horum mysteriorum virtutem, vt quũ hæc piè sentio, peccata mea per illa emendem, vt qui eram propter meas culpas immundus & debilitatus, per tuas passiones emunder & reficiar, vt tãdem vultum tuũ in splendoribus tuæ sanctitatis videam. AMEN.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# QVÆ GESTA SVNT ANTE CRVCIFIXIONEM.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII.

*In xcix. imaginem adnotatiuncula.* xcix. 126.

*A. Exeuntibus illis cum afflicto IESV occurrit Simon Cyrenensis.*
*B. Hunc angariant vt tollat crucem IESV.*
*A. Respirat paululum IESVS.*
*C. Sequebantur mulieres Hierosolymitana plorantes.*
*D. Ex his vna tergit linteo vultum IESV, & refert in linteo eius effigiem.*
*A. Eiulantibus mulieribus, ad eas conuersus IESVS dixit; Nolite flere, &c.*

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII.

[a] *Exeuntes autem inuenerunt*
*hominem Cyreneum nomine Simonem:*
*hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius.*

[b] *Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyreneum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret crucem eius.*

*Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Cyrenensem venientem de villa,*

*& imposuerunt illi crucẽ portare post IESVM.* [d] *Sequebatur autem illum multa turba populi, &* [d] *mulierum, quæ plangebant & lamentabãtur eum. Conuersus autem ad illas IESVS, dixit: Filiæ* [a] *Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies in quibus dicẽt; Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus; Cadite super nos: & collibus; Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. EXeuntibus portam quum iussus substinuisset afflictus IESVS, & Simon Cyrenensis (quæ est regio maritima ad Ægypti occidentalem plagam pertinens) illuc occurrisset è villa rediens,

B. Hunc angariauerunt, id est adegerunt vt crucem portaret post IESVM. Erat Iudæis religio crucem tangere, crucem item abominabantur Romani: eo facilius Simonem angariant vt eam tolleret, quod iustè intelligerent eum & filios eius esse IESV sectatores. Paululum respirat benignus IESVS, præcedit, sequitur onustus cruce Simon. O felicem hominem, qui crucis pondere Christum leuauerit! quis dubitet quin summam hinc senserit animi suauitatem, illinc tamẽ summam mœstitiam propter impendentem Christo mortem?

C. Eiulantibus porrò & plangentibus mulieribus Hierosolymitanis miserabiliter, & confidentius ac propius ad IESVM accedentibus, sibiq; ipse sua authoritate vniuersam multitudinem,

D. Et ecce ex his mulieribus, cùm staret IESVS, accessit confidenter vna, vt extenso linteo eius vultum sudore, cruore, sputorum spurcitie fœdatum emundaret, neque id prohibere potuerunt milites, sic enim voluit Christus. Quum autem exterfisset summa cum reuerentia atque deuotione, retulit in linteo Christi vultum luculentissimè impressum atque effigiatum; quod traditione Ecclesiastica retinemus: linteum autem cum effigie in beati Petri Romæ conseruatur summa cum religione.

A. Conuertitur autem IESVS ad mulieres, non inhibens earum fletum, sed confirmans potius atque promouens; Nolite, inquit, flere super me filiæ Hierusalem, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Nolite flere super me quemadmodum fletis, nescitis enim quid fletis, vel quare fletis; existimatis purum hominem me, qui iniustè patiar; nesciunt item vestri Principes quam immensum scelus in me interficiendo patrent, vulgari & muliebri commiseratione mouemini: ostendam vobis quid lugeatis; illud lugete quæ propter ego fleui quum Hierusalẽ his paucis diebus vidi, vbi magna cum vestra gratulatione in vrbem eram ingressurus super pullum asinæ sedens. Prædico enim vobis acerbissimos dies, qui huic ciuitati impendent, quibus circumdabunt eam hi ydem Romani vestri hostes vallo, circumdabunt eam, coangustabunt vndique, & ad terram prosternẽt, & eius filios qui in ea sunt, & non relinquent in ea lapidem super lapidem. Illis diebus dicent; Beatæ steriles, & ventres qui non genuerũt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient (miserabilius videlicet quàm vnquam antea) dicere montibus; Cadite super nos; & collibus, Operite nos. Quibus verbis describitur infinita illa internecio & crudelitas excidij Hierosolymitani à Tito Vespasiani filio. Hæc vobis sunt plangenda filiæ Hierusalem, vnde scitis quo pacto de me flere debeatis: nam si hæc omnia vobis, & ciuitati euenient, vt euenient, propter iniustam & impiã necem meam, non puri hominis, vt vos existimatis, sed Dei, & mortalium Saluatoris; quanto maiori luctu deberetis meam mortem dolere & plangere quàm nunc facitis! nam minor est atrocitas, minus longè malum, si vos illa innumerabilia mala patiamini, quàm mihi minimũ incommodum, ne dum mortem à Iudæis inferri, vel à Romanis. Etenim si in viridi hoc faciunt, me, in arido quid fiet, vobis? Confert maleficij mortis suæ magnitudinem Christus ad illas calamitates, & has mõstrat esse longè minores. Hæc cùm ita sint, ostendo vobis, inquit IESVS, quid flere debeatis filiæ Hierusalem; super vos flete & filios vestros, propter calamitates quæ vobis euenient propter necem meam. Vnde intelligetis, maius esse malum quàm vos existimatis vel fletis, mortem mihi illatam & crucem: quò fiet vt tandem intelligatis quomodo vobis flendum sit. Mariæ Virgini sacrosanctæ illa non dixit IESVS, non sociis mulieribus; neque enim decebat esse in turba Matrem IESV, nec eam deseruerunt suæ mulieres, tum aliqui discipuli, præsertim Ioannes. Neque illas calamitates Matri denunciabat, vel Galilæis illis mulieribus, vel pijs omnino Hierosolymitis. Traditum enim est, admonitos diuinitus Christianos ante excidium vrbis, Pellam in Arabiæ vrbem confugisse, & illud vitasse periculum. Maria igitur Mater Virgo intelligens leuatum crucis pondere, & aliqua afflictionis parte filium, nonnihil & ipsa recreatur, recreantur piæ mulieres, sed ita vt luctus integer propter alios Christi cruciatus, & impendentem mortem perseueret.

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# MEDITATIO.

VEnite crucis amatores, adeste qui carnis afflictiones, & ieiunia, & mortificationes diligitis: videte admirandum exemplum, & diuinam in gestis Domini nostri IESV doctrinam. Viderunt milites & Iudæi vehementer sub cruce affligi IESVM, & in periculum venire crediderunt ne sub ipsa moreretur; iusserunt igitur consistere. Humerus quidem IESV fuit sæuo illo cruciatu leuatus, sed tenuit tamen rectam crucem stans, donec alius sibi substitueretur. En clamat ad omnes stans cum cruce IESVS, inuitat omnes ad
*Mat. 16* crucem tollēdam; Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Eo ego ad crucem lubens pro vobis, tuli hactenus crucem, nunc eam non propterea relinquo quòd illam non possim ad Golgotha vsque portare, virium mihi adhuc satis est ad hoc portandum: nam qui vires in cruce tres horas habebo ad crucem sustentandam, sat sum habiturus ad hanc crucem ligneam ad Caluariam vsque ferendam. Nolite ergo existimare me propterea crucem ex humero deposuisse, quòd vel nollem, vel nō possem illam portare; sed id volui facere, vt vos omnes ad crucem portandam allicerem & cohortarer. En crucem do in manus & humeros vestros, facio eam vestram. Mihi mea fuit dura, vobis vestra per meam erit mollis; mihi onus meum graue fuit, vobis vestrum erit leue per meum; quam ego enim crucem vobis gratificor, id est, quas persequutiones, angustias, labores, cruciatus, mortes, ignominias gratiosè concedo, propterea leuis crux sunt, quòd mea in membris meis crux sunt; & quia ego illa priùs pro vobis pertuli, & ad vestrum exemplum atque imitationem contuli, & salutarem virtutem, vnde in vestros labores deriuatur per meritum meum, pro vestræ crucis ratione & gratia. Quocirca nolite crucem meam reijcere, quæ vobis tantum affert splendoris & gratiæ, tantum meriti atque salutis. Mea cruce leuarunt me mei hostes truculenti, & vos eam mihi relinquetis? & in periculum dabitis vt sub ea moriar in vobis per vestrum peccatum? qui enim crucē meam repudiat, sæpè lethaliter peccat, semper ferè se dat in periculum vt peccet, quod est me occi-
*Matth. 10. 16.* dere. Propterea dixi vobis non semel; Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Accipite hanc doctrinā ex hoc exemplo, fratres, quod etiam per meum præconem Paulum dedi. Non glorificabimini, *Rom. 6.* si non compatiamini; si verò spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Ille autem est spiritus & virtus meæ crucis & mortis, mortificatio pia carnis & castigatio. Rursum; Semper mortificationem IESV Christi in *2. Cor. 4. Colos.* corpore vestro circumferentes; Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Volui ego quidem omnia vestra peccata portare, omnem etiam eorum pœnā dissoluere, quod feci pro omnibus semel, quibus Baptismi sacramentum communicatur: nihil enim tunc est quòd debita vestra dissoluatis: posquam autem mea dona accepistis & vitam, volo vt cruce mea & mortificatione vtamini, siue ad maius vestrum meritum & mēris profectum, siue ad Patris mei gloriam & meam, siue ad peccatorum vestrorum liberationem; quod quum facitis, non propterea ego illa peccata non soluo; meo enim sanguine sum promeritus, vt vos per illa possetis mereri & satisfacere. Itaque cū pro peccatis vestris Patri meo satisfacitis, existimate vestra esse satisfactionis opera sanguine meo imbuta, & per sanguinē meum esse satisfactoria; nisi improbè velitis, atque etiam impiè mihi totam crucem relinquere, nihil illius attingere, hoc est, nihil vtilitatis ex ea accipere, & nec vobis prodesse ex mea cruce, & mihi illam grauiorem facere. Nam vt tota mea crux ad omne satisfactionis vestræ opus concurrit; (non enim vna pars vni operi respondet, sed tota & omnibus & singulis) ita si opera vestra vos ad satisfactionem conferatis, tota quidem meæ passionis virtute vtemini; si non conferatis, totam mihi passionem & crucem quasi rursum infligetis. O beatum te, Simon, per quem tam salutare exemplum & doctrinam à Christo accepimus. Euge sancte Cyrenæe, subi crucem, vt facis, & lubenter facis; nam video stante Christo cum cruce, refugere primū Iudæos illam tollere, quibus erat execrabile crucem tangere, nedum IESV portare: Romani milites contumelioſum putabant damnatorum crucem portare, non tangere, & in cruce figere damnatos. Quum ergo timerent Principes Iudæorum si IESV progressus retardaretur, ne Pilatus sententiam reuocaret, vrgebant milites



milites vt aliquē adigerēt ad baiulandam crucē. Nulla mora occurris tu bone Simō, cōclamant; Tollat hic crucem; Tolle tu crucem irapiunt, imponūt tibi crucem violenter quidē, at tu summa cum voluntate illam accepisti; ad hoc enim tam sublime ministeriū te Deus vocauerat, Christus ipse præparauerat, ac sua iam cruce cor tuū penetrauerat. Quanta animi tui fuit alacritas! quanta cordis lux & suauitas! Nunc primùm incipio Dominum IESVM cognoscere: ô crucis admirandam virtutem! Crucifigi, Magister sancte IESV, tecum volo, tecum deposco crucifigi: suscipe me benigne IESV; crucem tuam portare bonum est, at quanto melius cruci suffixum vitam pro te ponere! Ita exultabat sub cruce Christi Deo dilectus Simon Christū sequēs, atque excellenti exemplo nos omnes ex eo sancto itinere ad crucē vocabat, & ad sequendum Christum cum cruce inuitabat; sed simul qui crucem portare repudiant & Christum iequi, magna vi reprehendebat atque vituperabat. O homines infelices, repellitis crucem? Quam causam eius rei affertis? Crux, *Rom. 8.* dicitis, amara est. Cui? Sensui nostro & carni. Igitur secundùm carnem viuere vobis placet: at vita secundùm carnem mors est: in ea verò morte quid est, nisi Dæmon, peccatum, infernus? Quare si crucem reijcitis, sequamini necesse est Dæmonem, peccatum, infernum. O vos miseros & miserabiles! Contrà verò felices vos qui crucem amatis & amplexamini; in cruce enim Christum reperietis, & meritū vitæ æternæ, & Paradisum. Est crux triūphale vexillum aduersus mundum, carnē, & Diabolum; porta salutis, via ad cœlū, mater virtutum, & vitæ sempiternæ, terror & profligatio Dæmonum, expugnario vitiorū, clypeus inexpugnabilis, & gladius Christianæ militiæ. Sequebatur quidem IESVM multa turba populi & mulierum, sed populus sequebatur tantùm, mulieres etiam plangebant & lamētabantur licentia muliebri; quod viri, si quibus indigna videbantur quæ fiebant, veriti *Psal. 52.* periculū non audebant. Verè nullus fuit, bone IESV, qui simul tecum contristaretur, neque qui consolaretur; sed confortabantur, *Psal. 21.* qui te persequebantur inimici tui iniustè, & aperiebant super te os suum sicut leo rapiens & rugiens. Sed quid agebas, bone IESV, in tanta desolatione? Omnium quidem curam gerebam clemēter, hostium etiam meorum; sed mulieribus volui respondere, vt soleo respicere ad humilem cordis & piam teneritatē, & ad simplicem animi libertatem; Filiæ Hierusalem. Cur Matrem non compellasti, benigne IESV, & eius socias mulieres? Ad Matrem illa mala nō pertinebāt quæ eram prædicturus, nec ad pios, tamen Matrem interiùs semper alloquebar pijs spiritus visitationibus; illa socias sustentabat per me. Sed quid est quòd filias Hierusalē prohibes super te flere? Non prohibeo, sed hortor potiùs & doceo quēadmodum veriùs super me flere debeant; quem enim luctum de me habebant, is erat inanis, si ad eum conferatur qui haberi deberet. Erat enim ille fletus de me, quasi de homine innocente & imbecilli ab inimicis oppressō, qui se liberare ab illis nō posset: at ego innocens quidem eram, imbecillis verò mea voluntate, alioqui infinitæ eram potentiæ & virtutis, eram ab hostibus meis oppressus, sed quos poteram nutu vno in infernū dare præcipites: itaque ab illis nolui liberari, vt genus humanum è Dæmonum & peccati tyrānide eriperem. Nō erat igitur futurus plāctus ille, si ibi consisterer, plenus; iubebam igitur ad vlteriora vt respiceretur, & ad iustiorē fletū: qui habebatur, eum non inhibebam, sed augere cohortabar & extendere. Super vos ipsas flete & filios vestros, quemadmodum ego & fleui his sex diebus; & nunc lugeo, & internis lachrymis, & externis sanguineis toto corpore. Ploro autem super vos, & super filios vestros peccata simul & pœnas; tum illud quod est luctuosissimum, tantam passionis & mortis meæ acerbitatem quam pro omnibus assumam, tam paucis fructum esse allaturam. Itaque imminent vobis & filijs vestris mala ingentia, plura tamē longè in inferno reposita sunt, si pœnitentiam non egerit gens vestra: quæ ad omnia peccata & abominationes & suas & patrum suorū hoc addit summū malum, quòd me ex inuidia & malignitate crucifigit, id est per immensum cruciatum atque ignominiam necat. En doceo vos, filiæ Hierusalem, quod defleatis, quod vtinā cognosceretis, vtinam vestra gens intelligeret, & cō- *Deu. 32.* uerteretur, & saluarem eos, & iram quæ in illos excitata est auertere. Sed scio eorum obstinationem, propterea magis sunt deplorandi, cùm possint me desiderante & auxiliū offerente, & nolint tamen respiscere: erit enim quum nullus eorum miserebitur, quū in infernum ego eos proijciam iustissimè. Ab illis filiabus Hierusalem terrenæ, ad vos se cōuertit

Universidad de Deusto
Biblioteca



tit benignus IESVS, qui cœlestem Hierusalem profitemini. Audite; ne vos quidē scitis quemadmodum de mea passione luctum habere debeatis; nam video etiam qui lugeri debere meam passionem & mortem negent: pro his ego nec passus videbor nec mortuus, si quidem non pertuli lugenda. Ij meam celebrant resurrectionem, & eius gloriam in ipsa passione, quasi me non sinant priùs mori quā resurgere, volunt me moriente gloriari: atqui nemo mecum gloriari potest, nisi qui mecū compatiatur. Ergóne tristis erit anima mea vsq; ad mortē continēter, & horū cōtinenter gaudens & lætabunda? faciunt quidē hi cū Iudæis qui me crucifixerūt; illi gaudebāt quum me videbant crucifigi, hi tantùm gaudēt quū crucem meam cogitant, dolere nolunt. At dolebant nō Apostoli & Discipuli solùm, sed Mater mea præcipuè; dolet etiam nunc Ecclesia: desiderabam ego qui mecum contristaretur, & ex alijs ferè nullùm habui. Crediderunt antiqui hæretici me non verè passum, non verè mortuum, sed apparenter; hi nō lugebant mortem meam: non sunt vobis illi imitandi, sed qui & veras meas passiones & mortem credunt, & verè illis mouentur & contristantur; vt eorum tristitia in gaudium conuertatur, & verè ex veræ mortis sensu veniant in veræ resurrectionis virtutem & gloriam agnoscendam & corde suscipiendam, vt docet vsus Ecclesiæ. At enim neque qui crediderunt lugendam crucem meam lugere illam omnes sciunt; sunt enim qui similiter atque Hierosolymitanæ mulieres faciunt, dolores meos lugent, & cruciatus, & mortem; parum tamen assurgunt. Audite igitur quid in passione mea & morte simul lugeatis. Peccata vestra lugete, quæ mihi fuere causa passionis & crucis; tum quòd mea crux tam multis nō solùm non profuerit, sed obfuerit etiam, eorum culpa; quum ea plenissimè ex se pro omnibus sufficerit. Colligite animo omnes meæ passionis dolores, cruciatus, contumelias, opprobria, & indignitates, ac considerate illa esse mihi Deo illata; adiungite mortem ipsam, & causam doloris conficietis immensam, & cò maiorem & viuaciorem, quòd ea omnia libentissimè non pro me, sed pro vobis patiebar. Augebunt luctum vestrum meæ passionis & mortis circunstantiæ, vbi, à quibus, propter quos, quomodo passus sim. Ad hæc animaduertite, etiamsi secundùm superiorem animæ portionem libenter patiebar, inferior tamen repugnantiam sentiebat vehementem, quæ è veritate meæ humanitatis proueniebat; quod erat mihi acerrimi doloris & tristitiæ causa, & vobis esse debet; etiāsi ego illam Deo & rationi perfectissimè subijciebam. Et illud considerate, si damnati ad mortem esseris crudelissimam, Rex tamē vester vt ne vos illos cruciatus & mortem subiretis mori ipse vellet; vos ista sciretis, & contemplaremini morientem; nónne summam haberetis doloris & luctus causam? At infinito interuallo differt mors mea à morte omnium Regum, & mors temporalis vestra ab æterna, & cruciatus huius mundi ab alterius & inferni: similiter ergo meam mortem lugete; & quandoquidem ne æquare quidē luctus vester illam similitudinem potest, lugete quòd lugere vt debetis non possitis, de vestra culpa. Et illud scitote, vt me oportuit per passionem & mortem, ac per harum dolorē ac tristitiam & cruciarum intrare in gloriā meā, sic vos iniquissimè facturos, si reiecto luctu meæ passionis, illius gloriam tantummodo celebretis. Sua ergo tempora distinguite luctus & tristitiæ; tum gloriæ & gaudij: & fiet vt eò maior sit & solidior lætitia, si ex sensu passionis & mortis meæ illa oriatur: virtus enim gloriæ crucis est meus in cruce dolor, per quē parta est illa gloria, & crucis meæ triumphus; ad Patris mei, & meam, & Spiritus sancti gloriam sempiternam, Amen.

*Psal. 68.*

CRVCI-

# CRVCIFIGITVR IESVS.



MATTH. XXVII. MARC. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In C. imaginem adnotatiuncula.* C. 127.

*A.* Peruenitur ad Golgotha.
*B.* Dabant illi vinum myrrhatum cum felle mixtū: & cùm gustasset, noluit bibere.
*C.* Parant quatuor milites vt crucifigatur.
*D.* Crucifigitur.
*E.* Pilati iussu titulus in summa cruce prafigitur.
*F.* Crucifiguntur duo latrones.
*G.* Fit Eclipsis solis vniuersalis.

| MATTH. XXVII. | MAR. XV. | LVC. XXIII. | IOAN. XIX. |
|---|---|---|---|
| Et [a] venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus: | *Et perducunt illum in Golgotha locū, quod est interpretatum Caluariæ locus:* | | |
| [b] dederūt ei vinum bibere cum felle mixtum: | *& dabant ei bibere myrrhatum vinum,* | | |
| & [b] cùm gustasset, noluit biberè. | *& non accepit.* | | |
| | | *Et postquā [c] venerūt in locum qui vocatur Caluariæ,* | |
| Tūc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris. | *& crucifixerunt eum. Et cum eo [c] crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & aliū à sinistris eius.* | *ibi [d] crucifixerūt eū, & latrones, vnum à dextris, & alterū à sinistris.* | *vbi crucifixerunt eū, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autē IESVM.* |
| | *Et impleta est scriptura quæ dicit; Et cum iniquis reputatus est.* | | |
| Et imposuerunt super caput eius | | | *Scripsit autem & titulum Pilatus, & [e] posuit super crucem. Erat autem scriptum:* |
| | *Et erat titulus causæ eius inscriptus;* | *Erat autē & superscriptio scripta super eum literis græcis, & latinis, & hebraicis;* | |
| | *Rex Iudæorum.* | *Hic est Rex Iudæorum.* | *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* |
| A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terrā vsque ad horā nonam. | *Et facta hora sexta, & tenebræ factæ sunt per totam terram vsque in horā nonam.* | *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonā; & obscuratus est sol.* | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

Brocar. Resner. A. PEruenium tandem ad Golgotham appẽdicem vltimam montis Gihon, peruenitẽtem ad portam iudiciariam à læua versus Septentrionem montis Sion. Hic monticulus erat Calvariæ locus, apud Iudæos immundus, apud omnes homines execrabilis, quòd ibi supplicium sumeretur de sontibus; qui locus esse solet ossibus & caluarijs hominum plenus. Hunc colliculum complexus mœnibus Aelius Hadrianus Imperator vrbi eius situ non mutato adiunxit. Distat verò Golgotha à domo Pilati passus cẽmunes M.D. CCC. LXII. Quũ eò esset peruẽtum, IESVM, quem in itinere iniurijs & contumelijs affecerant nefandis, confestim exuunt omnibus vestibus, ibi rursum plagæ & cruor renouatur; expediunt clauos & malleos; designantur quatuor sæui milites qui eum sint cruci suffixuri.

B. Erat mos, vt qui cũ cruciatu erant interficiendi, ijs exhiberetur aromaticum vinum, vnde robur acciperent ad perferendos corporis animiq; dolores.

B. Eiusmodi vinum Christo non propinarunt homines impij, sed obtruserunt vinum pessimũ atque acerbissimum, singulari amaritudine fellis admixta & myrrhæ: gustauit quidem IESVS, sed bibere recusauit. Nihil omittebãt homines teterrimi quod boni IESV posset pœnã & contumeliam augere. O IESV benigne, cur gustas, cur verò non bibis? Obedio pro te impijs, qui non vrgent vt bibam, vrgẽt vt gustem; neque enim vlterius volui vrgeri vel facere. Gustauit enim pro omnibus mortem IESVS; verè quidem sensit, verè subijt, sed dicitur ille fuisse gustus, tum quòd breui resurrexit, tũ quia etiamsi ipse Christus mortuus est, tamen secundùm humanitatem tantummodo est mortuus: non enim patiebatur verbum in se, non anima secundùm superiorem portionem. Sternitur crux humi. Heb. 2.

C. Corripitur IESVS Deus, proijcitur super crucem, duo manus vtrinque arripiunt, alij duo pedes, (nam quatuor fuerũt primarij crucifixores) extendũt ad crucem corpus eius & aptant; tres verò sæuissimi arripiunt tres clauos & totidem malleos, quartus subseruit, etiam alij; apponunt clauos palmis manuum hi, ille pedibus; qui manus tenebant, eas crudelissimè extendũt, similiter qui pedes, subseruiente quarto & alijs; vtrisque contra alteros nitentibus tanta violentia, vt omnia Christi ossa luxarent, & facerent vt emota loco dinumerari omnia possent. Hæc ita facta sunt; vel omnino luxatio illa facta est ante crucifixionem. Quæ dico horrenda sunt, vt quæ in Dei filium IESVM bonum fiant & parentur: quod autem sequitur, illud verò est quod pius animus ferre nulla ratione potest, nec lingua aut stylus, vel valet vel audet pronunciare. Cuius enim tam ferreum est cor quòd Christum Deum confiteatur, corde nouerit & amet, qui ferre possit manus eius ac pedes sanctissimis clauis à teterrimis latronibus crucifigi?

D. Et tamen necessum est illam meditari immensam atrocitatem. Incutiuntur malleo clauis, atrocissimè transuerberantur manus & pedes hominis Dei, auditur longè sonitus percutientium, sanguis diuinus è quatuor vulneribus copiosè exilit ac fluit, summum dolorem sentit benignus IESVS, cuius non solùm manus ac pedes transuerberantur, sed cor diuinum acerrimo cruciatu, quod erat omni afflictione acerbissimo cruciatu, quod erat omni afflictione atrissimo cruciatu, quod erat omni afflictione amaritudine plenum. Exhibe animũ, Christiane, huic spectaculo acerbissimo, & vt præsens præsentem precare IESVM, qui hæc propter te passus est, vt hæc mysteria intimo corde sentias: fiet ferò primùm, vt nullo pacto illum malleorum sonitum, illos ictus, illam manuum & pedum transfixionem tua cordis cogitatio sufferre possit; deinde simul cum Christo salutares accipies clauorum ictus, & corde senties intimo: fiet nonnunquam, vt manibus ac pedibus dolores, cum acerbitate quidem, sed qui incredibili condiantur animi suauitate sentiantur, quod egregia IESV benignitate legimus contigisse.

E Hæc cùm patrarentur, affigit lictor titulũ summæ cruci altè Pilati imperio, quo titulo causam quapropter crucifixus esset IESVS voluit esse orbi manifestã: hoc fuit cur imperaret scribi literis Hebraicis, Græcis, & Latinis. Expitebatur autem illa inscriptione non tam crimen (in quo tandem perseuerarunt Iudæi, dicentes: Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari) quàm veritas ipsa; scripsit enim ex animi sententia Pilatus; IESVS Nazarenus Rex Iudæorum: quæ veritas ipsius erat cordi infixa; Regem in se quidem esse IESVM, sed non ex hoc mundo: consenserat enim Pilatus vt crucifigeretur, seruiens suæ ambitioni, non propter aliquam culpã: voluit veritatẽ esse testatam publicè: sæpe & quod sentiebat: & Cæsari alioquin voluit facere satis, si quis calumniaretur, & Iudæos contemnebat atque vituperabat: propterea constanter respondit, Quod scripsi, scripsi.

E. Crucifiguntur simul duo latrones, vt augeretur IESV ignominia, & reputaretur cum iniquis & facinorosis hominibus. Aderant ad spectaculum Principes & Seniores, atque populi infinita multitudo. Pascebant suam sauitiã Principes & Seniores, gaudebat multitudo: crudelitatem immensam & intelligunt, & execrãtur Angeli; Satan & Dæmones hinc gaudebãt excrudelitate crucifigentiũ & impietate, illinc dolebant quòd suam fusficarentur ita fabricari perditionem.

Mat. 27. Mar. 15. G. Sol tantam immanitatem ferre nõ potuit in Dominum & Creatorem suum, radios suos retraxit orbi, nec voluit lucem præbere impijs hominibus: compatiuntur omnia elemẽta Creatori mortali alia vulnera accipienti. Retraxit verò radios Sol Luna intercurrẽte, & minatus est per tres horas orbi interitum. Flaccescunt & debilitantur omnes creaturæ, & tamen Iudæorũ cordata tetro furore inflammata, nec Eclipsim, nec creaturæ totius labores animaduertunt: sed illo abutuntur, vt etiam crucifixores, intermortuo lumine, quod extinguere non solet Eclipsis. Aderant in turba populi mulieres Hierosolymitanæ plangẽtes: verum longè alia erat ratio plãctus Mariæ sacrosanctæ Virginis & sociarum, tum discipulorum. Mente contemplabatur afflicta Mater configi clauis filium Deum cruci, somitum etiam audiebat malleorum. Si tu sustinere non potes vbi hæc supplicia Christi meditaris, quid censes sensisse tunc Matrem? Quid non debes tu sentire, vbi dolores Matris mente complecteris? Quòd si sanctio Francisco impressa fuerunt plagæ similes, manibus, pedibus, lateri, quid non credi potest accidisse Virgini Matri? & si externa vulnera non apparuerũt, quas hactenus filius erat passus contumelias & cruciatus, omnes gladij fuerunt quã eius animam pertransibant; sed hic omnium fuit acutissimus atque acerbissimus. Sanctæ mulieres & discipuli miserabiliùs longè quàm antea affligebantur, amarissimis clauis corda confixi. Matrem perpetuò, vt secundùm se maximè patiebatur, ita secundùm se maximo robore animi sulciebat IESVS, vt sustinere posset quæ sciebat absque suo præsidio sustineri non posse; in summo item dolore & planctu mulieres & discipuli auxilio Filij & Matris sustentabantur. In Golgotha autem nihil prohibet quin dicamus fuisse Adam primum hominem sepultum, non propter Iudæorum traditionem, sed propter Patrum consensum: nam & Hieronymus idem aliquando dixit. Quamuis enim Adam xiiij. Iosue ad proprium nomen contrahitur, quod facit duplex articulus, הָאָדָם הַגָּדוֹל, tamẽ nõ ad Adam primum hominem contrahitur, sed ad Arbeh. Nam hebraicè sic legimus קִרְיַת אַרְבַּע הָאָדָם הַגָּדוֹל בַּעֲנָקִים הוּא; quod est Cariath Arbech, ille homo, ille magnus inter Henakin hic fuit: nõ diceretur enim propriè primus homo magnus fuisse inter Henakin, sed is qui pater fuit Henak, vt xv. cap. Iosue huius dicitur Arbeh pater fuisse. Eundem verò fuisse montem qui fuit mẽstratus Abrahã ad immolandũ Isaac, & multi Doctores tradunt, & nomen Moria, & figura illa tam præclara confirmant. Nam nomẽ Moria non significat locum particularem, sed terra dicitur Moria in Genesi, vbi monstratus Gen 22. est locus particularis Abrahæ, id est Golgotha; vt in eadẽ itẽ terra Moria Dauidi area Arcuna, 2. Par. 3. in qua templum ædificauit Salomon: itaque totũ montem Sion licet credere fuisse terrã Moria, in qua diuersis locis fuerunt multa mysteria celebrata. Est autem Moria terra prouisionis, doctrinæ, myrrhæ, timoris siue latriæ. Prouisionis quidem רָאָה, vnde nominatus est locus; Dominus prouidebit, & Prouidebitur victima. Doctrinæ יָרֵה, quod ex Sion vel Moria exiuit lex Euangelij æterni, primùm è cruce IESV, deinde è Spiritu sancto misso in discipulos, & à templo, vt ex figura totius Euangelij. Myrrhæ מוֹר propter passionem Christi & sepulturã, vt exposuerunt Magi reges. Timoris, siue reuerentiæ, à יָרֵא, quod verus Dei timor & cultus ibi fuerit, vt in figura primùm, deinde ibidem traditus est in spiritu & veritate.

Quòd verò non in sublime leuata cruce crucifixus sit Christus, sed humi proiecta, id video deuotos meditatores sequi, & esse vsum imaginũ, nec Catholici scriptores neoterici audent negare, nec ex antiquis contrarium clarè elicitur: atque adeò Cyrillus & Leo illud significare videntur apertius; etiam ex recentioribus Anselmus & Bernardus. Certè locus Ioannis; Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum, cap. 12. fauet huic traditioni. nam leuatio Crucifixi, illa fuit vera exaltatio & plena; ex crucifixo enim prouenit vis trahẽdi: alioqui cur additur, à terrã? quod bis antè quum dixisset de exaltatione Ioannes, non adiecerat, misi quòd illic crucis passionẽ significet, hic è terra vsque inchoatã. Breuiter pie hæc meditamur, nõ astruimus dogma.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

VEnturn tandem est ad Golgotham, hoc est in Caluariæ locum; quē locum, quū alioqui esset sacer, contaminauerant vel Iudæi, vel Romani, vel vtrique, & destinarant supplicijs nocentium exercendis. Itaque erat ille locus caluarijs, ossibus, fœtore, spurcitijs plenus, & omnibus hominibus abominabilis. Huc te adduxerunt, sancte IESV: vt verò nō exhorruisti à Dæmone portari per aërem sublimis, & ab impijs & imputatis hominibus crucifigi, ita nec in loco contaminato: veneras enim nō solùm vt hæc patereris, sed simul vt peccata portares omnium, quibus nihil est fœdius, nihil peius. Simul hæ indignitates & contumeliæ summā gloriā tibi afferebāt; ita enim nō solū Patris voluntatē cum immensa humilitate adimplebas, sed Dæmones omnes superabas, & vniuersis hominibus salurem conficiebas & vitam, simul Caluariæ locum gloriosum efficiebas: qua in re, vt semper facis, Satanæ, & omnibus præuaricatoribus spiritibus illudebas. Sciebat Dæmon locum illum esse, vbi Abraham voluit ex Dei obedientia filium Isaac immolare, & immolauit quidem illum in ariete; nouerat ibi sepultum fuisse Adam; curauerat propterea de sua malitia, vt fieret ille locus infamis & execrabilis; & nunc probabat vehementer vt ibi crucifigeretur IESVS, quo fieret eius mors abominanda: contrà verò tu, magne IESV, illam abominationē assumpsisti, & fecisti caluariam omni splendore & gloria excellentē. Deuentum est ad montem Golgotha & Morian, hoc est diuinæ illius prouisionis; prouiderat enim Deus illic filium suum Deū immolatum iri: peruentum est ad montē Myrrhæ, id est ad amaritudinē aromaticam passionis & sepulturæ Christi: ventum ad locum doctrinæ, vnde è cruce & viuens, & moriens, & mortuus quasi è cœlesti cathedra docuit filius Dei mundum vniuersum viam salutis & vitæ sempiternæ, & timorem salutarem vniuersis mortalibus incussit, & cultum Dei indixit perfectum. Recipite hæc mysteria, imprimite cordi vestro, filiæ Sion; aperite illis intimum & tenerrimum locum. En adest vobis crux Christi, en iam cruci affigendus est IESVS, cordis vestri amor vnicus, salus vestra, & vita sempiterna. Furiosè fiebant omnia & diabolicè ab impurissimis latronibus; nec Satan quiescebat; nam etiamsi noluisset iam IESVM crucifigi, tamen cùm id impedire non posset, suggerebat atrocissima quęque crucifixoribus. Contemplamini, animæ deuotæ, atrocitatem singularem. Erat positum in more, vt qui cum cruciatu publica authoritate essent supplicio afficiendi, ijs daretur vinum aromaticum, cuius potu recreati leuiùs sentirent cruciatum. Humanitatem hanc conuertunt in sæuam inhumanitatem homines impij. Ne denius isti nebuloni nefario vinum pretiosum, illud etiam ebibamus si paratum est, conficiamus illi aliud poculum ipso dignius, è vino quidem, sed acetoso; addamus myrrham acrem, & amaram, etiam fellis singularem amaritudinē & malitiam adijciamus, quæ omnia corrumpat si quid sit in illis boni: hoc horribile poculum admouent ori IESV. O adorandam boni IESV mansuetudinem & patientiam: sciebat, ac etiam videbat quæ fiebant, & tamē gustat; vt nullus esset sensus quo non assumeret pro nostra salute passionem. Nā tactus acerbissimè vulneribus affligebatur, & ad mortē vsque erat affligendus, visus conspectu tam crudelium & actionum & hominum, auditus tot & tam immanium iniuriarum & opprobriorum auditione, olfactus carceris nocturni fœditate, & Golgothæ spurcitijs, & (quæ erat singularis narium eius offensio) fœtore anhelitus hominum spurcissimorum. Additur tandem gustus acerbitas, vt deesset nihil quod posset pœnam filij Dei inferre sensibus, & verè esset homo dolorum. Complebatur autem verbum Dei; per has enim passiones, non solùm per mortem, lāguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Habuit quidem Christus purissimos omnes sensus ac perfectissimos; habemus nos cōtaminatos & imperfectos: nō assumpsit Christus huiusmodi imperfectiones, sed sensuum acerbas pœnas, vt illorum languoribus mederetur per afflictiones suas, & nostras contaminationes expelleret. Ad medicamen igitur nostrorum sensuum, per quas portas mors in animam intrare solet, adhibeamus sensuum Christi amarissimos dolores; & quemadmodum ille hæc pertulit vt nostri sanarētur sensus, ita erit nobis excellens hoc remedium, si meditatione, & spirituali applicatione ad sanandos nostros sensus illud adhibeamus: sanabuntur enim continenter, nisi nostra impediat

*Gen. 22.*

*Cātic. 4.*

*Psal.*

*Ioan.*



pediat ignauia; sanati tandem erunt in iustorum retributione. Interim non nocebūt eorum impetus, quin potiùs erunt nobis occasio fortiter pugnandi, & gloriosè vincendi. Sed cur gustatam potionem noluisti bibere sancte IESV? Minimam passionis meæ particulam volui ostendere esse satis potuisse ad redimendum humanum genus; nā illo gustu abundè satisfiebat pro omnium mortaliū peccatis; erat autem ille gustus passio Dei hominis. Cetcrùm nolui bibere: cùm enim circunstaret infinita multitudo, & quæ fiebant viderer, ne me putaret bibere aromaticum, & simul existimaret ad cruciatuum meorū leuationem accipere, quorum neutrum erat, sapientissimè recusaui bibere, ne meo facto falsas opiniones hominum confirmarem. Simul vobis salutarem doctrinam dabā, si quid vobis propinent impuritatis sensus vestri, vbi primùm amaritudinem illam sentitis, constanter esse reijciendam, nec in animū & voluntatem traijciendam, vnde fieri lethalis possit. Gustasti, magne IESV, pestiferā potionem, id enim statim factum esse in Golgotha significant tui Euangelistæ; sed exuerunt te tamen vestes tuas: (nudus enim pependisti pro nobis in cruce, quum bis exutus & rursum indutus fuisses) nunc tertiùm spoliaris à barbaris militibus, illis vestibus non ampliùs induendus, sed cœlestibus gloriæ. At quàm crux fuit hæc expoliatio! nihil enim iam tibi parcebant, quem viuum tandem ad patibulū videbant esse perductum. Summa igitur non solùm cum contumelia, sed cum violentia & sæuitia exuunt, & sanguine conglutinatam vulneribus tuis vestem incōsutilem euellūt; non sensim (vt quoad eius fieri posset minimùm læderent) sed concisè extrahunt, vt renouarentur vulnera tua miserabiliter afflicte IESV. Iam verò quàm inclementer per coronam spineam tunicam extrahunt, non solùm nihil vel respicientes vel curātes ne spinis hærens corona moueretur, & cruciatum vulneribus afferret; sed id ipsum malitiosè procurant & crudeliter. Itaque commota corona violēter, necesse erat omnia vulnera capitis acerbissimè renouari; vt in vilissimo & abiectissimo homine omnia & quærebātur, & edebantur exempla crudelitatis. Parabatur interea crux, claui, mallei, designabantur crucifixores, qui essent singulari atrocitate, parabatur titulus summæ cruci ex imperio Pilati repugnantibus Iudæis affigendus. Heu calamitosam rerum faciem & luctuosam! Et fiebant hæc quidem in oculis māsueti agni IESV, & contra eum fiebāt, & iam quasi in ipsis crucifigebatur. Illud considera pie meditator: illi sunt claui quibus configetur pro te IESVS, animæ tuæ lumen cœleste, illa crux cui affigetur, illi carnifices qui affligēt. Immināt hæc Christo, imminent cordi tuo, & animi tui visceribus. Iā dilatendent in crucē Deū meum, iā arripient manus hi, ille pedes, iam transfigent, iam cruci affigent. Heu metum! heu dolorē! Sed antequā ad rē ipsam venias, cōtemplare crucis titulum, & cordi imprime quis sit quē videbis statim crucifigi. En titulū;

### HIC EST IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

Hic est qui Moysi dixit; Ego sum qui sum, cuius est nomen יהוה tetragrammaton, Dominus in æternum, & memoriale in generatione & generationē. Hic Deus, hic Dominus Deus, qui creauit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt; Deus enim omnia creauit, cuius eadem substantia & esse, eadem potentia & virtus Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hic est qui omnes Angelos creauit, atque ijs qui seruauerunt suum principatum & domicilium, dedit vitam sempiternam, alijs æternā mortē inflixit. Hic qui vniuersā creaturā conseruat & gubernat ab initio. Hic est qui in tēporū plenitudine factus est homo, ex immaculata Virgine carnē sumēs, & nostras infirmitates; vt pro hominū peccatis Deo satisfaceret factus pro nobis peccatum, hoc est hostia pro peccato. Hic est ille qui cùm acceperit tēpus, iustitias iudicabit, & horrendum illud iudicium diuina virtute & maiestate exercebit, in quo hi accipient de eius manu diadema glorię sempiternæ, illi in infernū proijcientur, in ignem ęternum cum Diabolo & eius Angelis. Hic est qui verba vitæ æternę orbi euangelizauit, Euangelium infinitis miraculis cōfirmauit, IESVS, Saluator sempiternus, & salus æterna mortaliū: qui cùm sit Dei Patris Filius consubstantialis, & vitā eādē habeat in ipso & immortalitatē, eādem nobis cōmunicauit inenarrabili mysterio, & beneficio immēso. Itaque cùm salutem & vitā per peccatum amisissemus, ac rei mortis æternæ essemus coram Deo; morte & malis omnibus profligatis, nobis vitam & salutē sempiternā promeruit. Vt verò esset hoc meritum & salus pretiosior, & exēpli diuinioris, voluit illa nobis comparare bona summa, per ea quæ in

*Exod. 3.*

*Psal. 145.*

*Iudæ.*

*Gal. 4.*

*1. Cor. 5.*

*Psal. 74.*

*Ioan. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



hac mortalitate habentur ſumma mala, paupertatem, ignominiam, dolores, cruciatus, mortem: ita enim facta eſt eius ſalus glorioſior atque porrètior. His tu coniunge, meditator pie, ſpiritus tui ſenſum: hic enim eſt IESVS cordis tui amor, cordis tui lux & ſuauitas, cordis tui ſalus, & vita, & iuſtitia ſempiterna, & ſanctificatio. Hic te erudit diuinitus, tibi dat robur cæleſte, hic à te excludit timoris imperfectiones, conciliat timoris puritatem & perfectionem. Hic dat tibi lætam pacem, fructus ſpiritus & dona IESVS in te generat. Hic te ad perfectionem beatitudinum leuat, in IESV recipis & habes omne bonum, ſi queris omni bono: ſit hoc nomen ſuperbenedictum in ſæcula. Nazarenus, hoc eſt germen & flos ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælo factus; cuſtos & corona, gloria Angelorum & noſtra, ex quo bonum germen floret in gloriam ſempiternam. Hic ſanctitas infinita, puritas immenſa, ſplendor æternus; qui quâ Deus à tota creatura cùm eſſet in æternitate ſegregatus, & excelſior cælis omnibus, ad nos deſcendens, ſibi noſtram humanitatem ita copulauit, ita nobilitauit, vt homo ille fieret cælis omnibus excelſior dignitate & potentia, gloria & diuinitate. Rex. Hic eſt Deus viuens, & Rex ſempiternus, ipſe eſt Rex gloriæ, ipſe terribilis. Rex magnus ſuper omnem terram; ipſe Rex Regum, & Dominus dominantium. Ipſum conſtituit Pater æternum Regem ſuper Sion montem ſanctum eius, ad prædicandum ſecretum illud legis Dei magnum: ipſe omnem creaturarũ ordinem gubernat & regit, rationalem verò creaturam Angelos & homines præcipua beneuolentia atque prouidentia. Nam Angelis præterquam quòd dat gloriam ſempiternam, ipſe eorum purgationes, illuminationes, & vniones diuinè adminiſtrat, purgat eorũ intellectum & illuminat, quum è diuitijs ſuæ diuinitatis, vel etiam humanitatis, multa illis reuelat, multa clara facit & aperta, quæ illis antea non erant; tum voluntatem perficit excellenti ex his comparata perfectione, & ad diuinitatem voluntatis vnione: hæc verò & per ſe gerit, & per ſuperiorum Angelorum in inferiores Angelos miniſterium. Porrò autẽ ſimiliter hierarchiam ſuam in Eccleſiam exercet, & hierarchicas actiones in Eccleſię principes & miniſtros, vnde totũ eius corpus gubernatur & regitur; ipſe enim eſt caput, cuius

1. Cor. 1.
Heb. 7.
Sap. 7.
Hebr. 1.
Hebr. 7.
Hier. 10.
Pſ. 23.
Pſ. 46.
Apoc. 7 & 19.
Pſal. 2.
Eph. 4.

virtute atque influxu per Spiritum ſanctum totũ Eccleſiæ corpus, vt eſt diuina harmonia coagmentatum & compactum, ita augmentum accipit in diuinam ædificationem & charitatem, accepta ſpiritus ſubminiſtratione per mutuam membrorum coniunctionẽ, & donorum menſuram. Hic Rex inuexit in Orbẽ terrarum Regnum cœlorum, & illud animis noſtris inſerit magna virtute, in qua exultamus in iubilo & ſplendore gloriæ Regni cœleſtis, & illius in nos redundantia & participatione in Chriſto & donis eius. In quo Regno, & cœleſti eius potentia conculcamus Dæmones, vitia euitamus & compeſcimus, cœleſtem Dei virtutem exercemus in virtutũ & donorum fulgoribus diuinis per excelſum hunc Regem. Iudæorum. Eorum qui nomen Dei & IESV nouerunt, qui illud confitentur, qui illi confitentur, illud laudant & adorant, in illo exultant, in illud credunt & ſpem ſuam collocant, amant illud ex toto corde & mente, ex anima tota & viribus, ſimul operibus confitentur & exaltant; nec ſimiles ſunt Iudæorum, qui Chriſtum crucifixerunt; hi enim ore Deum confitebantur, factis nefarijs blaſphemabant: non eſt horum Iudæorũ vel confitentium Rex Chriſtus, ſed Satan, qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Hic eſt Ioh. 12. IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. Accurrite Angeli, attendite ex Limbo ſancti Patres; aduertant cœli, terra, omnia elementa, & creaturæ vniuerſæ. Venite, adeſte, filiæ Sion, ad ſpectaculum, quod horrore, & crudelitate, & indignitate, & contumelia ſuperat reliqua omnia quæ ſunt, fuerunt, eſſe poſſunt: quod omnes Dæmones, omnes homines patrare non potuiſſent, ac ne cogitare quidem, niſi Deus ipſe filium ſuum tradere in crucem voluiſſet, & illic ſuæ miſericordiæ ſublimitatem conſtituere. En arripitur IESVS, Deus homo, proſternitur ſuper horridam crucem nudus, toto corpore atrociſſimè vulneratus, ſpinis acerbiſſimis coronatus, tot horarum ab horto vſq; tot afflictionibus debilitatus; ſed pluſquam heroica virtute & viribus conſtans ad crucem perferendam: ad crucem deinde extenditur, & tanta quidem violentia extenditur & atrocitate, vt facillimum fuerit oſſa eius omnia dinumerare. Itaque connexiones oſſium quæ per neruos fiunt, diuulſæ atque luxatæ ſunt, vnde neceſſum erat ſummũ dolorem prouenire. O inuentionem pluſquam diabolicam! Exteriùs iam nihil erat vbi ſæ-

Tbren. cap. 1. Pſal. 21. Pſ. 37.
Pſal. 68.
Iſa. 53.
Iſa. 53.



uirent impij ante crucifixionem, interiùs nũc in neruos ſuam intendunt atrocitatem. Extendamus malefici corpus vi quanta poterimus maxima, ita fiet vt in omnibus neruis duriſſimè crucietur, & viribus deficiatur quibus adhuc vigere videtur ſceleratus, & fiant illi duriores crucis acerbitates. O immenſam immanitatem! ô patientiam benigni IESV & fortitudinem infinitam! Excedebat hic cruciatus ſuperiores omnes, quorum ſimiles quidẽ permiſit Deus Satanæ in Iob, ſed hunc non permiſit. Tu igitur & plagis Iob antecedis, & hoc cruciatu longè ſuperas magne IESV, vt verè pro te ſcriptum ſit; O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Fluxa facta ſunt mea membra, diſperſis oſſibus & diſſipatis neruorum extenſione & cruciatu. Deinde non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, quam contra peccatores homines conceptam exerces in me Pater ſancte; neque pax oſſibus meis à facie peccatorum meorũ, pro quibus tanquam meis patior. Pacem quidem oſſa mea habuerunt & colligationẽ antea; nunc verò ita crudeliter extenſis omnibus membris, nullus eſt ſanus conſenſus, vel integra colligatio inter oſſa mea. Diſſipẽtur, ô meditator pie, omnia oſſa animæ tuæ, omnis virtus tua contabeſcat quum hæc vides. Sed habes tamen, vnde leuiùs ea ferre poſsis, ſi cogites virtutes animæ tuæ per peccata tua diſperſas hoc Chriſti cruciatu reparari, atque in ſuum concentum redire. Verùm vnde leuare videris poſſe dolorem, inde auges vehementiùs: quod enim cor ſufferat tantum cruciatum à Deo ſuſtineri, vt ſuæ infirmitates curentur? præſertim quum tanta ſit in nobis ſocordia, vt his præſidijs frequenter vel abutamur, vel illa negligamus. In tanto cruciatu quum eſſet Dominus gloriæ IESVS, atrociſsimis (quod animus dicere refugit) clauis eſt cruci affixus à nefarijs hominibus. Audite Angeli malleorum ſonum crudelem, audite è Limbo Patres, audite cœli, & creaturæ omnes: at audire tamen refugitis præ veſtro dolore & gemitu, compatientes Creatori qui crucifigitur, quod nos in vobis ſentimus. Penetrauit ille malleorum ſonitus truculentus cœlum, infernum, omnem creaturam; Angeli amarè flebant ſuo fletu, obſtupeſcebant cœli, & deſolabantur vehementer, lugebat & elangueſcebat terra. Verùm ſol apertiùs teſtatus eſt ſuum luctum, huic luna ſubſeruit; neque enim ſuſtinuerunt mundi luminaria tantum nefas aſpicere, vel tam horrendo & impio ſpectaculo ſuum lumen communicare. Quò diſcedis luna? Nolo lucem à ſole recipere, quam poſſim in orbem ſpargere; neque ferre poſſum ſolem ſuam orbi terrarum impartiri: ſubibo ſolis faciem contra mei motus vel officij naturam; itaque ne ipſe quidem poterit ad homines lumen ſuum emittere: ita vult Deus crucifixus. Excurrit ad ſolem, eripit illi radios; quod officium cupidè accepit ſol, tãtam immanitatem exhorrens. Fit Eclipſis horrenda, & tenebræ ſuper terram, horribilior in mentibus Iudæorum & Romanorum obtenebratio. Vide cæca obſtinatio quid faciat lugente vniuerſa creatura; Romani ac Iudæi in ipſis Eclipſis tenebris nõ deſerunt tamen ſuam crudelitatem, neque animaduertunt naturam ipſam commotam atrociter ipſis minari. At, bone IESV, ad eũ luctum quum moueres tuam creaturam, quis erat ſenſus animi tui & corporis? Primùm Patri perfectè obediebam, dabã manſuetiſſimè manus & pedes crucifigentibus, ſentiebam dolorem maximum, ſuprà quàm explicari à vobis poſſit vel intelligi, & ad primam transfixionem exhorruit corpus totum, & renouatus omnium vulnerum eſt ſenſus & neruorum. Nõ ſolùm autem acerbiſſimus erat cruciatus meus, quòd membra ſunt mihi clauis transfixa, vbi propter concurſum neruorum frequentẽ eſt acutiſſimus ſenſus, ſed propter intentam affixionem, quę faciebat vt illa oſſium luxatio, & neruorum ſæua extenſio in intenſione ſua perſeueraret, & longiſſimo cruciatu. Itaque cùm non eſſet ſanitas in carne mea, nec oſſibus vel neruis meis pax, affixio manuum mearum & pedum illas pœnas ſuo cruciatu augebat crudeliter. Adhæc illæ manuum & pedum plagæ erant non ſolùm per ſe crudeles, verùm mortiferæ etiam, quòd in cruce eſſent, hoc eſt, quæ mortem eſſent cum diuturno cruciatu mihi allaturæ: erant ſimul immenſi mei dolores interni, configebatur mihi cor meum; omnes vires internæ, omnes mei intellectus & voluntatis operationes, quâ corpus, quâ creata reſpiciebant, ſimul mecum crucifixa ſunt; ad omnia perũgebat dolor, afflictio, ignominia: ſola erat diuinitas quæ illa nec patiebatur nec pati poterat: erat quidem vnita humanitati, quæ iſta patiebatur, & propterea verè dicebatur crucifigi &

Universidad de Deusto
Biblioteca



pati Deus, quia vera erat humanitatis & verbi vnio: similiter verò nihil patiebatur anima mea secundum superiorem portionem, quæ erat beata. At hæc tantum aberat vt meum dolorem & pœnam minuerent, vt etiam augerent: quum enim sensum humanitatis non leuarent, nobilitarent autem humanitatis dignitatem & perfectionem, proueniebant dolores acriores incomparabiliter & acerbiores. O res immensas! O pelagus infiniti doloris & mysteriorum! O fontem lachrymarum & dolorum! Quis hæc animo capere potest, aut ferre? quis luctus non stupet? quæ verba non fiunt muta? Video, anima mea, omnia te deficere, si intellectu velis agere, si verbis; ad cor tibi accurrendum, ibi sentienda Christi ad crucem extensio, ibi primùm dissoluatur cor tuum, cordis ossa & nerui dissipentur, & si quid virium est affligatur. Ita afflictum cor tuum sentiat priùs adesse crucifixores Christi, arripere clauos & malleos, clauos incutere in manus & pedes Christi, & simul in cor tuum. Ibi deficiat in plagis Christi cor tuum, anima tua, omnes tuæ potentiæ omnes sensus sint crucifixi. Hic dolor de Christo qui crucifigitur suscipiatur, & è crucifixo cõuertatur ad peccata tua: hic, nõ alibi, meliùs illorũ cognitionem accipies; Christum enim cum tanto cruciatu atque acerbitate oportuit crucifigi, vt pro illis Deo satisfaceret. At sumus aridi, sumus insensati, oculos mẽtis habemus malè fascinatos; ante nostros oculos proscriptus est Deus, & in nobis crucifixus, & non sentimus, non mouemur, non crucifigimus simul cum Christo veterem hominem, quem ille secum cruci suffixit, nõ meum solùm, sed omnium. Et quidem cum Christo mundus vniuersus est crucifixus: quid enim fuit crux Christi nisi pœna mundi, ignominia, cõcultatio, victoria? Crucifixus est nobis mundus, quare in nobis nihil habet, in nos nihil audet, nihil potest, necessum tamen est vt nos mundo crucifigamur. Crucifixum est cum Christo quicquid Deo displicebat in mundo, & mihi quidem illud crucifixum est; propter me enim illa assumpta est à Christo pœna & mors. Coniunctum igitur est vt simul ego crucifigar sensu, crucis imitatione & meditatione, vt nihil mundus reperiat in me, quod non sit crucifixum & mortuum in cruce cum Christo. O Christe bone & magne, sensum & vim tuæ crucifixionis & crucis imprime in cor meum, intimam, viuam, acrem, efficacem; vt in cruce, & ex cruce tua vitam accipiam sempiternam. Amen.

*Gal. 5.*

*Rom. 6. Coloss. 2.*

ERIGI-

# ERIGITVR CRVX.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In ej. imaginem adnotatiuncula.* ej. 128.

*A. Foramen paratum ad crucem defigendam.*
*B. Varijs artibus erigitur crux, statuitur, & firmatur.*
*C. Varia facies circumstantium dum erigeretur & statueretur crux, cum summo dolore IESV.*

## ADNOTATIO.

*A. PArat um priùs est foramen quo crux iecta sustẽtaretur: vel quod erat alijs crucibus præparatũ, id expurgatum est & expeditũ.*

*B. Acerbissimum dolorem sustinebat IESVS è tribus clauis, non cessabant è totius corporis vulneribus dolores; succedit tamen longè durissimus atque acerbissimus cruciatus. Incipiunt leuare crucem, vt in foramen statuant; illine contis & furcis attollunt: hinc contrà funibus trahunt, incumbunt omnes in opus crudelissimum: quod cum faciunt, incipit vulneribus manũ pedumq; niti bonus IESVS cum acerbissimo cruciatu, quem augebat neruorum frequens qui fit in manus & pedes concursus. Quò magis leuatur crux, eò magis augentur dolores, maior fit sanguinis effusio. Fiebant autem crucis succussiones, siue quòdres ita ferret, siue carnificum crudeli insultatione, quum conantur, trahunt, distrahunt, impellunt, tollunt crucem homines truculentissimi; vnde noui cruciatus bono IESV incutiebãtur ideñ. simul toto corpore ex illa violentia vulnera recrudescebant. Statuitur tandem & firmatur crux, & totus è solis vulneribus pẽdet Christus. Figuntur simul ab alijs duorum crucifixorum latronum cruces hinc inde, in turpissimam IESV ignominiam. Ventum est iam ad summum & vltimum Christi dolorem; nihil enim licuit amplius impijs in corpus IESV, nisi quòd obtulerunt acetum fisenti: sed hic dolor postremus saustissimas accessiones accepit continenter tribus horis, & paulatim mortem attulit IESV. O Christe IESV benigne, Deus immensæ maiestatis, atque infinitæ potẽtiæ, quo pacto potuerũt te tres clauicruci astringere? Non poterant claui, non vniuersa creatura omnis potentia, potuit meus amor in mortales, mea obedientia in Patrem. Sed quomodo potes tãtum cruciatũ perferre? Erat meũ corpus, & tota ratio humanitatis perfectissima, atque fortissimæ vires & animi & corporis, lõgè quàm aliorum hominum excellentiores; ita, supra omnium hominum facultatem & patrare fortia poteram & pati.*

*C. Vbi incepit crux attolli & conspici, ibi verò clamor attolli cæptus est omnium confusissimus, gaudentium, insultantium, blasphemantium, flentium, compatientium, mirantium, obseruantium: fluctuat clamor, & crux vario conatu & euentu erigitur, donec hac stabilita, ille aliqua ex parte resedit. Verùm longè diuersum clamorem & commiserationẽ Maria Virgo edidit, & quæ cum illa astabant piæ mulieres, & discipuli: primum quidem stupent, deinde conspicere crucem nõ patitur cordis eorum teneritudo, tandem exclamant ex intimo cordis sensu & cruciatu; sed hæc facit Maria summa cũ maiestate, alij varia doloris significatione. Vbi primùm licuit, coniecit oculos IESVS in dilectam atque afflictam Matrem, hæc vicißim in illum: vulneratur vtriusque cor alterius doloribus vehementer; sed hoc differunt, quòd Christi dolores à nullo consolationem accipiunt, sed augentur continuè, & mortem accelerant; Mariæ verò animus & vita conseruatur à filio moriente. Itaque multiplicatis animi doloribus, & corporis afflictionibus ex illis doloribus deriuatis, tamen non derelinquitur à filio, derelinquitur filius à Patre, consolatione & virtute filij Mater sustentatur. Conspicit omnes bonus IESVS, non solùm præsentes, sed quotquot erant futuri; pro omnibus suos dolores, mortem suã offert Patri, omnium conspectu ad omnium misericordiam commouetur. Hic autem peruenit plãctus & luctus Mariæ, sociarum, atque discipulorum ad plenitudinem, vt Christi dolores: vt autem hi ad mortem vsque continuantur atque augẽtur, ita illorum dolores, planctus, mœstitia; verùm imitãtur omnes Mariæ magnanimitatẽ, hæc filij.*

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# MEDITATIO.

NOn possum cogere cor meum, crucifixe IESV, vt à tua crucifixione discedam: reuocant me claui, mallei, manus tuæ & pedes, milites crucifigentes, ludæi crucifixores.

*Bernar.* Heus claui, quis vobis tantam potentiam dedit, vt manus & pedes Dei traijcere tis? quis tantam truculentiam, vt Deũ tam sæuo cruciatu afficeretis? Si expalluit vt expauit tota mundi machina ad crucem Christi & mortẽ, cur non vos? At vos facitis vt paueat orbis, cùm id facitis vnde mors Dei consequatur. Desinite duri esse aduersus vestrum Creatorem, & duriciem potiùs vestram, & acumen in me conuertite. Nõ possunt id facere claui, non possunt non crudeles esse in Christum; ita enim vult Deus, ita Christus ipse: voluntas igitur Dei vires fecit clauis, & Christi immensa charitas. Claui non potuerunt configere Deũ, nisi Deus voluisset; nos possumus non configere: vult Deus, imperat, minatur mortem æternam, vt ne configamus; & tamẽ configimus eheu nostris peccatis Christum ad crucem. Crudeliores igitur nos clauis, qui Christo clauos incutimus, atque adeò claui ipsi sumus; & tamen præmentis nostræ peruersitate id nõ sentimus. Audite & vos mallei; aduersus quem vestram duritiam paratis & violentiam? Contra IESVM. Erratis; si enim noluisset transfigi Christus, nulli mallei id potuissent, non creatura vniuersa: at voluit clauis configi Christus, & vt id posse tis concessit. Verùm quæ erat malleorum necessitas? vt ligno affigeretur. Refugit igitur lignum clauum suscipere, præsertim sanguine Dei imbutum: hoc etiam ne refugiat lignum dat Christus, nec ipse refugit clauis ligno affigi. Illi sunt claui, illi mallei ad meum cor adhibendi, & ad illud configendum necessarij. Venite claui, sed Christi sanguine madidi, venite, transfigite cor meum, imbuite sanguine Dei, duritiẽ eius expurgate, acutum sensum crucifixi Christi in illud impingite. Est meum cor durum, est contumax, nõ cedit clauis: adhibe tu, magne IESV, tuum

*Iere. 23.* malleum conterentem petram, & ignem cõ-
*Esa. 33.* sumentem eius impuritatem, vt tuos clauos suscipere possit; & ita confige, vt à corde meo non auferantur in sempiternum, & fiant in hac vita mihi salutares, in cœlo glorioſi. Cõ-
*Ps. 118.* figant timore tuo carnem meam, & sensus & potentias omnes, & cruci affigant tuæ, & suaui iugo tuo, & leui oneri; & acre desiderium & efficaciam inferant perpetuò tibi seruiendi. Nam si verba sapientum tuorum stimuli *Eccl. 12.* sunt, & quasi claui, sancte IESV, in altum defixi te authore & pastore, quid non poterunt tui ipsius claui? quos stimulos non superabunt? quam profunditatem non penetrabunt? Omnipotentes sunt claui tui, Domine IESV; infinitæ tuæ passiones. O Domine magne IESV, nónne manus tuæ fecerunt *Eph. 3.* cœlum & terram, Angelos omnes & homines, & omnia quæ cæli ambitu continentur? nónne conseruant illæ & gubernant omnia? Tu es enim Dei Patris potẽtia; tu creasti omnia, & per te creauit Pater omnia; & tamẽ tuæ sunt hæ manus quæ cruci affiguntur: tuæ igitur hæ illarum manuũ sunt manus quæ omnia crearunt: illæ manus crearunt omnia, hæ restaurant, & perficiunt, & pacificant omnia; *Colos.* siue quæ in terris, siue quę in cœlis sunt. O *1.* diuinas manus & potẽtes! Verùm heu durissimis clauis configuntur, & tamen sunt Dei manus, sunt manus illæ quæ sanitates innumeras, quæ vitam hominibus cõtulerunt, & æternam quidem omnibus Deo obtemperãtibus. Sunt istæ manus, illæ tornatiles, aureæ, *Cant.* plenæ hyacinthis, Spiritus sancti, & Virginis *5.* purissimæ excellentissimo torno fabrefactæ & artificio, è diuitijs cœlestibus compactæ, pretiosissimis annulis & excellentijs ornatissimæ. Ita factæ sunt manus tuæ, magne IESV: sed nunc longè diuerso torno illas fabrefaciunt homines crudelissimi. En tornus sunt claui, annuli plagæ sunt inflictæ, aurum dolor sæuus, hyacinthi ignominia ingẽs. Verùm ô sapientiã tuam & potentiã, IESV, & virtutes diuinas! fiunt circuli, siue annuli manuũ tuarũ aurei; per eos enim immẽsas diuinitatis diuitias mortalibus effundis, & dona *Ps. 144.* cœlestia communicas. Verè aperuisti manus tuas, & apertas semper habes, & imples omne animal & omnia bonitate tua & benedictione. Verè instrumentum omnium instrumẽtorum præstantissimum sunt manus, sed tuę, sed crucifixæ. O mysterium omni admiratione superius! Nihil gratiæ, nihil salutis, vel vitæ, vel donorum largiris, nullum saluas, nullum ad Regnum cœlorum perducis, nisi per manuum tuarum vulnera: hæc enim tua vulnera vt & pedum, attulerunt tibi mortẽ crucis, quæ est omnium bonorum meritum, & gratia-



rum omnium architectonicum instrumentum. Ex his manibus tuis crucifixis emicat splẽdor virtutis & lucis: in his posuit Deus *Abac. 3.* cornua & robur potentiæ suæ, & nostræ salutis & vitæ sempiternæ. Ibi recondita est fortitudo Patris tui & tua; ibi reposita nostra spes, lux nostra; sed simul noster luctus, nostra acerbitas, noster planctus; tum quòd Dei nostri manus crudeliter affiguntur ligno, tum quòd propter nostra peccata (quæ ipsa claui sunt) cruci affiguntur. Transfigebantur simul diuini tui pedes sancte IESV, communicabant sibi inuicem cruciatus manus & pedes, quod faciebat neruorum communio ab vno loco prodeuntium, quorum est frequens cõcursus in manibus & pedibus. O pedes sancti *Matt. 4.* & benedicti! Hi sunt pedes, quibus, & quidem nudis, ad obeundam Patris tui obedientiam totam Palęstinam peragrasti, quærens quos *Mat. 14.* ad salutem æternam vocares & adduceres, seminans verbum tuum, Dei doctrinam, dans sanitatem & vitam hominibus. Hi sunt quibus mare tibi se calcabile præbuit libentes, agnoscens creatoris sui pedes. Hi sunt quibus præcedebas expeditè Apostolos veniens Hierosolymam ad crucem, quibus obuiam Iudæ proditori & armatis ex horto prodijsti. Hi *Isa. 52.* sunt pedes qui & fecerunt & faciunt pulcherrimos pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Quàm igitur sunt pulchri & perfecti tui pedes, vnde rota prouenit pulchritudo & perfectio! Cucurristi, sancte IE-
*Ps. 118.* SV, viam mandatorum Patris tui, & hominibus vt currere illam possent tuis his pedibus facultatem contulisti. Hi sunt pedes Dei, & tamen atrocissimo clauo transfiguntur. Existimasti vos homines væsani & furiosi, officiũ pedum eripere IESV, nec cõtenti funis vinculo, clauo affixistis cruci: at errastis belluæ; primùm per transfixos pedes aperta est via diuinis Christi in homines beneficijs, quæ per hæc vulnera nobis prouenerunt; tum his vulneribus pedes nobis sunt facti, quibus ad Deũ veniamus. Per hos clauos, per has plagas sumus corpori Christi insiti; ex his virtutem di-
*Ephe. 2.* uinam accipimus, qua non solùm qui longè eramus propè efficiamur, sed vt pedum Chri-
*Psal. 16.* sti formam induti ambulemus coram Deo, & ad perfectionem cõtendamus, & in semitis Dei gressus nostri dirigantur, nec vestigia nostra moueantur; vt ambulantes in via immaculata Deo ministremus, opera quæ dedit nobis Christus, in ipsis ambulemus. Loquuntur nobis hi pedes, hæc vulnera diuina virtute & efficacia, surge, & ambula. Hæc prouenerunt ex vestra crudelitate homines impij, verùm non intellexistis: intelligetis vbi in ærumnas vestras, & infinita mala incidetis, illos esse pedes quibus iram promouet aduersum vos Deus, illas manus quibus pugnabit cõtra vos, quãdo in prædam & direptionẽ Dæmonibus dabimini; ab his pedibus extrudemini in horrendum inferni baratrum. Pedes Dei habes, anima mea, in corde tuo cruci cõfixos; habes manus Dei, habes quatuor flumina misericordiæ Dei omnipotentis illinc ad te influentia, ex fonte inexhausto passionis & crucis Christi. Hæ sunt plagæ quæ Christo mortem adferunt, hæ simul peccatis mortem adferũt. Vide ne sinas è corde tuo superefluere hanc diuinitatis virtutẽ; in illis enim est salus tua & vita. Contrà verò, quatuor illa sunt cor- *Zach. 1.* nua, quæ ventilabunt & dispergent animæ tuæ & cordis omnem substantiam, & pacem, & salutem, si negligas. O truculentos milites, audetis vos Deum crucifigere? At nesciebamus. Nescientes tamen Deum cruci affigebatis: & tamen sciebatis hominem esse iustum, iustum igitur hominẽ crucifixistis è vestra conscientia. At eramus Pilati milites, qui sic imperabat fieri. Per aliquos, non per vos: vestra igitur voluntate illud facinus horrẽdũ perpetrastis; eò scelerati magis, & magis detestabiles. Exhorruit sol ad vestram truculentiã & luna; quid? vos nõ expauistis, non exhorruistis? cùm malleos in clauos incuteretis, non contremuerunt manus vestræ & ossa, nõ est cor vestrum emortuum? Quòd si nihil horum sentiebatis, homines non fuistis, sed feræ, & feris magis insensati. Absque dubitatione pessimos oportuit vos fuisse homines & profligatissimos, per quos Dei prouidentia permiserit Deum hominem crucifigi. In quẽ putastis vos fuisse crudeles? Ecce ille idem ve- *Apoc. 1.* nit in nubibus; venit in potestate magna & *Luc. 21.* maiestate: ecce venit in sanctis millibus suis *Iud. 14.* facere iudicium cõtra omnes impios, de om- *post.* nibus operibus impietatis eorum quibus impiè egerunt, & de omnibus duris quæ loquuti sunt contra eum peccatores impij. Omnes quidem designantur impij, sed vos præcipuè, qui non solùm loquuti estis contra vniuersorum iudicem Christum dura, sed fecistis durissima. Omnes designãtur; videbit enim eũ *Apoc. 1.* omnis oculus, nominatim verò vos qui eum pupugistis & transfixistis. At vestram, ludæi

Universidad de Deusto
Biblioteca



crucifixores nefarij, impietatem quis possit exponere? quæ tanta fuit, tanta ingratitudo & animorum peruersitas, tanta malitia & inuidia, tanta obstinatio, vt humana fides omnis longè superetur, & exẽpla omnia. Videte beneficia, homines pessimi, quæ vobis contulit Deus: aspicite contrà quæ vos in Deum maleficia retulistis. Ille initio ex vestra gente constituit carnẽ sumere, & esse homo Iudæus; vos semper fecistis vnde nollet è vobis illam assumere, semper fuistis mali, peruersi, rebelles: ille tamen vicit semper vestram malitiã sua benignitate, fide, & veritate. Corruperãt ante diluuium ferè omnes homines viam suam, conseruauit tamen semen vestrum Deus per Noë & arcam: cõtaminatus est mũdus postea idololatria, dedit Deus Abraham, per quem ab impio cultu liberaremini, & Patriarchas: perieratis fame, dedit vobis Iosephum saluatorem: quod cùm fecit, vicit vestrum pessimũ flagitium suo in vos beneficio singulari. Ad vestram internecionem coniurauerat Pharao, misit ad vos Moysen, quem vos repulestis, qui eduxit vos de AEgypto per signa & ostenta ingentia, & internecionem exercitus vniuersi AEgyptiorum. Qua in re illud etiam magnum accepistis beneficium, vt à consuetudine & cultu impio AEgyptiorum abstraheremini. In deserto quoties fuistis rebelles, & inobedientes, & idololatræ? Quare propter iniquitates vestras voluit vos delere Deus: sed vicit suam iustitiam per suam misericordiã. Aluit vos suã manu & vestiuit, & habitauit in vos, introduxit in terram suę promissionis. In ea quoties Deum offendistis? quoties ab eius cultu ad Dæmones recessistis! quàm sæpe vt deleret vos commeriti estis! sed tamẽ identidem per iudices eripuit vos de malis vestris. Petijstis Regem contra Dei voluntatem, id etiam vobis condonauit, & per Dauid vos recreauit, per Salomonẽ exaltauit, etiãsi deprauatus hic fuerit per mulieres. Post hunc decem tribus idololatriam secutæ, cum Rege suo sunt deletæ: Rex verò Iuda, cuius Regno indulgebat Deus, quàm sæpe fuit idololatra! Misit ad vos subinde Deus Prophetas, hos persecuti estis, & interfecistis eos qui prænũciabant de aduentu iusti. Cùm autem pugnaretis contra Deum vestris sceleribus semper, Iudam etiam ipsum sæpe afflixit, dein deleuit etiam cum vrbe & Templo per Nabuchodonosor. Verùm vt pater semper vobiscũ egit, castigauit misertus vestri, vt emendaret. Et hoc fuit insigne Dei pietatis in vos, decẽ tribus destituit, reliquas omnes nationes despexit, vos nunquam dereliquit: itaque post annos septuaginta eduxit in Iudæam, dedit vobis Principes, ædificauit templum & vrbem. Ab Aman & edictis crudelibus Assueri vos liberauit, pacatum vobis fecit Alexandrũ Macedonem, eripuit ab Antiocho, sub quo longè plurimi legem abnegastis; respirastis tamẽ sub Machabæis: sed ita tamen vt nullum Prophetam dederit vobis Deus post Malachiam, nisi Reges paucos permisit, & eos è Machabæis. Erant eo tempore ingentia vestra peccata, quare Deus acriùs vos puniuit, dans gentem vestram in manus Romanorum, & per hos in Idumæorum antiquorum hostium, in Herodis & filiorum. Permisit in vobis sectas in lege, Sacerdotij electionem corrumpi; non tamen permisit tunc in vobis idololatriam, quod fuit excellens Dei in vos beneficiũ; ita coniectis in extremas calamitates lumen veritatis Deus reliquit quod sequeremini vt Meschiam recipereris, quem clamabant iam omnia esse proximũ vel venisse. At vos huc maiorem attulistis animorum peruersitatẽ: recèns natum Christum, quem per tot signa, per tot scripturas potuistis agnoscere, tamen statim voluistis etiam vos, non solùm Herodes, interficere. Deinde duodecimo Christi anno potuistis illum cognoscere, non cognouistis tamen. Adhæc dubium esse non potest Christum orasse pro vobis, & magnos fuisse gratiæ impulsus in vos, & tamen semper Spiritui sancto restitistis. Incepit Regnum cœlorum prædicare Christus, ibi verò aduersus vestrum Meschiam & Deum exarsistis sæua inuidia, & animi peruersitate, & malitia, & odio; nec vnquam desijstis, donec repugnante Præside Romano cruci affigi Dominum gloriæ furiosè & minaciter peruicistis. Quid ad hæc omnia dicetis conscelerati Iudæi crucifixores? (nam milites quidem nunquã crucifixissent IESVM, vel concessisset Pilatus, nisi per vos) Vos, vos crucifixistis Meschiam, quem toties antea voluistis interficere. Sed quid in illis omnibus vidistis quod nõ à summa Dei charitate esset profectum? Summis est beneficijs prosecutus vos Deus iam inde ab Orbe condito per omnes ætates: tandem illo, propter quod ália omnia fuerunt vobis collata, sumpsit enim ex vestra gẽte carnem, factus est Deus homo Iudæus, dedit se ipsum vobis Deus, infinitum, si agnouissetis, beneficium.

Gen. 6.

1. Reg. 8.

3. Reg. 11.

Act. 7.



cium. Vos elegit quibus primùm legis Euangelicæ lucẽ communicaret & perfectionem. Addidit prædicationi æterni Euãgelij, vt gloriam eius manifestaret, & doctrinam confirmaret, & vestræ infirmitati mederetur, miracula omnis generis innumerabilia; sanauit vestros ægrotos, Dæmones è vestrorum corporibus eiecit, cæcis oculorũ, surdis aurium, mutis linguæ officium restituit; vitam spiritualem his omnibus simul largitus est, & vobis nunquam non obtulit, nunquam non ad illam & per doctrinam suam, & per miracula vocauit & cohortatus est. Quid vel ipse vel pater eius Deus boni facere vobis potuit quod non fecerit, quod non obtulerit? Et tamen vos omnium mortalium pessimi, & ingratissimi, & crudelissimi illum morte turpissima affecistis; vos Pilatum, vos milites adegistis vt Deum crucifigerent, & quidem semper desiderantem vestram salutem, semper pro vobis orantem, in ipsis etiam mortis angustijs, è cruce ipsa. O corda non hominum, sed potiùs ferarum crudelium durissima! ó immanitatem immensam! ô peccatum infinitum! Verùm ad Christum crucifixum nos vocant Iudæi ipsi furiosè vociferãtes: erigatur crux, suspendatur è ligno, vt sit planè maledictus à Deo. Hoc verò iam conabantur sæui milites; erigatur, suspendatur maleficus, pendeat è clauis suis. Conclamant omnes simul, erigũt crucem summa cum contumelia & cruciatu, figunt. O horrendum spectaculum, & cruciatum suprà quàm explicari potest acerbissimum! Hanc crucem, hos clauos fecerunt tibi sedẽ homines impij: sedes tamen tua cælum est; Thronus enim tuus in seculũ seculi apud Patrem & Spiritum sanctum in vnitate diuinitatis est, terra autem vt est pedum Dei scabellum, ita tuorum. Imples quidem omnia infinita tua essentia, potentia, atque præsentia, & excelsus es super omnia, & in omnibus; & tamen pedum tuorum subsellium in templo tuo typico esse voluisti, vbi sedisti super Cherubim, vnde vim tuam atque misericordiam extendisti & formasti in terra, & exaudisti preces ac sacrificia seruorum tuorum illorum: longè tamen maiorem terram, & scabellum tuæ virtutis & miserationum elegisti in tua humanitate, longè perfectius tẽplum fuit quod assumpsisti, hoc veri est scabellum pedum tuorum, & locus quem dixisti te esse glorificaturum. Neque enim illud templum est glorificatum, sed hoc tuum, hæc tua humanitas: nam illud quicquid habuit gloriæ, propter hoc habuit, & ex hoc habuit; vt fuerit verè maior gloria domus huius nouissimæ plusquam primæ, plusquã secũdæ. Hos pedes tuos celebrant Seraphim apud Esaiã, vbi vidit gloriã tuã Domine IESV, & de te locutus est: sublimi enim reuelatione cognouit Euãgelicus Propheta diuinitatis tuæ excellẽtiã, tum etiã incarnationis & humanitatis, & Seraphinos prædicat alis duab⁹ texisse faciẽ tuã, id est diuinitatis mysteriũ, & alijs duab⁹ texisse incarnationis & humanitatis, professos illa duo esse secreta Dei; vt alibi scribit, Secretũ meum mihi, secretũ meũ mihi. Ineffabilia sunt hæc Dei mysteria silẽtio celebrãda, etiã ab Angelis, atq; adoranda. Incarnatio igitur tua & humanitas tui sũt pedes quib⁹ ad nos venisti, sub quib⁹ omnia subiecit Pater Deus, & inimicos omnes tuos sub his pedibus subdidit, & scabellũ fecit scabelli tui. Verùm aliã sedẽ tibi, aliud scabellũ impij his pedibus dederũt crucẽ ipsã, toti humanitati thronum, atq; adeò Deo homini. Simul horũ pedũ, hoc est Dei hominis pedib⁹ sæuissimũ posuerũt subsellium durissimũ clauum, hoc enim nitebãtur pedes tui sancti & benedicti in cruce. In te sæuiebat dolor vtriusq; vulneris crudelissimus è pondere totius corporis, nisi quã è vulneribus & cruciatu manuũ nõ tã leuabatur quàm excipiebatur: quæ erãt vices miserãdæ, vt non possent manuũ dolores se remittere, quin augerẽtur pedũ; neq; horũ absq; illorũ incremento. O vices acerbas, & suprà quàm dici potest miserabiles, si quidẽ vices fuerũt, & nõ potius diuisis cruciatibus summa erat & manuũ crudelitas per se, & per se pedũ, & auctior continẽter. Vos quidẽ amẽtes Iudæi illũ existimastis facere maledictũ à Deo, quia suspendistis, & putastis facere execratũ omnibus hominibus & abominabilẽ, atq; adeò illa fuit atrox vestra pugna cõtra Deũ; vicit tamẽ cõsceleratã vestrã insipiẽtiã Deus per infirmitatẽ; noluit enim per potentiã, quod poterat, sed per lignũ, crucẽ, suspẽsionem, per mortẽ filij sui: quod fuit suã misericordiã magnificare, & potẽtiã exaltare. O cæcitatẽ! Clamant scripturæ Meschiã sacrificãdũ pro peccatis. Nã quid tot hostię, quid hirc⁹, quid sãguis vitulę aspers⁹ significãt? quid habẽt virtutis? Animaliũ enim sãguine mũdari peccata impossibile est. Significabant videlicet verũ sacrificiũ Christi venturi, quẽ propterea fecit Deus peccatũ, hoc est hostiã pro peccato, q̃ vos ipsi dicitis peccatũ;

Ioan. 12.

Isa. 24.

Deut. 21.

Hebr. 9. & 10.

2. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca



fecit maledictum, hoc est, tradidit vt suspenderetur in ligno, veluti qui propter peccata sua suspendebantur. Ipse quidem crucifixus & suspensus in cruce est, sed propter peccata non sua, sed nostra omnium. Audite obstinati apud Dauidem clamantem è cruce Christum; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? longè à salute mea verba delictorum meorum, ac rugitus mei, siue causa rugitus mei. Quæ verba vt intelligerentur, rursum dicit; Quæ non rapui, tunc exoluebam: tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Audite verò Isaiam hęc quasi confertim explicantem; Dominus posuit in eo peccata omnium nostrum. Propter scelus populi percussi eum. Iniquitatem non fecit, non inuentus est dolus in ore eius; & Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Ponet animam pro peccato, iniquitates eorum ipse portauit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Quid potuit vel apertiùs, vel vehementiùs dici? & adhuc ignorare vultis Christi crucem peccatum fuisse & maledictum, hoc est pro nostris peccatis hostiam, pro nostris peccatis crucis mortem, felicissimum peccatum, glorioßissimā crucem? Hæc est exaltatio serpentis ænei ac fortissimi, & diuina charitate inflammati. Te, bone IESV, ille serpens designabat, per quē ille Mosis sanabat lethalia corporis vulnera; tu verò semen es, quod caput serpentis Satanæ con-

*Psal. 21. ejus iuxta Hebr.*

*Esa. 53.*

*2. Cor. 5. Gal. 3.*

*Num. 21 Ioan. 3.*

triuisti; & serpens ignitus & æneus, qui per tuum conspectum, & fidē charitate ignitam, serpentum omnium, Dæmonū sanasti morsus, & venena depulisti. Verè semper illudis, Domine, Leuiathæ, Diabolo & eius ministris. Ille per serpentem perdidit genus humanum, tu per serpentem filios Israël sanasti, & vim tuæ crucis in illo serpente significasti, & in te exhibuisti. Ille serpens sine sensu exaltatus est in signum, tu verò, Domine IESV, cum summo cruciatu sensuum tuorum in salutem. Illi exaltatio vitam non eripiebat, quam non habebat; tibi tua exaltatio vitam per crudelem violentiam eripit: ita figuras quæ de te erant, per tuos dolores imples & infinitos cruciatus. Imprime, magne IESV, illorum dolorū cordi meo sensum intimum quo trahar ad te; in te enim crucifixum est cor meum, meus amor, meum desiderium. Erigeris, suspenderis è clauis, è cruce, per manus, per pedes, resolutis omnibus membris tuis, vt nihil substantiæ sit qua nitaris. Ad hęc anima mea discruciatur, dein stupet mens, tabescit animus, lachrymæ præ magnitudine doloris siccantur; quasi ad nihilum videor ese redactus, & in vltimam rerum omnium lineam coniectus. Suscipe me, benigne IESV, è cruce tua, hos etiā sensus spiritus conserua, auge, & confirma, hoc est intimam vim tuæ crucis, vnde peccata mea agnoscam & defleam, vt planè cruci tuæ affigātur, & mortian-
tur perfectè. Amen.

QVÆ



# QVÆ GESTA SVNT POST ERECTAM CRVCEM, ANTEQVAM emitteret spiritum.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In ejj. imaginem adnotatiuncula.* ejj. 129

*A.* Offendebat acerbè titulus crucis Iudeos & Principes.
*B.* Propterea agunt hi apud Pilatum vt titulum mutet, quod negat constanter Pilatus se esse facturum.
*C.* Orat in cruce pendens pro crucifixoribus Christus.
*D.* Quatuor carnifices IESV vestem inter se partiuntur, inconsutilem sortiuntur.
*E.* Ministri iactant blasphemias in IESVM, iactant Principes, iactant milites.
*F.* Conuiciantur illi primùm latrones crucifixi.
*G.* In eo alter perseuerat.
*H.* Respicit alter, alterum increpat, veniam petit à Christo, & impetrat.
*I.* Perseuerat vniuersalis Eclipsis Solis: aucta idem Christi opprobria & dolores.
*J.* Appropinquante hora nona dicit matri; Ecce filius tuus: Ioanni; Ecce mater tua.
*K.* Clamat IESVS voce magna; Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?
*L.* Dicit; Sitio.
*M.* Offerunt illi ex arundine spongiam aceto plenam, accipit.
*N.* Dicit; Consummatum est.
*O.* Clamans voce magna, dicit; Pater, in manus tuas, &c.
Emittit spiritum.

*C. G. I. K. L. N. O. significant septem verba Christi, qua dixit in cruce.*

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | * *Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est IESVS: & erat scriptū hebraicè, græcè, & latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorū;* [b] *Noli scribere, Rex Iudæorū: sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus; Quod scripsi, scripsi.* |
| | | *IESVS autē dicebat; Pater,* [c] *dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* | |
| | | | *Milites ergo* |
| *Postquam autem crucifixerunt eum,* | *Et crucifigentes eum,* | | *cùm crucifixissēt eum, acceperunt vestimēta eius, &* |
| *diuiserunt vestimenta eius,* | [d] *diuiserunt vestimenta eius,* | *Diuidentes verò vestimenta eius,* | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXVII. | MAR. XV. | LVC. XXIII. | IOAN. XIX. |
|---|---|---|---|
| | | | *fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem; & tunicam.* |
| *sortem mittentes:* | *mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* | *miserunt sortes.* | |
| | | | *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem; Non scindamus eam, sed [a] sortiamur de illa cuius sit: vt scriptura impleretur, dicens; Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserũt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.* |
| *vt impleretur quod dictũ est per Prophetam, dicentem; Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meã miserunt sortem.* | | | |
| *Et sedẽtes seruabãt eũ.* | | | |
| [c] *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes;* | *Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes;* | | |
| *Vah qui destruis tẽplũ Dei, & in triduo illud reædificas; saluatemetipsum.* | *Vah qui destruis tẽplũ Dei, & in trib[3] diebus reædificas; saluũ fac temetipsum, descendens de cruce.* | | |
| *Si filius Dei es, descẽde de cruce.* | | | |
| *Similiter & Principes Sacerdotum illudentes* | *Similiter & summi Sacerdotes [c] illudentes ad alterutrum* | *Et stabat [c] populus exspectãs: & deridebãt eũ Principes cum eis.* | |
| *cum Scribis & Senioribus, dicebãt; Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere? Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* | *cum Scribis, dicebant; Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere? Christus Rex Israël descẽdat nũc de cruce, vt videamus, & credamus.* | *dicentes; Alios saluos fecit,* | |
| *Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult:* | | *se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.* | |

MATTH.



| MATTH. XXVII. | MAR. XV. | LVC. XXIII. | IOAN. XIX. |
|---|---|---|---|
| *dixit enim, quia filius Dei sum.* | | *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerẽtes ei, dicentes; Si tu es Rex Iudæorum, saluũ te fac.* | |
| *Idẽ[e] ipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* | *Et [f] qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.* | | |
| | | [f] *Vnus autem de ijs qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens; Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos.* [g] *Respondens autẽ alter increpabat eum, dicens; Neque tu times Deũ, qui in eadẽ damnatione es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM; Domine,* [g] *memẽto mei cùm veneris in regnũ tuum. Et dixit illi IESVS; Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* | |
| | | *Stabant autem iuxta crucem IESV [i] Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm [i] vidisset ergo IESVS Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ; Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo; Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* | |
| [k] *Clamauit IESVS voce magna, dicens; Eli, Eli, lammasabacthani? hoc est;* | *Et hora nona exclamauit IESVS voce magna, dicens; Eloi, Eloi, lammasabacthani? quod est interpretatum;* | | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*
*Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant; Eliam vocat iste.*

*Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*
*Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant, Ecce Eliam vocat.*

*Et continuò currens vnus ex eis, acceptam [m] spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini,*

*Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensq; calamo,*

*& dabat ei bibere.*

*potum dabat ei, dicens; Sinite, videamus si veniat Helias ad deponendum eum.*

*Cæteri verò dicebant; Sine, videamus an veniat Helias liberans eum.*

*IESVS autem iterum clamans voce magna,*

*IESVS autem*

*emissa voce magna*

*Et clamans voce magna IESVS, ait; Pater, in [o] manus tuas commendo spiritum meum.*
*Et hæc dicens*

*Et inclinato capite*

ADNO-

*Postea sciens IESVS quia iam omnia cõsummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit; [1] Sitio.*
*Vas ergo erat positum aceto plenum.*

*Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.*

*Cùm ergo accepisset IESVS acetum, dixit; [n] Consummatum est.*



## ADNOTATIO.

A. TItulum crucis, qui causam videbatur damnationis continere, & tamẽ plagebant multi Iudæi, propinquitate loci adrei nouitatem inuitati.

B. Horum murmurationibus Principes, quum idemipsi ferrent impatienter, permoti mittunt ad Pilatum qui querimoniam suam deferãt: non debere scribi, Rex Iudæorum, quod non erat; sed qui se iactaret Regem Iudæorum, contrà quàm erat. Respondet non solum constanter Pilatus, sed pro imperio minaciter; Quod scripsi, scripsi. Non temere scripsi Regem Iudæorum, ô inuidi Iudæi, sed vere & consulte; idem habeo ratum: & simul denunciat illis periculum si pergãt esse insolentes. Ita quasi Dei Spiritu motus Pilatus veritatem fidei confirmauit. Erat reuera Rex Iudæorum, & Dei veritatem confitẽtium Christus illud regnum cæleste ac diuinum sua, Apostolorum, & discipulorum prædicatione promulgauerat. Redeunt in Golgotham nuncij perterriti, renuntiant quid responderit Pilatus.

C. Cruciabatur per singula momenta acriùs in cruce pendens Sanctus IESVS, sed tamen primum omnium pro crucifixoribus intercedit apud Patrem, deprecans excusatione ignorantiæ summum eorum maleficium; Pater, inquit, dimitte illis, non enim sciunt quid faciũt: etiam si inuidia, malignitate, voluntario odio sint plenisunt tamen obcæcati & amentes. O immensam Christi benignitatem & misericordiam! in cruce cum summo cruciatu moriens, quasi oblitus eorum cruciatuum & mortis, conuertit animum ad orandum pro interfectoribus suis: quod cum fecit, iam illis, quod in se erat, noxam suæ crucifixionis condonauerat. Quærit subtilissimè vnde parricidas excuset, quum vix vlla esse possetcorum excusatio; reperit tamen aliquam, & veluti facit, quòd animi passione peccabant vehementi, quæ illorum mentes excæcabat. Quod quamuis facerent cum summa culpa, tamen illud adducit in excusationem IESVS. Orauit autem pro suis interfectoribus cum clamore valido & lachrymis, vt semper orauit, id est cum efficacissima animi intentione, & vehementi cordis gemitu; etiam si in cruce credatur reuera esse lachrymatus. O ineffabilem Christi IESV bonitatem! Non orat tantùm pro suis interfectoribus, quæ summa esset benignitas, sed cum animi intima compassione supplicat, quod indicant lachrymæ; & cum ingenti cordis affectu, quod demonstrat fortis & vehemens clamor. Et quidem fuit exauditus Christus è cruce, vt semper, pro eius reuerentia & dignitate apud Patrem: proficiscebatur enim illa supplicatio non à sola humanitate, sed ab hoc homine, qui simul erat Deus. Orabat igitur & supplicabat Deus, quare necessariò exaudiebatur pro eius reuerentia & dignitate. Verùm cur non fuerunt tunc conuersi Iudæi? Primum ex oratione non continuò solet effectus exauditionis exstare, sed vbi Dei prouidentia constituit: deinde fuerunt non multò pòst multi compuncti, & reuertebantur pectora tundentes: & magnam multitudinem Iudæorum esse conuersam videmus in Actis Apostolorum; tum plenitudinem Gentium intrasse conspicimus, & reliquias Iudæorum conuersum iri scimus.

D. Omnes quidem milites seruabant crucifixum IESVM intenti, nec quoquam adhuc discedebant; quatuor tamẽ qui Christum truci confixerãt de more carnificũ vestes damnati IESV sibi arrogant. Ferunt Christi tres fuisse vestes; interulam inconsutilem, & superiorem aliam atque ampliorem, & aliam exteriorem vestem. Has duas in quatuor partes sciderunt, vt in singulos milites æqualiter diuiderentur; quæ ad sannam & irrisionem IESV referebantur, quasi Regis pretiosam vestem ambire simularent: vel omnino quæstum cogitabant, quasi carè vendituri IESV assecłis. Diuisis alijs vestimentis, compendium secuti, inconsutilem & desuper contextam per totum, à summo scilicet ad imum vsque contextam omni ex parte, volunt diuidere, ne artificium corrumperetur, & periret precium: sortiuntur tales, qui erant quatuor æqualium laterum figura triangulari solida æquilatera; iacebat humi proiecta tunica, conijciunt talos in marmoream tabellã, quæ exstat ad Lateranum. Vincit vnus, aufert tunicam: ea postea venit in manus beatæ Virginis Matris, redempta à milite, vt pie creditur, & ad hoc vsque tempus apud Treuiros conseruatur religiosissimè. Omnibus modis contemneris, bone IESV; nec sat est sceleratis hominibus si te videant cum summa ignominia & cruciatu inter duos latrones morientem, nisi vestes diripiant & diuidant vt latronis, derideant vt falsi Regis. Porrò præter inconsutilem plures fuisse Christi vestes constat tum ex hoc loco, tum ex historia lotionis pedum;

Euthy.

Cælius li. 20. c. 27.

Mat. 13. Luc. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*non tamen has plures fuisse quàm duas, rationi est consentaneum. Interulæ loco fuit inconsutilis, alia laxior inconsutili superinduta, tertia exterior, quasi pallium. Hæ duæ appellantur hebraicè* בְּגָדִים, *græcè* ἱμάτια. *Illa hebraicè ex specie* לְבוּשׁ, *proprie* פְּתֹנֶת, *græcè similiter* χιτὼν *ex specie* ἱματισμὸς. *Chitonem, siue Chethoneth interpretatur Hieronymus tunicã talarem quæ corpori adhæret, tam arctam, tam strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga, & quæ ad crura vsque descendat. Suidas Chitonem dicit hypocamison, & pertenuem vestem. Huiusmodi erat inconsutilis Christi tunica, cuiusmodi duas possidere prohibuit Apostolis, & Ioanes alteram dandam docuit ab eo qui duas possidet, ei qui ne vnam quidem habet: & tamen chethoneth siue chiton Iosephi & Thamar non erat interula, sed superindutæ vestis, quod extra ordinem factum intelligimus, ad ornamentum puerorum & virginũ. Certe chitones fecit Deus Adamo & Heuæ.*

*E. Ingeminãt porrò despectiones in IESVM; alij blasphemant illum, mouentes capita, exprobrantes in faciem crimen, quod reiecerant in concilio Principes; Vah qui destruis templũ Dei, & in triduo illud reædificas. Addunt, Si filius Dei es, descende de cruce: & hæc erant quidem ministrorum blasphemiæ, & alicrũ Iudæorum, qui accusationem & damnationem IESV vrserant. Audite insani homines, vos templum Dei soluitis nunc, IESVS verò tribus diebus illud suscitabit gloriosissimè. Hos exceperunt Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus, deridentes superbè IESVM inter se, & per summam contumeliam illudentes. Alios saluos fecit, seipsum non potest salnum facere. Audite & vos impij ac cæci Principes: propterea alios saluos fecit, quòd seipsum potuit. Sed noluit saluum facere & à morte liberare: sua enim voluntate se morti obtulit, vt vitã daret mortalibus æternam. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Insanitis, non vos solum, sed qui vos stimulat Satan: qui in horto exercitum vestrũ verbo strauit, noluit quidem se liberare, monstrauit posse; idem nunc & semper potest: quod si potest, quæ erat causa, ô amentes, vt se permitteret crucifigi, & non potius sanum liberauit & integrum? Horrendum hoc Dæmon maleficium, vt descenderet IESVS de cruce, inani molimine machinatur; cùm enim sentiret suas vires magis magisq; frangi, coniectans id virtute passionis IESV fieri, denuo illum aggreditur liberare à morte, hoc est, se à cruciatu. Nam Christum cupiebat quidem vorare multari, sed liberare contendebat ne ipse periret, & tyrannidis faceret iactura. Et hæc quidem fuit postea perpetua Diaboli tentatio, vt tribulationes & cruces à se excutiant pij homines. Parum potuit hæc Dæmonis machinatio apud principes; per irrisionem enim & iocum illa in Christũ iactabant, nec credentes IESVM posse è cruce descendere, & mentientes se illi erediturosi descenderet. Eò autem ipsorum amentia progreditur, vt in Deum ipsum, quem conflictebãtur simul blasphemẽt: Liberet eum anquiùt, si vult; dixit enim quia filius Dei sum. Quid enim est, si vult? Credunt filiũ Dei non esse IESVM, nec Deũ illũ liberaturũ. Quorsum igitur, si vult? nisi quòd non audent dicere si potest, dicunt, si vult: itaque dissimulãtes blasphemiam, illa se implicant. Accumulant opprobria militesinsolenter; Si tu es Rex Iudæorũ, saluum te fac. O miserum regnum tuum, miserorẽ te, qui nec antea te potuisti è manibus nostris eripere; nam nunc vt è clauis & cruce possis, insanum est sperare. Nusquam verò milites discedunt adhuc: sed sedentes illum seruant, custodiam agentes militarem. Postremò ne genus aliquod esset pessimorum hominũ quod non afficeret Christum contumelijs: præter faecem ministrorum, & accusatorum IESV, præter sceleratos Principes & Seniores, præter impios milites.*

*I. Conijciunt etiam probra in IESVM latrones crucifixi: primum quidẽ ambo in turba omnium enim conspiratione contendebat Dæmon, & omnium vocibus Christo persuadere, vt descenderet de cruce; vel certè illi omnium opprobrijs & conuitijs insultare, desperatè insimulans. Populi tamen multitudinem videtur non permouisse: quòd enim authoritatem Principum secutus populus derideret IESVM, non tantæ erat atrocitatis; nullius verò, quòd expectaret quorsum res euaderet, vel contemplaretur quæ gerebantur.*

*I. Sequitur verò post hæc præclarissimum Christi ex cruce factum: cùm enim è crucifixis latronibus alter insisteret IESVM opprobrijs & blasphemijs incessere;*

*G. Compunctus alter corde, ac subito quodam animi sensu tactus, sit de repentè patronus Christi. Agit pro Christo causam contra socium latronem quidem, sed quæ contra crudeles crucifixores, tum contra omnes homines intẽdebatur & vim obtinebat: omnes enim homines digni sunt morte, Christus non modò dignus vita, & æter-*



*æterna gloria, sed ipse vita & gloria est sempiterna; qui non solum nil mali fecit, sed omnibus fuit mortalibus omnis boni causa, pro omnibus moritur, vt omnibus pariat vitam. Quid insanis, inquit, infelicissime hominum? non sat tibi est sit tantam crudelitatem videas Iudæorum in IESVM, tot probra; nisi tu quoque, qui in eadem es damnatione & cruciatu, illum afficias contumelia? Et quidem nos morte hac digni sumus, hic nil mali, nil non optimè & sanctissimè fecit. Me igitur imitare potiùs homo miserrime, cum peto ab IESV veniam, cùm profiteor illum Regem cælestem, Regẽ omnium seculorum, cùm postulo vt memineriterit suæ misericordiæ vbi ad regnum suum venerit, non mearum iniquitatum. Hæc cùm fecisset non audit dirus latro, audit Christi bonitas & misericordia: Hodie, inquit, mecum eris in Paradiso. At in quo Paradiso, bone IESV? Nõ terrestri, sed quo Angeli fruuntur cælesti. At quandoquidem Hodie; non solum ante quam sol hic occumbat, sed in hodie meæ generationis, hoc est, in mea & Patris æternitate. Vbiubi in inferno, & vbicũque post hac fuero. Orem omni admiratione & laude superiorem! Vniuersus orbis damnat Christum, latro in cruce pendens defendit; diffugiunt Apostoli omnes, negat Petrus Apostolorum Coryphæus, sit socius latro è cruce sacrosanctæ Mariæ Virginis Matris; expectant gementes sanctissimi Patriarchæ & Prophetæ Christi gloriam tot seculis, hic nullo momento, alij tot laboribus & angustijs fiunt sancti, fiunt beati, hic tribus verbis & sanctitatem & beatitudinem arripit. Hic latro vere fuit violentissimus in Regnum cælorum, nos lenti, tardi, ignaui. O Christe bone, quam spem non dedisti nobis veniæ, cum beas è cruce latronem? Exundat è cruce fons tuæ misericordiæ & miserationis, fons tui sanguinis diuini, tuæ bonitatis infinitæ lux illustrissima, mortis tuæ meritum & redemptio efficacissima. Verùm, ô sancte latro, quis fuit animi tui sensus post quã à Christo verba vitæ audisti? Conspexerat prior me Christus, inceperam mortem in carne spiritu in Christo viuere, Christum in me operantem sentiebam, illi summa mentis meæ suauitate assentiebar, cum illo meam salutem operabar, agnoscebam peccata, illa detestabam, veniam à Christo poscebam, meam pœnam & mortem pro sceleribus meis Deo offerebam, induebam virtutem ex alio, merito mortis Christi, excellentem consolationem, lucem, iucunditatẽ experiebar, Regnum Christi in cruce, primitias Paradisi delibabam. O te felicem! O Christi mysteria adoranda! Quæ hactenus attigimus, suo ordine facta sunt postquam crux Christi leuata est; Orauit pro crucifixoribus IESVS, diuiserunt inter se milites ipsius vestimenta, iactarunt opprobria in eum ministri, Pontifices & Seniores, milites, & latrones; patrocinatur deinde alter Christo, accipit vitæ æternæ pollicitationem.*

*H. Fuit quidem sol obscuratus initio crucifixionis, nam factæ sunt tenebræ à sexta hora vsque ad nonam super vniuersum orbem; sed huius Eclipsis, & eius durationis postea mentionem faciunt Euangelistæ, nec Ioannes meminit: vt intelligere possimus quo tẽpore sæuiebat omne genus hominum in Christum è cruce pendentem, in luctu quidem fuisse solem, & mundum vniuersum, tenebrosa fuisse omnia & horrida, cœlum, aërem, terram; tenebrosas verò magis impiorum hominum mentes, qui illas tenebras non sentiebant, vel à maleficio propter eas non deterrebantur. Porrò autem continuata sunt opprobria, & identidẽ aucta: per singula etiam temporis momenta boni IESV tormenta crudiora facta & vulnera, imminutus sanguis crudeliter morte sæuiente.* Mat. 27 Mar. 15 Luc. 23.

*I. Tandem cùm iam appeteret hora nona, ad Mariam conuertit oculos IESVS, ad Matrem desolatam, tota die mœrore confectam, & illam interna significatione ad se vocat; accedit cum sorore filia Cleophæ Matre Iacobi minoris, cum Ioanne, & Magdalena. Alij aspiciebant longè; furor enim Iudæorum & militum erat in solum IESVM intentus, & constabat Christi cautio & securitas, vt nulli præterquam ipsi nocere possent. Accedis ad crucem benedicta Mater, quia te filius ad se trahit, & tuus in illum amor: voluisti item illius mortem conspicere propius, & audire quæ sperabas ad te verba esse facturũ. Neque verò crucem filij erubescebas, nec tuam subire detrectabas. Afferebat tibi quidem maiorem dolorem ille accessus, sed simul animi vires augebat. Sed cur solis illis comitibus accedis? Hos mihi coniungit amor, illos retinuit reuerentia. Astabat igitur iuxta crucem IESV Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Magdalene, cum his Ioannes: conijcit oculos in eas IESVS, & præsertim in Matrem & dilectum Discipulum. Vulneratur vtriusque cor, altius longè Matris, cuius iam anima gladio passionis & cruciatuum filij transuerberata erat: verùm alioqui altius filij.*

*I. Mulier, inquit, ecce filius tuus. Nonne verè Mater erat tua, bone IESV? Erat verissimè mea Mater. Quid ergo est quòd mulierem com-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



communi nomine appellas, non Matrē proprio? Primum significo quod faciebam, Matrem enim relinquebam moriens, maternum ius in alium transferebam. Deinde afflictam Matrem, & me longe afflictißimū, magis affligere nolui materni affectus commemoratione. Mulier, ecce filius tuus: Pater me in extremis his angustijs dereliquit, mors est proxima; ego tamen vltimum officiū tibi præsto: auerte Matris cogitationem à me, conuerte in Ioannem; hic meo loco filius tuus esto, Virgo Virginis, dulcis nepos suauissimæ materteræ; is cui ego secreta cælestia de meo pectore reuelaui: in hoc conquiesce, hic tibi obsequatur & seruiat, hic tibi vt ego solebā obediat, in hunc ius maternum exerce. Hoc autem animum tuum soletur, quòd non erit diuturna hæc mea absentia; tertia enim die resurgam à mortuis, & mea præsentia cum summo gaudio perfrueris. Deinde ad Ioannem: Ecce, inquit, mater tua; summum accipe à me beneficium dilecte, quo tuum de mea morte mœrorē lenias: est quidem natura mater tua Maria Salome, esto iam Maria Virgo Mater excellenti priuilegio; hæc te filiū habeat, tibi materno iure imperet, tu illam vt matrem obserues ac tuearis; esto illi obsequēs similiter atque ego eram, si viuerem futurus. O adorandā Christi IESV in Matrem obseruantiam, & in vtrumque benignitatem! Derelinquit illum Pater in doloribus & morte, & quasi illius obliuiscitur: ipse suorum dolorū, & paternæ destitutionis, & mortis veluti oblitus, totus est in Matre honorāda, illius consolatur luctum, & curam gerit solicitè, quæ summa fuit in Matrem benignitas, magna in extrema desolatione consolatio. Porrò de beneficio quod accepit Ioannes, illud solùm dicam: excellentissimum beneficium fuisse, quòd Maria Virgo fieret Dei Mater, & esset, at hæc vera Dei Mater excellenti prærogatiua atque adoptione fit Ioannis mater, & Ioannes Dei Matris filius. Porrò autem testamentum fecit Deus, quo repromisit Abraham & eius semini, & omnibus gentibus benedictionem, & redemptionem, & salutem in Christo: hoc testamentū promissione iureiurando confirmauit, sancit nūc morte sua & sanguine Dei filius, Deus ipse omnipotens; sed adjcit simul hunc quasi codicillum, quo legat Matri filium Ioannem, illi Ioannem commendat, & in Ioanne vniuersam Ecclesiam & pios omnes: & quum Ioannis matrem illam pronuntiat, facit omnium fidelium & peccatorum matrem & patronam benignissimam. Hunc quoque codicillum morte sua confirmauit; vnde constat maternā in mortales omnes, fideles præsertim, curam & patrocinium accepisse Virginem Dei Matrem, necessarium cultum & obseruantiam in Mariam nos gerere debere, tutissimum refugium atque præsidium apud Virginē Dei Matrem & nostram omnibus esse repositum. Intolerabilem mortalibus omnibus sustinebat hactenus in cruce cruciatum magnus IESVS: sed peruentum iam ad eum est dolorem atque acerbitatem, quæ non solum aliorum omnium hominum facultatem excedunt, sed Christi etiam, id est hominis Dei qui homo. Instabat hora nona, & tempus quo erat moriturus: dat igitur mortis suæ certissimum signum, & veritatis suæ carnis præclarissimū argumentum.

K. Clamat voce magna: Deus meꝰ, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Supra vires meas iam patior Pater mi, Deus vitæ meæ & mortis: defecit me virtus humanitatis; en morior, nihil me iuuat diuinitas tua & mea, nihil gloria quā fruor, nihil tu auxilij præstas, ne per Angelos quidem: sæuiūt in me lethalia toto corpore vulnera, illa præsertim quæ claui infixerūt, quæ me excarnificāt per tres horas crudelissimè: anima mea impleta est amaritudine, pœna, dolore, tristitia, ac mœrore intolerabili: Matrem reliqui, quæ aliqua ex parte me consolabatur: cur in tantis me angustijs Pater dereliquisti? Hæc voce expressit humanitatis commiserationē, & auxilij implorationem vehementissimè. Et tamen respondet continuò Christus; Hæc sunt verba delictorum meorum, quæ ego agnus Dei mansuetus atque innocentissimus porto; propterea tam immaniter patior, quòd immania sunt, & innumerabilia hominum peccata quæ ego tollo, pro quibus patior. Excitantur sannæ à circumstantibus & irrisiones ex allusione nominis Elias, & Eliah nominis Prophetæ; Eliam vocat; sine, videamus an veniat Elias eum liberans. Erat prorsus in præcipiti vita Christi: deficiebant iam illum sanguis & vires; vnde necessariò & naturaliter sitis illum mortifera excruciabat: & simul erat scriptura implenda, qua prædixit Dauid ex persona Christi; Et in sitim meam potauerūt me aceto. Omnia enim alia quæ pati ipsum oportebat ante mortem, erant adimpleta.

L. Dixit ergo Christus, clara quidem voce, afflicta tamen, Sitio. Aruit tanquam testa virtus mea, adhæsit lingua mea faucibus meis, ossa mea sicut cremium aruerunt: Sitio. Psal. 21.

M. Accurrunt commoti iam & irridentes illum de Eliæ imploratione; implent spongiam aceto, imponunt arundini, id est alligant hyssopi aru-



arundini, (quamuis Cyrillus dicat alios calamo, alios hyssopi ligno potum Christo obtulisse) vnus aliquis ex improbissimis pincernam agit, offert ori Christi acetum: accipit bonus IESVS; erat enim voluntas Patris vt ex aceto aliquid biberet, vt per omnes omnino sensus pateretur, cùm per visum, auditum, olfactum iam indignissimè passus esset, per tactum acerbissimè. Hic verò tu cor tuum aperi, vt illa vox, Sitio, ab ore Christi ad animum tuum penetret, ibi intendatur validè, & vires subinde maiores accipiat. Magna fuit Christi sitis aquæ exterior, at quanto maior interior salutis nostræ! Illam restinguunt Iudæi aceti acerbitate, hanc nos longè maiori amaritudine, dum Deum offendimus, & Christi sanguinem & sitim contemnimus. hoc fuit atrocius aceto interiori linguæ Christi, sentiebat enim vehementius internos cruciatus, quos de præterita hominum, de præsenti, ac futura omnibus seculis ingratitudine, malitia, peccatis omnibus eius animus capiebat. Et erat quidem alioqui ex corporis pœnis intolerabili afflictione confectus, nihilq; aliud quàm finis restabat, nihil nisi vt moreretur Christus IESVS, qui est Deus in sæcula benedictus: quæ enim alia de eius vitæ morti alis gestis, de cruciatibus scripserant Prophetæ, quæ Deus de illo constituerat, finem & perfectionem acceperant, & iam erat animam exhalaturus; sed voluit tamen sua voluntate animam ponere, & id esse omnibus manifestum: mortuus enim est Christus ex vi quidem passionis & crucis, sed quæ in ipsum nihil potuerint nisi eius voluntate. Itaque primùm obsignauit Dei & suum testamentum, & attulit fidem omnibus firmam atque indissolubilem.

N. Consummatum, inquit, est; impleta est omnis scriptura, quæ de me ante mortem vaticinata est: restat sola mors, qua consummatū erit meritum meæ passionis, victoria reportabitur mortis, inferni, diaboli, peccati: perfecta humani generis redemptio conficietur, omnia accipient vltimam consummationem. Aliud nihil restat, quàm vt spiritum per violentiam quidem externam, meā tamen voluntate emittens, vim excipiam illam & mortem. Neque verò hæc quæ passus sum, etiam si multos homines confitere potuissent, me etiam necare poterant, propter meæ diuinitatis vnionem, & personæ immensam dignitatem: itaque nisi mea voluntate non potest hæc anima meum corpus destituere, non potest nisi à me iussa. Volo pro mortalium salute mori, volo quod sua vi efficiunt pœnæ, illud sponte subire; quod magna vox illa quam edam moriens repræsentabit. Clamat igitur voce magna rursum, (nam paulò antè iterum in angustijs extremi doloris voce magna clamauerat) nunc clamat, vt deponat omnem dolorem, & mortem oppetat præclarissimam.

O. Pater, inquit, in manus tuas commendo spiritum meum. Auditur hic clamor toto cælo, penetrat ad patres in Limbum; aduertunt omnes Angeli & Sancti Christum mori, confici omnium redemptionem & salutem. Sed quem spiritum, ô moriens Christe IESV, Deus immortalis, quem spiritum das? Meam animam quæ corpus hoc format, & pœnarum est capax, quæ eadem alioqui fruitur beatitudine sempiterna apud te & me Pater; eam reple iucunditate & gaudio cælesti omnino. Omnia sum passus quæ imperasti Pater, tempus est vt vlteriùs ne cohibeas meæ gloriæ splendorē, quem habui iam indè à primo meæ incarnationis momento, quin in totam animæ meæ amplitudinem redundet: simul vniuersorum pro quibus pono animam commendo animas, vt & meam passionem imitentur & patientiam, & in tuas tandem manus benignissimè recipiantur. Hæc cùm fierent, & viderent Iudæi, milites, Dæmones, IESVM morientem; varius erat eorum sensus. Dæmones animaduertunt frangi planè suas vires, excindi opes, tyrannidem profligari: itaque non possunt sustinere vt videant morientem, fugiunt confusi. Milites etiam si barbari essent & crudeles, tamē validis illis vocibus Christi commouentur, & ingenti illa animi fortitudine. Iudæorum etiam deferuebat inuidia, non malitia; satiantur pœnis extremis, sanguine, & interitu IESV. Acceperat quidem robur animi ex colloquio filij Maria Virgo Mater, & tamen aucto robore, in extremis Christi angustijs, doloribus, & morte, augentur vt Christi, ita eius dolores: vt enim erat anima Mariæ Christi animæ omnibus modis coniunctissima, erat similis Matris compassio Christi passioni. Verum hoc temporis momento illud animam Mariæ consolabatur, quòd liberatum iri cum euestigio sciebat ab omni cruciatu, & esse lætitia summa & gloria circumdandum. Mulieres & Apostoli similiter atque Maria & dolent & sperat, infirmius tamen vtrumque.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

Ier.9. QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte morientem in cruce Dominum meum & omnium IESVM? En is pendet in cruce à quo creatura omnis pendet & gubernatur: factus est maledictum & peccatum è ligno pendens Deus, iustitia, & misericordia infinita. Moritur in cruce, (quid enim aliud quàm moritur IESVS à sexta vsque ad nonam continenter?) viuens in æternum Deus. Quis vidit talia? Quis potuit videre talia? Qui potuerunt videre talia? Itáne mori potest immortalis? Potest, & moritur: vitam suam ponere qui est vita infinita & æterna? Potest, & ponit: interfici à sua creatura potest creaturæ vniuersæ conditor? Potest, & interficitur. O rem inauditam & ineffabilem! O rem incredibilem, & omni creato intellectu superiorem; & tamen verissimam, certissimam, diuinam! Creasti tu, Domine Deus, Angelos, cælum, terram, omnia; aliud fecisti opus diuinius quam filium tuũ hominem fecisti: sed nunc illo moriente res eò videtur spectare, vt dissoluãtur hæc opera tua omnia. Nam mortuus Christus homo non erit; priuabitur enim vita humana per mortem: quid autem reliquarum creaturarũ subsistere poterit deficiente Dei vita? O Domine, respice dolorem meum & insipientiam. Intelligo, crucifixe IESV, omnia ad sobrietatem agenda; vt lætandum, ita dolendũ: adhibe sobrietatem meo dolori, obsecro te Domine; doce me veritatem tuam. Morior pro veritate Dei, quam accepi à Patre mortalibus prædicandam: vult Pater me mori, mea simul voluntate ego morior, & meam vitam pono pro humani generis redemptione; vnde tota creatura restaurabitur: quod si non facerem, tunc verò perirent vniuersa, nec homo suum finem consequi posset, non creatura à corruptione libertatem. Hoc est summum & Patris mei & meum mysterium, summum opus, summa misericordia; vt per meam mortem vitam conficiam sempiternã. Mortuus non ero homo, sed ero Christus; totus in inferno, totus in sepulchro ero Deus. Fecit Dæmon & peccatum mortem, per quam meũ primum opus labefactaret, & obtinuit eius labes orbem & corrupit; sed hic dies, hæc mea mors illi morti, & tyrannidi Satanæ, finem ponet. Nascetur ex mea morte vita, & mea quã nũc pono, & omnium electorum meorum etiam æterna, & creaturæ restauratio; simul Saranæ mors, & reproborum omnium confirmabitur. Scio Domine, sed interim video te morientem in cruce, quod cor meum ferre non Psal.72. potest. Nónne tu vita es cordis mei? non tu Deus cordis mei, & tamen moreris, & pro peccatis meis moreris? Sentio me esse tuæ mortis & cruciat⁹ causam. Deficit te sanguis, vires, vitalis spiritus, sentit anima tua se à visceribus suis expelli; moreris Domine Deus meus, simul deserit me spiritus meus, deficit Psal.118. anima mea in te salutari suo; recipe spiritum meum, Domine, in te deficientem. Nollem finem accipere dolorem meum, & mortis tuę sensum: cor meum, benigne IESV, ita rescias, ita moueas, vt crescat in me assiduè & tuæ mortis dolor, & mortis pro te sustinendæ desiderium & robur. Ille dolor in me perseueret, non solùm dum hæc mysteria excelsa meditor, sed donec veniam ad te, & muterur dolor in gaudium sempiternum. Quid agitis, ô Angeli? Nónne est vita nostra, & quidem æterna, qui moritur? Lugemus & nos nostrũ luctum, & cõpatimur creatori nostro, & abominamur scelus immensum interficientium Dominũ; iuuamus etenim piorũ hominum lachrymas, & luctũ promouemus, & omnes mortales vocamus ad dolorem & lamenta. O dura mortalium corda! Fierine potest vt videatis Deum mori, hoc est summũ dolorem, extremum malum pro vobis assumere & pati, & illud non sentiatis? Pro nostris quidem peccatis non est mortuus Christus, non redemit nos IESVS, & tamen lugemus, etsi vt vos lugere non possumus: & vos pro quorum peccatis mortuus est Deus vester & noster, quos redemit de omnibus malis vestris, non lugebitis, & diabolos, & crucifixores Christi potiùs imitabimini? Diuinè, ô Angeli, dicitis; iuuate vos, & promouete luctum & Psal. dolorem nostrum. Heu deficit anima in IESVM meum morientem; occupat me mors à facie mortis vitę cordis mei. Quid cęli, terra, creaturæ omnes facitis & vos? Tabescimus & deficimus. O Domine IESV, num vis omnia tecum interire? Nolo, sed vt omnia profiteãtur & sentiãt se in me & per me esse; id volo. Sed quid primũ egisti crucifix⁹, bone IESV? Oraui sũmo animi affectu pro meis cru- Luc. 23. Hebr. cifixoribus, quod indicauit clamor validus & lachry-



lum aperitur omnibus mortalibus hactenus clausum: nunc omnis prædestinatio iustorum vim accipit qua adimpleatur: consummatum est; & consummor ego, vt fiam obtemperantibus Deo causa salutis æternæ. Magnum autem clamorem adiunxi iterum, quo significarem summam rerum quas dixi firmitatem, & immensum animi mei affectum; vim præterea eam, quæ extitit in meis omnibus actionibus & passionib⁹ ex circumstantia meæ diuinæ personæ, quæ verbum est infinitũ. Quum verò prius clamaui, ostendi magno illo clamore verissimã esse meam humanitatẽ, hic etiã diuinitatẽ. Cõtremuit tunc cœlũ, terra, creatura omnis superiori clamore; nam vbi agnoscebã ego & profitebar meã carnis infirmitatẽ, similiter agnoscebat creatura, & quasi in meo clamore clamabat mœrẽs ac desolata: hic verò clamor vim afferebat morti, & eius vim frangebat; ostẽdebat enim imperium in mortem, & mortis mortẽ operabatur. Hoc clamore vltimum spei robur acceperunt in Limbo Patres, & creatura spem exuendi corruptionẽ. Verùm quid dicis, sancte IESV, isto clamore magno; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum? Sic describo rationem meæ mortis; non enim morior vt alij crucifixi, qui debilitate superati, cruciatibus victi & morte miserè moriuntur. Nam etiamsi meæ mortis causa fuerunt homines impij, & mea vulnera; non tamen vim mihi attulerunt mortis, nisi quam ego volui accipere, quam ego nolui impedire. Itaque potentissimè simul & gloriossimè animam posui, non coactus debilitate, sed mea voluntate adductus; neque cruciatibus superatus sum, sed illis imperans, ne mihi mortem afferrent nisi me volente. Neque verò victus à morte mortuus sum, sed mortem ipsam conculcans atque interficiens mea morte; necauit enim peccatum mea mors, quare & peccati effectum, mortem. Moriẽtur quidem deinceps homines, sed ita (si virtute meæ mortis vti velint) vt mors illa excipiatur à vita sempiterna; ita viuent, quasi tota illorum vita in stans sit transitus ad immortalitatem. Pater coæterne, tu pater es meus naturalis, non adoptiuus; & ego sum verbum, tuus filius natura, non adoptione; video simul te hac morte mea adoptare tibi multos filios; ego pro me inuoco te Patrẽ, simul pro ipsis; fiunt enim fratres mei per tuam diuinam adoptionẽ. Depono in tuas manus spiritum & animam meam: quod depositum à te accepi, Pater, apud te repono, illud breui rursũ recepturus. Depono item in tuas manus, per meas has manus & pedes cruci affixos, animas meorum fratrum omnium, eorum præsertim qui adoptionis tuæ, & meæ fraternitatis gratiam morientes habuerint. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, omnium scilicet hominum spiritus; nam si facio mea omnium mortaliũ peccata, quantò magis eorum spiritus & animas facio! eas per totam eorum viram tibi commendo, tamen præcipuè in eorum omnium morte, vbi finis illis imponitur vel meriti vel demeriti, & imminet iudicium meum. Per hanc meam commendationem peto, vt in gratia tua moriantur, omni pœna liberi, & vincant Dæmonis fraudes vltimas illas & violentias. Peto item vt quæ pollicitus sum Mat.16. adimpleantur omnia, & in his nominatim, vt fides Petri & successorum ne deficiat, sed Ecclesiam confirmet perpetuò; & vt orationibus pijs vim tribuas impetrationis. Illud etiam, vt multi ad perfectionis statum vocentur, & in eo constanter & fructuosè exerceantur, ac sanctè vitam in eo finiant. Venite filiæ Sion, animæ deuotæ, cruci Christi IESV adeste, & de Sion sublimi specula contemplamini Regem vestrum, vestrum Deum, fratrem vestrum in cruce morientem. Nouistis eum vos, scitis lumen esse immensum, virtutem infinitam, gloriam & vitam sempiternam; & hæc esse suprà quàm dicere posseris vel intelligere sublimia: significationem spiritus tamen harum Dei dignitatum, quæ vna est simplicissima essentia infinita & esse, sentitis. Agnoscitis his veritatibus vos sustentari, his niti, quæ vna est res & veritas immensa: & tamen eum qui hæc veritas, hæc res est, videtis in cruce morientem. O mors pessima, quid hîc tibi est iuris? quid in Filio Dei quæris? quid morti cum immortali? quid cum vita sempiterna? & tamen qui Filius Dei es, qui immortalis, qui vita æterna, tu magne IESV moreris; quod non posses, nisi illud assumpsisses vnde posses, & in quo mori posses. O misericordiam tuam omnibus Angelis & hominibus adorandam! Quæsiuisti igitur mortalem naturam, vt quod ex tua natura non poteras pati, id in mortalitate patereris pro nostra salute & vita: tãta fuit erga immeritos tuæ misericordiæ immẽsitas. Alias præ-



Gal.3. 2.Cor.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca



terea addidisti diuinas miserationes tuæ humilitatis;nam ne homo quidem factus pati vel mori poteras , nisi animæ tuæ gloria illa summa ne in corpus influeret cohiberetur: cohibuisti , & fecisti , vt homo cuius anima gloria cœlesti fruebatur excellentissimè mori posset. Ac ne hæc quidem potentia ad actum peruenisset,nisi tu voluisses pati & mori: hoc quoque voluisti. O ineffabiles tuas miserationes benigne IESV! ô infinitam humilitatem ! verè derelictus es, Domine IESV, & à Patre, & abs te; omnia derelinquunt te, vires te deficiunt,sanguis exinanitur, exiccatur naturalis humor , extinguitur calor nativus;hæc augentur è cruciatibus & corporis & animæ vehementissimis: itaque omnia te derelinquunt, præter hæc quæ faciunt vt illa te, & vita derelinquat . O te desolatum magne IESV! O te mœrore & dolore confectum tota nocte & die, & nunc longè afflictissimũ! O mors semper crudelissima, nunc suprà quã dici potest vel intelligi multò crudelior! nescis tu quẽ vita priues, putas purum hominẽ; at non est purus homo IESVS quem tu necas,sed Deus omnipotẽs & homo simul. Eras ô fœda bellua! instigat te Satan vt occidas IESVM,vt pereat vita omnis: atqui deciperis & tu, & abyssi bestia. Peccati rabies vrget vos;coniurastis mors,Satan,& peccatũ aduersus Dominum , & aduersus Christum eius: *Psal.2.* fremuistis furiosè; Deglutiamus insõtẽ quasi *Prou.1.* infernus viuentẽ, omnem pretiosam substãtiam eius diripiamus , implebimus domos nostras,regnabimus mors, Satan, & peccatũ. Verùm hæc insanè cogitastis, inaniter, sine causa,sine effectu; atq; adeò contrarius prorsus effectus extabit.Hæc enim mors tuus erit interitus ô mors; hæc ligabit te in infernoSatan;hæc te,peccatum,delebit & de medio tollet:vos omnes affixos cruci interimet ; expo- *Col.2.* liabit diabolicos principatus & potestates. Te etiam mortem, te peccatum traducet confidenter & palàm,ac triumphabit cum summa vestra ignominia superatos. Deridet vos Deus & subsannat ; & quidem necessùm est incredibilẽ esse vestrã inanitatem,quam nullus pro merito possit deridere nisi Deus. Hæc verò faciet Dominus, sed in ira sua, & vindictam de vobis sumet in furore suo; vt nihil in vobis sit virium,quod quasi subitò perculsum non tabescat atque opprimatur. Verùm, ô magne IESV, video iram hanc in te redundare: exercet enim iram & furorem suũ Pater tuus,sed per cruciatus tuos , & mortẽ crucis. Illa enim Dei ira contra mortẽ , Satanam, & peccatum,non solùm contra hos, sed contra homines exarsit qui illis se coniunxerant , vt simul esset in homines illa persequenda ira; & mors,Satan, peccatũ, essent cum hominibus in inferno sepelienda in sempiternũ. At verò effulsit infinita lux tuæ misericordiæ Pater omnipotens;voluisti hominem liberare,sed absque culpæ satisfactione noluisti;neque voluisti iram illam remittere,sed per illã ipsum liberare: hic autem cùm nihil haberet vnde per iram tuam liberaretur,effudisti eam in Filium tuum,atque in eum voluisti hominum peccata vindicare. Itaque omnes fluctus *Ps.87.* tuos super eũ induxisti, & afflictiones omnes tuas in eum infregisti;sic omnem iram quam in homines conceperas, expleti in Filio tuo IESV.Hæc verò ita fecit,vt nihil remaneret iuris morti, Satanæ, & peccato aduersus hominem ,sed factum est vt nos liberaremur,illa conculcarentur. O immensas tuas passiones & mortem, per quas ad iram Patris fuisti traditus , quibus iræ Dei aduersus genus humanum fuit satisfactum, & omnes omnium hominũ culpæ sunt expiatæ,omnes omnium reatus sunt dissoluti: si quid enim nos dissoluimus,vt dissoluimus , ex tua solutione accipimus vt dissoluere possimus. Erant in oculis Patris tui & tuis vniuersa peccata hominum; pro his omnibus tuæ pœnæ & mors satisfecerunt: nam quũ æterni essent cruciatus subeundi vniuersis hominibus, omnes tamen illos cruciatus in te suscepisti , & pro omnibus solutionem,maiorem etiam quam pro merito illorum peccatorum vel pœnarum repræsentasti.Verè redemptio tua, excelse IESV, infinitæ virtutis est , infinitæ misericordiæ & iustitiæ.Quid potuisti facere pro nobis, benigne IESV,quod non feceris? quod non cumulatè atque infinitè feceris? Quare est nostri animi hebetudo & socordia perpetuò infinita,& ingratitudo. Venisti tu quidem,sancte IESV,ad finem passionũ tuarũ , hoc est ad summos tuos cruciatus cũ morte tua etiã tua voluntate coniunctos; separanda est iam anima tua à corpore suo, & vita tua mortalis deponenda est:refugit hæc anima tua,& corpus tuum horret, auersatur natura omnis; & tamen hoc Pater tuus vult,hoc tu,hoc Angeli,vult Mater etiã tua;moriendũ tibi est. Quis non contremiscat? cuius anima non contabescat & deficiat?Moriatur anima mea, Domine



mine IESV,tecum, veniant in me cruciatus tui omnes,sæuiant in me Tyranni, Hæretici; libenter omnia tormenta deposco per tuam crucem & mortem propter te. Tu Deus omnipotens,iustitia & sanctitas infinita, pro me moreris; & quid ego infelix homo, quid pec- *Ps.1.5.* cator miserrimus nõ debeo pro te pati? Quid tibi retribuã, nisi vt calicem salutaris tollam, crucem meam cum tua? Sed quum hoc non possim nisi de tua gratia & virtute, nomẽ tuũ sanctum inuoco per tuam crucem vt possim: tu si me adiuues,potero crucem meam subire post te.Da, Domine,vt tollam crucem,& cruciatus quales tu voles, ex tuorum imitatione per te & pro te; alioqui ego mereor propter mea peccata crucem crudelem,omnes pœnas promereor. Vtinam fieri posset vt ego pœnas in quibus es,leuare aliqua ex parte possem;sed solus vis omnes pœnas subire, nec socium in passionibus tuis voluisti,nisi qui tuas etiã passiones augeret, Matrem, & paucos præterea. Integra est tua redemptio , tua solius est liberatio generis humani ; at propterea magis tibi compati debemus , qui per solidam tuam passionem dedisti, vt nos etiam tibi compati possimus & debeamus . Mouet autem me tua crux sua virtute , vt non solùm pro meis peccatis pati velim,sed pro aliorum omnium: placet vt omnibus modis quibus pati possum, & quibus hominibus vtilis esse potest mea crux, vt pro illis patiar . Acerbitas tuæ crucis facit , vt nihil mihi videatur esse optatius,nihil iucundius quàm crucem tuam imitari, quum video te in cruce morientem : succurre Domine , adesto Domine, attende, & fac vt hæc voluntas , quæ ex te est concepta , in me augeatur per te. Vim diuinam omnium bonorum posuisti in tua passione & cruce magne IESV, sed peculiarem etiam in tuis verbis quæ è cruce dixisti , & salutarem animarum nostrarum institutionem proposuisti. Nam vbi dixisti; Pater dimitte illis; nesciunt enim quid faciunt : pro nobis etiam orasti & impetrasti benigne IESV; nisi obstaræ gratiæ repugnemus:significasti simul, cũ peccamus,nos te crucifigere,& nostras culpas tamen excusasti, & fecisti vt faciliùs remitterentur : tum aperuisti piorum oculos , vt sciant quanta sit in peccato Dei offensio : & indicasti lucem te per crucem tuam allaturũ, qua luce & Dei maiestas intelligatur,& culpæ in Deum commissæ peruersitas & magnitudo : & planè spem confirmasti remissionis peccatorum , & diuinæ in nos benignitatis; (quis enim non repleatur spe,qui sciat te morientem in cruce pro crucifixoribus Patrem orasse,& pro omnibus peccatoribus?)tum ingentem necessitatem offensiones animę omnes , iniurias , contumelias nobis illatas remittendi nobis imposuisti : simul terribilem comminationem, & metum , & pœnas, si non remittamus, significasti. Dixisti præterea latroni ; Amen, dico tibi , hodie mecum eris in Paradiso : sed priùs tamen illum tua veritate illustrasti , & vt eam contra socium latronem propugnaret fortem fecisti, ac lucem qua cognosceret sua peccata, & confiteretur, dedisti, & vt totam spem in te conijceret: tum verò sanctè illi pollicitus es eodem die Paradisum, & præmium sempiternũ. Docuisti verò nos, vt veritatem tuam, & crucis tuæ virtutem agnoscamus , quum propter peccata affligimur , ac cordi illam imprimamus in te sic validè, vt eam contra omnes aduersarios defendamus , contra etiam omnes mentis hebetudines, ac cordis socordias asseramus ac sentire contendamus; vnde nostrarum actionum prauitates intelligamus , deploremus,& confiteamur; ad te curramus, à te remissionem peccatorum petamus atque speremus , in te omnem spem nostram collocemus. Magno autem mysterio magnum pœnitentiæ sacramentum, bone IESV, hîc indicasti , & diuinam peccatorum absolutionem,& gratiæ collationem; atque ostendisti tantum esse posse pœnitentis dolorẽ,vt absolutio sacramentalis nullã relinquat pœnam persoluendã:non enim pro remissionepœnę post gratiæ infusionẽ patiebatur Latro.O beneficiũ in latronem omni admiratione superius, & à nobis omnibus votis expetendũ atque adorandũ! Insinuas tu igitur, magne IESV, pœnitentiæ sacramentũ per latronẽ, qui per te sacramentũ baptismi repræsentasti tuo sanguinis baptismate, quod tam cupidè semper desiderasti. Loqueris deinde, benigne IESV, Matri, loqueris consobrino Ioanni ; illi, Mulier ecce filius tuus;huic, Ecce mater tua; quibus verbis vitæ perfectionem omnibus proposuisti:nam qui te videt matrem tuã relinquere vt moriaris, quid relinquere nõ debet,vt seculo,& sibi moriatur? Neque tamen hoc ijs solis imitandum exhibuisti, qui statũ vitæ religiosum profiteri volunt , sed omnibus:in tua enim doctrina posuisti, vt patrem *Luc. 14.* & matrem propter te relinquant,& te plus-

Universidad de Deusto
Biblioteca



quam illos amēt, te magis quàm illos sequātur. Omnibus etiam qui vitiorum mortem expetunt, loqueris è cruce bone IESV; Reliqui ego Matrē, illam commendaui Ioanni, & me ad mortem totum conuerti: abijcite vos externos affectus, & omnia seponite quæ retardare vestram hominis veteris mortem possint. Sed quorsum cōmendas, sancte IESV, quos relinquis? Significo nō destitui obligationem erga propinquos naturalem vbi relinquuntur, nec naturalem amorem, nec charitatis affectum, sed impedimentū perfectionis dimoueri. Sed cur consobrino commendas Matrem, huic Ioannem? Quoniam exercitium naturalium affectuum ab ijs qui seculo renuntiant illis ceditur, qui iure in cognatos relictos debent esse officiosi, & quasi demandatur illorum cura per religiosam substitutionem; quasi audiant: mihi mundo est moriendum, vobis curam quam ego gerebam exteriorem relinquo, sequor ego Christi cōsilium, sequimini vos eius voluntatem: en trado in manus vestras patrem meum & matrem, illos meo loco & nomine colite; ego spirituali illos & vos affectu prosequar & oratione. Eisdē porrò verbis aliud nos docuisti, benigne IESV, mysterium excellens & beneficium: quum enim esses ad Patrem ascensurus, nec esses nobis visibilem tuam præsentiam exhibiturus, substituisti tibi apud nos Matrem visibilem, Ecclesiam Catholicā, quæ nos agnosceret filios, nos aleret, nos gubernaret, nostri curam gereret, tua authoritate & virtute ageret erga nos Matrem. Etenim tunc audiuit in Maria Ecclesia tua; Ecce filij tui, fideles mei, fratres mei. His simul erga Matrem Ecclesiam IESVS commendauit reuerentiam, obedientiam filiorum, omnem sanctū affectum & officium; & hoc voluit esse in suo testamento, quod sanguine suo & morte sanciebat & obsignabat. Matri Mariæ item Virgini commendauit, vt Ecclesiæ, & fidelium omnium curam gereret, tanquam suorum filiorum; & quos fratres per crucem faciebat, his vt ad Mariam Virginem tanquam ad matrem accurrerent indixit; atque adeò plusquā ad matrem, ad Matrem scilicet Dei, cœlorum Reginam. Hoc verò quum faciebat, intelligitur Sanctis suis nos voluisse esse commendatos bonus IESVS, & nobis in Sanctos deuotionem & orationem: sed propterea Virginem nominauit, vt illius patrocinium intelligeremus plusquam omnium Sanctorum fore apud Patrem & se acceptissimum, & vnā illam esse Sanctorum omnium instar. Subdis autem moriens IESV; Eli, Eli, lammazabathani; excellentissimum nobis tribulationes patiendi exemplum. Nam vbi profiteris te in tuis cruciatibus à Patre Deo derelictum, doces nos tribulationes quidem passuros, nec morum nostrorum pietatem facturam vt nō patiamur; viam enim nobis ad cœlum ita aperuisti per crucem: sed tamen tu crucē propriam sustinuisti solus, eam nullus potuit ferre, in ea Pater te dereliquit: quæ derelictio peperit nobis, vt consideremus leues fore nostras cruces; eripuisti enim tu nobis vt similes, sed prouentum etiam gratiæ reposuisti, vt non tentent nos aduersitates vel detrimenta plus quàm sustinere possimus: deinde vt ex eis colligamus accessionem donorum, qua promoueamur ad pietatem; & gaudium omne existimemus cùm in varias tribulationes inciderimus. Fregisti, magne IESV, per tuam istam derelictionem aculeum nostrarum omnium tribulationum & desolationū, insuper vim dedisti diuinam vltimis duabus petitionibus orationis quam nobis præscripsisti: per tuam enim hanc desolationem fecisti, vt ne induceremur in peccatū per quascunque tentationes, siue Dæmonis, siue carnis, siue mundi; tum vt à detrimentis horum hostium liberemur. Ingentem vim posuisti, bone IESV, per istud magnum mysterium impetrandi quæ petimus in omnibus orationibus nostris à Patre & à te, per hanc extremam tuam afflictionem & derelictionem. Illud autē vnum verbum quod postea dixisti, Sitio, excellentem nobis cōtulit eruditionē & vim spiritus: nā quum, Sitio, à te audimus, & à moriente audimus, fontem nobis à te cœlestis aquæ diuinum emanare percipimus & nobis donari, vnde vis tibi potum demus. Sitis ergo, benigne IESV, tua dona, quæ nobis meruisti vt illius tuam sitim reficiamus & desiderium, & vis fieri in nobis illa dona efficacia per te, & illis te refici si nos illis cooperemur: aliàs enim sities tu, & nos potum tibi nō dabimus, quum de tua gratia possimus. O ineffabile beneficium! generat aquam

*Mat. 27.*

*Luc. 1.*

*Mat. 5.*

*Psal. 19.*

*Dan. 9.*

*Esa. 12. cap. 55. Rom. 8.*



aquā è cruce Christus, ex illa vult nostra voluntate & operâ potari, dat vim aquæ vt id possimus; vita enim est in illa aqua, gratia Dei est, vita æterna à Christi vulneribus ex illa aqua promanat. O ingratum hominem & infelicem, qui illam recipere nolit, qui illa vti nolit ad tam diuinum mysterium, quique illa sitientem Deum nolit reficere, & sibi salutem & vitam sempiternam adferre! Præscribit itē nobis illud Christi, Sitio; vt sitim, & acre desiderium charitatis, quæ virtus est omnium virturum perfectissima, concipiamus: charitas enim fons est cœlestis, qui in omnes virtutes influit, & diuinas perfectiones ac vires deriuat, de qua omnes virtutes, omnes omnium virtutum actus potant, quæ faciunt animam nostram & potentias cœlestis Christi irriguum. Ingerit idem diuinum, Sitio, orationibus cōstantiam, & singularem acrimoniam petitionum sanctarum, cum summa exauditionis spe coniunctam. Nam & hoc simul sitiebat Christus è cruce, vt nostræ orationes à Patre suo exaudirentur, hoc vehementi desiderio expetebat. Quòd si hoc ita est, vt est, quis non summam fidē & spem in orationibus constituat in Christo, & non connitatur omni studio & diligentia syncerā habere ad Deum orationem, & quæ illis careat impedimentis, quæ debilitare orationem possunt? Sitio Domine, reficias meam sitim, & augeas pie & sancte Domine IESV, per tuam istam diuinam & salutarem sitim. Cōsummatum est, subiunxisti sancte IESV, quibus verbis consummationē & perfectionē tuarū actionum, & finē significasti, & impleuisse te quæ tibi erāt à Patre imperata, quæ de te in sanctis literis cōscripta; & esse præsentē mortē, quam toto animo complectebaris. Quantā, IESV bone, hīc diuinæ eruditionis vim aperuisti! Nā cū cōsummas tuā passionē, dū finē illi imponis, consummatur simul, ac cōsumitur præuaricatio, & finē accipit peccati; in vltimā scilicet suam præuaricationē venit, & concluditur in inferno, & ab eius seruitute homines eripiuntur, atque vindicantur in libertatem filiorum Dei, & spem certā vitæ sempiternæ. Consummas simul, & breuiatum verbū facis super vniuersam terrā tui Euangelij, iudicij tui, & seculorum consummationis. In te, & per te, omnia suam accipiunt consummationem & finem: lex vetus, Limbus & dilatio gloriæ, prophetiæ de te, Satanæ tyrannis, peccati, mortis consummatur. Consummasti legē, & ea repræsentasti quorum erat lex verus figura, euacuasti Limbum, & in secula omnia illum clausisti, ac ianuam Paradisi reserasti; vt nihil sit necessum de cætero expectare, quos à gloria cœlesti aliud nihil impediat. Prophetę alij quicquid de te sunt vaticinati, ea tu impleuisti; simul ea quæ de te Ioannes, quæ Simeon, quæ Anna; iam omnia consummata sunt. tum reipsa, tum in merito tuæ crucis. Diaboli potestas dissipata & euersa est, mors moritur, & paulò pòst erit mortua quum tu morieris: verè omnibus rebus quæ tibi erant implendæ, vel imposita iā est, vel imponitur nūc à te cōsummatio perfecta. Hæc tua magnalia quis explicare possit, & tuum in nos consummationis mysterium quis assequi? Consummatio tua consumptionem facit peccati in nobis, culpæ quidem & pœnæ per baptismi sacramentum, vtriusque item per pœnitentiæ, adhibita etiam nostra satisfactione; quod fuit tuum in nos singulare priuilegium, magnum beneficium; maius etiam, si singularem illam gratiam nō amittamus. Aliæ sunt tuorum Sacramentorum consummationes, sed illa præeminet, in qua mortem tuam sacrificio sancto & sacramēto sacræ Eucharistiæ verissimè repræsentasti, & quotidianam nobis facis & familiarem tuam illam crucis tuæ consummationem, & diuinum fructum passionis & crucis tuæ. Tuam porrò illam peccatorum remissionem quam in cruce perfeciti nobis, ac per pœnitentiæ Sacramentum concilias & applicas clemētissimè, efficis perpetuam consummationem, si vim Sacramenti retinere velimus, & agnoscamus peccati consumptionem per te in nobis semper operari; vt inchoandum nobis semper sit in peccati cognitione, & per hanc in eius contritionē, etiamsi præcedentes contritiones fuerint sufficientes: nam parit peccati cognitio lumē & vim, qua in dies in illius notitiam & odium crescamus. Consequitur alia in nobis cōsummatio; tu enim inseris in nos virtutes tuas, & illarum exercitium continēter in nobis promoues, & vis ad vlteriora nos progredi, & ex quauis consummatione virtutum principium accipere crescendi in tuis donis, quasi nihil antè feciſſemus. Postremò leuas ad te ruorum & mentem & cor, atque de tua benignitate gratificaris tuæ cognitionis & mysteriorum excellens lumen, quod quidem supra facultatem nostram omnē est; quo lumine ita eorum mentē perficis & con-

*Dion. de Eccles. Hier. cap. 3. τέλεται.*

*Eccl. 10. Phil. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſummas, vt gaudio in te & de te exultent & iubilent incomparabili: ſed ſimul intelligunt aliam ex te conſummationem ſperari poſſe & debere, & ſibi ex integro inchoandum eſſe in te quærendo, & in te cognoſcendo & amãdo. O adorandas tuas conſummationes! Has continẽter in nobis operare, magne IESV, donec ampliùs nobis inchoandum non ſit, vbi te videbimus ſicuti es, & conſummata erit in te omnis conſummationis inchoatio, & deſiderium omne. Poſtrema fuerunt tua illa verba ô moriens pro nobis ſanctè IESV; Pater in manus tuas commendo ſpiritũ meũ. Summa hæc ſpes noſtra eſt, excelſum in nos beneficium. His verbis ſimul noſtras animas
*Luc. 23.* Patri tuo cõmendas, bone IESV, & ſpiritũ: geſſiſti enim ſemper perſonam noſtram peccatorum, pateris pro nobis, moreris pro nobis, non ſolùm vt merearis nobis peccatorum remiſſionem, ſed vt in rebus omnibus facias nos Deo commendatos: quæ cõmendatio vt eſſet commendatior, ſimul nos tecum Deo ſpiritum efflans commendas. Sublimem autem ſimul diſciplinam de ſingulari tua benignitate nos doces: nam non commendaſti ſpiritum nominatim Deo Patri, niſi poſtquã conſummaueras iam omnes paſſiones tuas, & mors ſola reſtaret; tuis enim prioribus paſſionibus interficiebatur peccatum identidẽ: vnde docebamur noſtras paſſiones ſubinde, & peccata mortificare: vt verò ad paſſiones tuas ſequuta eſt mors, ita meruiſti, ex mortificationibus noſtris vt ſequatur peccatorum & paſſionum noſtrarum mors & victoria: & ſi de cætero pro huius mortalis vitæ imperfectione rurſum moleſtæ ſint paſſiones vel peccatum, id tamen conari non poſſint quaſi viuæ ſi velimus, ſed quaſi mortuæ. Tibi gloria ſempiterna magne IESV.

EMIS-



# EMISSIO SPIRITVS.

## MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In ciij. imaginem adnotatiuncula.* ciij. 130.

*A.* Excepit clamorem Chriſti emiſsio Spiritus.
*B.* Tenebræ hactenus perſeuerantes à ſexta hora, incipiunt euaneſcere.
*C.* Velum templi ad ſanctæ ſanctorum ſciſſum in duas partes à ſummo, &c.
*D.* Contremiſcit terra.
*E.* Petræ ſcinduntur, &c.
*F.* Monumenta multa aperiuntur.
*G.* Centurio videns quòd ſic clamans exſpiraſſet, glorificat Deum.
*H.* Omnis turba videntes quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.
*I.* Capiunt ſanum conſilium Iudæi, vt crucifixis crura frangantur.
*K.* Mittunt ad Pilatum qui petèrent vt crucifixi fractis cruribus tollerentur.
*L.* Franguntur alijs crura.
*M.* Vnus militum lancea latus IESV aperuit.
*N.* Stabant longè omnes cognati, & mulieres.

## MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

[a] *emiſit ſpiritum.*
*Et ecce velũ tẽpli ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſq; deorſum:* [b] *& terra mota eſt:* [c] *& petræ ſciſſæ ſunt:* [d] *& monumẽta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de monumẽtis poſt reſurrectionẽ eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.*
*Centurio autem,*

[a] *exſpirauit.*
*Et velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo vſq; deorſum.*
*Videns autem* [e] *Centurio qui ex aduerſo ſtabat,*
*quia ſic clamans expiraſſet,*
*ait;*
*Verè*
*hic homo filius Dei erat.*

*exſpirauit.*
*Videns autem Centurio*
*quod factum fuerat,*
*glorificauit Deum,*
*dicens;*
*Verè*
*hic homo iuſtus erat.*

*& qui eum eo erãt cuſtodientes IESVM, viſo terræmotu, & ijs quæ fiebant, timuerũt valde, dicentes; Verè filius Dei erat iſte.*

[a] *tradidit ſpiritum.*
*Et omnis* [b] *turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXVII. | MAR. XV. | LVC. XXIII. | IOAN. XIX. |
|---|---|---|---|
| *Erant autem ibi [D] mulieres multæ à longè, quæ sequutæ erant IESVM à Galilæa, ministrantes ei:* | *Erãt autẽ & mulieres* | *& mulieres* | |
| | | *quæ sequutæ eum erant à Galilæa,* | |
| | *de longè aspicientes:* | *hæc videntes.* | |
| *inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.* | *inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome; quæ, cũ esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei: & aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.* | | |

*Iudæi [E] ergo quia Parasceue erat, vt nõ remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) [K] rogauerunt Pilatũ, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem [L] fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cũ eo. Ad IESVM autẽ cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, nõ fregerunt eius crura: sed vnus militum [M] lancea latus eius aperuit: & cõtinuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimoniũ perhibuit, & verũ est testimoniũ eius. Et ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis: Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit; Videbunt in quem transfixerunt.*

## ADNOTATIO.

*A. EXcepit clamorem Christi capitis inclinatio, & emissio spiritus: illud verò fuit tẽporis punctum, quo precium redemptionis solutũ est Patri Deo pro omnium mortalium peccatis. Ibi planè cõsummata omnia, ibi victoria reportata est de mundo, Diabolo, peccato, inferno. Quò conceserit Christi anima proxima adnotatione dicetur; nunc de ijs quæ contigerunt super terram mortuo Christo. Illud autem primo est animaduertendum, separatam quidem animam Christi fuisse ab eius corpore in morte, nec fuisse Christum hominem in triduo mortis suæ, fuisse tamen verbum tum animæ, tum corpori vnitũ hypostaticè; vt verè dicamus Christi latus apertum in cruce, Christum sepultum, Christum ad inferos descendisse, ab inferis sanctorum animas eripuisse; cùm illa fecerit in corpore Christus, hæc in anima. Fuit autem hæc seiunctio excellentissimæ animæ à corpore perfectissimo (per tãtũ cruciatũ præsertim) acerbissima: nã cùm explicari vix possit intima illa animæ & corporis vnio, quid censemus in Dei hominis anima & corpore fuisse? Suauissimè quidem illud corpus sanctissimũ fouit triginta tres annos beata Christi anima, corpus summa fuit illi inclinatione & iu-*



*& iucunditate coniunctum & obsequens; hanc coniunctionem seiungi, voluntate quidem Christi, violentia tamẽ pœnarum, fuit longè amarissimum, & omni dolore plenum: sentiunt autem Dei mortem, & deplorant omnia.*

*B. Cælum iam tertiam horam obtenebrato Sole, Luna, atque stellis lugere cùm perseueraret, redit paulatim ad solitam lucẽ, incepit enim cessare Eclipsis.*

*C. Templum interius, velum non sustinens, prodit quæ erant obtecta & abstrusa antea semper: fuit enim expirante animam Christo velũ quo sancta a sanctorum obtegebantur, à summo deorsum vsque in duas partes discissum.*

*D. Terra ferre nõ potuit eum mori qui ipsam* Ps. 41. *creauit, & tribus digitis molem terræ appendit; subsultat enim, ac veluti tremore concutitur.*

*E. Petræ duritiem suam oblitæ, quasi dolorem suum explicantes discinduntur, & in his marmoreæ columnæ: toto aëre diffugiunt consternatæ volucres: mare ad terræ totius commotionem exæstuat, pisces turbantur: neque verò infernus non sentit Christi mortem. Nam cùm omnes Passionis Christi articulos per Angelos internuntios cognouissent patres in Limbo, & scirent aliud nihil esse reliquum, quàm vt inclinato capite spiritum traderet, vidētes terræmotum, intelligunt eo ipso temporis momento exhalare animam Christum: commouentur & dolent, vt ad singulas Christi pœnas fecerant: verùm nulla mora intercedente venit ad illos anima Christi, & fuerunt omnes æterna gloria repleti. Et hæc quidem Sancti sentiunt in inferno.*

*F. Multorum præterea sepulchra & Hierosolymis, & tota Iudæa aperiuntur, quod fuit indicium proximæ resurrectionis multorum: non enim ante Christi resurrectionem ex eis quisquam resurrexit.*

*G. Hæc cum fiebant prodigia inaudita, omnes quot quot aderant vehemens timor inuasit, Centurionẽ præsertim & milites; qui his signis perterrefacti, & animaduertentes quòd tam valide clamans animam exhalasset, profitẽtur filiũ Dei, dant gloriam Deo, prædicant constanter iustum esse hominem IESVM.*

*H. Omnis præterea turba populi & mulierũ, quæ ad spectaculum ex vrbe conuenerat, tacta religione & stupore, ac tundens præterea pectora domum reuertitur: Satã aufugit confutatus & victus.*

*I. At Iudæi, expleto iam tandem suæ malignitatis desiderio, videntes portenta, non desinunt tamen sæuire in IESVM. Vide, obsecro, pharisaicam & subdolam pessimorum hominum hypocrisim: authorem legis interficiebant nefariè, & legis tamen zelum cum singulari vanitate præseferebant, excolantes culicem, camelum deglutientes. Sabbatum, inquiunt, & magnũ quidem Sabbatum est, in quo duo festa concurrunt, & Paschæ, & septimæ diei celebritas ordinaria; non decet Sabbato remanere corpora in cruce. Et hæc quidem erat ipsorum simulatio, re autem vera aliò spectabat eorum crudelitas & malitia; vt si fortè mortuus non esset IESVS, prorsus fractis cruribus interiret per cruciatũ & atrocem infamiam: vel si nõ statim fractis cruribus moreretur, vt ita proijceretur, quemadmodum alia solebant damnatorum corpora, cum summa ignominia & acerbitate.*

*K. His constitutis adeunt ad Pilatum aliqui ex Iudæis, ducunt secum milites nonnullos, petũt vt crucifixorum crura frangantur & tollantur, ne Sabbatum contaminetur, sed suam authoritatem retineat: concedit Pilatus.*

*L. Cũ reuertissent, reuereti IESVM milites alios adeunt primùm crucifixos, & eorum crura frangunt, non enim erant adhuc mortui: ad IESVM verò venientes, explorarũt priùs an animã exhalasset: quod cũ cõperissent, eius crura nõ sunt ausi contingere: etiamsi Iudæi frangi cõtẽderent, plus tamẽ valuit apud milites communis humanitas, quàm Iudæorum atrocitas. Neque verò illud poterant, nec Deo cõtradicente os vllum illi confringere poterat quisquam.*

*M. Sed Dei mysterio factum est, vt arrepta Longinus miles lancea latus eius punctim aperiret, ferro inter costas à dextro latere ad cor adacto. Itaque nõ latus solùm, sed cor ipsum Christi IESV aperuit; ex quo vulnere continuò, & verus sanguis, & aqua vera fluxerũt, ex quibus sacramẽta, ex quibus Virgo Mater Ecclesia formaretur, vnde perfugium omnium tribulationi pateret & afflictioni. Quis enim nõ omni confidẽtia ad cor Christi apertũ adeat? Quis in eo petræ Christi foramine nõ suauissimè ac tutissimè suã spẽ, salutẽ, & vitã collocet? Recipe nos, Christe IESV, ad cor tuũ, quod etiã nũc habes in gloria cælesti apertũ, ex corde tuæ volũtatis & virtutis, vt simus, viuamus, operemur ad gloriam nominis tui sempiternam. O felicem animam, cuius cor illa IESV Christi lancea transfigi cõtingit, & sub cruce illum sanguinis fluxum, illud aquæ excipere fluentum, illis fontibus rigari ac mundari, illinc potari ac pasci, illinc crescere in perfectam Christi IESV imitationem! Et vulnus quidem inflixit Longinus ad humanitatem spectans;*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*spectans; vt si fortè mortuus nõ esset IESVS, absque cruciatu vt extemplo moreretur: nõ caruit illud tamen summa impietate, etiamsi nihil sentiret doloris corpus; inferebatur enim vulnus illud Christo, inferebatur Deo in corpore: & tamen adorandũ vulnus vertit Deus in sacrosancta ac diuina mysteria.*

*N. Adstiterat ad crucẽ IESV Maria Virgo Mater, cum Ioanne, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene; recesserat tamẽ postquam mutuam illam commendationem ab eo audierat: longè dein astabat cum omnibus notis, & cum mulieribus, Maria Magdalena, & sororibus Maria Cleophæ, & Maria Salome, & alijs quæ Christũ fuerant à Galilæa vsque sequutæ. Omnes aduertebant quæ gerebantur & obseruabãt, neq; quoquã discedebant, expectantes vt corpus IESV mortuũ curarent. Erant quidem omnes in summo mœrore ex morte Christi; spe tamen magna & suam, & aliorum mœstitiam solabatur Virgo Mater, quòd videret filiũ de morte, Diabolo, peccato, inferno triumphare, in Limbum solicitis patribus Paradisum & gloriam cœlestem intulisse, & breui esse gloriosè resurrecturum.*

## MEDITATIO.

MAgnis indicijs è cruce ostẽderas, benigne IESV, nobis tuæ erga nos volũtatis magnã propensionẽ; nunc verò motu etiã ipso, & capitis inclinatione idẽ cõfirmas. Inclinas ad nos caput, & si quidẽ totus es caput nostrũ, rotũ te ad nos inclinas, ad bene & diuinè de nobis merendũ. Quũ autẽ ea inclinatione animã ponas, clarè significas pro nobis vitã te ponere, & id nutu capitis tui diuini demõstras: tradis verò spiritũ Patri & reponis, quẽ tua volũtate ponis pro ouibus tuis. Porrò in separatione animæ tuæ à corpore terminantur omnes tui dolores & cruciatus, absorbet illos mors tua, & simul mortẽ ipsam & peccatũ abolet. Hoc verò fuit præcipuũ tẽporis momẽtum, quo moriẽte creatore, quasi se destitui sentiret, contremuit & turbata est creatura vniuersa; & quem in tota passione Christi sentiebat luctum, hoc tẽpore expressit. Neque enim nõ senserũt suo luctu Angeli eum mori, qui est ipsorũ vita æterna; sensit Virgo Mater mortẽ filij Dei dolore vehemẽtissimo, vehementẽ doloris sensum discipuli habuerunt, & sanctæ mulieres; suũ quotquot pietatẽ aliquã ex Christi doctrina & miraculis retinebant. Verùm quãuis esset dolor hic summus, erat tamẽ passionũ omniũ Christi postremus; quas passiones excipiebat animæ gloria, sequebatur gloria animarũ omnium quæ in Limbo detinebantur; dissoluebatur precio humanæ captiuitatis, & conficiebatur mortaliũ redẽptio; repræsentabatur peccatorum nostrorũ mors, & sensuũ mortificatio, mẽtis in Deũ leuatio & absorptio, qualẽ seruis suis Christus gratificari solet. Miseros nos si ad hæc nõ mouemur, miseriores si hãc miseriã animo nõ cognoscamus & nõ deploremus. Vim mortis Christi sentiunt cœlũ, aër, mare, terra, sepulchra, & quæ sub terra sunt; illã si nos nõ sentimus, si nihil supra nos leuamur, sumus insensatis elementis stupidiores, & nostra socordia plusquã mortui: & hæc quidẽ nostra insensibilitas eò nocentior est, quò nostra volũtate fit & ignauia. Vel Cẽturio & qui cum eo erãt, nos mouere deberent ad sensum mortis Christi; hi enim plus erant quàm terra, plus quàm petræ & quã monumẽta, infideles enim erãt & idololatræ; & tamen audito Christi morientis clamore, visis quæ fiebant, agnoscũt IESV diuinitatem ac profitentur. Fregit clamor Christi eorũ corda petris duriora, mouerũtque fiebãt signa illorũ animũ, expugnarunt infidelitatẽ; & nostrę fidei nõ cõmouebunt imperfectionẽ, & cordis duritiẽ nõ emollient? Postremò quis nõ se cõiungat turbæ? omnis enim turba eorũ qui aderãt, & videbãt quæ fiebãt, percutientes pectora sua reuertebãtur. Clama, Domine IESV, in corde nostro illũ clamorẽ. Clamaui, & cõtinenter clamo, & nõ auditis. Adde, magne IESV, vim, & nostras ad te audiendum rebelles compelle volũtates; signa tua in nos exere, velũ nostrarũ cæcitarũ disrumpe, cõcute nos timore tuo salutari, discinde cordis duritiẽ ac dissipa, sepulchrũ aperi animæ nostrę, vt peccata nostra suũ fœtorẽ exhalent, vt per eorum confessionem ad salutem cõtẽdamus. Compelle Domine, cõpelle nos ad te, vt nobis erit fructuosius & tu voles. Cõiunge verò vulneris quod mortuus accepisti, piũ & deuotum cordis nostri sensum: penetrauit illa lancea diuinum cor ruum, penetret per te lanceę viscera cordis mei, tum me continenter & timore tuo, & aculeo compunctionis intimæ, & charitatis tuæ traijciat. AMEN.

*Ephes. 1. & 4.*

*Ioan. 10.*

*Luc. 23.*

QVAE



# QVÆ GESSIT CHRISTVS DESCENDENS AD INFEROS.

ZACH. IX. ECCLE. XXIIII. AD EPHES. IIII.

*In ciiij. imaginem adnotatiuncula.* ciiij. 131.

*A. Christi anima, nulla mora interposita, in Limbum Patrum venit.*
*B. Omnium sanctorum Patrum animæ animam IESV supplices venerantur.*
*C. Anima latronis paulo post mortui portatur ab Angelis ad Limbum.*
*D. In Limbo infantum nulla pars huius lætitiæ.*
*E. E Purgatorio multæ animæ liberantur, quod significant radij lucis inde ad Limbum Patrum prodeuntes.*
*F. In Inferno inferiori Lucifer cum suis, ipsoq; Iuda, grauiter fremit.*

## ADNOTATIO.

*A. MOrtuo Christo, nulla mora interposita eius anima fuit vsquequaque beata, quod fecit meritum eius passionis & mortis; quam enim gloriam animæ Christi cohibuerat Deus, ne in eius portionẽ animæ inferiorem & corpus deriuaretur (neque enim aliter corpus labores perferre potuisset & mortem) eam merito Christi per mortem relaxauit, vt in animã prorsus redundaret, & postea in corpus. Extemplo affuerunt ad celebrandum Christi triumphũ innumerabiles Angeli è cœlo, affuerunt omnes Angeli tutelares earum animarum quæ in Limbo Patrum, quæue in Purgatorio erant; neque enim illarum curam adhuc deposuerant sui Angeli. Hoc comitatu cum summo triumpho & gloria anima Christi ad Limbum Patrum descendit è cruce per mediam terram, clamãtibus præcursoribus Angelis; Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Sciebant quidem Patres, sciebant qui erant in Limbo omnes venturum Christum, eo etiam ipso temporis momento ipsum expectabant: verum ad subitum eius aduentum, ad eius præsentiam & conspectum, ad eius maiestatem & gloriam, ad Angelorum Christum collaudantium celebritatem primũ admirantur, deinde omnem præteriti temporis & expectationis molestiam deponunt atque obliuiscuntur. Suauissimè illos salutat Christus; Ecce quẽ tot secula tanto desiderio expectastis, en adsum Deus vester & Dominus, salus & vestra & omnium, vici ego per mortẽ meã mortẽ ipsam, Diabolum, infernum, peccatũ; en repleo vos omni gaudio & lætitia: accipite elaborum vestrorum præmium gloriã sempiternã. Completur Limbus splendore diuino, replentur omnes cœlesti gloria, sit in inferno Paradisus. Describitur autẽ forma quidẽ humana Christus, verùm absque musculis, & absque capillis, pilis vel barba; vt significetur anima illa esse, nõ corpus; repræsentari verò illa figura propensionem animæ ad corpus.*

*B. Omniũ sanctorũ Patrũ animæ simul genua ante Christũ summittũt, adorãt maiestatẽ, gratias agunt immortales, dant Christo gloriam sempiternã, exultãt inæstimabili suauitate & consolatione, accipiunt gloriã Paradisi æternã.*

*C. Mortuus quidẽ est primùm Christus, dein sanctus latro; huius anima in Limbum & Paradisum ad Christum ab Angelis deducitur, recipitur læto aspectu à Christo, replet item hanc æterna gloria, munerat Paradiso, vt paulò antè à Christo audierat futurum: salutant illam Patres: collocatur inter Sanctos modò, qui fuerat crucifixus propter flagitia sua latro.*

*D. In Limbo infantum puerorum nihil horũ quæ in superiori orbe gerebantur intelligitur, nihil sentitur; perseuerant in sua vita, & naturalium rerum quadam contemplatione animulæ illæ, nihil amplius capiũt, nihil appetũt: sunt tamẽ in sua illa animorũ naturali occupatione miseræ, vt quæ sempiterna gloria perpetuò priuẽtur.*

*E. Quæ purgabãtur animæ in suo orbe & igne, intellexerũt per internuntios Angelos quæ in Limbo Patrũ gererentur; Christi præsentiã sentiebant supernè, augebatur eorũ salutis & liberationis cupiditas, viuaciori fide, spe, & charitate in Christũ ferebantur, singularem inde accipiebãt consolationẽ, imminuebatur aliqua pœnæ portio; liberantur etiã si quæ eo tẽporis momento suã expleuerant purgationẽ. Et quandoquidẽ verisimile est impensius Christo preces obtulisse pro illarum animarum liberatione sanctos Patres, nõ erit alienũ piè credere non quidẽ omnes, sed certas, quas orationibus Patrum dedit*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dedit Christus, aliis præterea, quæ eximio Christi aduentus desiderio cum erant in viuis tenebantur, fuisse à suis pœnis liberatas.*

*F. Qui cruciabantur in Inferno tetri Dæmones, & sceleratorum hominum animæ, & inter has Iudæ Iscariotæ, sentiunt primùm ex profundo barathro per magnum chaos Christum & eius celebritatem, & se ab eo confutari potentissimè: fit hic illis sensus longè acerbissimus ; horrent, execrantur, blasphemãt Christum, eius gloriam abominantur, atrociori furore & rabie corripiuntur, implent omnem infernum horrendis stridoribus, & omni rerum confusione. Non augebatur quidem essentialis Dæmoniorum, vel damnatorum hominum pœna, sed accidentalis; incrementum enim accipere possunt, & accipiũt frequenter accidentales cruciatus. In medio, id est in vltima profunditate inferni teterrimum Satanam, malignorum omnium spirituum principem vide, igneis vinculis colligatum, horrifico fremitu sæuientem contabescere ; quòd eius vires atque malesicia sint retusa atque debilitata. Hæc in inferno gesta sunt donec illic fuit Christus, hoc est horis circiter quadraginta.*

## MEDITATIO.

INcipis, excelse IESV, victoriam tuam celebrare, & triumphum agis iam primum de
*Ps. 106.* Inferno, portas eius cõteris, & vectes ferreos
*Esa. 45.* confringis; vt educas in sanguine testamenti
*Zach. 9.* tui vinctos de lacu, in quo non erat aqua aliqua afflictionis, præter eam quam dilata spes
*Ibidem.* gloriæ efficiebat; & propterea per Prophetam tuum dixisti eos vinctos spei, atque adeò iam per tuam præsentiam eduxisti illos de lacu, quum dedisti illis gloriam sempiternam in Limbo, & fecisti vt locus ille lacus non esset, sed Paradisus. Attulisti Inferno exitium ; hic
*Osea 13.* enim fuit morsus tuus Inferne, colligasti Satanam serpentem tortuosum, dedisti salutem multis animabus quæ purgabantur, felicissimas fecisti triginta nouem horas, & principiũ quadragesimæ in Inferno. O beate te Inferne, qui tot beneficia à Christo accipis; inuitas me vt ad te viuens descendam mea meditatione, & non solùm in Limbum Patrum, sed in Infernum inferiorem & extremum. Ad Limbum verò non simplici tantùm meditatione, sed vt celebrem etiam stationem Christi illã, quam ibi habuit gloriæ cælestis plenam, splẽdidissimo & Angelorũ, & beatarum animarũ conuentu frequentissimam ; & adorem vbi fuit Christi anima, & Christus ipse, vbi gloria cęlestis, & Paradisus Dei : sed video oportere mortuum me eò venire vt Christus venit, vt Sancti. Fac igitur Domine IESV, si vis, moriar, vt eò veniam; sed non vt Patres primùm fuerunt, sed vt tecum : tunc enim planè fruar illa statione, illo loco, illius loci mysterijs; vnde in cælum ascendam postea vocante te. Hoc si non das bone IESV, (quod etiam ego verecundè peto propter indignitatem meam) illud saltem concede, obsecro, ad hanc stationẽ tuam piè celebrandam, vt meis viuijs & sensui moriar, & lucem mihi vitæ tribuas, qua possim tuam illam in Inferno gloriam fructuosè contemplari, & pijs orationibus prosequi & laude tua. Verùm hac etiam gratia intelligo me indignũ propter peccata & imperfectiones meas multas & malas: postulo igitur ex te, Domine, per tuum hoc mysterium, vt frugifera illa cogitatione cor meum muniatur; primò vt ex contemplatione mearum culparum dignum me esse cognoscam, & sentiam, & cõfitear omnibus pœnis inferioris etiam Inferni, non solùm Purgatorij: quo timore perculsus ad te confugiam è toto corde meo, mẽte, anima, viribus, & peccatorum meorum pœnitentiam agam tam acrem, ac si è pœnis illis essem liberatus, & spatium parui temporis accepissem ad mea peccata deflenda & expurgãda tuo beneficio. Quod cùm fecero, illud præterea adde bone IESV, vt de tuo & syncero amore ita ardeam, vt non huius seculi solùm pœnas omnes & martyria pro tuo nomine pati magna voluntate deposcam, sed etiam quas tu præterea voles, modò ego semper in te, & tua gratia conseruer, & tua virtute protegar. Amen.





# DE DEPOSITIONE CORPORIS CHRISTI E CRVCE.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*In cv. imaginem adnotatiuncula.* *cv. 132.*

*A. Venit ad Pilatum Ioseph ab Arimathia audacter, & petijt corpus IESV.*
*B. Venit Nicodemus cum vnguento, & Ioseph cum sindone ad crucem.*
*C. Deponunt corpus IESV summa cum pietate & dolore.*
*D. Arimathia oppidum.*
*E. Locus sepulchri cum vestibulo.*

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

*Cùm autem serò factũ esset,*

*Et cùm iam serò esset factum, quia erat parasceue, quod est ante sabbatũ,*

*Post hæc autem*

*venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Ioseph,*

*venit*

*Ioseph ab Arimathia*

*Et ecce vir*

*nomine [a] Ioseph,*

*nobilis Decurio,*

*qui erat Decurio, vir bonus & iustus;*

*qui & ipse discipulus erat IESV.*

*hic non consenserat cõsilio & actibus eorum, ab [a] Arimathæa ciuitate Iudææ, qui exspectabat & ipse regnum Dei.*

*Hic accessit ad Pilatum, & petijt*

*qui & ipse erat expectans regnum Dei:*

*& audacter introiuit ad Pilatum, & petijt*

*ad Pilatum, & petijt*

*rogauit [a] Pilatum Ioseph ab Arimathia (eo quòd esset discipulus IESV, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus IESV.*

*corpus IESV.*

*corpus IESV. Pilatus autẽ mirabatur si iam obijsset. Et accersito Cẽturione, interrogauit eum si iã mortuus esset. Et cùm cognouisset à Centurione,*

*corpus IESV;*

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Tunc Pilatus iussit reddi corpus.* | *donauit corpus Ioseph. Ioseph autē mercatus sindonem,* | | *Et permisit Pilatus.* |
| *Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda.* | *& [e] deponens eum inuoluit sindone,* | *& deposítum inuoluit sindone.* | *Venit ergo, & tulit corpus IESV. Venit autē & [b] Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primū, ferēns mixturā myrrhæ & aloës quasi libras centum.* |

## ADNOTATIO.

*A. ERat in Limbo cum Patribus Christus, agebat cœlestem in Inferno conuentū, abierat militum multitudo è Golgotha, Iudæi abscesserant; reliqui tamen erant aliqui obseruatores. Erat corpus IESV de cruce deponendū, id prouiderat Christus ex cruce: incitat diuitem & nobilem Decurionem Iosephum ab Arimathia, virum bonum & iustum. Discipulus hic quidem erat IESV, verùm propter metum Iudæorum occultus; expectabat enim per Christū redemptum iri Israël: neque verò actibus, consilio, & impietati Iudæorum consenserat, neque ad Golgotha accesserat, sed cùm ab Iudæorū scelere abhorreret & maleficio, domi se continebat expectatione rerum suspensus. Vbi autem vidit primùm solis defectionem, dein terræmotum sensit, sepulchra Sanctorum aperta audiuit, petras scissas, ac reliqua signa quæ è cruce fecerat Christus, & postremò mortuum intellexit; abiecto timore audaciter venit ad Pilatum, & ab eo petijt corpus IESV, vt liceret sibi auferre & sepelire. Quod facilè illi permisit, ac corpus donauit Pilatus, vbi ab accersito Centurione audisset mortuum, ac reddi imperauit; & ne quis intercedere vel impedire posset, cauit edicto.*

*B. Vel condixerant Ioseph & Nicodemus, vt vnus ad Pilatū adiret pro facultate corpus IESV sepeliendi impetranda, & sindonem mercaretur, alius vnguentum pararet atque afferret; vel prouidentia hoc factum est diuinitatis. Itaque diuisis officijs opportunè Iosephus cū facultate à Pilato & sindone, Nicodemus cum libris centum vnguenti ex myrrha & aloe, cōuenerūt ad demittendum de cruce corpus IESV. Porta igitur Iudiciaria veniunt ad Golgotha cum Centurione, qui facultatem faceret auferendi corporis ex Pilati imperio, & repelleret si qui impedire vellent; ferunt secum vas vnguenti, & scalas.*

*C. Deponunt corpus quàm maxima possunt reuerentia atque honestate: vide vt clauos cum summa cordis acerbitate paulatim extrahunt cruentos, vt coronam è capite eripiunt sanguine Dei conspersam. Expectat Virgo mater gremio filium acceptura, discipuli tenent pedes ac subleuant, vt facilius summittatur; omnia tamen adhuc plena sunt tristitia ac fletu. Maria tamen dolorem suum ex morte & absentia filij conceptum, magna spei constantia non mediocriter consolatur; contemplatur gloriam Christi in Inferno, diuinitatem in corpore: alij adhuc fluctuant, non tam retinentes resurrectionis Christi memoriam, quàm præsentia mortis perturbati.*

*D. Arimathia, oppidum vbi erat Decurio Iosephus; hæc est Ramatha, siue Ramathaim Sophim, Samuelis patria, vbi vixit, vbi mortuus & sepultus est; ab Hierosolymis viginti miliaribus ad occidentem versus Ioppem.* 1. Reg. 1.

*E. Sepulchrum, & hortus Iosephi, vbi cogitant Christum sepelire, & postea sepelierunt.*

MEDI-



## MEDITATIO.

MVtata sunt omnia, magne IESV, per mortem tuam; antea ab omnibus patiebaris, nunc à nullo potes: omnia verò ad gloriam tuam commutantur, omnia tibi obsequuntur pro Patris & tua voluntate. Petijt Iudæorum malignitas à Pilato vt frangerentur crura etiam IESV, sed nō est consequuta: illud consequutum est, quod ad magnum mysterium tuæ Ecclesiæ pertinebat, vt è latere tuo sanguis & aqua flueret. Cur non petijstis vos corpus IESV, ô Iudæi, vt saltem sæuiriam vestram in mortuum atrociorē expleretis? Non potuistis etiamsi velletis, nec id vobis concessisset Pilatus, quia nihil horū voluit Christus, nec potuit quicquam fieri nisi ipso volente. Illud voluit Patris sapientia IESVS quod redūdaret in gloriā Dei; à Iosepho discipulo, ab eo qui expectatione regni Dei tenebatur, vt peteretur corpus suū adorandum, vngendum, reuerenter sepeliendū. Et huic quidem, qui occultè ac timidè erat discipulus, vires fecit, vt magnanimiter audaret postulare; petijt, obtinuit. Quæ audacia, quæ magnanimitas, & timoris contemptus & periculi ad nos attinet, qui in virtutum exercitijs nostrā vmbram timemus, tardi sumus ac desides, nec vim quæ nobis semper est præsto à Christo, atque adeò pulsat ad ostiū cordis nostri, recipere volumus, neque ad alia huius depositionis Christi mysteria oculos nostræ mentis aperimus, quæ sint nobis salutaria. Noluit descendere Christus de cruce viuus, voluit mortuus deponi: qua ex re intelligimus, nobis esse semper crucem tenendam, donec viuunt in nobis peccata; quæ si viuunt, vel reuiuiscunt semper donec mortale hoc induerit immortalitatem, quotidie est nobis crux suscipiēda pœnitētiæ, & exercenda, neque expetendū vt de cruce deponamur, nisi quemadmodum Christus consummata tota cruce & passione sua voluit à cruce deponi. Animaduertere autē illud oportet summa cum animi deuotione & cordis contritione, fuisse nos qui peccatis nostris Christum crucifiximus, & vtinam ampliùs nō crucifigeremus! esse item qui illum de cruce deponimus, vbi pœnitentiam agimus, & crucem nostram baiulamus; quod auidissimè facere debemus, & faciemus maiori cū fructu, gesta Ioseph & Nicodemi in spiritu si imitemur. Nostra enim peccata clauí fuerunt qui tenuerunt Deum crucifixum; eos nos euellemus è corpore Christi, si eius clauos sanguine Dei imbutos cordi nostro intimo spiritus sensu infigamus, quibus nostros peccatorum aculeos extrudamus. Cruentos Christi clauos semper in corde retineamus, vt Christum è cruce demittamus, ad eum per gradus orationis ascendamus, clauos, & omnes eius passiones, & mortem deosculemur & adoremus; eā factam consummatamque esse profiteamur, ampliùs non posse mori Christum, confecisse nobis vitam sempiternam: illum complectamur, pectori & intimis visceribus applicemus, illum à nobis nunquam separemus. Amen.

Luc. 19.

1. Cor. 15

Luc. 9.

# DE CHRISTI SEPVLTVRA.

EISDEM CAPP.

*In cvi. imaginem adnotatiuncula.* cvi. 133.

A. *Pie meditamur depositum è cruce filium gremio Matris exceptum, quod non exprimit imago.*
B. *Stratū corpus super planum lapidem vngunt, obuoluunt sindone & sudario*
C. *Sepeliunt in horto & sepulchro Ioseph, sepulchrum lapide occludunt.*
D. *Mulieres obseruant vbi ponatur.*
E. *Maria Virgo mater cum mulieribus redit domum.*
F. *Iudæi impetrant à Pilato vt adhibeatur custodia sepulchro.*
G. *Veniunt ad sepulchrum, obsignant illud publico signo, apponunt custodiam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MATTH. XXVII. | MARC. XV. | LVC. XXIII. | IOAN. XIX. |
|---|---|---|---|
| *Inuoluit illud in* [b] *sindone munda,* | *Inuoluit sindone,* | *Depositū inuoluit* [b] *sindone,* | [a] *Acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondū quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, posuerunt IESVM.* |
| *& posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.* | *& posuit eum in monumento quod erat excisum de petra;* | *& posuit eum in* [c] *monumento excisō, in quo nōdum quisquā positus fuerat.* | |
| *Et aduoluit saxū* [c] *magnum ad ostiū monumenti, & abijt.* | *& aduoluit lapidem ad ostiū monumenti.* | | *Et dies erat Parasceues, & Sabbatum illucescebat. Subsequutæ autem mulieres quæ cū eo venerāt de Galilæa, viderunt monumentū,* |
| *Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria,* [d] *sedentes cōtra sepulchrum.* | *Maria autem Magdalene & Maria Ioseph* [d] *aspiciebant vbi poneretur.* | | *& quemadmodum positum erat corpus eius. Et* [c] *reuertētes parauerunt aromata & vnguēta: & sabbatho quidem siluerunt secundū mandatum.* |

[a] *Altera autem die quæ est post Parasceuen, cōuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes; Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrū vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi; Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam; ite, custodite sicut scitis. Illi autem* [a] *abeuntes, munierūt sepulchrum, signantes lapidem, cū custodibus.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

A. Pie possumus meditari depositum è cruce Christum Mariam Virginem matrē gremio excepisse (quod non potuit exprimere imago) & summa cum animi sui partim mœstitia, partim deuotione fouisse, oculis omnia vulnera lustrasse, manibus contrectasse ac demulsisse, lachrymis irrigasse, pauisse animum hinc compassione, illinc suaui ac pia resurrectionis expectatione. Circūstantes mulieres ac discipuli quoad licuit, Magdalena præsertim, animum pijs officijs & deuotione explent; renouatur luctus. Habet diuinam orationem Virgo Mater de eius morte ad filium; præsentes attentissimis auribus audiunt: finem facit Virgo Mater dicendi, faciunt alij, ostendit illa velle vt statim sepultura mandetur inclinante iam die ad vesperū, auferetur ab eius gremio.

B. Sternunt corpus IESV super planum & oblongum lapidem qui in priori antro ante sepulchrum iacebat, qui adhuc à peregrinis lapis vnctionis appellatur; ibi decenter vngendum collocant. vngit caput virgo Mater, vngūt corpus Iosephus & Nicodemus subseruiunt mulieres & discipuli. Vngebant quidem ipsi corpus Christi; vngebat verò Christus eorum animos, & cœlesti suauitate & gratia deliniebat. Vncto Christo, quod ad honestatem fieri Mater intelligebat & reuerentiam, non ad rei necessitatem, (quamuis alij ferè non percipiebant necessariam non esse illam vnctionem, quòd plenam fidem resurrectionis tot Christi supplicijs, morte, sepultura occupati ac perturbati non tenebant) obuoluitur corpus sindone, obtegitur caput sudario, colligantur hæc fasciolis de more funeris.

C. Iuxta locum vbi cruci affixus fuerat IESVS ad lvi. cōmunes passus erat Decurionis Iosephi hortus, arboribus consitus, maceria munitus & ianua: in horto duplex spelunca, anterior amplior & patentior, quasi interioris vestibulum: quod innuit Augustin. lib. iij. de consen. Euang. cap. xxiiij. Et certè Marcus idem significat: nam in monumento exteriori Angelus sedebat super lapidem qui clauserat ostium interioris: huc primùm ingressæ sunt mulieres, deinde in monumentum interius; nam spelunca interior erat in rupe operis excauata & artificio, septē palmos oblonga, alta octo; cuius est ad Orientem porta. Hoc fuit Christi IESV sepulchrum; huc funus IESV delatum est cum summa omnium pietate ac veneratione, cum lachrymis, & iusto luctu; repositumq; corpus est in nouo illo monumento, vbi nullus vnquam positus fuerat: peruoluitur atq; accōmodatur suus lapis ad sepulchri ostiū, magnus quidem ille, à Iosepho alijs iuuantibus. O magne & sancte IESV, video in te res nouas, atque omnibus mortalibus & Angelis admirabiles: te tenet hinc spelunca conclusum, illinc infernus: illa corpus, hic animam. Nihil mē tenet, nihil me concludere aut circumscribere potest: ex inferno, ex sepulchro omnia impleo mea diuinitate, omnia sustento, vniuersam creaturam guberno, inferni potestates exspolio & traduco, in Limbo facio Paradisum, ac demonstro mea præsentia & maiestate, me non viuorum solùm, sed mortuorum esse dominum, omnium iudicem, bonorum liberatorem: sepulchro infero vim vitæ & resurrectionis, ex sepulchro veritatem meæ mortis declaro, præclarissimū finē meæ inter homines œconomiæ impono.

D. Sedebant autem mulieres è regione, atque obseruabant vbi & quemadmodum eorum magister bonus sepeliretur, aduolueretur saxum ad ostium sepulchri; cogitantes se quoque officium vnctionis obituras pro sua deuotione.

E. Redit in montem Sion domum Virgo Mater, redeunt mulieres, redeunt Apostoli, recipiunt se discipuli & noti singuli ad sua. Verùm eadem illa horā cùm redirent è sepulchro mulieres illæ quæ prima Sabbati ad monumentum vēturæ erant, solicitè vnguenta aromatica emerūt ac seposuerunt; vt trāsacto Sabbato corpus IESV vngerent: quieuerunt Sabbato iuxta legis mandatum.

F. Postridie, etiamsi Sabbatum esset, & magnum Sabbatum, tamen stimulante Principes Sacerdotum & Pharisæos eorū pertinaci malitia, male simulatum legis zelum peruerterunt. Sabbato adeunt ad Pilatum; Domine, inquiunt, recordati sumus quia seductor ille dixit; Post tres dies resurgam; iube ergo custodiri sepulchrum in diem tertium. Sed quid timetis? Ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis: & ne sit nouissimus error peior priore. O homines stultissimos! sed stultitiam conuertit Deus in vestram ignominiam & confutationem, tum verò ad confirmandam resurrectionis Christi veritatem diuertit. Nam nisi vos furiæ exagitarent, si sileretis, si abesset à monumento militum custodia: impudēter quidem, probabiliter tamen apud plebem mentiri poteratis, non resurrexisse IESVM, sed furatos illum esse discipulos, & furtum factum prædicaretis:

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dicaretis : nunc verò vestra diligentia clarissimum testimonium comparatis Christi resurrectioni, vbi signatis lapidem, custodiam militum adhibetis, vbi authoritate Præsidis hæc tam anxiè procuratis ; vt etiamsi omnes Dæmones vobiscum velint cauillari ac mentiri , nulli persuadere aliter quàm fuit veritas vel possitis vel audeatis . Concedit illis Pilatus quod rogabant , accipiunt militem*

*G. Veniunt ad hortum, obsignant publico tẽpli sigillo monumentum: commendant Centurioni vt summo studio & diligentia obseruet , ne quæ vis sepulchro inferatur , ne clanculum cadauer auferri possit: spondet, abeunt Iudæi: instituuntur milites excubiæ attentissimè.*

## MEDITATIO.

IMpressisti, Domine IESV, naturalẽ quẽdam hominibus instinctum mortuos sepeliendi omnibus seculis, & existimandi sancta esse sepulchra, & quasi sensum dedisti mortalibus suæ immortalitatis, & vitæ recuperandæ per mortem; & hæc etiam in re ostendisti, earum rerum inditum esse suum desiderium hominibus, quas natura tota non potest assequi; quod facit creatio hominis ad Dei ipsius imaginem. Cõfirmatus verò est ille immortalitatis instinctus in tua sepultura, quæ resurrectionis spem proposuit humanæ generationi. Declinauit tamen ab hac immortalitatis propensione hominum peruersitas ; neq; id mirum : nam quum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt , sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicẽres enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Fugiemus nos per te nõ illorum solùm , sed omnium insipientiam, & sensum accipiemus diuinum tuæ sepulturæ. Mortuus es tu, æterne IESV, vt tecum nos commoreremur; sepultus es, vt nos tecum consepeliremur ; atque adeò crux tua & mors fuit nostri veteris hominis, qui erat nostra mors, crucifixio & mors. Fuit ergo tua mors nostræ mortis, id est peccati mors; sepultura tua , nostra item sepultura: mortui enim peccato tecum sepelimur, & absconditur nostra vita in te, vt in pace in idipsum dormiamus , & requiescamus in spe singulari resurrectionis nostræ in te. Planè diuina sunt hæc mysteria & beneficia in morte tua: tu deposuisti vitam, nos mortẽ; & tu confirmasti mortem tuam per sepulchrum , ita mortem in nobis vis confirmari ex vi sepulturæ tuæ & imitatione. Vnge nos, Domine, myrrha & aloë, acri atque exemplari pœnitentia , vt mente pura te complectamur quasi sindone. Oramus te vt nos facias hortum tuum meditationibus & contemplationibus pijs & fructuosis consitum, sanguine & aqua tui lateris irrigatum & fœcundum: in eo horto cõstituas cor nostrum; quod quum petra sit durissima, excauatu illud vi tuæ sepulturæ, vt te recipiat, tuum sit habitaculum , te dulcissimè amplectatur & foueat: à reliqua petra cordis nostri duritiam illam veterem deijcias, inseras verò tuum robur & fortitudinem. Hæc omnia claude tecum in sepulchro, muni petra , te ipso, obsigna tuo sanguine, firmitatem spei & magnanimitatis mihi concede cum humilitate cõiunctam. O excelse IESV, sepeliris, & Deus mortuus sepeliris: quanta est hæc significatio voluntatis tuæ vt nos tecũ sepeliamur! quanta vis vt possimus ! Sed celebremus oportet tui funeris exequias te iuuante , cum matre tua Virgine sacra, sed luctuosa adhuc , cum Apostolis & discipulis, ac pijs mulieribus: hoc faciemus , si antè tota mente prosequamur quæ beata Virgo de te è cruce deposito, de vita tua, de passione, de vulneribus , de doloribus & cruciatibus, de cruce, de morte prædicauit, deque horum omnium virtute cœlesti, & diuina efficacia. Et quis possit cogitatione consequi quanta fuerit huius orationis funebris deuotio, quanta spiritus sublimitas, quanta diuinitas? Nam si Hierotheus in sua *Dio. de diuin. cap. 3.* oratione de Maria totus excedens, totus se deserens, & eorum quæ laudabat consortium patiens, ab omnibus à quibus audiebatur, & videbatur , & agnoscebatur, afflatus Deo, & diuinus laudator iudicabatur; quid de excellentia orationis Virginis Dei Matris de filio Deo credere non possumus & debemus? Et quidem viri illius sancti post Apostolos ponitur laudatio, post Apostolorum orationes laudẽ meruit: at Regina cœli, Virgo Mater, & Apostolos omnes, & choros Angelorũ omnes diuino priuilegio & gratia antecellit. Imbibamus dulci meditatione ac deuotione quæ ab illa cœlesti oratione & præconio discebãtur, & suspẽdatur animus noster, si nõ intel-

*Rom. 1.*

*Rom. 6. & Coloss. 2.*

*Psal. 4.*



intelligenia verborum & rerum illarum, aliqua saltem spiritus significatione & gustu. Apostolorum, & reliquorum præterea orationes cogitemus, quæ etiamsi longè erant quã Maria inferiores , luctuosæ tamen erant & sanctæ. Adsunt è cœlo frequentes Angeli, adsunt ex ijs qui semper Christo astiterant, animum huc aduertunt è Limbo totus Patrũ conuentus, & eorum tutelares Angeli, celebrant omnes Christi sepulturam, iuuant Angeli funeris officia , prosequuntur è Limbo Patres pia animorum religione & meditatione Christi exequias: adest Virgo Mater cum sanctis mulieribus , adsunt Apostoli cum discipulis, adsunt alij pietate & officio commoti, curant omnia Nicodemus & Ioseph; Christus ipse omnium pietatem promouet , portant sacrum feretrum Apostoli ; procedit funus diuinum, prosequuntur illud omnes, ac celebrant cœlesti prædicatione & laudibus. Vbi estis Iudæi? At nos non solùm inde absterruit Christus mortuus , sed Pilatus etiam abegit suo imperio, donans corpus sepeliendum Decurioni. Sepeliunt, obuoluunt magnum lapidem ad os monumenti. O sanctam petram, quæ Dei corpus, quæ Christi immẽsitatem continet ! offero ego, benigne IESV, cor meum in tuum sepulchrum, vt viuat in me vis tuæ mortis & sepulturæ , offero tibi viuenti in secula habitationẽ in corde meo: at enim tã excellenti beneficio indignus sum, sed tu tamen dignus qui splendore tuo & gratia facias dignum , & ad me digneris venire. Confirma, obsecro te Domine IESV, fidem tuæ passionis & mortis , & sensum illius spiritualem cordi meo imprime, spem per tuam sepulturam erige resurrectionis & vitæ sempiternæ; vt hanc spem excipiat charitatis tuæ fulgor cœlestis & suauitas in tua resurrectione. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# DE ANNVNCIATIONE

## LVC. I.

*In cvij. imaginem adnotatiuncula.* cvij. 1.

*A. Conuentus Angelorum, vbi declarat Deus incarnationem Christi, & designatur Gabriel legatus.*
*B. Veniens Nazareth Gabriel, sibi ex aëre corpus accommodat.*
*C. Nubes è cœlo, vnde radij ad Mariam Virginem pertinent.*
*D. Cubiculum, quod visitatur Laureti in agrò Piceno, vbi Maria.*
*E. Ingreditur Angelus ad Mariam Virginem, salutat eam, assentitur Maria, fit Deus homo, & ipsa Mater Dei.*
*F. Creatio mundi, quo die Deus factus est homo.*
*G. Eadem die Christus moritur, vt homo perditus recreetur.*
*H. Piè credi potest Angelum missum in Limbum, ad Christi incarnationem Patribus annunciandam.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### LVC. I.

IN[a] mense autem sexto [b] missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad [c] Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis [c] Maria. [d] Et [e] ingressus Angelus ad eam, dixit; [c] Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei; Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius nõ erit finis. Dixit autẽ Maria ad Angelũ; Quomodo fiet istud? quoniã virũ nõ cognosco. Et respõdens Angelus, dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filiũ in senectute sua; & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia nõ erit impossibile apud Deum omne verbũ. Dixit autem Maria; Ecce [c] ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*HAEc imago appositè in hunc locum relata est, quia eodem die filius Dei homo factus est, & homo Deus crucifixus; quod Ecclesia repræsentat vbi xxv. Martij Annunciationem Virginis Mariæ celebrat: etiamsi sapienter in Christi passione celebranda sequatur plenilunij primum mensis primi post vernum æquinoctium; quod tamen semper xxv. diem mensis Martij indicat.*

*A. Quæ Deus futura esse constituit, ea omnia in sua æternitate constituit: illud simul statuit, quando sint exequenda, vbi, quo pacto, per quos. Neque verò rerum nouitate, vbi fiunt, mutatur; non enim semper tempori addicitur diuinitas; sed à Deo omnia ex æternitate fiunt quæ nobis in tempore, estq; eius æternitas omnibus temporibus præsens maximè; neque intelligi potest aliquid nunc fieri, qui in æternitatis nunc, vt ita dicam, præsentius non fiat. Hæc propterea dicta sunt, vt intelligamus quæ æterno consilio Deus prædestinauerat, & ex sua æternitate fecit, hodie esse facta. Fit igitur conuentus celeberrimus omnium Angelorum in cælo Empyreo ante diuinitatem, ostendit Pater Deus velle se in terram mittere Filium, declarat Trinitas diuina se illum velle hominem facere, designatur Archangelus Gabriel, aduoluit mentis genua ante diuinitatis infinitam maiestatem, pronunciatur ad sacratissimam Virginem legatus, expræscripto mandatum à Deo accipit, mittitur Nazareth in Galilæam, dantur illi comites complures Angeli; erigitur omnium animus tantæ rei expectatione, conuertunt in Galilæam animos, Gabrielem votis & comprobatione prosequuntur.*

*B. Benedictione à Deo accepta penetrat cælos omnes Gabriel, salutatur ab Angelis cælorum motoribus festiuè, iam tenet æra; ibi verò corpus sibi accommodat humanum diuina virtute splendidissimi atque elegantissimi adolescentis, hunc circumuolant Angeli comites.*

*C. Nubes, vnde radij ad Mariam Virginem pertinent; hac nube nititur Gabriel. Significat verò nubes obumbrationem virtutis Dei superueniente in Virginē sancto Spiritu; agēti enim sancto Spiritui in vtero Virginis sacrosancto, ipsa etiam diuina virtute cooperata est, vt verè esset Dei & hominis mater. Itaque diuina operatio humanæ, infinita finitæ est attemperata, quod ex nubis obūbratione intelligimus; quasi illa remissio sit atque accommodatio virtutis immensæ, quæ faciebat Virginem posse quam habebat facultatem vt mater esset, eam exercere, atque ad diuinam prolem applicare.*

*D. Cubiculum idē quod Laureti in vico territorij Recinatensis agri Piceni summa & frequentia visitur, & deuotione celebratur. In eo lectulus, caminus, & ad focum ollula, armariolum, fenestra; quæ omnia tenuitatem Virginis & paupertatem indicant: quæ vt oculis paterēt, non potuerunt omnes parietes depingi, non sacræ cellulæ iamua, non fenestra. Hic eo tempore orabat Virgo cælestis, & de Filij Dei incarnatione cōmentabatur ac meditabatur studiosissimè; & præter alia merita præstantissima, illud etiam ardens desiderium quo in aduētum Messiæ ferebatur, causa esse potuerit, non vt Deus homo fieret, sed vt ex ea potissimùm homo fieret. Habet autem in camistro paratam materiā, & instrumenta virginalium operarum.*

*E. Ingreditur insperatò ad eam Angelus, salutat: turbatur animus Virginis sanctissimæ atque pudentissimæ dum laudes suas audit, & vt retur vt incolumē pudorem teneat, & tueatur virginitatem, quam Deo voto consecrauerat. Verbis illam Gabriel confirmat suauissimis: consentit diuinæ voluntati cælestis Virgo cum summa fidei, humilitatis, magnanimitatis, aliarumque diuinarum virtutum conspiratione; Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundū verbum tuum. Quæ verba cùm cōpleret, fecit Deus excellentissima illa suæ potentiæ atque misera-*

*tionum opera, quæ alia eius omnia opera longo interuallo antecellunt: eodem enim temporis momento creauit animam Christi omniū in humana specie præstantissimam, formauit corpus in tanta paruitate consummatissimū, hæc vniuit, & inuisem, & verbo Dei. Itaque factus est filius Dei homo vnione illa hypostasis diuinæ immensa, simul animæ Christi absque vllo merito, sola personæ & vnionis dignitate collata est summa gratia, & beatitudo, atque harum plenitudo; ex qua plenitudine innumerabiles homines gratiam accipere possent & salutem: simul obtulit Christus Patri vt mortem, ita labores vitæ suæ omnes, & passiones, & mortis omnes acerbitates pro mortalium redemptione ac liberatione. Itaque meriti Christi summa illa vis atque efficacia iam inde extitit: neque verò vnquam accessionem accepit Christi meritum, idē omni sua meritorū ratione est promeritus; perfectus enim semper fuit homo Christus, perfectè semper est operatus, eò copiosior celebratur illa Christi* Hier. 31. Psal. 31. Psal. 39.



*Christi IESV redemptio, & amplior lotio. Addidit singulare illud miserationis mysterium; gloriam enim animæ ne in corpus redūdaret inhibuit, vt sua virtute & maiestate passiones eius vitæ mortalis vel mortem nc impediret. Fit mater Dei omnipotentis Virgo humilis atque paupercula, adorat hominem Deum Gabriel & comites Angeli, adorant è cælo omnes Angeli recens hominem factum Regem suum ac Dominū; simul omnes suum honorē deferunt Matri Dei, illam laudant, illam adorant. Sentit ipsa diuina virtute se concepisse in vtero, intelligit Matrem se factam esse Dei: sentit non solùm in vtero diuinam prolem, sed in animo & in spiritu suo diuinam augeri virtutem, dona Dei multiplicari, charismata increscere; impletur omni suauitate cælesti, adorat atque magnificat eius anima Dominum, exultat spiritus in Deo salutari suo, id est Deo IESV filio suo. Sētit vniuersus orbis se esse nobilitatum aduētu diuinitatis in carnē, laudant cæli Dei immēsam benignitatē, exultat terra, collaudant omnia Deum. Confecta legatione Gabriel honorificentissimè salutata Virgine in cælū euolat, dissoluitur in auras adolescentis figura quam acceperat.*

*F. Confirmat Ambrosius creatum Mundum ipso vere: numerantur autem anni Mundi à creatione ad natiuitatē Christi, quæ fuit xxv. Decembris: quo fit vt intelligamus, ad natiuitatem Christi in vtero etiam numerari annos Mundi à creatione. Itaque eodem die dicemus creatum primum hominem xxv. Martij, & Deum factum hominem; nouem scilicet mensibus ante xxv. Decembris; factumq; eodē die primum hominem in animam viuentem, & secundum in spiritum viuificantem. Ad hæc addi potest authoritas Athanasij & Augustini.* l. 1. Exāmer. c. 4.

*G. Eodem die in cruce nostra crimina suo sanguine & morte Christus expiauit quo conceptus est.* Athan. lib. quæst. ad Antioc. q. 17 Aug 2. p. q. vet. & no. te. q. 55.

*H. Hic credi potest missum Angelum ad annunciandum Patribus incarnationem Dei in Limbum.* Aug. li. 18. de ciuit. Dei c. 54. & l. 4. de Trin. c. 5

## MEDITATIO.

Gen. 2.

FEcisti tu, Domine IESV, initiò Adam & Heuam primos homines; sed è terra Adā, cui spiritum viræ inspirasti, ex huius costa Heuam, vt mater esset cunctorum viuentium: sed simul vocari voluisti nomen eius Issa, id est virago, quòd de viro esset sumpta: Adam extra Paradisum creasti, Heuam in Paradiso, os de ossibus Adam, & carnem de carne; quapropter relicturus esset homo patrem & matrem, & vxori suæ adhæsurus. Magna sunt hæc tuæ sapientiæ & potentiæ sacramenta; nō solùm in te & sponsa tua Ecclesia, sed in te & Matre tua virgine, quæ simul sponsa tua est. Oro te verbum Patris æterni coæternum & consubstantiale, verbum caro factum, vt nobis illa aperias mysteria, obsecro per natiuitatē tuam in vtero Matris virginali. Concipiam primùm fidem, spem, & charitatem in me, deinde spiritum simplicitatis & humilitatis profundæ, & audite. Adam me repræsentauit, Heua matrem meā: nam cùm præscirem vtrumque esse peccaturum, & corruptum iri per peccatum naturæ humanæ integritatem, quam ego integram volueram; fuit meæ sapientiæ, simul & misericordiæ, vt simul designarem alium Adam, aliam Heuam; vt quod primus homo deformauerat, secundus restauraret, & naturam humanam non solùm corruptione contracta liberaret, sed diuina perfectione nobilitaret. At, sancte IESV, quo nam pacto te Adam repræsentauit peccator innocentem & sanctum? Rectè, quia ille peccatum admisit, ego deleui: ille peccato implicauit & se, & suam posteritatem, ego explicaui & illum, & eius posteros & liberaui: fecit ille peccatum, ex quo peccatores cōstituti sunt multi, ego factus sum peccatum, hoc est hostia pro peccato, vnde multi constituti sunt iusti; & sicut deriuatum est vnius delictum in omnes, ita mea vnius iustitia in omnes permanauit. Ex Adæ peccato miseriæ & pœnæ omnes humanæ fluxerūt, Satanæ tyrannis, hominum infernus; per me peccatū, hostiam videlicet peccati, & meam crucē, miseriæ illæ deletæ, Satan cōfutatus & victus, necata mors, infernus superatus. Quæ cùm ita sint, fit vt primus Adam rectè atque ordine dicatur mei forma atque typus per dissimilitudines. Cæterùm similitudines quibus me ille repræsentauit, magno interuallo antecessi; ille animam accepit à Deo, ego diuinitatē & animā; illius anima prædita fuit gratia & donis spiritualibus, mea ornata summa gloria, gratia, & donis cælestibus; illius corpus accepit Deus è terra virgine, & cui nondum maledixerat, meū ex Maria Virgine, cui semper

Rom. 5. 2. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca



per benedixit; Adamū creauit Deus extra Paradiſum, meam incarnationē fecit & humanitatē extra cælū; tulit Adam Deus & poſuit in Paradiſo., vt operaretur & cuſtodiret illū, me in Eccleſia Dei viuentis, vt illic eius ſalutē operarer, & illā ab aduerſarijs poteſtatibus defenderem. Nam fuit Eccleſia mea Paradiſus meus, (deliciæ enim meæ fuere, eſſe cum filijs hominum) vbi arbor vitæ crux mea eſt, quæ vitā ſempiternā mortalibus produxit; vbi etiā arbor ſcientiæ boni & mali, ſed longè melior; nam qui illic Dei præceptum præuaricatur, dono originalis iuſtitiæ perpetuò priuatur, in Eccleſia qui in Deum peccat, priuatur quidem gratia & donis, ſed quæ poſſint per Sacramenta recuperari: vbi non quatuor flumina ſolùm, ſed quinque diuinæ miſericordiæ & gratiarum è manibus meis, & pedibus, & latere fluunt. Heuam præterea nouam vetus illa ſignificauit, Mariam Virginem Matrem meam: illa ex coſta Adæ eſt formata in originali iuſtitia & gratia, ex quibus excidere poſſet, vnde etiam excidit; hæc creata eſt à me ſancta & immaculata, & in excellenti gratia confirmata, ex oſſe meo, è ſingulari ſcilicet crucis meæ merito. Hanc enim in Eccleſia mea exhibui glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſine peccato, ſine peccati fomite; & ex coſta mea dormientis, id eſt mortui in cruce: ex virtute enim crucis meæ omnem eſt perfectionem conſequuta. Fuit igitur hæc Iſſa longè nobilior quàm illa, de meo excellenti priuilegio; etenim ſicut ego eram & ſum homo perfectus, ita etiam illa mulier perfecta: hinc intelliges me in Paradiſo Heuā formaſſe, quòd Eccleſiam meam ſignificaret & matrem. Fuit illa Heua mater cunctorum viuentium, hæc mea, qui ſum vita ſempiterna omnium & Angelorum & hominum; illa peccatū concepit in Satanæ tentatione, mea concepit me iuſtitiam infinitam in Archangeli ſalutatione, & incarnationis meæ annunciatione; illa peperit peccatum comedens ex pomo vetito, mea me peperit peccatum, hoc eſt hoſtiā pro peccatis omnium; illa dedit marito pomum in quo peccaret, mea dedit me Eccleſiæ vnde à peccato mundaretur: Heua illa amica ſerpentis Diaboli aliquando fuit, hæc nunquam fuit, nec ego permiſi vt eſſet; poſui enim inimicitiam inter ſerpentem Dæmonem & hāc dilectam meam Heuam, & inter ſemen ſerpentis peccatum ac ſemen meę Heuæ me, qui

*Prou.8.*

*Ephes.5.*

*Geneſ.3.*

fui peccatorum expugnator: & non ſolū hoc ſemen contriui ſemen ſerpentis, & omnem eius potentiam eneruaui, ſed hæc etiam mea Heua caput ſerpentis contriuit in ſuo ſemine; & non ſolùm alia peccata, ſed originale etiam ſuperauit, nulli ſubiecta peccato, nullo infecta. Huic meæ Sponſæ vt ego adhærerē, & ex ea carnem ſumerem, exiui à Patre, veni in mundum, fui à Patre derelictus: reliqui Matrem vt Sponſæ meæ Eccleſiæ adhærerē. Initio igitur tuæ creaturæ, magne IESV, in primo homine & in prima fœmina qui ſuam innocentiam amiſerūt, ſignificaſti futurum, vt illa iactura reſtauraretur: itaque dediſti perfectiſſimum alium hominem, & aliam perfectam fœminam, te & matrem tuam. Hanc vt decuit filium formaſti excellentibus donis ornatam, corpore puriſſimo atque elegantiſſimo, anima etiamſi ſpecie humana, tamen potentijs perfectiſſimis donata, & ſublimi quadam naturæ indiuidualis bonitate, ſenſibus vt viuaciſſimis, ita mundiſſimis. Et ea quidem naturalia bona Matri tuæ cōtuliſti; quæ noſtra infirmitas pro dignitate celebrare non poteſt vel intelligere; caligat tamen longè magis noſtræ mentis acies, vbi dona ſpiritualia Matris tuæ conſiderare intendit, gratiam ſecundùm tuam maximam, virtutum ac donorum ſpiritualiū eximia priuilegia, atque excellentias ſingulares. Quocirca nulla, vbi de peccatis agitur, de Matre tua fit mentio, nullus, vbi de originali peccato tractat, Matrem tuam comprehendit. Verè tota pulchra & ſancta eſt amica tua & Mater, excelſe IESV, & macula nulla in ea vel fuit vel eſt. Et quid mirum? quid non te dignum, ſi Matrem tuam Dei tanta gratiarū & donorum plenitudine cumulaſti? Quis enim homo non ſimilibus donis matrem ſuam ornaret ſi poſſet & ſi ei liceret? Ex huiuſmodi Matre Virgine ſacroſancta voluit Pater tuus, voluiſti tu, voluit Spiritus ſanctus vt tu carnem acciperes, immaculatam ab immaculata, & fieres homo perfectiſſimus ex perfecta Virgine. Magnum fuit miraculum veſtræ Trinitatis Dei vnius, & omnibus ſeculis inauditum, tāta præſtantia mulierem formare; & tamen ea nihil aliud quàm fœmina erat; diuinis ornamentis erat decorata, ſed tamē mulier, nihil aliud: Mater verò erat Dei, & hæc gloriæ ſublimitas faciebat, vt ſupra omnes Angelos & homines eſſet Deo gratioſa, vt cæli terræque eſſet domina & regina, vt

*Ioan. 16.*

*Eſa. 66.*

*Pſal. 17.*

*Auguſt. de natura & grat. cap. 36. Cone. Trid. ſeſſ. 5. Cano. cap. 4.*



na, vt ſupra omnem puram creaturam eſſet particeps diuinitatis: erat tamen ipſa tātummodo creatura. At tu, admirabilis IESV, & omnibus donis illam, nō ſolùm omnes alias creaturas longè antecellis, & illo vnionis tuæ hypoſtaticæ infinito interuallo: nam es Deus & homo in vnitate diuinæ hypoſtaſeos & perſonæ tuæ. O immenſam Dei bonitatem & virtutem! ô diuinæ miſericordiæ & iuſtitiæ opus inenarrabile! Quis audiuit vnquā tale? Quis vidit huic ſimile? Nihil eſt, nihil fuit, nihil erit vel tale vel ſimile. Angeli quidem audierant hoc opus, viderant etiam in Deo; ſimile tamen vel tale non viderant, non audierant: quapropter diuinis laudibus illud proſequuntur in altiſſimis, nec tamē integrè aſſequuntur illius operis maieſtatem; quo fit vt ſemper dicant; Quis eſt iſte Rex gloriæ? Vnitus es tu verbum Dei Patris omnipotentis humanitati iſti excellentiſſimæ, factus es homo; quis aſſequi vel cognoſcere hāc vnionem poſſit, niſi quantus ſit Deus qui vnitur perfectè nouerit? Immenſus es tu Domine IESV, factus es tamen certa menſura homo; infinitus factus es finitus, immortalis factus es mortalis, impatibilis factus es patibilis, omnipotens factus es infirmus; & per vnionem naturæ diuinæ & humanæ in perſona tua feciſti, vt cōſeruata vtriuſque naturæ proprietate, diuina de humanis, humana de diuinis verè in te dicerentur, non cōfunderentur tamen naturarū proprietates, nec in altera natura alterius proprietates ineſſent. O Trinitas, ſubſtātia, diuinitas, bonitas, vnitas omni ſubſtantia, diuinitate, bonitate, vnitate ſuperior atque præſtantior, quæ lucem habitas inacceſſibilem! Amas tu vnitatem vnitas immenſa Deus trine, voluiſti vt vnum ſint homines, quemadmodum vos vnum eſtis: vos quidem natura infinita vnum eſtis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: fieri nō potuit vt natura humana hoc modo diuina eſſet natura, nec conuerti potuit natura humana in diuinam: quod fieri potuit poſt hanc vnitatem præſtantiſſimum & diuinum bonum feciſti, vt in vnitate ſecundæ perſonæ natura diuina & humana vnirentur, & fieret Deus & homo vnus Chriſtus. Altiùs leuari non potuit creatura: itaque hæc laus eſt poſt tuæ vnitatis gloriam maxima. Duæ aliæ ſunt creatæ vniones, gratiæ, & gloriæ: has ſummas eodē temporis momento creaſti in Chriſto; & per ipſum homines ad vnionem gratiæ tuæ & gloriæ exaltaſti. Admirabiles ſunt aliæ etiam tuæ potentiæ & miſericordiæ vniones: veriſſimè dixit, Pater æterne, filius tuus, & orauit efficaciſſimè, vt & Apoſtoli, & qui per ipſos eſſent crediturі, vnum eſſent, ſicut & vos inter vos vnum eſtis; nam illa eſt ſumma inter vos & nos vnio, ſi tibi primùm per gratiam à Chriſto acceptam ex illius excellentiſſimis vnionibus coniungamur, dein per gloriam. Sis benedictus in æternum Deus trinus & vnus, omniū diuinarū vnionum author & cōſummator: feciſti tu ſublimes illas Chriſti vniones hodie in vtero Virginis, quam tibi priùs excellenti gratiæ, & charitatis, & virtutum, & donorum vnione copulaueras. Itaque cùm ex hac vnione, & ſplendore tuæ gratiæ, in excelſa quadam contemplatione verſaretur, miſiſti ad eam è cœlo Archangelum Gabrielem; ex quo quum laudes ſuas audiret, fecit perfecta eius humilitas & Dei zelus vt turbaretur, & cogitaret qualis eſſet ſalutatio illa. Non timuit Angelum, erat enim colloquijs & viſitationibus Angelorum aſſuefacta cæleſtis Virgo; ſed laudari quò maior eſt humilitas minùs pati poteſt: oportuit ſummæ humilitatis actum præcedere, vt præclariſsimū à Deo beneficium acciperetur. Ab hac autem humilitatis & zeli trepidatione confirmata diuinitus per Angelum, coniunxit cum humilitate profunda excellētem animi magnitudinem, tota in Deum erecta, & in eius potentias bonitatis & ſapientiæ introducta. Vbi audiuit ſe concepturam, credidit quidē abſq; vlla dubitatione ita futurum, ſed eius magnanimitas nixa humilitate fecit, vt auderet rogare ab Angelo tanti myſterij rationē. Credo, Angele ſancte, ita futurum vt dicis, ſed ſimul ſcio me meam virginitatem Deo ſanctè deuouiſſe, quam eius prouidētiæ curæ eſſe non dubito: ſcio verbum Dei carnem humanam ſuſcepturum, & quidem ex Virgine alma per myſterium à ſeculis abſconditum, & ſignum hoc admirabile datum iri domui Dauid: ſcio quòd creaturus ſit nouum illud Dominus ſuper terram, vt fœmina perfectum virū vtero complectatur: intelligo viæ huius, & conſummati viri, & incarnationis rationem, omnem intellectum ſuperare; & hanc viā item. ſcio Synagogam eſſe negaturam: verùm quò hæc maiora ſunt, & diuiniora, & recondita magis, eò afferet animo meo conſolationem maiorem, ſi rationem aliquam mihi aperias qua illa fient, vt Dei miſericordiam & virtu-

*Ioan. 17.*

*Eſa. 7.*

*Hier. 31.*

*Prou. 30.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tē in me agnoscam,& laudem vberiùs. Quum hoc fecisset Gabriel , & quæ de tam sublimi mysterio fide erat complexa diuina Virgo singulari luce fuissent illustrata, consequutū fuit illud responsum omnibus & Angelis & hominibus adorandum; Ecce ancilla Domini,fiat mihi secundùm verbum tuum ; per quod responsum & consensum parta est hominibus salus & gloria sempiterna ; Verbum *Ioan.1.* Dei caro factum est, & habitauit in nobis, vt nos Deus faceret suæ diuinitatis participes,& naturæ consortes. Tu me prædicas,Angele Dei, gratia plenam, mecum esse Dominum, me benedictam inter mulieres, quæ Deum sim conceptura & paritura superueniente in me Spiritu sancto,obumbrante altissimi virtute; hæc omnia faciunt , vt toto pectore & animo,toto corde me Domino subijciam & dedam,& plenius agnoscam me esse eius ancillam:itaque Domino vt ancillam me totam offero & permitto. Quum verò sentiam me occupari immenso Spiritus sancti amore , & virtute diuinitatis obumbrari & refici; his viribus freta desidero,volo, & consentio vt fiat mihi secundùm verbum tuum, & fiat in me verbum Dei homo, & filius Dei meus filius. Gloria sit Deo in altissimis ; laudent eius bonitatem & virtutem Angeli, omnes mortales,cœlum,terra,omnis creatura. Cognouerам Dei mirabilia in creaturis,promissiones Dei diuinas noueram in lege, & ante legem, & in Prophetis ; sed opus nunc video supra omnem admirationem positum ; instauratur creatura diuino filij Dei commercio, adimplentur Dei promissiones & iusiurandum; *Isai.9.* Paruulus enim natus est in vtero meo , qui semper ex vtero Patris æterni nascitur , qui *Ps.109.* natus est ante Luciferum ; & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis,Consiliarius,Deus, Fortis, Pater futuri seculi,Princeps pacis. Natus est qui legis vmbras discutiat, & mysticas significationes impleat per gratiam suam & veritatem , & suæ humanæ œconomię mysteria. Exultemus, fratres,in Domino,& in potēria virtutis eius, quia est incarnatus eius filius. Exultate filiæ *Isai.40.* Hierusalem omnes; Consolamini , consolamini populi meus,dicit Deus vester. Ecce in *Isa.43.* vtero Virginis fecit Deus noua omnia ; postea nascetur in quo fecit Deus omnia, & cognoscetis ea : verè iam est in vtero Matris Deus absconditus, Deus Israël saluator. Non *Isai.45.* est quòd ampliùs dicatis; Vtinam disrumpe- *Isai.64.* res cœlos,& descenderes: descēdit enim Dominus , & à facie eius altitudines superbiæ defluxerunt ; depositi sunt potentes de sede, *Luc.1.* exaltati humiles. Ex his , pie meditator,vberrimum fructum, & in mente tua, & in corde potes reponere si attendas,si rumines, si sensus interiores spiritus applices : illud enim comperies,similiter fieri spiritus & gratiæ diuinæ vnionem ad cor tuum. En præuenit te Dei eudocia & gratia: audi verò Deum, quasi te salutantem,tibi offerentem suam gratiam, vel gratiæ suæ incrementum, Deum tecum futurum , benedictione eius te esse ornandum: hæc agnosce dona tibi præstò esse à diuinitate. Responde tu primùm per profundæ humilitatis exercitium & turbationem; excipiet atque reficiet tuam trepidationem piam benignus Dominus; rationem suæ gratiæ & vim tibi exponet ; eam ex te non esse, sed à Dei bonitate & misericordia,tibi tamen quærendam esse, vt eam inuenias, vt in cor- *Ioan.4.* de tuo concipias Dei Spiritum, & vt aqua reficiaris in vitam æternam saliente. Intelliges gratiam præterea tibi offerri, vt concepta illa eiusque virtute in corde tuo, ex illa in actiones diuinas exeas,& parias opera cœlesti gloria digna, quasi Christum ipsum in tuis operationibus. Nihil verò hîc dubites, nihil vacilles ob rei magnitudinem ; sed fide ac spe confirma cor tuum , adhibe charitatis candorem & vim : fiet vt sentias spiritu mentis tuæ , quemadmodum in te formetur Christus,eius amore in te superueniente quo nos dilexit Deus; sentias potentiam virtutis Dei, quod est verbum incarnatum , & pro nobis crucifixum & mortuum. Hæc cordi tuo spiritualia indicia erunt , huiusmodi spiritualis sensus, superuenientis in te gratiæ , & tibi offerentis filium Dei; quæ omnia dona Dei cœlestia intellige in te non esse superuentura, nisi per humilitatem,& fidem,& aliarum virtutum consprationem. Consentias itaque tangente Deo cor tuum per Spiritus sancti illuminationem & gratiam , illi motioni coopereris gratia subleuatus & erectus , sine qua mouere te ad iustitiam coram Deo tua voluntate non potes. Sit benedictum in secula verbum Patris æterni incarnatum , qui est Christus IESVS. Amen.

RESVR-



IHS

# RESVRRECTIO CHRISTI GLORIOSA.

MATTH. XXVIII. MARC. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*In cviij. imaginem adnotatiuncula.* cviij. 134.

A. *Adest Christus in anima ad sepulchrū ex Limbo cum Angelis & animabus Patrum ad finem crepusculi primæ Sabbati.*

B. *Vnit animam corpori , & egreditur saluo sepulchro: pronunciat ; Vici mundum , conculcaui Dæmonem, Mortem interemi , Viuo in æternum.*

C. *Sepulchrum obsignatum.*

D. *Milites duo agunt excubias, alij dormiunt, nemo quicquam omnino sentit.*

E. *Ducit Christus captiuum Satanam,mortem,&c.*

F. *Per totam Iudeam è sepulchris apertis Sancti exeitantur, quorum animæ interfuerunt Christi resurrectioni,& apparent deinde multis.*

Tertia die resurrexit à mortuis.

## ADNOTATIO.

A. HOra nona emisit spiritum in cruce Christus, fuit eius anima in Limbo tres horas,quod erat reliquum sextæ Sabbati,totū præterea Sabbatū,quod à vespera in vesperā agebatur,ac totam ferè noctem primæ Sabbati, quam Dominicā diē ex Christi resurrectione appellarunt Apostoli,tenuit nomen Ecclesia. Itaq; tribus diebus fuit Christus mortuus & tribus noctibus,hoc est tribus diebus, vno naturali integro,partibus duorum, & ad finem horæ 29. post mortē resurrexit.Igitur in ipso Solis primo exortu,vel in extremo diluculo resurgit Christus, & lucē affert mūdo cœlestē. Expolians enim infernū,hoc est educens omnes animas ex Limbo, multas ex Purgatorio,præcedētibus & cingētibus eū Angelis prosequētibus beatis animabus è Limbo in montē Golgotha & sepulchrū ascēdit glorioſissimo triūpho,ducēs victā Mortē & Satanā. Stat cœlestis pōpa triumphi super monumentū:nihil impedit aciē mentiū humanarum vel Angelicarū, longè minùs Christum impedit obiectum saxum,vel claustra sepulchri,contemplantur omnes mortuum corpus, vtriusque & corporis & animæ cōtemplantes diuinitatem; vident verissimam Christi mortem.

B. Atverò extēplo virtute suæ diuinitatis redit anima Christi ad corpus,illi se insinuat , illi vnitur,vtvnita antea fuerat:verùm illa fuerat vnio patibilis corporis & mortalis , hæc impatibilitatē eius corpori attulit atque immortalitatē.Fit rursum homo Christus , redundat animæ illa beatitudinis gloria in corpus,emicāt è Christi corpore fulgores immensi,splendidiores verò ex vulneribus. Indutus surgit gloriæ sindone speciosissima,vt erat apparituras suis:gerit insigne sui triūphi crucē,ex diuina quadam claritate confectam; egreditur è sepulchro immoto lapide,illæso sigillo; leuat in cælū manū suā, & dicit,Viuo ego in æternū;Vici mundū , conculcaui Dæmonem,mortem interemi. Fiunt omniū Angelorum & animarū infinitæ gratulationes, cātantur diuinæ laudes Deo & Christo eius.

C. Sepulchrū obsignatū omni diligētia & fide.

D. Milites aly dormientes,duo militari more agentes excubias,omnia secura & quieta vndique:neque verò eorum qui in sepulchro excubabant quisquam sentire vel videre quid gerebatur poterat:surrexit enim Christus IESVS clauso sepulchro,ignorantibus prorsus militibus.

E. Satan & Mors ; ille vinctus , hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca



# EODEM DIE APPARET MATRI MARIÆ VIRGINI.

*In cix. imaginem adnotatiuncula.* *cix.*

135.

*A. Discedentibus sanctis, è vestigio venit in Montem Sion IESVS cum cælesti comitatu, Matri apparet soli in conclaui; iucundissimè colloquuntur.*

*B. Gerebantur hæc alijs insciis & mœrentibus, & mulieribus se ad sepulchrum visendum parantibus.*

*C. In sepulchro nulla mutatio.*

## ADNOTATIO.

*A. DIscedẽtibus Sanctorum animis, Christus rectà tum cælesti pompa & Angelorũ & animarum venit ad montem Sion & conclaue Matris: eò enim è monte Golgotha secesserat pia Virgo Mater plena suauissimæ atque firmissimæ spei. Neque verò sola spe resurrectionis proximæ sustentabatur, sed simul spiritu cum Christo erat in Limbo, eius gloriam in spiritu & oratione contemplabatur; Sanctorũ felicissimum illum conuentum paradisum ex inferno esse factum intelligebat; nouerat quo tempore, quo temporis punctò esset filius è mortuis resurrecturus; videbat deinde resurgentem. Neque hoc vel nouum esse cuiquam debet, vel mirum: nã huiusmodi in eo genere sunt, quæ quum à sacris litteris prodita nõ sint, nec cum illis pugnẽt, pie tantùm meditamur, vt inde deuotionẽ colligamus, nõ fidem Catholicam astruamus. Quid enim fecerint (quod habẽt historiæ) sancti viri, piæ virgines & mulieres non paucæ, quæ in hoc genere tot priuilegia à Christo acceperint, & Virgo Dei Mater non acceperit? Et vbi erit illud de Matre Dei præconium, quod acceptum ab excellentijs laudum quas sancti in Virginẽ Matrem conferunt celebramus; nullam factam esse cuiquam Sanctorum prærogatiuam à Deo, quam excellentiùs nõ acceperit Virgo Dei Mater Maria? Quocirca meditari etiam possumus Matri priùs Christum apparuisse quàm Magdalenæ; etiam si huic primò inter quærentes mortuum Christum, & vix fidem resurrectionis tenentes. Inter hos igitur primò apparuit Magdalenæ (de hîc enim solùm apparitionibus loquebantur Euangelistæ) inter quos non decuit, nec potuit Maria intelligi. Deniq; Anselmus, & Rupertus, Bernardus, & recentiores hanc pietatẽ sequuntur, quam innuere videtur Ecclesia Romana, vbi in die sancto Paschæ primam stationem celebrat ad Diuæ Mariæ. Erat in hac animi spe, in hac luculẽta contẽplatione Maria: & ecce tibi diuino lumine refulgens clauso conclaui ingreditur ad Matrem circumfusis Angelorum & Sanctorum agminibus Christus. Assurgit omni gaudio & spiritus exultatione delibuta sanctissima Virgo: illam salutat filius, filium adorat Mater, suauissimè assident, collocante Matrem ad suam dexteram Christo; miscent de passione, & de Limbo, de victoria, de resurrectione letissimum colloquium. Accedit cælestis Angelorum melodia: Regina cæli lætare halleluia, &c. Honorem deferunt Angeli & Sancti omnes Dei Matri, atque suæ Imperatrici.* *Anſel. li. de excell. Virgin. Rupertus lib. 6. de diuinis off. c. 25. Bernar. ſer. prima de reſurrect. S. Vinc. ſer. 1. de reſur. B. Brigida lib. 8. c. 24. & ſer. de Angelis. Niceph. lib. primo Eccleſ. c. 32.*

*B. Hæc alijs omnibus insciis gerebantur; erãt enim in alijs ædium locis mœrentes & lugentes mulieres, & discipuli se inuicem solantes, recolentes quæ viderant, rerum maximarum admiratione attoniti, non sine spe aliquâ resurrectionis futuræ. Expectabant verò omnes donec Sabbatum præteriret, & cogitabant mulieres ad sepulchrum redire cum aromatis. Egrediebatur ad multitudinem aliquãdo Virgo Mater, omnes iubebat bene sperare, solabatur omnium dolorẽ sua animi magnitudine, omnium animos erigebat, neque tamen cuiquam aperiebat quæ ipsa viderat.*

*C. In Sepulchro nulla adhuc mutatio, dormiunt alij milites, duo suas excubias obeunt, silent adhuc omnia.*

## MEDITATIO.

DOce nos, Virgo Dei Mater sacrosancta, quid est quòd sancti Euangelistæ nullã de te mentionem faciunt, vbi de Christi filij tui resurrectione agunt, & eius apparitionibus? Me decet pro Matre mea benedicta respondere: sapientia Patris mei & mea id factum



est & prouidentia; scribebant enim Euangelistę de ijs qui quærebãt me mortuum; illa non quærebat, tenebat enim me in spiritu, nec dimittebat: minùs quærebat mortuũ, quem sciebat è mortuis resurrexisse. Agebatur de varijs dubitationibus illic, vt illis expulsis fieret robustior fides resurrectionis; in Matre nulla fuit vnquam in fide dubitatio, nulla in resurrectione vel alijs mysterijs meis hæsitatio; semper fuit in ea constans & viua fides dono sapientiæ, intellectus, & scientiæ illustris; frequentes etiam spirituales reuelationes accipiebat à me. Satagebant præterea Spiritu sancto inspirati Euangelistæ testimonia præbere, quibus asserertur vera mea resurrectio, & confirmaretur apud discipulorũ tardiratem, & eorũ qui erant crediturí: quod munus nolui Matrem meam subire; ne si illi non crederetur vt Matri de filio prædicanti, eius existimatio & dignitas lædi videri posset, quæ fuit mihi semper charissima & sacrosancta; neque volui ea de re ipsam à quoquam interrogari. Illud porrò non fuit necessarium literis mandare, quod erat necessarium & obuium credere sine scriptura: nemo enim erat futurus adeò tardus, vt crederet Mariæ Magdalenæ, de qua ieceram septem dæmonia apparuisse me, & non Matri, quæ Domina est etiam omnium Angelorum, non solùm dæmonum omnium perpetua triumphatrix. Et quid putas obiter feciſſe Euangelistas, quũ tã diligẽter alijs meã astruunt resurrectionẽ, nisi viã munire quæ ducere vos posset vt crederetis, quũ tam multis etiã primo die resurrectionis apparuissem, priùs & excellentiùs Matri meæ apparuisse? Nam si quòd nõ dicar primùm Matri apparuisse, non apparui primò; ne apparui quidem, quũ simpliciter non scribant me illi apparuisse. Tota igitur Euangelica narratio quasi excellentias Matris meę, quæ in me redundabant, silẽtio celebrat eloquenti, & laudum plenissimo. Itaque nihil est quod te moueat, quòd primò dicar apparuisse Mariæ Magdalenæ, vbi de alijs apparitionibus meis fit mentio inter dubitantes & quærentes me mortuum, inter eos qui ad testimonium meæ resurrectioni ferendum parabantur. Inter hos primo loco Mariæ Magdalenæ apparui; qui alioqui vniuersis Patribus, quos mecum è Limbo eduxeram, & Angelis qui mecum erant, priùs apparui resurgẽs è mortuis, priùs Matri meæ venerandæ, de quibus apparitionibus alieno loco & tempore dixissent Euangelistæ. Confirmasti, sancte IESV, meam deuotionem tua singulari in immerentem benignitate. Euge anima mea, surgens Dominus è mortuis non solùm vim suæ resurrectionis & vitæ illam quam induebat simul communicat Matri, sed præmissis Angelis qui illi prænunciarent se resurrexisse, ipse extemplo consequutus adest, atque eius & animam, & corpus, & potentias omnes replet suæ resurrectionis & vitæ splendoribus & suauitatibus. Contemplare, quæso te, anima mea & spiritus, iucunditatem colloquij resuscitati Dei & eius Matris, lucem, lætitiam, diuinitatem; vt illud admirabile colloquium celebrant Angeli exultantes, vt exhibent omnem reuerentiam, vt & suam adorationem deferunt Matri Domini & Dei sui Reginæ cælorum, vt illi congratulantur, vt illam laudant & magnificant; vt verò ipsa vicissim humiliatis suæ auget virtutem, vt significat Christus placere sibi illa Matris præconia. Celebrat Christus ipse Matris visitationem, euocat Adam ad Matrem: Vides, Mater, hanc animam, inquit: hæc est primi parentis tui, mei etiam secundùm meam humanitatem, & corpoream substantiam. Nihil verò est quòd erubescas amice parens Adam: deiecit tuam constantiam serpens tortuosus per mulierem, verùm en tibi Mater mea, quæ illius caput contriuit per me. Illa formata est mulier ex tua costa sopore occupati à Deo, hæc ex fortitudine meæ passionis & mortis formata est excellenti priuilegio. Illi tu obedisti, vnde prouenit peccatum & tuum, & omnium mortalium; hæc nuntiante Angelo meam conceptionem Deo obediuit, vnde gratia infinita meæ vnionis hypostaticæ prouenit, & omnis gratiæ & salutis exundauit plenitudo. Huic defer obedientiam & honorem; hæc enim salutem tibi, quã per lachrymas tuas consequutus es, attulit, quando me concepit & peperit. Vides gloriam meam & Heuæ meæ, in his gloriare, & laudem da Deo, vt das; & vide quàm felix dici possit tuum peccatum, quod talem ac tantum habuerit Redemptorem, talem Redemptoris Matrem. Nihil enim deperijt de proposito Dei, de æterno eius consilio & clementia: volebamus Pater, ego, & Spiritus sanctus ruinas Angelorum restaurare & complere; non fecit tuum peccatum vt non compleantur; tot enim mortales in cælum euadent ad æternam beatitudinem, quot *Anſelm.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



etiam si nullus homo peccasset in cælũ fuissent assumpti: neque hi solùm, sed plures quã Angeli perierant. Hæc ego hac mea resurrectione conficio, his fruere in me, de his gaude; simul de excellenti meæ Matris lætitia & gloria. Ipsam quidẽ videbis in cœlo post aliquot annos in anima simul & corpore glorificatã; tu corpus tuum assumes tandem in fine sæculorum glorioſum, & mecum regnabis in ęternum. Dein accessit annuente Christo Heua mater, similis verecundæ de sua deceptione & præuaricatione, & mariti ad peccatum solicitatione. Hanc voluit IESVS propiùs accedere ad Matrem. Accede, inquit, ad Matrem meam Heua mater, accede ad meam Heuam: quod quum facis, ad me accedis: in ea agnosce maiorem dignitatem quàm tu amisisti. Tu fuisti donata iustitia originali & gratia, vnde posses excidere; hæc excellenti gratia, vnde excidere non potest diuino priuilegio. Tu fuisti mater viuentium, sed morituroru; hæc mater facta est vitæ æternæ, mea qui sum vita æterna, & qui vitam æternam do mũdo. Hæc vera est virago: tu id fuisti, sed de carne hominis sumpta; ego ex hac carnem sumpsi, & factus sum Deus homo. Tu peccasti; hæc nunquam, ne peccato quidem originali. Gaudes tu de tua pœnitentia, hæc de sua innocentia perpetua. Huic da honorem secundùm me maximum, vt Matri meæ. Ad tuam lætitiam quam cõcepisti de meæ resurrectionis gloria, adiunge gaudium de Matris meæ gaudio & gloria. Accedite quotquot ex mortuis resurrexistis, & Matri meæ secundùm me deferte honorem, huic cõgratulamini de mea resurrectione, & eius dignitate & gloria. Vos Ioachim & Anna parentes Matris meæ, & per cã mei, adeste, agnoscite filiam, & videte quanta gloria de mea resurrectione eam ego coronauerim. Beata vestra fœcunditas, beata fuerunt vbera tua, Anna, quæ Matrem meam lactauerunt: vestram fœcunditatem dico ego felicẽ, & tua vbera de tanto dono: vos gratias Deo agite, & Matrem meam exaltate, & celebrate filiam vestram. Accedite quotquot præsentes estis beatæ animæ, veneramini Matrem meã, Reginam cæli, Dominam vestram & Angelorum omnium, & illi de mea resurrectione & gloria, de eius exultatione & iubilo cõgratulamini. Hoc ego tibi munusculum offero Virgo & Mater glorioſissima Maria, indignus quidem, & balbutiens, & omnibus modis ineptus: certè tamen de filij gratia, & tua intercessione, tuæ dignitatis, & gloriæ, & exaltationis desidero studioſus esse & deuotus, in tuum patrocinium recipi, tuus esse seruulus. Oro, Domina, per resurrectionem filij tui, & per huius gaudium, quod celebrare volui, & non potui assequi; vt hoc mysterium sensu cordis mei & spiritus complectar, illius veritas & sensus meum exhilaret animum, & vitã gratiæ nouam, salutarem, lætam cordi meo conciliet; vnde filio tuo possim obedire atq; seruire, & tibi secundùm ipsum. Amen.

EODEM



# EODEM DIE, DE PRIMO ADVENTV MVLIERVM AD SEPVLCHRVM.

MATTH. XXVIII. MAR. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*In cx. imaginem adnotatiuncula.* cx. 136

A. *Parauerãt mulieres aromata; veniũt ad monumẽtum cũ tenebræ essent, perueniunt orto iam sole.*

B. *Sed antequam peruenirent, Angelus iuuenis pulcherrimi specie excitat magnum terræmotum, reuoluit lapidem ab ostio monumenti; exanimantur metu milites, & fiunt veluti mortui.*

C. *Introspicientes mulieres in spelunca, vidẽt Angelum in morem fulguris collucentem, & reuolutum lapidem, & insidentem ei Angelum: obstupescunt.*

B. *Recreat eas Angelus, nunciat resurrexisse IESVM; hortatur vt sepulchrum visant, & discipulis Christum surrexisse renuncient.*

D. *Iacent milites velut mortui.*

MATTH. XXVIII. MAR. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*Vesperе autem sabbati, [a] quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.*

*Et cùm transisset sabbatum, [a] Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerũt aromata, vt venientes vngerent IESVM.*

*Et valde manè vna sabbatorum*

*Vna autem sabbati*

*Vna autẽ sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent*

*valde diluculò venerunt*

*Et ecce [b] terræmotus factus est magnus; [b] Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentũ eius sicut nix. Prætimore autẽ eius exterriti sunt custodes, & [b] facti sunt velut mortui.*

*veniunt ad monumentũ orto iã [a] sole: & dicebant ad inuicẽ; Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et [c] respicientes viderunt reuolutũ lapidẽ.*

*ad monumentũ, portantes quæ parauerant aromata.*

*ad monumentum.*

*& vidit lapidem sublatum à monumento.*

*Et inuenerunt lapidẽ reuolutum à monumento.*

*Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentũ, viderũt iuuenẽ sedentẽ in dextris, coopertũ stola candida, & obstupuerunt.*

MATTH.

Universidad de Deusto
Biblioteca



MATTH. XXVIII. MARC. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XX.

| | |
|---|---|
| *Respondens autem Angelus, dixit mulieribus;* | *Qui dicit illis;* |
| *[b] Nolite timere vos:* | *Nolite expauescere:* |
| *scio enim* | |
| *quòd IESVM,* | *IESVM* |
| *qui crucifixus est,* | |
| *quæritis:* | *quæritis Nazarenum crucifixum:* |
| *non est hic;* | *surrexit, non est hîc:* |
| *surrexit enim sicut dixit.* | |
| *Venite, & videte locũ* | *ecce locus* |
| *vbi positus erat* | *vbi posuerunt* |
| *Dominus.* | *eum.* |
| | *Sed ite,* |
| *Et citò euntes,* | |
| *dicite discipulis eius* | *dicite discipulis eius,* |
| | *& [c] Petro,* |
| *quia surrexit;* | |
| *& ecce præcedet vos* | *quia præcedet vos* |
| *in Galilæam.* | |
| *Ibi eum videbitis,* | *ibi eum videbitis,* |
| | *sicut dixit vobis.* |
| *ecce prædixi vobis.* | |

## ADNOTATIO.

*A. PArauerant iam ante Sabbatum aromata sanctæ mulieres Maria Magdalene, Maria Iacobi, id est Alphæi vxor, & Maria Salome, cũ his Ioãna vxor procuratoris Herodis Antipæ, & aliæ. Et Sabbato quidẽ siluerũt iuxta legis mandatũ: apparente verò iam prima Sabbati luce contendunt ad sepulchrum, ferentes quæ parauerant aromata. Surrexerat quidem iam Christus, erat tamen clausum sepulchrum, excubabant milites, non poterant ad monumentum vel accedere mulieres propter militum custodiam, vel ingredi propter lapidis magnitudinẽ, qui ostium sepulturæ claudebat, & publicam lapidis obsignationem: reiiciuntur autem hæc omnia, antequam perueniant mulieres.*

*B. Misit enim Angelum Deus, cuius aspectus vel species erat vt fulgur, vestis cãdida vt nix. Is excito vehementi terræ motu primùm terret custodes, dein remouet ab ostio monumenti lapidem, & illi insidet. Angelico splendore ac maiestate perterrentur adeò milites, vt abiectis armis, viribus omnibus destituti & animo, quasi mortui in terram deiicerentur.*

*C. Sedato terræ motu aduenium mulieres sanctæ in cõspectum sepulchri orto iam sole, quæ domo discesserant cum adhuc essent tenebræ: reliquas verò antecedebat feruentior Magdalena. Dicebant verò ad inuicem; Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Solicitè de his agebant, oculis in terram dimissis præ doloris sensu, & reuerentiæ, vel etiam timoris. Respicientes autem ad monumentum, antequam ad priorem speluncam ingrederentur, vident ex sepulchro ipso & secundo specu lapidem reuolutum, qui erat maximus: neque de custodibus cogitant, fecerat iam illis animum Christus, sed confidenter ad primam speluncam adeunt, obstupescunt, & timent conspicientes figuram iuuenis splendidissimi Angelum, candida stola ornatum. Is ad dexteram sepulchri super lapidem quem ab ostio remouerat sepulturæ sedebat præstolans mulierum aduentum. Accedẽtibus propius mulieribus, præuenit illarum interrogationem tacitam ac metu suppressam;*

*B. Nolite, inquit, expauescere. Reficit priùs earum animos ex stupore & metu. Hoc enim ingenium est cælestium visionum, vt quandoquidẽ totam hominis naturam antecellunt, ita totum hominem*



*hominem subitò perturbent: verùm ex templo adest diuina virtus, quæ imbecillitatem humanam erigat atque rẽficiat. Indicat deinde Angelus quem quærerent IESVM Nazarenum crucifixum resurrexisse, vt prædixerat, nec eo loco esse: inuitat verò eas vt ad interius antrum procedant, quò suis oculis perspiciant non esse in sepulchro IESVM, & resurrexisse credant: ad hæc iubet vt citò ad discipulos reuertentes nuncient resurrexisse Christum, & futurum vt eos præiret in Galilæam. Colligunt se ex timore sanctæ fœminæ, & ad sepulchrum properant: ingrediuntur vna post aliam omnes.*

*D. Non sunt milites ita depingendi quasi arma expediant viso Angelo, & sint pugnaturi: contrà fuit, nam exterriti & exanimati, abiectis armis ad terram exporrecti iacuerunt veluti mortui.*

## MEDITATIO.

RESurrexerat Christus videntibus Angelis & Patrum animabus; apparuerat matri; lux resurrectionis, vitæ, & gloriæ Christi Ecclesiam illustrabat: erant omnia plena exultatione & iubilo cælesti atque splendore; & tamen hæc lux & splendor gloriæ non erant conspicua mulieribus quæ Christum erant sequutæ è Galilæa, non discipulis, ac ne Apostolis quidem: vigebat adhuc sensus passionis Christi & crucis; tristitia & luctu erant corda occupata. Non erant quidem infideles, sed ne fideles quidem perfecta fide & consummata; quasi videres illos ad fidem ampliorem informari, fuisse in illis vniuersalem quandã fidem, & quæ virtute omnes articulos contineret vno complexu; in Christum enim credebãt omnes, sed ita vt reuelationes particulares eorũ fides adhuc non accepisset. Dixerat certè Christus se crucifigendum, & resurrecturum è mortuis, sed nullus intellexerat, ne Apostoli quidem: postea viderant cruci affigi & mori; tori in hoc erant, mœrentes & desolati; mortuus est IESVS, mortuus est Dominus noster, mortuus est Christus filius Dei viui, in quo erat nostra spes collocata, & Israël Dei. Dignissima illa eis videbatur causa cur lugerent; itaque hac cogitatione implicati aliud nihil cogitabant. Fuerant quidẽ in eorum corde & fide ante passionem omnia quæ erant credituri; non adhuc tamen erant illis omnia reuelata tam apertè, vt fidei articulos constituerent: nihil disertè de Sacramento pœnitentiæ audierant, nihil de primatu Petri nisi futuro: designata tantùm hæc in doctrina Christi erant: non erat adhuc illis sensus apertus vt scripturas intelligerẽt: multas veritates erant ab Spiritu sancto docendi, quas nondum intellexerant. Hæc quum ita sint, meditandum nobis est quemadmodum Ecclesia sit ad fidem resurrectionis Christi instituta. Agite vos sanctæ mulieres, docete nos; elegit enim vos Christus per quas gloriam recuperatæ vitæ suæ Ecclesiæ insinuarer. Credebatis mortuum, & sepulchro conclusum Dominum; hæc enim videratis. Quare vestram deuotionem sequutæ parauerat is vnguenta aromatica, quibus mortuum vngeretis, & diligenter quidem, tum ante sabbatum sexta sabbati in itinere redeuntes ex sepulchro, tum post sabbatum prima sabbati noctu. Vnxistis certè vos Christum mortuum, & celebrastis animi vestri proposito & deuotione, etiam si non re ipsa: accepit Christus vestrum obsequium, vt ante passionem acceperat tuum Magdalena, sepulturam eius vnctione preciosa vaticinantis. Ita per vestrũ desiderium docuit nos Dominus suam sepulturam laudibus & pia oratione prosequi, vt vim accipiamus perfectè moriendi peccatis nostris, & in ea morte perseuerandi: neque tamen in hac meditatione nobis esse sistendum, vt mulieribus non permisit in eo perseuerare; sed fecit vt desiderium vngendi Christum mortuum exciperet non solùm Angelorum conspectus & alloquium, sed Christi etiam è mortuis suscitati, & in æternum viuentis. Sed quo tempore venistis vos ad monumentum? Adeò eramus illinc perterritæ & afflictæ propter Christi mortem, hinc vngendi Domini desiderio adeò flagrantes, vt post sabbatum tota nocte quæ lucescit in primam sabbati conquiescere nequiremus, & quum primùm aurora videretur esse vicina, domo exierimus festinanter, nec de custodia militari cogitaremus, non de obsignatione publica sepulchri, quæ per obseruatores nostros intelligebamus; nec prouideremus qui magnum illum lapidem ab ostio monumenti dimoueret: ducebat enim nos Spiritus Domini aliò quàm nos putabamus, vt est frequens eius beniguitas & prouidentia. Ibamus celeriter quidem, propter auiditatem vngendi Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca



di Dominum, sed retardabat nos aliquando difficultas sepulchri aperiendi; iter etiam longius nobis erat ad Golgotha extra vrbem è monte Sion: quocirca deuenimus ad sepulchrum orto iam sole. Augebatur enim in nos Dei benignitas: tenebræ enim erant in mentibus nostris cùm domo egrederemur, & in mundo, nondum resuscitato Domino; aurora verò resurrectionis erat cùm in itinere essemus; siquidem & orbi fiebat sol vicinus, & lux Christi resurgentis Ecclesiæ. Venimus ergo ad sepulchrum cùm iam ortus esset Sol. Siquidem resurrexit Christus ad vltimam auroræ partem; quò factum est vt noctis vmbrã in qua perpetuò fuerat mundus, illuminaret resurgens Christus, & Ecclesiam fulgoribus cælestibus repleret. Ibi verò sensimus in spiritu nostro nescio quid nouæ exultationis & lucis; & tamen quod identidem feceramus in itinere, in eo eramus; quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? progrediebamur tamen, qui erat interior spiritus nostri instinctus. Eramus iam ad vestibulum monumenti, & ne tunc quidem militum vllam habuimus rationẽ, vel metum concepimus. Vidimus tandem reuolutum ab ostio monumenti lapidem illum magnum valde, quod nostros animos refecit: itaque plenæ spei bonæ sumus ingressæ in anteriorẽ specũ. Tunc verò conspicimus rem admiratione, timore, & stupore plenam; Iuuenem candidissima veste ornatum, cuius erat aspectus vt fulguris coruscantis, sedentem super lapidem, vt ex eo tamquã ex virtute Christi resuscitati, eius resurrectionem nuntiaret. Obstupuimus & timuimus ex illius conspectu; sed è vestigio nostros animos confirmauit dulcissimis verbis: nam & fulgor eius, & candor, & præsentia robur spiritus nobis, & suauitatem cordis inseruerunt, expulso stupore & timore: contrà quàm fecerat militibus, qui non solũ terræmotu, sed & harum rerum conspectu perterrefacti, veluti mortui omnibus viribus resoluti in terram ceciderant. Erat videlicet vis illa Angeli diuinitatis, quæ per eandem rem diuersa operatur: ita splendor gloriæ venientis ad iudicium Christi lætus erit bonis, malis terribilis. Eramus iam in alium spiritum immutatæ, milites æstimabamus ac si nõ essent, non meminimus vnctionis, totæ pendebamus ab illius iuuenis fulgore, & Angelum à Deo missum lætæ confidebamus. Nuntiat ille splendidissimis verbis surrexisse Christum, non esse in sepulchro: inuitat vt ipsæ per nos sepulchrum videamus vacuum; simul edicit vt narremus discipulis, & Petro, quòd surrexisset è mortuis Dominus, quòd præiturus esset nobis in Galilæã, & ibi videndus & apertiùs & clariùs. Hoc initium fuit doctrinę euãgelicæ de Christi resurrectione. Eratis rursus, ô sanctæ mulieres, in aurora resurrectionis: incipiebant enim ad nos radij illius lucis expandi, non tota lux apparere. Non faciebat illa aurora in vobis fidem plenam, vt nec plenum lumen communicabat: & tamen permouit vos Angelus vt in monumentum velletis ingredi; videbat enim vos de eius verbis hæsitare: verum hæc vestra tarditas, nostra erat celeritas; facit enim nobis & certiorem fidem resurrectionis, & faciliorem, quòd in vobis permissa est illa dubitatio, ne nos turbaret; & expulsa, vt in nobis constaret illius articuli substãtia. Magnũ accepimus per vos à Deo beneficiũ, sed hoc beneficium singulare nos admonet nostrarum in fide imperfectionum, quæ etiam si non expungunt è cordibus nostris fidei substantiam, debilitant certè illius tenorem, & cohibẽt incrementũ. Et vt de alijs fidei imperfectionibus sileam, resurrectionem ipsam Christi nónne tam frigidè credimus & intermortuè, vt illa fide nihil ferè moueamur ad amorem mortificationis, & vitæ melioris desiderium; nullam vim accipiamus ex vita resurgentis Christi, ad exercenda opera illius lucis & fidei, opera quæ nobis præcepit Deus vt in eis ambulemus, illius virtuti diuinæ cooperantes? Fides enim diuinitus per charitatem efficax facit, vt quæ credit homo, ea coniungat cum principio reuelationis, Deo ipso veritate infinita; vnde mirabiles effulgent fidei splendores in nobis, & vis quædam diuina, & omnis boni principium concipitur. Sed quis tandem hæc sentit in spiritu suo? quòd si hæc assequimur, id facimus speculatiuè; quasi credamus id fieri posse, non experiamur in nobis, non gustemus. Orate pro nobis, beatæ mulieres, vt per vim resurrectionis Christi hæ abigãtur à nobis fidei imperfectiones; effulgeat verò in mentibus nostris lux fidei, quã charitas viuificet, sapientia, & intellectus, & reliqua dona spiritus illustrent & ornent: & vt Lutherana illa fumosa fides ac diabolica cum authore in inferno sepeliatur. Amen.

*Aug. ita sentit, l. 4. de Trin. c. 5 Diuus Tho. 3. p. q. 53.*





# EODEM DIE DOMINICO ANGELI APPARENT MVLIERIBVS.

MATTH. XXVIII. MAR. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*In cxj. imaginem adnotatiuncula.* cxj. 137.

*A.* *Ingressæ mulieres non inueniunt corpus IESV.*
*B.* *Egrediuntur consternatæ.*
*C.* *Apparent ipsis duo Angeli virorum specie, fulgentibus vestibus, ad sepulchrum stantes, dicunt; Quid quæritis viuentem cum mortuis?*
*B.* *Illæ præ timore fugerunt, nunciaturæ discipulis.*
*D.* *Præcurrit Magdalena, quæ prior venerat ad monumentum.*
*E.* *Venit domum in montem Sion, narrat omnia Petro & Ioanni; superueniunt aliæ, narrant omnibus omnia.*
*F.* *Milites similiter iacent.*

MATTH. XXVIII. MAR. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*Et* [a] *ingressæ non inuenerunt corpus Domini IESV. Et factum est dum* [b] *mente consternatæ essent de isto,* [c] *ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerẽt autem, & declinarẽt vultum in terrã, dixerunt ad illas;* [c] *Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hìc, sed surrexit. Recordamini qualiter loquutus est vobis cùm adhuc in Galilæa esset, dicens; Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorũ, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius;*

*Et exierunt* [d] *citò de monumento cum timore & gaudio magno.*

*At illæ exeuntes,* [b] *fugerunt de monumento;*

*& egressæ à monumento*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*inuaſerat enim eas pauor & tremor; & nemini quidquam dixerunt; timebant enim.*

*currentes* [b] *nunciare diſcipulis eius.*

*Cucurrit ergo ([a] Maria Magdalene) & venit ad Simonem Petrum, & ad aliũ diſcipulum, quem amabat IESVS, & [a] dicit illis; Tulerunt Dominũ de monumento, & neſcimus vbi poſuerũt eum.*

[b] *nunciauerũt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc. Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis.*

## ADNOTATIO.

*A. INgreſſæ mulieres in monumentum cõrpus IESV non inuenerunt.*

*B. Egrediuntur autem mente quidem conſternatæ timore magno, ſed gaudio ſimul magno exultantes; itaque nec ad linteamina, nec ad ſudarium aduertunt animum: primò enim Angelo plenam fidem non habuerant; vbi verò cõrpus non reperiunt, ampliùs fides eorum turbatur: egrediuntur attonitæ tremore ac pauore, & interram vultum declinantes.*

*C. Apparent egreſſis duo Angeli, non ſpecie iuuenili vt prior, ſed virili, fulgentibus veſtibus; nec ſedent vt ille, ſed iuxta eas adſtant; neque blandiùs, vt alius, eas compellant, ſed ſeueriùs obiurgant; Quid quæritis viuentem cum mortuis? non eſt hic, ſed ſurrexit: ſimul eas docent ſuauiter; Recordamini qualiter locutus eſt vobis cùm adhuc in Galilæa eſſet. Mira eſt hæc verborũ & rerum varietas, & plena myſterij, ſi quis attendat.*

*B. Quid ſanctæ mulieres? colligunt ſe ex timore, quæ audierant à Chriſto ipſo de eius reſurrectione in memoriam reuocant, animo concitantur: audierant à priori illo Angelo vt citò irent & nunciarent quæ audierant & viderãt diſcipulis; properant itaque, atque adeò exeurrunt & fugiunt in vrbem & montem Sion.*

*D. Et quidem Maria Magdalena, quæ & prior venerat ad monumentum, alias antecedit, narrat omnia Petro & Ioanni: perueniunt & aliæ mulieres, exponunt omnes alijs Apoſtolis & diſcipulis lugẽtibus ac flentibus rem totam. His autem videntur illarum verba muliebre eſſe deliramentum: non ita a Petro & Ioanne; ſed religione tacti, condicunt inter ſe vt ipſi per ſe curriculo veniant ad ſepulchrum, & veritatem earum rerum quas narrauerant mulieres præſentes videant.*

*E. Domus in monte Siõ, vbi Petro & Ioanni Magdalena, omnibus omnes mulieres narrant quæ ſibi contigerant.*

*F. Adhuc iacent milites exanimati, quipoſtea vbi ſecundò abierint mulieres vltimi exurgent obſtupefacti, & diffugient.*

MEDI-



## MEDITATIO.

PErmouerat vos Angelus, beatæ mulieres, vt velletis videre ſepulchrum, & locum vbi poſitus fuerat Dominus. Mutata vobis ſunt omnia: veniſtis vt ingreſſæ ſepulchrum mortui corpus vngeretis, nunc auditis viuentem: ingredimini, non vt vngatis Dominum, ſed vbi fuerat Dominus vacuum locũ vt videatis: dubitabatis, accuſabat vos animus veſter, cæleſti voci vix credebatis. Plena erat mens veſtra magna rerũ contrarietate; æſtuabatis præſertim quando intra monumentum eſſetis, & inceſſiſſet corda veſtra loci illius maieſtas, & diuinum numen & ſenſus; quæ illic poſtea fuerunt perpetua, & ſepulchrum Domini ſemper glorioſum. Dicite piæ mulieres, obſecro, quid ſentiebatis vbi renuit vos facer ille lapis? nónne ſenſus vos corripuit mortui Chriſti ibi ſepulti, ibi iacentis, inuoluti ſindone munda, colligati caput ſudario? Nónne quum hæc ſentiretis, præterita non videretis, ſimul vos, & quidem vehementiùs, comprehendit ſenſus quidam reſurrectionis, & lux viuentis Chriſti; quum in veſtris animis pugnarent hi omnes varij rerum magnarum motus? Apprehendit vos timor & tremor, conſternatio perculit vt citò exeuntes de monumento fugere inciperetis. Sed modicum detinuit vos non vnus qui interea abſceſſerat, ſed duo Angeli; non quaſi iuuenes, ſed quaſi viri; non ſedentes, ſed ſtantes; non ſolùm fulgenti vultu, ſed veſte; quorum conſpectus compeſcuit quidem illam conſternationem veſtram & tremorem, ſed non fecit vt ſine tremore non timeretis, non fecit vt vultum auderetis in Angelorum fulgores intendere. Audiſtis à duobus quæ à priori Angelo, pauciora etiam quàm à priori, ſed ita audiſtis, vt magis hæc vos mouerent quàm illa: non enim tantùm duorum Angelorum verba Chriſti reſurrectionem vobis denuntiarunt, ſed ad corda etiam veſtra penetrarũt, & illorum dubitationem acriùs perſtrinxerunt. Audiſtis, bonæ mulieres, iàm à tribus Angelis Dei ſurrexiſſe Dominum, & tamen adhuc animo illum quæritis cum mortuis. Nihil eſt vitæ cum morte cõmune, nihil eſſe poteſt; quanto minùs vitæ Dei, vitæ Domini, vitæ triumphatrici mortis, Satanæ, peccati, inferni! Vos quidem Chriſtum mortuum quæritis, at Chriſtus & vita eſt ſempiterna, & in vitam ſurrexit ſempiternam: erratis igitur vehementer vbi vitam quæritis in ſepulchro & morte. Fuit quidem mortuus Chriſtus, ſed non potuit illi mors dominari, & tamen dominari poſſe vos vnguentis ſignificabatis. Non potuit Chriſtus ita mori: ſed quemadmodũ mortuus fuit vita ſempiterna, & mors eius vitæ parens; ita ſemper erat etiam in ſepulchro viuens Chriſtus, & mortuus vitam mortalibus conficiebat. Itaque fuit mors illa vitalis, nec fuit quærẽdus cum mortuis mortuus Chriſtus: illi enim vim non habebant à morte reſurgendi, Chriſtus verò verè mortuus non ſolùm habuit per mortem ſuã vim reſurgendi, ſed alijs etiam vim promeruit & confecit ad immortalem vitam reſurgendi. Non placet Deo, non nobis, vt ita quæratis Dominum; abigite à cordibus veſtris mortis illius imaginem vt mortis, induite vt vitæ; & credetis vt verè mortuum fuiſſe, ita verè reſurrexiſſe; & illam eius mortem & ſibi & vobis vitã præſtitiſſe, quapropter ſuſcepta erat. Viuit Chriſtus Dominus noſter & veſter, viuit in æternum Chriſtus Dominus, ſepulta eſt mors in inferno; reuocate in memoriam quæ ipſe dixit vobis quum adhuc in Galilæa vobiſcum verſaretur: non enim ſolùm dixit; Oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi, ſed adiunxit, Et die tertia reſurgere. hæc eſt dies tertia: ſi illa creditis, cur non etiam hoc? Non enim magis illa dixit quàm hoc; nec alius illa, alius hoc: Filius Dei illa dixit, hoc idem Filius Dei dixit. Agite, ne patiamini corda veſtra occupari magis virtute paſſionis & mortis Domini, quàm gloria & luce reſurrectionis & vitæ. Ille ſenſus fidei veſtræ bonus eſt, ne velitis per illum ſenſum hanc fidem arcere: ſedate corda veſtra & componite, vt fides veſtra hanc veritatẽ abſq; hæſitatione excipiat. Agnoſcimus noſtram culpam & imperfectionem, Angeli Dei: recordamur verborum Domini, & illius verbis & veſtris mouemur: verùm ea eſt vis in nobis amoris erga Dominum, ea fuit illius acerbitatis, & doloris, & luctus vehementia, vt nos totas adhuc comprehendat, nec ſinat ſplendore reſurrectionis perfrui. Hei nobis, interfecerunt impij homines Dominum noſtrum, mortuus eſt IESVS, noſtri cordis vita; orate vos beati ſpiritus pro nobis, vt hæc hæſitatio nos deſerat, & reſurgat Dominus in corde & ſpiritu noſtro: nos tamen interim

*Mat. 16*

Universidad de Deusto
Biblioteca



optima fide, vt dixit prior ille Angelus, & intelligimus vos velle, quæ audiuimus, quæque vidimus omnia celeriter ad discipulos & fratres nostros perferemus. Erant discipuli cum Apostolis intra domum in monte Sion congregati lugentes & flentes; audiunt Magdalenam, audiunt alias mulieres, non solùm non credunt, sed videntur ipsis quæ audiunt esse deliramenta; præsertim quum hæsitanter illa narrẽtur à mulieribus & mœsto animo. Neque verò mirum: ad terrorem enim comprehensionis Christi in horto, & eorum præcipitem fugam accesserat infinita illa atrocitas & ignominia passionis & mortis Christi. Itaque erant timore adhuc perculsi; & lucem fugientes, fidem quidem suam in Christum retinebant in vniuersum, sed quæ adhuc erat articulo resurrectionis informãda. Nondum erat eorum fidei plenum robur datum; non enim promissam acceperat confirmationem, nec eam fidei amplitudinem quam Spiritus sanctus in eorum corda infudit postea; sed tamen firmiores alij alijs erant; in omnibus tua rursus aurora resurrectionis agebatur. Non enim etiam si non crederent Christum resurrexisse, non aliquo lumine tangebantur lucis suscitati è mortuis Christi. Varia erat illius sanctę domus facies; Sacrosancta Virgo Mater fruebatur excellenti sua luce resurrectionis filij, & apparitionis sibi factæ, contemplabatur viuẽtem Christum in dono spiritus sapientiæ, & suauitate Dei, sereno vultu, summa cum grauitate composito: intelligebat autem quæ gerebantur inter discipulos & mulieres: sciebat quò mysterium spectabat Angelorũ apparitionis, dubitationis mulierum & discipulorũ; omnia reuelabat matri filius. Esse item sciebat in illo mysterio, vt nihil ipsa eorum quæ nouerat alijs exponeret, simul vt nullus illam interrogaret. Erant ita res diuisæ diuina prouidentia; illa fruebatur donis cælestibus, hi fluctuabant in suis timoribus & titubationibus. Interim prouidebatur manifestati fidei resurrectionis Christi, quam non per hominem voluit conflare Christus, sed præmissis Angelis, præmissa discipulorum hæsitatione, per se ipsum inuehi in Ecclesiam gloriosissimè. Non videbatis hactenus, sancti Apostoli, & discipuli, & mulieres, lucem resurrectionis: eratis in vestra aurora; non erat ortus vobis sol vitæ æternæ viuens Christus, qui faceret vt illa aurora fieret vobis dies clarissimus: sed vos habuistis quidem priùs auroram, postea tamẽ lucem diuinam. Nos verò hoc à Deo accepimus beneficium, vt in aurora etiam vestra videamus plenam perfectamque lucem, & in vestris dubitationibus firmitatem maiorem accipiamus; quod nos vobis item debemus in Christo, & debere profitemur. Oramus autem illud præterea apud Deum impetretis, vt fides nostra in dies maiorem accipiat lucem & perfectionem; & quod in fide est, id in nobis sentiamus valere potenter per fidem in Christum, principium & radicem omnis iustificationis, & operum bonorũ, & meriti in vitam æternam. Amen.

EODEM



# EODEM DIE VENIVNT PETRVS ET IOANNES AD SEPVLCHRVM.

LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*In exij. imaginem adnotatiuncula.* exij. 138.

*A.* *Permoti verbis Magdalenæ excurrunt ad monumentum Petrus & Ioannes: sed Ioannes præcurrit.*
*B.* *Sequitur e Magdalena non ita longè.*
*C.* *Subsequuntur aliæ mulieres paulo longiùs.*
*D.* *Peruenit Ioannes citiùs Petro, inclinat se, videt linteamina, non intrat, dat locum cedẽti Petro.*
*E.* *Venit Petrus, intrat inclinatus, videt linteamina, & sudarium inuolutum, deinde intrat Ioannes.*
*F.* *Redeunt Apostoli domum.*
*G.* *Magdalena remanet ad monumentum.*
*H.* *Milites consternati silent.*

LVC. XXIIII. IOAN. XX.

[a]*Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum:*

*Exijt ergo Petrus & ille alius [a] discipul⁹, & venerunt ad monumentum. Currebãt autem duo simul; & ille alius discipulus præcucurrit[d] citius Petrò, & venit prim⁹ ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & [e] introiuit in monumentum,*

*& procumbens vidit linteamina sola posita,*

*& vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput ei⁹, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. [e] Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentũ, & vidit, & credidit: nondum enim sciebant scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*& abijt,*
*secum mirans*
*quod factum fuerat.*

*Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos: b c Maria autem d stabat ad monumentum foris, plorans.*

## ADNOTATIO.

*A. PErmoti verbis Magdalenæ & aliarum mulierum Petrus & Ioannes currũt ad monumentum; celeriùs tamen Ioannes, vel vt iunior, vel auidior.*

*B. Subsequitur Magdalena non ita longè festino gradu.*

*C. Sequuntur aliæ mulieres postea, sed longiori interuallo.*

*D. Peruenit prior Ioannes ad monumentum quàm Petrus; inclinat caput introrsum, videt tantùm linteamina, non ingreditur tamen, deferens scilicet digniori honorem. Ita semper habitus est primus Apostolorum Petrus.*

*E. Ingressus Petrus linteamina videt, & sudarium quo Christi caput fuerat obuolutum, alio & alio loco posita: non erat egressus Petrus cùm intrat etiam Ioannes, & videt quæ Petrus:*
Chryſoſ. *crediderat Petrus, credit Ioannes resurrexisse Christum, augetur in vtroque fidei sensus interior, ingeneratur scientia mystica veræ resurrectionis; quæ fecit vt quæ non intellexerant antea, vbi mortem & resurrectionem suam illis prædixerat IESVS, quæ legerant in scripturis, quæ audierant à mulieribus, ea tũ primùm cum animi sui admiratione & suauitate perciperent.*

*F. Recipiunt se domũ hac persuasione pleni.*

*Hæc ita possumus meditari cum Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Euthymio & alijs: nisi velimus Augustini, Gregorij, & item aliorum sequi interpretationem, qui sentiunt non credidisse tunc Ioannẽ Christi resurrectioni, sed quòd fuisset eius corpus sublatum, vt mulieres crediderant. Cæterùm quòd quidam interpretantur ter venisse Petrum ad monumentum, primò solum, deinde cum Ioanne, tertiò item solum, etiã si non ducatur ex euangelica historia, tamen & piè credi potest, & videtur appositum ad vehementiam amoris Petri in Christũ demonstrandam, & pœnitentiam trinæ negationis. Adde quòd facilè intelligi poterit cùm tertiùm rediret à sepulchro Petro apparuisse Dominus: alioqui incertum nobis est quando apparuerit, cùm sciamus eo eodem die apparuisse antequã rediissent duo discipuli ex Emmaunte.*

*G. Peruenerat interea ad monumentũ Magdalena, & recedentibus discipulis non recedebat: sed amoris igne succensa, ac Christi ardens desiderio, audiens ab Apostolis confirmari Christum non esse in sepulchro, esse tantùm linteamina & sudarium, illis abeuntibus restabat foris ad monumentum plorans.*

*H. Adhuc iacent exterriti milites.*

## MEDITATIO.

AVgetur splendor resurrectionis Domini IESV, minuitur aurora, fit magna animorum commotio, non solùm in alijs discipulis, sed in Apostolis ipsis, & inter hos in Petro & Ioanne præcipuè. Narrabat Magdalena & aliæ mulieres quæ audierant & viderant; & ea quidem ex mentis suæ statu adeò titubanter, adeò perplexè, vt cùm dicerent Angelos sibi apparuisse qui confirmarent resurrexisse Christum, & vidisse se vacuum sepulchrum; adderet tamen Magdalena, non dubium quin etiã aliæ, Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum: quæ videbatur esse deliratio, & à priori narratione exorbitatio comperta. Nam si vera sunt, Magdalena, quæ ab Angelo, quæ ex Angelis audistis, quomodo fallũm non est quòd illũ abstulerint nescio quò, nescio qui? Itaque ex verborum vestrorum perplexitate nihil potest esse nobis perspectum; & aliud nihil



nihil quàm accendistis in nobis desiderium acre ea quæ narratis explorandi. Eamus, inquit Petrus Ioanni, excurramus nos ad monumentum; probant alij, currunt ambo auidè. Mouit verò Christus hos præsertim; alterum enim elegerat præcipuè inter Apostolos, alterum diligebat: vnde fiebat, vt crederent alij Christum facilius illis esse reuelaturum rem totam & apertiùs, vt electo & dilecto. Sed cur simul primò currunt? cur deinde præcurrit citiùs Petro Ioannes? Par eorum duorum desiderium erat fortassis currendi, non eædem vires; præsertim cùm longè curreret, à monte Sion in Golgotha. Adde quòd Ioannes & initio itineris, & in fine detulerit primas Petro; illic ne prior curreret, hic vt præcederet quasi exploraturus minister. Currebat eorum affectus, & vehementiùs incitabatur; id enim erat in eorũ cursu, neque longitudine cursus deterrebantur, nec insolentia currendi per mediã vrbem, & circa templum, vbi erat hominum perpetua frequentia, neque Iudæorũ metu, nam militum custodum timorem abstulerant mulieres. Corripuerat eorum animos diuinum numen, & cælestis quidam impulsus: moliebatur enim Christus fidem suæ resurrectionis, & fructum suæ passionis & mortis. Peruenit prior Ioannes, prospicit quidem interiùs, non ingreditur tamen persistens in reuerentia Petri; & tamen amoris Christi teneritudo non est passa, quin inspiceret in monumentum: vidit linteamina, non sudarium; intulerat enim oculos, non lustrauerat; cohibuit enim se donec veniret Petrus: nec tamen adhuc credit, re non explorata nec sibi nec Petro. Venit ergo Petrus, ingreditur, circumspectat omnia, videt linteamina reposita, sudarium verò alia in parte sepulchri nõ repositum solùm, sed inuolutum item, vt studiosè factum vtrunque videretur, non temere vel properanter, & ad fidem resurrectionis spectare: tangitur religione, & fidei oculos aperit singulari Christi beneficio; credit Dominum verè resurrexisse à mortuis. Tum verò intelligit non solùm quæ audierat à Christo in Galilæa toties, & postremò post Cænam, sed scripturam quæ erat de eius resurrectione: neque enim credidit esse corpus sublatum nescio quò, & non potiùs alijs verbis & Magdalenæ, & mulierum ex ore Angelorum. Egit gratias Deo quòd primam reuelationem fidei resurrectionis inter quærẽtes & ambigentes sibi esse factam videret.

*Psal. 3. Oseæ 6. Ioan. 3.*

Gloria, inquit, in altissimis Deo & Christo eius viuenti in sæcula sæculorum: lætentur cæli, iubilent Angeli omnes, gaudeat Ecclesia; surrexit Dominus, vitam mundo dedit Christus, vim accepimus vitæ cælestis, qui sumus in Christo: alij omnes mortales eandem desumere possunt si velint; omnibus mortalibus vitam parauit æternam resurgens à mortuis Deus. Quum expleſſet desiderium suum Petrus, tunc ingreditur Ioannes, circumspicit & ipse omnia, notat omnia, credit & ipse: quod quum dicit ipse, sine vlla dubitatione significat etiam Petrum credidisse; quasi diceret, non credidit solùm Petrus, sed ego simul: quod fidei lumen diuinum fecit, vt qui antea non intelligebamus quæ erãt de resurrectione Christi scripta, nisi quadam vniuersali fide, fierent nobis lux præclara in Domino. Laudat & dilectus discipulus magistrũ suum, & gratias vterque Deo agit pro excellenti beneficio; fiunt inter ipsos magnæ spiritus congratulationes, animaduertunt & sentiunt sepulchrum & locum illum cælesti quadam luce & virtute esse illustratum; contemplantur animo præsentiam Christi viuentis, Angelorum cum ipso, & animarum sanctarum frequentiam; sepulchrum exosculantur deuotè, linteamina suauiantur & sudariũ, in ijs Christum adorant: percipiunt ex ea adoratione singularem spiritus consolationẽ & gustum, qui postea à fidelibus acceptus fuit omnibus sæculis: nõ auferunt tamen sindonem, non sudarium adhuc; vnicè fruuntur sua spiritus exultatione & iubilo in Christo, & integra volunt adhuc constare omnia in sepulchro resurrectionis indicia. Redeunt vnde venerant gaudentes, nec quicquam eorum quæ crediderant nuntiant Magdalenæ, non mulieribus: eas beneficio Christi permittunt: quod è prouidentia Christi agebant, vt pluribus testimonijs fides resurrectionis eius confirmaretur. Reditis quidẽ, ô beati Apostoli, ad vosmetipsos domum in montem Sion, vnde veneratis. Redimus; sed maior erat reditus noster alius, qui nos ad interiora cordis nostri colligebat, nostram increpans tarditatem. Nónne audieramus de resurrectione sua respondisse Christum Iudæis, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud? Nónne bis, & grauissimè quidem, dixerat nobis in Galilæa, & iterum veniens Iericho, tertia die se post condemnationem & mortem surrecturum? Nónne post cænam, & acceptam

*Ioan. 2. Mat. 26. & 27. Marc. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ac nobis traditam corporis & sanguinis sui sacrosanctam cõmunionem, idem nobis fuerat restatus? Iam dies tertius est ab eius cruce, iam Angeli per mulieres nobis confirmauerunt eum à mortuis resurrexisse, & tamen nõ credimus, quum ego, inquit Petrus, eius verba sensissem verba esse æternę vitæ, quum eũ esse filium Dei viui fuissem professus ex Dei reuelatione. Vita ergo tunc in me dominabatur Christi, nunc verò totum comprehenderat mortui eius sensus. Hem miseriã! Quid? Me, inquit Ioannes, non debuit mouere præcipuus ille Domini mei amor quo me semper amplexus est? non ea verba quæ à pectore eius in Cæna audierã plena diuinitatis & vitæ æternæ? O meam ingratitudinem singularem! verum eò maior in nos enituit Dei misericordia & benignitas, qui indignos tam excellẽti munere & luce ornauit: sit eius nomen benedictum in secula. Atque nos etiam, ô beati Apostoli, Deo pro vestro beneficio gratias agimus immortales; illud enim beneficium, & fides in nos redundauit: diuinum etiam in vestra tarditate credendi mysterium susc ipimus, quæ & vos erudiuit & nos: consilium item Dei veneramur, qui vos duos ex imbecillitate ad firmitatem fidei resurrectionis primos erexerit: tu enim nobis significas, Petre, fidei soliditatem & firmitatem; tu, Ioãnes, charitatis suauitatem & feruorem. Sed hæc in vtroque vestrũm erant; vterque enim non solùm solidè & firmiter credidit, sed suauiter etiam & feruidè amauit Dominum suscitatum. Hæc ad nostram institutionem facta non dubitamus, vt in fide non solùm constantiæ perfectionem quæramus, sed charitatis etiam adiungamus. Hæc vos nostis sancti Apostoli, & illis nos egere cognoscitis: estis nostri patroni, iuuare nos vultis & potestis in Christo. Obsecramus sit nobis apud Christũ vestra intercessio salutaris. Amen.

EODEM

# EODEM DIE APPARET MAGDALENÆ.

MARC. XVI. IOAN. XX.

*In cxiij. imaginem adnotatiuncula.* cxiij. 139.

A. *Magdalena stabat ad monumentum foris plorans.*
B. *Dum ergo fleret, vidit duos Angelos in albis sedentes in monumẽto, ab his audit; Mulier, quid ploras?*
A. *Animaduertit Angelos post suũ ipsius tergũ cupidè prospicere. Itaque conuersa videt IESVM habitu hortulani.*
C. *A quo audit; Mulier, quid ploras? &c.*
A. *Cum respondet illa rursum; Domine, si tu sustulisti eum:*
D. *A Christo nomine de more appellatur, Maria.*
E. *Respondet; Rabboni; accidit ad pedes eius, vulnerata cor vno ipsius verbo, cupiens suo more complecti.*
D. *IESVS se tangi vetat, ac docet quemadmodum antequam ascendat cum eo sit agendum.*
F. *Apostoli redeuntes fiunt obuiam venientibus mulieribus*
G. *Nondum milites surgunt.*

MAR. XVI.

*Surgens autem (IESVS) manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ieceˢat septem dæmonia.*

IOAN. XX.

[a] *Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos* [b] *Angelos in albis sedentes, vnũ ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus IESV. Dicunt ei illi; Mulier, quid ploras? Dicit eis; Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerũt eum. Hæc cùm dixisset, [a] conuersa est retrorsum, & vidit IESVM stantem; & nõ sciebat quia IESVS est. Dicit ei [c] IESVS; Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa [a] existimans quia hortulanus esset, dicit ei; Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei [d] IESVS; Maria. Conuersa [e] illa, dicit ei; Rabboni; quod dicitur Magister. Dicit ei [d] IESVS; Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis; Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrũ, Deum meum & Deum vestrum.*

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. LVgente Magdalena foris extra interius antrum, hoc est ante sepulchrum ipsum, exstiterunt Angeli duo veste candida in monumento: ipsa solicita, & impatiens desidery, inclinat se, ac prospicit ad monumentum.*

*B. Videt autem duos Angelos, vnum ad caput loci vbi fuerat positus Christus, alterum ad pedes. Excitatur mentis nostræ deuotio vbi locus caput habere & pedes dicitur; consecratus enim erat ille locus corporis Christi præsentia, & tactu sensum induerat ac referebat totius Christi corporis: itaque iam non tam saxũ est, quàm expressio quædã corporis Christi sepulti. Quid præterea? Respiciunt & Angeli ad Mariam, eam blandè compellant: Mulier, quid ploras? Respondet; Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Adeò erant præoccupatæ omnium mentes cruciatũ Christi & mortis proximo conspectu & memoria, vt nisi Christus ipse præsens cerneretur, ne Angeli quidem afferre fidem possent resurrectioni: quæ erat diuina prouidentia, vt firmissimum testimonium & authoritas Dominicæ resurrectionis firmiùs constaret: prouidebatur enim illis titubationibus futuræ nostræ fidei infirmitati. Cùm Mariam Angeli interrogarent, stetit trans illam Christus, & in eum Angeli auidè oculos coniecerunt: quod animaduertens*

*A. Magdalena conuertit retrorsum caput, IESVM videt habitu quidem hortulani (ita enim consuetum est depingi, vt esse apparebat Mariæ) nec eum agnoscit: præuenit illam suauissimis verbis bonus & sanctus IESVS;*

*C. Mulier, quid plòras? quem quæris? Illa verò existimauit hortulanum (in horto enim erat sepulchrũ) neque agnouit planè IESVM, sed vt ignotum, præsentem tamen eum videbat, & eius verbis præuenta ignoranter, & animo interna suauitate delibuto atque commoto, respondit vt olitori; respondet tamen, Domine; quod sensus interni erat, & ad Christũ nescienter ferebatur;*

*A. Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollã, hoc ad hortulanum. Noluit affligi amplius Magdalena desiderium IESVS;*

*D. Aperit illi se. Maria, inquit. Quo verbo cùm nihil videretur dicere, omnia non solum dixit, sed egit, quæ desiderare potuit Magdalena; eo enim vno verbo se cordi Magdalenæ insinuauit dulcissimè, & clarissimè demonstrauit.*

*E. Sentit cor vulneratum Christi suauissimo iaculo Maria, conuertit non solùm caput vt antea, sed se totam ad IESVM; appetit ad pedes, cogitat vt antea consueuerat illos deoscolari, feruorem desiderij in amoris redundantiam commutat: vno tamen priùs verbo vni Christi verbo respondet; Rabboni; quod dicitur Magister. Vno verbo vterque omnia loquitur: itaque illis duobus verbis habuerunt inter se suauissimum interius colloquium IESVS & Maria.*

*D. Respondet verò Christus ad ea quæ non expresserat Magdalena, animo tamen concipiebat; Vis tu ad me accedere, me tangere, mecum ita agere vt antea solebas? At tota ratio meæ vitæ & cõuersationis immutata in melius est; non est vobiscum futura mea consuetudo & familiaritas terrena, sed cælestis: ad cælum te oportet aspirare, quò non ita post multos dies ascendam. Hoc age quapropter tibi me reuelaui: ito ad fratres meos Apostolos, nuntia illis quæ vidisti, & quæ à me audis: surrexi, non vt hic cum ipsis vt antea feci agam, sed è cælo, quò propero ascendere; eò animum intendãt, hic resurrectionis tantùm colligant argumenta. Quibus verbis quod emendauit in animo Magdalenæ, voluit esse emendatum in discipulorum & mulierum.*

*F. Fiunt obuiam mulieribus venientibus discedentes Apostoli*

*G. Adhuc iacent consternati milites; occupabatur enim locus ille Angelorum præsentia, & exerta Dei virtute, donec omnes mulieres discederent. Quod factum non est antequam iterum venirent aliæ mulieres, & abirent rursus non reuersuræ.* Matt. 28

MEDI-



## MEDITATIO.

PErrenit interim Magdalena ad vestibulũ sepulchri; discedentibus verò Apostolis, nec quicquam ex illis interrogat, nec audit de fide eorum: æstuat desiderio Domini sui, plorat; non sedet, sed stat moræ omnis impatiẽs, quasi actuosè parata ad omnia, modò Christi corpus inueniat. Recedit dilectus Christo Ioannes, discedit primus Apostolorum Petrus, tu manes Magdalena: quid amplius quæris quàm illi? Meo desiderio satisfacere non possum, ferre non valeo mei amoris flammã erga Dominum meum, feruco, ardeo, exæstuo, nulli me comparo: scio maiorem esse meam indignitatem quàm vt cuiquam conferri possim, nedum primarijs Apostolis Petro & Ioannĩ. Heu vbi est Dominus meus? quinam abstulerunt illum? quónam tulerũt? O si scirem qui mihi indicabit vbi repositus sit! Tanta erat Magdalenæ amoris vehementia, & eius desiderium, & impatientia, & afflictio, vt illa videantur etiam Angeli ferre nõ potuisse, Christus noluerit longiùs progredi Magdalenam miseratus. At cur Petro & Ioãni paulò antea non apparuistis Angeli, nunc Magdalenæ apparetis? Illi nostro ministerio non egebant, quos absque ministerio voluit Dominus noster docere per se in spiritu; vt fidei resurrectionis suæ firmitudo diuinum omni ex parte principium haberet: vnde factum est vt mulieribus nostræ fierent apparitiones, tum etiam vt nostris reuelationibus non crederetur: quæ laus quidem non fuit nõ credentium, fuit tamen plena mysterio diuina permissio & prouidentia. Sed quid dicunt Angeli Magdalenæ? quo pacto illam solantur? Mulier, quid ploras? Non dicunt resurrexisse Christũ, quod iam à tribus Angelis audierat, non in monumento non esse, hoc etiã ipsa viderat: sed hæc cùm non dicant, intelligunt tamẽ in illis tribus verbis. Quid cogitas mulier? vbi es? tuus amor te à te subducit, sed non debet abamato: permitte te amori IESV, & ipsum inuenies non iam mortuũ, sed viuentem in sæcula. Non redit tamen ad se Magdalena, nec cohibet luctum, Non possum, Angeli, cogere cor meum; Tulerũt Dominum: quinam tulerint, & quò tulerint, heu vtrumque nescio, nec quò insistam illũ quærere, vel vbi reperire possim, scio. Age feruida Magdalena, iam appetit lux cordis tui & lætitia; nónne vides Angelos trans te prospicientes attentissimè? eò cõuerte & tu oculos tuos; en dilectus tuus stat post parietem tuum. Video ego, sed hortulanum, & audio. Sed attende, plura tibi loquitur quàm Angeli; Mulier, quid ploras? quem quæris? etiam si me existimes olitorem, tamen aliter & plura tibi loquor quàm Angeli: ego verus sum tui cordis & spiritus hortulanus; volo noxiam istã herbam quæ te angit, & amoris tui errorem exstirpare. Non est iam quod lugeas, animaduerte esse præsentem quem quæris; quid tibi aliud vis? quem alium quæris? quære amorem tuum viuentem, non mortuum. Permouebant hæc interiùs Magdalenam; sed quũ non superarent impetum desiderij, quasi vltimam illius vim expirans; Sentio, inquit, Domine plus moueri spiritum meum, quàm ab Angelis; confidentiùs igitur expeto quod fui ab Angelis petitura nisi tu interuenisses; si tu eũ sustulisti, obsecro te dic vbi posueris, & ego illum tollam, & corpus Domini mei honore prosequar, iuxta animi mei amorem, & dolorem, & desiderium. At nec vnguentum habes, nec qui te iuuet, nec vbi reponas scis: vide quid pollicearis sola. Verè amor cæcus esse solet: en illustro tuum in me amorem, & omnem ab eo & cæcitatem & errorem abigo. Maria, ecce innouo spiritum & amorem rectum in visceribus tuis, vulnero cor tuum vno intuitu oculorum meorum: nunc iam es non Amara, id est plena amaritudine, sed Maria Deum oculis tuis conspiciens. Ego sum Deus & Dominus tuus, ego resurrectio tua & vita; surrexi à mortuis glorioſissimè, & viuo in æternum potentissimè: hæc erant in verbo, Maria. Quid Maria? Rabboni. Illustrasti faciem tuam super famulam tuam Magister mi bone IESV, verè vulnerasti cor meũ sponsè cælestis: agnosco resurrectionem tuam & vitam, & eadem sentio in me de tuo singulari beneficio diuinitus operantes: hæc enim rursus erant in Rabboni. Quid præterea cogitas ô felix Maria? Appeto ad pedes dilecti mei, illos non iam rigatura lachrymis & vnctura, sed grato corde & humili adoratura. In hoc erat Magdalenæ feruor; verùm prohibuit IESVS, & cum singulari quidẽ priuilegio id fecit, nam illius caput tetigit. Habes fructum, inquit, tui desiderij Magdalena, sensisti diuinitatem attactus digiti Dei; non in tuo capite tantùm, sed interiùs in corde.

Cant. 2. Video ego, sed hortulanum, & audio.

Ioan. 20.

Contre-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Contremuerunt viscera spiritus tui, ibi dilectum tuum adorasti, sed simul audisti in spiritu tuo docẽtem te Magistrum tuum dulcissimè. Ne existimes me inter vos esse versaturum in terris, vel regnaturum: regnabo quidem in orbe terrarum, sed è cælo; quò scias me post aliquot dies cum summo triumpho ascensurum, vt sedeam ad dexteram Patris
*Mat. 28* mei omnipotentis, à quo accepi omnem potestatem & in cælo & in terra. Eò faciam vos etiam in terra viuentes è terra ascendere, &
*Eph. 2.* consedere mecum in cælestibus in spiritu fidei, spei, & charitatis sapientiæ; quò etiam postea venietis in anima primùm, deinde in anima simul & corpore, & regnabitis mecum
*Ioan. 20.* in æternum. Quocirca nihil est quòd nunc me tangas, vel ita mecum agas vt solebas, sed altiore quadã deuotione & spiritu; nondum enim ascendi ad Patrem: sed ita mecum agendum vobis est, atque si iam ascendissem, non quasi in terris intra vos regnarem. Et hæc volo te renunciare fratribus meis Apostolis & discipulis, & sanctæ meæ Ecclesiæ; eos non spectare tantùm debere ad humanitatẽ meã, iuxta quam inferior sum Patre, & vester sum frater, vestræque naturæ particeps: ille enim meus est Deus & vester, meus Pater & vester; sed ad meam personam leuate spiritum, & verbi mei diuinitatem, quæ vna cum Patre meo est. Ille me genuit in æternitate consubstantialem & coæternum sibi filiũ, per quem sibi vos in filios adoptauit; itaque Patris mei filij estis, & mei fratres. sed per meæ humanitatis mysterium; vnde simul & Deus meus est, qui sum vobiscũ in humanitate eiusdem substãtiæ. Euge felicissima Magdalena, quanta fuit exultatio animi tui & spiritus in his Christi verbis, quãta suauitas cordis tui, quanta iubilatio, quanta lux mentis tuæ & splendor! Tu igitur prima es inter quærentes & ambigẽtes cui reuelat Christus, non per Angelos, non per signa alia, sed per se tandem; non tantùm per suam præsentiam & vocem, sed per Spiritus sui numen æternum, admirabilem & glorioſam suam resurrectionẽ. Credebant quidem Petrus & Ioannes, sed Christum non viderant suscitatum: tu ante eos vidisti, tu secundùm eius sanctam Matrem IESVM vidisti. O vim amoris incredibilem! ergo tuus in Christũ acerrimus & constans amor, etsi imperfectus, Christi tamen amor, fecit vt tibi primæ post Matrem appareret resurgens è mortuis Deus. Quid non potest perfectus amor? quid non apud Christi bonitatem consequatur? Venite peccatores, audite, attendite. Aduertamus animum nostrum peccatores omnes ad hæc mysteria, ad hæc magni IESV excellentia beneficia. En fœminam nobilem, quæ fuit in ciuitate pecca- *Luc. 7.*
trix, huic tamen non solùm dedit Deus vt pedes IESV lachrymis rigaret, tergeret capillis, oscularetur, & Christum diligeret multùm, & cui multa ille peccata dimitteret; non solùm vt rursus & pedes & caput pretioso vn- *Mat. 26*
guento vngeret, & esset eius sepulturæ prophetissa; sed vt amoris igne succensa auidiùs & diligentiùs Christum sepultum quæreret, & recedentibus è sepulchro primarijs Apostolis, ipsa nõ abscederet; vt primæ (quod fuit Christi eximium erga illã amoris indicium) appareret ante omnes qui erant de eius morte & sepultura anxij. Verissimè venit Christus, & mortuus est, & resurrexit vt peccatores saluos faceret: & quidem cuius remittit peccata, illius peccatorũ ampliùs non solùm non recordatur, sed ipsum donis munerat amplissimis. Verùm impudentiã esse agnoscite singulare, si similia dona à Christo expectemus, nisi Christũ similiter amemus atque Magdalena. Oportet non desides esse nos, nõ tepidè Deo seruire, & Christi resurrectionem & alia mysteria celebrare negligenter: adiuua tu nos feruoris diuini exemplum egregium Magdalena. Iuui, & iuuabo; id enim vult Magister meus IESVS: sed vos quum sciatis destitui *Iacob. 1.*
corda vestra, & indigere sapientia, postulate corde, verbo, opere illam à Deo, qui dat omnibus simpliciter atque affluenter, & non improperat, vel eorum quibus dat indignitatem considerat: postulate autem nihil in fide vel promissionis, vel omnipotentiæ, vel voluntatis Dei hæsitantes, & dabitur vobis Christi diuina sapientia, quæ faciet vt diuina mysteria non solùm per fidem, spem, & charitatem diuinas virtutes concipiatis, sed per dona etiã Spiritus sancti, & fructus, & beatitudines per- *Psal. 33.*
cipiatis; & fructuosè gustetis & videatis quàm suauis est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Amen. Ita fiat, sanctissima Magdalena.

EODEM



# EODEM DIE APPARET MVLIERIBVS.

MATTH. XXVIII. MAR. XVI. IOAN. XX.

*In exiiij. imaginem adnotatiuncula.* exiiij. 140.

A. *Reuersa ad monumentum mulieres, postquam Magdalenæ apparuerat Christus, abeunt ab ea quæ ipsi edixerat.*
B. *Redeunt omnes, sindonem & sudarium, vt piè credi potest, auferunt.*
C. *Occurrit illis IESVS in via, salutat, præbet eis pedes attingendos.*
D. *Pergunt in vrbem mulieres.*
E. *Milites tandem destituit consternatio, ablata illa diuina virtute è loco sepulchri: reuocatis itaq; viribus in vrbem veniunt.*
F. *E custodibus quidam narrant Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.*
G. *Mulieres nunciant omnia discipulis, Magdalena præcipuè IESV mandata illis exponit.*

MATTH. XXVIII. MAR. XVI. IOAN. XX.

*Et [a b] ecce IESVS [c] occurrit illis, dicens; Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis IESVS; Nolite timere. Ite, [d] nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abijssent, [e] ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & [f] nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum Senioribus, consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes; Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.*

*Illa [g] vadens nunciauit*

*ijs qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus.*

*Et illi audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.*

*Venit Maria Magdalene annuncians discipulis,*

*quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. EXierant rursus ad monumẽtum aliæ mulieres, tardiúsque sequebantur Magdalenam, ad sepulchrum peruenerunt postea quam & discesserant Apostoli, & Magdalenæ apparuerat IESVS: ex itinere audierant ab Apostolis, ne se quidem reperisse corpus IESV in sepulchro, sed linteamina & sudarium. Hæc audientes, maiori studio ad monumentum properant; reperiunt omni consolatione spiritus plenam & gaudio exultantem Magdalenam: narrat illa Dominum sibi apparuisse, fiunt magnæ inuicem læti animi significationes; docet tamen eas Magdalena quod à Christo didicerat, non esse quærendum Christum humano desiderio vel terrestri, sed spirituali ac cælesti. Neque enim (inquit) Christus simili nobiscũ atque ante mortem est consuetudine atque familiaritate vsurus; properat ad Patrem in cælum, & hoc tempus, quo in terris versatur, dat diuini mysterij dispensationi, ac nostræ necessitati; vt Ecclesiæ suæ resurrectionis veritatem probet atque confirmet, doceat Apostolos, Ecclesiam instituat. Fecit hæc Magdalenæ oratio, vt animi sanctarum mulierum in spirituale & cæleste Christi desiderium conuerterentur.*

*B. Neque verò diutiùs in monumento cunctantur; auferunt tamen (quod pie credi potest) sindonem & sudarium: misi hæc velimus à Petro ablata, cùm secundò vel tertiò rediret ad sepulchrum. Plenæ Spiritus sancti suauitate domum regrediuntur cum Magdalena.*

*C. In itinere verò antequam ad vrbem venissent, ecce tibi occurrit illis IESVS, illas dulcissimè salutat; Auete, inquit: non timent, non turbantur mulieres; repleuerat enim earum mentes cum gaudio Christi salutatio, tum spiritus robore: quo ductæ, non vt antea Magdalena cum terreno aliquo affectu, sed magna cum spiritus deuotione ac luce accedunt ad Christũ, prouoluuntur ad eius pedes, diuina illa vulnera deosculantur, Christum adorant; allexerat enim eas ad se Christus salutatione, & timorem abegerat. Quid igitur illud est quod addit Christus, nolite timere, cùm non timerent? Solet videlicet maior rerum diuinarum cognitio facere, de nostra quidem incuria, vt minor rerum agendarum libertas consequatur: & tamen volebat Christus contemplatiuum in rebus agendis non remittere vigorem spiritus; quod mulieribus postquam pedes IESV tenuerant ne eueniret curauit: opus itaque fuit noua Christi cõfirmatione; quæ simul fecit, vt constantiùs quæ viderant, quæue audierant, Apostolis renunciarent.*

*D. Pergunt quò iter cœperant mulieres in vrbem & montem Sion.*

*E. De militibus interpretari pessimus, eos primùm veluti mortuos iacuisse, dein consternatos & attonitos, viribus etiam destitutos, omnia tamen obseruasse, nec discessisse antequam secundò mulieres abscessissent; quod ex Euangelio Matthæi colligere licet, vt apertè expomit Dionysius Carth. & sensisse videtur Thom. & græcum exemplar innuere, quod etiam Hier. indicat quæst. 6. ad Hedibiam. Occupauit enim locum sepulchri diuina virtus, & nonnullorum Angelorum præsentia, donec & Magdalenæ primùm, & rursum mulieribus apparuit Christus. Quin piè possumus illud etiam meditari, in aëre super hortum & sepulchrum astitisse Christum cum beatis Angelis & animabus, & omnia cælesti virtute fuisse repleta. Cùm autem Angeli abscessissent, vel etiam Christus, & esset illa loci maiestas ablata, remisit se simul pauor militum, ad se redierunt; sed tamen ex præterito timore attoniti huc illuc diffugiunt.*

*F. Aliqui tamen milites ad Principes Sacerdotum peruenientes, narrant quæ facta fuerãt omnia; apertum sepulchrum ab Angelo, renunciatum ab Angelis resurrexisse IESVM, ipsum etiam viuentem apparuisse, earum rerum esse magnam coniecturam: se è timore primùm factos quasi mortuos, dein exanimatos tacuisse viribus destitutos, donec diuina veluti quædam præsentia & virtus abscesserit; se tamen IESVM non vidisse. Hoc nuncio conturbati Principes, conuocatis ad concilium Senioribus, machinantur testimonium militum, & veritatem resurrectionis Christi obliterare; copiosam pecuniam militibus largiuntur, vt IESVM mentiantur non resurrexisse, sed quum ipsi dormirent, ablatum clanculum ab eius discipulis: pollicentur simul militibus negligentiæ ementitæ securitatẽ à Præside. At illi, accepta pecunia, fecerunt quidem vt erant edocti, & diuulgatum est verbum hoc apud Iudæos: sed ita tamen, vt omnia contra Iudæorum voluntatem, vt res erant, non solùm Christianis, sed & gentilibus enunciata sint. Nam & Pilato esse renunciata est verisimile, & affirmat Thomas. Referunt historiographi Pilatum ea de re scripsisse ad Tiberium, & Christi resurrectionem eo tempore fuisse peruulgatam.* Euseb. li. 2. Eccles. hist. ca. 2. Nicepho. li. 2. ca. 4.

*G. Quæ viderant & audierãt mulieres narrant*



*rant ijs qui cum Christo fuerant, lugentibus & flentibus, id est Apostolis aliquot & discipulis: illi verò occupati adhuc tristitia, & nimium mortis & cruciatuum Christi sensum retinẽtes, non crediderunt adhuc omnes. Erat varia animorum facies; Petrus & Ioannes credebant, alij partim non credebant, partim rem considerabãt attentiùs, & maiora argumenta resurrectionis expectabant. Inter hæc verò Maria Virgo Mater in spiritu omnia videns, ea in corde conferebat, neque (vt ipsi erat à Christo significatum) quicquam de eius resurrectione cuiquam exponebat. Erat in suo secessu exultans spiritu, atque in suauitate mentis Deum & filium laudabat.*

## MEDITATIO.

INcrebrescunt testimonia resurrectionis Christi, testificantur Angeli, credunt primarij Apostoli, videt Magdalena, vident mulieres; sed mixta pariter ferebantur aurora & dies resurrectionis. Alijs erat iam ortus sol iustitiæ, alijs ad ortum appetebat, terra mentis eorum radios directos adhuc recusante atque impediente. Magnum mysterium diuinæ benignitatis & prouidentiæ; alijs etiam mulieribus apparet IESVS, non solùm Magdalenæ, & non apparet Apostolis, non discipulis: malignè videlicet egerat Satan in genus muliebre, tu, magne IESV, eò amplioremMal. 4. benignitatem exeris in mulieres: ille per mulierem tenebras Adamo offudit, tu non per vnam solùm mulierem, sed per plures lucem nuntias Ecclesiæ, & viam ostendis, qua omnes qui te quærunt inuenire possint deuotionem, humilitatem, simplicitatem, lachrymas, quæ faciliùs esse in mulieribus solent; ea enim est via celeriùs ad tua dona perueniendi. Illud etiam prouidisti sapiens IESV, quum mulieribus non creditur, vt fides tuæ resurrectionis vel per Petrum, vel per Ecclesiam ipsam reciperetur, & reuelationes particulares ad Petrũ & Ecclesiam referrentur: quæ fuit etiam causa vt Mater tua apparitionem non publicaret. Exponite igitur nobis sanctæ mulieres, obsecro, animi vestri sensum, qualis tunc fuit. Cum gaudio magno & timore egressæ fumus è monumento & fugimus, inuaserat enim nos timor & tremor: cucurrimus auditis duobus Angelis nunciare discipulis quæ audieramus: veneramus ad monumentum vehementi amore & desiderio permotæ vngendi Christum mortuum, sed tristes, ac infirma fide resurrectionis eius: visio Angelorum, & præcipuè ingressus noster in monumentum tristitiam quidem nostram abstulerat, gaudebat cor nostrum, & principia quædam inesse sentiebat fidei resurrectionis in illo magno gaudio: vincebat tamen nostri amoris gaudium immodicus quidã sensus crucis Christi; accedebat timor ac tremor in omnia penetrans. Itaque non potuit obtinere fides nostra suam vim, nec in debitum actum resurrectionis cuadere. In hoc statu animus noster erat dum discipulis quæ iusserant Angeli renuntiaremus. Verùm vt est difficile fidem verba facere quæ narranti non sunt persuasa, nobis creditum non est; quod etiam auxit nostram fidei imperfectionem. Quocirca non nihil etiam ab illo primo feruore debilitatæ, sequutæ tamen sumus Magdalenam ad sepulchrum denuò properantem; sed lentè nos. Iuuerunt fidem nostram modicum Petri & Ioannis verba redeuntium; qui tamen nihil præterquã quod nos sciebamus narrarunt aliud, quàm de sindone & sudario. Ita deuenimus in sepulchrũ ad Magdalenam gaudio iam exultantem de visione Christi resuscitati. Rem vt erat gesta exponit nobis totam, addit doctrinam quam ex Christo audierat; non esse futurum Christi in terra regnum, sed in cælo, in terrã è cælo, quò erat breui ascensurus; non esse cum illo agendum vt antea, sed in spiritu, vt cum ascẽsuro in cælum, non cum in terra regnaturo. Implemur & nos maiori lætitia, credimus Dei beneficio resurrexisse Christum, fugit à nobis timor ille & tremor, illustratur mens nostra luce resurrectionis & vitæ Domini nostri, agnoscimus præteritas nostras animi imperfectiones, agimus Deo & Christo eius gratias quàm possumus maximas: proponimus & nos Magdalenæ de sindone & sudario; ac re inter nos collata, statuimus auferenda sacra illa sepulchri Dominici monimenta, & domum esse redeundum. In itinere autem cùm essemus, & excellenti quadam deuotione essent corda nostra perfusa; ecce occurrit nobis Christus ipse, dicens; Auete. Occurrit suauissimè nostræ deuotioni bonus IESVS, & dixit in nobis interiùs, quod exteriùs loquebatur, salutis & deuotionis incremẽtum. Saluete. Ego sum salus vestra & vita; viuo in æternum, Mat. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca



æternum, viuo in cordibus vestris; & cũ hoc facio, habetis vnde aucatis, & speretis plura etiã quã núc in cordibus vestris sentitis. Quibus verbis & actis IESV ita cõmota deuotio nostra est, vt ad illũ accedereauderemus, illius pedes amplexaremur atq; oscularemur adorantes. Ibi verò admirabilem percepimus spiritus nostri non solùm consolationẽ & gaudium, sed virium interiorum omnium, & deuotionis augmentum & exultationẽ. Quæ dona quum accederemus inchoata, & accessionem accipientia sensim, ipso contactu diuinæ & glorioſæ carnis Dei, & vulnerum cælesti afflatu sunt consummata. O beatas vos, sanctæ mulieres! O si quam partem horum donorum nobis de vestra ista abundantia à Christo impetretis deriuari: ea in vos è bonitate IESV sunt profecta; non accepit terminum in vobis illa Christi benignitas, sed inchoata ad nos simul spectabat: fecit vestra dubitatio, vt vestri sensus in fide resurrectionis confirmarentur & nostri; faciant vestra dona, quæ confirmationem illam sunt cõsequuta, vt nos aliqua similiũ donorum virtute reficiamur. Nihil est quòd de nostra in vos voluntate dubitetis, fratres: tenete vos pium hunc vestrum animum ac deuotionem, & fructum vestræ deuotionis consequemini in Christo, qui vobis simul resurrexit. Bono animo estote, ne timeatis: facit enim timor & animi tepiditas, vt tardiùs proueniant in vobis dona Dei, & vt accepta debilitentur, nisi beneficijs firmiter hæreatis, gratias Deo agentes. Hoc verò beneficium accepimus nos à Christo IESV benignissimè: quum enim post tam eximia dona nobis collata timorem qui potuit obrepere, & vacillationem abegisset, audiuimus tamen ex illo; Nolite timere: tenuistis pedes meos, tenete dona quæ inde vobis prouenerunt; nolite ampliùs vacillare: en expuli à vobis huiusmodi timorem; huic
*Ps.18.* succedat ille timor reuerentię filiorum Dei, qui permanet in seculum seculi. Quid autem tu Magdalena? Tenui cum mulieribus Christi pedes. At tibi fuerat prohibitum. Fuerat prohibitum ne tunc, non vt ne possem nunc amplecti & adorare eius pedes & vulnera: affectum enim contactus imperfectum tunc prohibuit magister meus IESVS; simul tamẽ docuit quemadmodũ tãgi adhuc posset: quod igitur fecit vt mulieres tangere Christũ possent me docente, fecit vt ego etiam (præsertim quum iam IESVS me digito suo tetigisset, & cor præparasset) illius pedes possem tenere. Bis igitur te felicem dicemus, Magdalena, cui secundò apparuit Christus, & fecit vt per tuã doctrinã idoneæ essent mulieres, quæ possent ad Christũ accedere, & eius pedes tenere. Euge felicissima Magdalena, idẽ in nobis operare in Christo, quod tunc in mulieribus; quòd si non idẽ, vt est nostra indignitas, at aliquam saltem illius spiritualis sensus scintillam in cor nostrum à Christo impetra. Abijt porrò è conspectu mulierum Christi exterior præsentia, mansit tamen interior earum spiritui infixa dulcissimè: domũ discedunt, narrant discipulis quæ facta erant omnia, quæue acceperant à Christo mandata; verùm cum tanta spiritus, animi, & verborum constantia, & alacritate, & luce, vt nisi fuisset Christi prouidentia, qui nolebat à mulieribus pendere fidei principia, credidissent omnes: non crediderunt tamen. Sed quid vos milites? quid agitis? vbi estis? quid cogitatis? Terræmotus ille acerrimus, fulgur, & immensa cælestis illius viri lux & vis ita nos perculit & exterruit, vt omnibus viribus resolutis in terram veluti mortui prosterneremur, & simul tãgeremur numinis præsentis necessaria quadam & vehementi religione: immobiles quidem mansimus & tremebundi; audiuimus tamen quæ gerebantur, nec potuimus animum surgendi vel abeundi recipere, vel linguæ aut virium vsum, donec discederent omnes mulieres. Itaque, quæ ibi gesta sunt vidimus omnia & audiuimus, non tamen IESVM ipsum suscitatum. Et verò ne cogitauimus quidem, nec intendere animum potuimus vt quicquam impediremus: vnde intelligere facilè potuimus, plusquam humana virtute quadam nos ibi tantisper detẽtos fuisse, quasi testes illorum mysteriorum quæ fiebant, & resurrectionis illius hominis, quem tanto miraculo videramus morientem. Postea euasimus rectà ad Principes, qui eramus in custodia primarij; Tribunus, Draconarius, Centuriones; rem totam vt videramus & audieramus exposuimus. Quo nuntio ita sunt consternati, vt in amentiam versi esse viderentur. Tandem quum ad se redijssent, multis verbis, magna cum impudentia & impotentia egerunt apud nos, vt omnia ementiremur, & diceremus noctu illum nobis dormientibus esse ab eius discipulis ablatum: nihil nobis à Præside timeremus, ipsos se offerre sponsores nostræ securitatis. *Matth.*

Nihil



Nihil tamen illis essemus polliciti, nisi ingẽtem pecuniæ vim nobis pretium ingẽtis mẽdacij obtulissent: auidè accepimus argentum abauaris hominibus egeni, polliciti fidemfacturos nos quæ vellent omnia. Et quidem apud Iudæos fidem seruauimus, sed tamen necessium fuit vt rem omnem explicaremus Præsidi, ne quid nobis fraudi verti posset, & calumnia in nos reuolui; Iudæos enim & odio habebamus, & aspernabamur: inter milites autem alij nostri commilitones, tum nos apud amicos omnia euulgauimus, veritatem ipsam. Verisimile sit, ó milites, ita vos rem euulgasse vt dicitis, nam de resurrectione & gestis IESV scripsit extemplo Pilatus ad Tiberium, vt solebant Præsides prouinciarum de euentis extraordinarijs, si eadem essent immodica, ad Imperatorem litteras dare: itaque apud Romanos euulgata fuerunt omnia. Atque adeò nõ diutiùs potuerunt celari apud Iudæos; siquidem & Iosephus Iudæus de resurrectione Christi dat testimonium, quasi inter Iudæos etiam sciret rem fuisse vulgatã, non solùm per Apostolos. O immensam magni IESV clementiam & sapientiam! Ab hostibus etiã suis prouidet testimonium suæ resurrectionis. Nam etiam si nihil aliud euulgassent milites, quàm quòd nefariè fuerant Iudæis polliciti, illa tamen ipsa euulgatio nisi stultis & stupidis hominibus facere non potuit fidem. Nam primùm si surripuerunt corpus IESV eius discipuli, cur non potiùs ea nocte quæ præcesserat surripuerunt, vbi nondum erat apposita custodia illa militum Romanorum? Igitur qui nõ sunt furati quum potuerunt absque periculo vel impedimento, furati sunt vbi fuisset pugnandum hominibus timidis, & inermibus, & paucis contra cohortem armatã & acrem Romanorum? At dormierunt milites. Quasi verò ipsi scirent illos esse dormituros, & militibus persuasissẽt; Vos dormite, nos furabimur. Iam si omnino dormierunt, quo pacto dormientes viderunt quum illum asportarẽt discipuli? quòd si hoc non viderunt, quomodo testes esse poterant? Quare quod adductũ fuisset militum testimonium, fidem potiùs astruxisset resurrectioni. Quocirca mysterio Christi resuscitati factum est, vt non solùm Iudæi testimoniũ darẽt resurrectionis Christi; Apostoli videlicet, discipuli, sanctæ Mulieres; sed gentiles etiam. Atque adeò hostes *Mat.27.* resurrectionis Iudæi dum curant vt apponatur custodia sepulchro, cùm emunt falsitatẽ testimonij à militibus, quid tandem efficiũt, nisi vt ex ipsis etiã confirmetur IESV Christi Domini & Dei nostri resurrectio, & glorioſus esse Deꝰ in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis? Ita fac, Domine IESV, in versutijs & mendacijs quibus aduersus nos pugnant cõtinenter dæmones, & conuerte illorum malitias in bonitatem animarum nostrarum & fructum: vt Spiritu resurrectionis tuæ viuamus, & in nouitate vi- *Rom.6.* tæ cælestis conuersationis ambulemus, nihil metuentes dæmonum machinationes, vt gloriemur in laude tuæ glorioſæ resurrectionis. Amen. *Ps.144.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

# EODEM DIE APPARET IESVS DVOBVS DISCIPVLIS EVNTIBVS EMMAVNTA.

MARC. XVI. LVC. XXIIII.

*In cxv. imaginem adnotatiuncula.* cxv. 141.

*A. Pergunt Hierosolymis Emmaunta Cleophas & Amaon.*
*B. Appropinquat IESVS colloquentibus.*
*C. Comitem se illis adiungit, tenentur oculi eorum ne eum agnoscant, variè verbis suis illos permouet IESVS, ardet eorum cor, & IESVS se longiùs ire simulat.*
*D. Persuadent illi vt cum ipsis maneat.*
*E. Emmaus in tribu Beniamin sexaginta stadijs ab Hierusalem, quò vehementer rogant vt secum diuertat.*
*F. Domus Cleophæ, quò deductus est IESVS.*
*G. Ibi recumbens cum illis consecratum & fractum panem porrigens, ab oculis eorum euanescit.*
*H. Repleti dono & agnitione cælesti IESVM agnoscunt, & quæ ab eo in itinere audiuerant plenius intelligunt.*
*I. Redeunt è vestigio Hierosolymam.*
*K. Reperiunt congregatos vndecim, narrant quæ gesserat Christus, audiunt eum Simoni apparuisse.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MARC. XVI. LVC. XXIIII.

*Post hæc autem duobus ex his ambulãtibus ostẽsus est in alia effigie, euntibus in villam.*

ET ecce[a] duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine[c] Emmaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularẽtur, & secum quærerent, & ipse IESVS[b] appropinquans ibat cum illis: oculi autẽ illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos; Qui sunt hi[c] sermones quos cõfertis ad inuicẽ ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei; Tu[c] solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt; De IESV Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt Summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationẽ mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nũc super hæc omnia tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædã

Universidad de Deusto
Biblioteca



ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicũt eum viuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non inuenerunt. Et ipſe dixit ad eos; O [c] ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Et [c] appropinquauerunt caſtello quò ibant: & ipſe ſe finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes; [d] Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et [f] intrauit cum illis. Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit [g] panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et [h] aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem; Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?

*Et illi euntes*

Et ſurgentes eâdem hora [i] regreſsi ſunt in Hieruſalem, & [k] inuenerũt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

*nuntiauerũt cæteris.*

Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

*nec illis crediderunt.*

## ADNOTATIO.

*A.* DVO diſcipuli pergẽtes Hieroſolymis verſus occidẽtem ad oppidum Emmaunta: neuter horum erat Apoſtolus; nam quum Hieroſolymam redyſſent, repererunt vndecim Apoſtolos: vnius nomẽ prodit Lucas, Cleophæ; alterum appellat Ambroſius Amaonem. Hi iter faciunt mœſti, & inter ſe ſermocinantes de ijs quæ acciderãt: iter autẽ ſunt ingreſi poſtquam apparuit Chriſtus Mariæ Magdalenæ & mulieribus, antequam Magdalena cum mulieribus redyſſet à monumento. poſtquam tamen redyſſent Petrus & Ioannes. Ipſis verò apparuit poſtquam Magdalenæ & mulieribus apparuerat. Statim autẽ in via his duobus apparuiſſe videtur in alia effigie priuſquam Petro, huic tamen antequam apertè illis.

*Mar. 16 Mat. 28. Luc. 24.*

*B.* Appropinquat IESVS colloquentibus.

*C.* Illis ſe coniungit, non quidem ſpecie peregrini, ſed Hieroſolymitæ, non ſua; non enim illũ dicunt diſcipuli peregrinum, ſed qui ſe gerat vt peregrinum, cum indigena ſit. Eſt autem operæpretium animaduertere ad hoc Chriſti IESV & duorum diſcipulorum colloquium, vt illorum animis ſe inſinuet ſuauiter IESVS, teneat oculos ne agnoſcatur, eliciat de quibus egerant, quid cogitarent; denique manifeſtè præſeferunt mẽtis ſuæ imbecillitatem. Vnde Chriſtus, qui prænouerat eorum animos, accepta occaſione acriter illos reprehendit; O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ! nónne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Quibus verbis arguit quidem illos vehementer, incipit tamen ab eorum cordibus illas nubes, & fidei impedimenta abigere; ſimul illorum animos luce cœleſti illuminare ac docere aggreditur, & eorũ corda diuino amore inflammare. Cùm IESVM audirent attentè, & arderent eorum corda, atque Emmaunti appropinquarent, vt eorum deſiderium Chriſtus accenderet vehemẽtiùs, oſtendit ſe longiùs velle progredi: quæ fictio, vt dicitur, videri poterat & dici, ſed quæ omni vituperatione careret. Ea enim eſt Dei miſericordia & benignitas in mortales, vt ſæpe huiuſmodi actionibus vtatur: præſefert enim facturum ſe permulta quæ non eſt facturus: ſed ea propterea prædicit, vt vel caueant homines, atque ad pœnitentiam & vitæ emendationem reuocentur, vt Niniuitas per Ionã ad reſipiſcentiam adduxit: vel vt eorum excitentur animi ad meliora, quemadmodũ hoc loco diſcipulorum deſiderium inflammauit, & ne abire ſinerent permouit;

*Luc. 4. Hieron. epiſt. 151. ad Dominicum Magnum li. 4. Geog.*

*D.* Coegerunt enim illum ne longiùs progrederetur. Sed cur non potiùs illum ſequimini ô boni? Quia erat quidem cor noſtrum ardens, ſed parum conſideratum; nec dum præſentem Chriſtum noueramus; verſabamur adhuc in ancipiti fide reſurrectionis: propterea non ſumus proſecuti. Sed quænam fuit ratio coactionis? Num vim aliquam Chriſto externam intulerunt, placidam quidẽ & beneuolã, ſed vim tamẽ? Nihil horum, ſed ardor animi, & deuotio quam incenderat in illis IESVS atque augebat aſsiduè, ea per ſuauia verba ac mitia adduxit Chriſtum vt cum illis maneret. Mane nobiſcum, inquiunt, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Ita ſolet vim orationi inſerere Chriſtus, quæ tã ſit vehemens, tantæ ſit efficaciæ, vt Deus cogi illa videatur, & ſuæ miſericordiæ cedere, huic iuſtitia.

*E.* Emmaus caſtellum in tribu Beniamin iuxta Gabaon ad occidentem, Hieroſolymis diſtans 60. ſtadijs, 4. ferè miliaribus Ioppem verſus, vbi in fractione panis cognitus eſt Dominus, & Cleophæ domum in Eccleſiã conſecrauit. Fuit hoc caſtellum in obſidione Hieruſalem deletum: illud tamen non modò reſtaurauit poſtea M. Aurelius Ant. Imperator, ſed vrbem celebrem fecit, & Nicopolim illuſtri nomine appellauit. Hoc vocat Ioſephus Amaunta, & interpretatur nomen aquas calidas, & tradit ibi fontem eſſe ſanandis corporis vitijs idoneum.

*Lib. 4. c. 1. de bello Iudaico.*

*F.* Hoc caſtellum ingreſsus IESVS, ad domũ Cleophæ deductus eſt, aſsedit ad menſam cum diſcipulis: cùm verò cibi eſsent appoſiti, primùm ſacram Euchariſtiam conſecrauit; accepit enim panem, benedixit, fregit, & porrigebat ipſis. Statim verò oculi eorũ interni aperti ſunt, nec fuit ampliùs impedimentum quin etiam exteriores Chriſtum agnoſcerent.

*G.* Sed quando aperti ſunt illis oculi? quãdo illum cognouerunt? Tunc primùm quando panẽ conſecratum frangebat; vt antequam ſumerent cœleſtem cibum, illuſtraretur eorum mens, confirmaretur fides & virtutes, abirent titubationes & dubia ſi qua erant reſidua. Extemplo autem ſumpta Euchariſtia ab eorũ oculis euanuit, id eſt, non fuit ampliùs eorum oculis conſpicuus; vt planè intelligamus, nihil moræ fuiſſe interpoſitum inter ſacram diſcipulorum communionem & Chriſti abſceſſum propterea dicitur, porrigebat illis: vnde perſpicuum voluit eſſe Eccleſiæ Chriſtus ſuum exemplum, ſub panis ſola ſpecie Euchariſtiam miniſtrandi.

*H.* Repleti cœleſti cibo, & animorum exultatione Chriſti diſcipuli agnoſcunt virtutẽ quæ in illis vbi cum Chriſto colloquerentur operabatur, animaduertunt ac notant loca ſcripturarũ quæ illis expoſuerat Chriſtus: ſurgunt confeſtim & dant ſe itineri, vt ante noctem Hieroſolymã ad Apoſtolos peruenirent: quod difficile non erat, cùm quatuor Italicis miliaribus, & ijs non plenis, ab vrbe abeſſent.

*I.* Redeunt diſcipuli feſtini ad vrbem.

*K.* Reperiunt Hieroſolymis in eadem illa domo vbi Paſcha celebrauerat Chriſtus, congregatos propter Iudæorum metum vndecim Apoſtolos, & alios diſcipulos; nondum enim abſceſſerat Thomas, qui tamen ſtatim diſceſſit, nec illum inuenit IESVS, cùm paulò pòſt ibidem apparuit Apoſtolis: fit magna inter eos gratulatio, narrãs illi ſummum argumentum reſurrectionis Chriſti, quòd Simoni Petro apparuiſſet; vicißim duo diſcipuli quòd ſibi quoque apparuiſſet renuntiãt, & de quibus cum ipſis egiſſet in via exponunt, quemadmodum illum in fractione panis cognouiſſent; & tamen nec credit Thomas, nec alij nonnulli



MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Luc. 24. ET ecce duo ex illis ibant ipsa die in Castellum. Ecce iam plena appetit fidei resurrectionis lux, Christus apparet Discipulis, apparet Principi Apostolorum ; deinde toti Ecclesiæ se dat videndum, palpandum, atque adorandum. A mulieribus, quibus non credebatur, venitur ad virorum testimonium: ex illis erant duo hi Discipuli, quibus verba mulierum visa erant deliramentum, & non crediderant; his tamen se exhibet fidei pædagogum & catechistã benignus IESVS. Magnum & admirabile resurrectionis sacramentum Christus voluit per se summa cum clemẽtia docere Discipulos adhuc stultos, adhuc tardos corde, adhuc illum non agnoscentes. Petrum verò non legimus docuisse, sed illi apparuisse, quod mysterium habet, & priuilegium Petri singulare; intelligimus enim excellentem resurrectionis doctrinam in apparitione Christi Petrum accepisse, iam antea in sepulchro cum Ioanne illuminatum. Age de Discipulis, & Christo eos reprehendente, ipsos instituente, illis apparente meditemur, illo auctore, his iuuantibus. Vos igitur nõ credideratis mulieribus referentibus de visione Angelorum & resurrectione; Petrum & Ioãnem videbatis noui aliud nihil dixisse, nisi quòd relicta in sepulchro erant linteamina & sudarium : quocirca nihilo magis credentes res alias aggredimini, & ad vestrum Castellũ reditis. Attamen toti eratis in gestis Christi, sed resurrectio vobis erat difficilis. Erat quidem in vobis fides, sed quæ carebat adhuc sua perfectione; constabat charitas in Christum, sed quam imperfectio fidei affligebat ; non quærebatis Christum mortuum vt mulieres, non veráne essent quæ à mulieribus audieratis, vt Petrus & Ioannes; sed tamen de omnibus quæ acciderãt colloquebamini inter vos, de omnibus quærebatis & conferebatis inuicem, & quidem tristi animo & afflicto. Itaque seriò meditabamini, & cum pio animi sensu de Christi gestis omnibus: quæ meditatio fecit, vt essetis Christi catechumeni, vt doceret vos Christus. Quid enim in vestra conquisitione & collatione mutua volebaris? quid requirebatis? Certè Christum: nam propterea mœsti eratis, quòd frustrari videbatur vestra spes & desiderium regni eius in terra, quod eo non resurgente videre non poteratis. Respexit vestram afflictionem bonus IESVS sua clemẽtia; sequitur vos ponè celeriùs quã vos vestris cogitationibus discederetis, appropinquat, consequitur : ita solet errorem diuina gratia præuenire bonæ mentis hominum ac sistere. Adiungit se vobis comitem, nõ dubium quin statim, sancti Discipuli, sensertis animi vestri internam quandam motionem, & lucis principium, præsente Christo, sed nõ animaduertistis ; siquidem tenebantur oculi vestri non solùm exteriores, sed interiores etiam: adeò enim hi erant occupati, & in alia cogitatione fixi, vt nec præsentem lucem agnoscerent ipsi, & veluti ligarent exteriores, & communem quasi alienam speciem sentirẽt, non Christi. Incepit tamen in vobis cor vestrum commoueri ex præsentia Christi vobis non aduertentibus. Interrogat porrò vos IESVS; Quinam sunt isti sermones de quibus inuicem confertis, & quidem mœsto animo? Quæ interrogatio eò vos promouit, vt mentẽ vestram & animi sensum vniuersum declararetis. Et primùm quidem admiramini vehementer, si non etiam ipse in his esset in quibus vos: quasi nullus ne peregrinus quidẽ (cui lege prohiberur in aliena ciuitate esse curioso) esse potuerit in vrbe, qui totus non esset in ijs, de quibus inter se agebant ipsi; nec fieri posset vt alijs de rebus colloquerentur: vnde intelligitur, illos adeò in eam cogitationem fuisse immersos, vt ab alijs omnibus peregrinarentur. Quam animi tam acrem intentionem non solùm nõ miratur IESVS, vt etiã respicere videatur ; benignè enim rogat quæ nam illa sint. Ibi verò maior etiã vis spiritus incessit vestros animos: interna narratis, & ignoto quidẽ homini pleraque omnia, & quæ sentiretis omnia exponitis; nec timetis qui è latebris veniebatis, & iuxta vrbẽ adhuc eratis, & cum homine è ciuitate prodeunte colloquebamini. Neq; tamẽ mirum: erat ille homo Christus, etiamsi vobis ignotus. Quàm multa enim peculiariter virtus diuina operari in nobis solet non animaduertentibus! Quid igitur auditis? O stulti, & tardi corde ad credendum! Præparauerat vos Christus ne ad hæc verba perturbaremini, ita alioqui vestra animi intentione compeditos, vt aliud nihil quàm de quibus agebatis sentire possetis; & tamen incipit cor vestrum ex illa præparatione exire in ardorem quendam. Sap. 18. Omnipotẽs est sermo tuus, Domine IESV; præparat ad diuina dona hominum corda nõ solùm palàm, sed occultè etiam ; & prouehit ignoran-



ignorantes, atque inflammat corda diuinitus. Notat sapiens magister vestram cordis inconsiderationem & oscitantiam ; quod quum facit, excitat vt sibi cooperemini ad illam imperfectionem & impuritatem abigẽdam, qui primus est gradus ad diuina dona, & spiritus doctrinam recipiendam. Et vos sanè quæ corda vestra retardabant à fide resurrectionis (de qua tamen toties ante passionem audieratis) nimium cogitabatis, eorum verò quæ alioqui scire poteratis, & cõsiderare debebatis, nihil. Redite ad vos ô boni ; nam mors ipsa quam subijt Christus, coniunctam habuit necessatiò resurrectionem & vitam. Si enim ea fuit necessaria, vt fuit (ita enim voluit Pater, Christus, & Spiritus Sanctus) non pro suis peccatis illam subijt, sed pro vestris: quare gloriã & vitam debuit parare & illi & vobis mors ipsius. Iob. 5. Psal. 8. 48. 2. Mortem enim Deus non fecit, nec in morte eius memoria esse potest, nec in inferno confessio; nec potuit illius caro corruptionem videre, nec mors ipsi dominari: fuit mors eius mortis victoria, & diuinus triumphus: mortuus quidem est propter delicta vestra, & resurrexit propter vestram iustificationẽ. Nónne aduertitis ad scripturas ? Videte Mosen; quid aliud quàm Christum demõstrat & prædicat, per Abel, per Noë, Melchisedech, Abraham, Ioseph, per se, per pascha, per alia sacrificia, quid aliud quàm totum illum exprimit, diuinitatem, humanitatem, mortem, vitam? Quid euãgelicus vates Esaias, nónne subinde de tota Christi œconomia vaticinatur, gestis, morte, & vita? Quid suis locis idẽ non faciũt alij prophetæ opportunè, & in his Dauid diserte, & huius filius Salomon, nónne de Christi mysterijs vaticinati sunt? Hæc audistis à Christo, simul harũ rerũ interpretationem diuinã intellexistis. Quo loco celebrare libet Christi in vos stultos adhuc nõnihil & tardos, sed dociles tamen, Christi inquam clementiam singularem; vt quod erat facturus in Apostolis, id iam in vobis inciperet, traditionem excellentissimam illam cõmunicare sensus & intelligentiæ scripturarum, qui est spiritus vitæ in Ecclesia sua perpetuus. Iam illa verba cùm audiretis, quum hæc dona à Christo acciperetis, planè ardebat cor vestrũ in vobis, à spiritu vitæ influebant in vos fluẽta lucis & gratiæ cælestis, abigebatur stultitia & tarditas. Accepistis aliud Spiritus sancti donum, Discipuli, admirabilem illam Christi fictionem, & significationem, quasi longiùs vellet ire, & vos derelinquere, quod fuit ingens in vos beneficium, vt illum vestrum ardorem inflammaret ; non enim potuistis ferre vt fons ille spiritus, quem senseratis, è vestris cordibus auerteretur. Sed quo pacto illum coëgistis vt vobiscum maneret Christus, cui nihil aliud quàm dixistis, Mane nobiscũ Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies? Luc. 24. Verba nostra non solùm ex illo ardore spiritus, quem antea acceperamus, profluebãt, sed acriùs etiam ab illa accessione quã illa fictio in nobis effecerat: itaque ab ardentissimo animi affectu illa fuit nostra petitio profecta, & (quæ fuit illius vis potissima) ad eam nos cogebat illius Christi fictionis clementia & virtus. Intrauit igitur domum nobiscum, & euestigio cùm recubuisset, accipiens panẽ benedixit & fregit, & porrigebat nobis ; quem simulatque frangebat vt daret, commota sunt vehementer viscera cordis nostri & spiritus, & ardor ille euasit, præsertim sumpta Eucharistia, in lucem claram, lætam, iucundam. Euanuit si quod erat reliquum in nobis vestigium inconsiderantiæ & tarditatis, si quod impedimentum ne Christum agnoscceremus; aperti sunt oculi nostri cùm spiritus tum sensus, qui alijs rebus tenebantur ; exultauimus Psal. 9. in salutari nostro; vim percepimus sanctissimi sacramenti tunc primùm, solis Apostolis adhuc notam. Satiati autem apparitione gloriæ Christi cùm essemus, & suspensi in admiratione magnitudinis Dei, non fuit amplius cur nobis in carne adesset IESVS; discessit è conspectu nostro, nec propterea vllam sensimus animi molestiam ; impleuerat sapiens IESVS cor nostrum sapientia & donis spiritus, ingens cõcepimus desiderium redeundi ad Apostolos & fratres nostros. Hierosolymam igitur statim omnibus prætermissis reLuc. 24. uersi sumus, pleni gaudio, & cordis nostri placidissima iubilatione. Hanc vestram animorum exultationem quã accepistis à Christo, beati Discipuli, videmus nobis item magnam consolationem, & singularem doctrinã afferre: sed illud nostrum est malum, quòd vestra stultitia & cordis tarditas ablata est, in nobis vtraque vel perseuerat, vel subinde repullulat nostra culpa : atque adeò similẽ incõsiderationẽ & tarditatem in rebus omnibus spiritualibus, in omnibus meditationibus & orationibus longè maiori desidia patimur. Vos enim sensu passionis Christi eratis occupati vehementiùs, & non erat Ecclesiæ adhuc

Universidad de Deusto
Biblioteca



adhuc plenè reuelata Christi resurrectionis gloria ; socios multos vestræ tarditatis habebatis: at vos nec mouemur Christi passionis mysterio,& est Ecclesiæ & nobis per Ecclesiã
*Psal.38.* luculentissimè reuelatus,creditus, celebratus non resurrectionis solùm Christi triumphus, sed eius omnia mysteria:& tamẽ adeò sumus semper stupidi, vt,quum de his agimus, semper in singulari quadam animi nostri insipiẽtia versemur, semper à nobis peregrinemur, semper occupemur inertia & socordia incredibili.Habemus præsentem Christum , præsentem eius fidei lucem splendidissimam, nõ agnoscimus tamen,non videmus. Et si quidẽ in alterius mysterij meditatione & sensu occupati,in quod animum intendere vellemus, illud non penetraremus , minùs esset nobis dolendum; sed nos vbi meditari volumus & debemus,vsque adeò perturbant atque agunt transuersos nostræ inanes cogitationes,etiam peruersæ, vt sæpenumero nec tenere cursum piæ meditationis possimus,& in præcipitium aliquod tandem euadat nostra meditatio. At saltem si non videntibus lucem præsentem Dei ignis tamen in nostra meditatione exar- *Psal.38.*
desceret,leuior esset iactura , magnum esset principium illuminationis nostræ , si modò excitaret in nobis oratio animi bonũ & feruentem aliquem affectum; sed ne hoc quidẽ consequimur: tam aridè & insipidè meditamur,quasi non habeant mysteria Christi lucem in se,amorem,excitationẽ, Spiritus sancti ignem, diuinam motionem. Succurrite sancti Discipuli, iuuate nos apud Deum per mysterium resurrectionis Christi : rogamus vos intercedite pro nobis per illam etiam excellentem gratiam & dona quæ in illo itinere & domo accepistis ; maiori enim estis nunc potentia,gratia,merito apud Dominum, maiori in proximos beneuolentia & charitate. Ardear,obsecro,cor nostrum in meditatione & orationibus nostris: ibi accipiamus interpretationes scripturarum, & lumen fidei sincerum & copiosum. Consummentur hæc omnia per sacram communionem, & Sacramentorum aliorum participationẽ & fructũ, ad maiorẽ Dei omnipotentis gloriã. Amen.

EODEM



# EODEM DIE APPARET
## DISCIPVLIS ABSENTE THOMA.

LVC. XXIIII. IOAN. XX.

*In cxvi. imaginem adnotatiuncula.* cxvi. 142.

*A. De rebus gestis eo die colloquebãtur Discipuli,erigebantur animo propter verba Petri & duorum Discipulorũ,mulieres non negligebãtur; maior tamen desiderabatur confirmatio.*
*B. Cùm serum esset diei,& fores clausæ, stat IESVS in medio eorum,& dicit; Pax vobis.*
*A. Conturbantur,existimant se Spiritum videre.*
*B. Confirmat eos IESVS, ostendit manus & pedes, postulat num quid habeant quod manducetur.*
*C. Apponunt illi partem piscis assi & fauum mellis.*
*B. Edit IESVS,eis reliquias impertit.*
*D. Ianuæ domus intelligantur clausæ, vt credatur vsus dono subtilitatis.*
*E. Dicit eis iterum; Pax vobis; sicut me misit Pater, & ego mitto vos:deinde aperit sensum scripturarum,& instituit sacramentum Pœnitentiæ, insufflans in Apostolos,& dicens; Quorum remiseritis peccata,&c.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

| LVC. XXIIII. | IOAN. XX. |
|---|---|
| | *Cùm ergo serò esset die illo vna sabbatorũ,& fores essent [d] clausæ vbi erant Discipuli [a] cõgregati propter metum Iudæorum;* |
| Dum autem hæc loquuntur, | |
| stetit [b] IESVS in medio eorum, & dixit eis; Pax vobis: ego sum,nolite timere. | *venit IESVS, & stetit in medio & dixit eis: Pax [b] vobis.* |
| Conturbati [a] verò & conterriti existimabant se spiritum videre. Et [b] dixit eis; Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra ? [b] Videte manus meas & pedes,quia ego ipse sum.Palpate & videte,quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. | |
| Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. | *Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.* |
| Adhuc autem illis non credentibus , & mirantibus præ gaudio ,dixit;Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi [c] obtulerũt ei partẽ piscis assi , & fauũ mellis. Et [b] cũ manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. | |

Universidad de Deusto
Biblioteca



LVC. XXIIII.

Et [e] dixit ad eos ; Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.

[e] Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis; Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorũ in omnes gẽtes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autẽ estis testes horũ, & ego mittam promissum Patris mei in vos.

IOAN. XX.

*Dixit ergo eis iterum;*
*[e] Pax vobis.*
*Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

*Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis;*
*Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;*
*& quorum retinueritis, retenta sunt.*

## ADNOTATIO.

*A. DIsceßerat Thomas; reliqui de gestis eius diei colloquebantur. Erigebat omnium quidem animos Petri, Ioannis etiam authoritas; mouebat prædicatio duorum discipulorum, non negligebantur iam verba mulierum, & tamen maior rei confirmatio desiderabatur: erãt clausæ ianuæ propter metum Iudæorum.*

*B. Aduenerat iam eius diei vespera, cùm ecce tibi stat IESVS in eorũ omniũ medio, ingressus ianuis clausis, dote videlicet vsus subtilitatis.*

*A. Primo conspectu conturbantur & conterrentur, varijs q; cogitationibus multorum corda occupantur: alij spiritum se videre autumant, alij alia, & tamen gaudent omnes viso Domino. Erant in plerisq; mixta gaudium, timor, fidei nonnulla imbecillitas, cogitationum tumultus.*

*B. Confirmat tamen suauissima salutatione IESVS omnium corda; Pax, inquit, vobis. Ego sum, nolite timere. Vtinam hæc sex verba in cordibus nostris loquaris Bone & Sancte IESV, & depulsis aduersarijs omnibus pacem tuã nobis concilies, & inseras tui veram & dulcem cognitionem, confirmes corda sancto tuo timore, vt nihil imperfecte timeamus. Sciebat porrò Christus maiori aliquos egere argumẽto, nec illa verba ad cor eorum omnino penetrasse: subdit igitur; Cur turbati estis? Cur locum datis ascendentibus in corda vestra cogitationibus? quæ erat blanda quædam increpatio: addit tamẽ singularem increpationi benignitatem, vt omnes abigat animi titubationes; Videte, inquit, manus meas & pedes, & agnoscite quia ego ipse sum; palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Visus intelligi solet quæuis corporis sensatio, adhibito præsertim iudicio & certitudine. Tetigerunt aliqui, quos ad id interiùs ipse vocabat, corpus IESV, agnouerunt spiritum non esse, sed verè corpus humanum, quale spiritus habere non possunt (assumunt autem simile vero, cùm non sit vera & viua caro, nec vera ossa habeant) astruebat enim Christus illi tactui & contrectationi vim veritatis. Fuerunt autem hæc argumenta resurrectionis Christi, non quæ rem demõstrarẽt, sed quæ inducerent certitudinem, si quis attenderet benevole: & ea quidem planè dubitationem, qua laborabant, à cordibus imbecillitũ discipulorum abegerunt. Sat videri poterant esse confirmati discipulorum animi: verùm quia contingebat (quod ferè solet) vt præ nimio gaudio ea etiam incerta viderentur quæ cernebãtur, & vix crederetur quod erat indubitatum; huic etiam incertæ certitudini voluit mederi benignus IESVS, postulat si quid esculenti habeant.*

*C. Offerunt illi partem piscis assi & mellis fauum; comedit, dat eis reliquias.*

*B. Verus quidem fuit hic cibus, vera manducatio, sed mysticam habuit significationem: Christus enim vt piscis in aqua tribulationum mundi versatus est; captus à Iudæis, & quasi assatus in cruce exaruit; sed hæc in humanitate passus est, qui cera humanitatis, & melle diuinitatis constabat.*

*D Clausæ ianuæ omnes: vt intelligatur IESVS dono subtilitatis vsus, cùm intrauit ad discipulos.*

Beda. Gloss.

Gloss in 24. Luc. Cyrillus.



*E. Depulsis ab omnium animis cogitationum tumultibus, magna exorta tranquillitate, cõfirmat Christus rursum in omniũ cordibus pacem, dicens denuo; Pax vobis. Conuertit verò se ad Apostolos; hos docet, his aperit mentis sensum internum, vt intelligerent scripturas. Deinde; Sicut, inquit, misit me Pater, ego mitto vos: quibus verbis ordinauit (vt tradit Cyrillus) orbis Doctores, & diuinorũ mysteriorũ ministros, & vniuersum terrarũ orbem illuminare iussit. In illos præterea insufflans spiritum quidem oris sui diuini, simul interiùs Spiritus sancti charisma & gratiã inserens; Accipite (inquit) Spiritũ sanctũ: quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt. Quo insigni facto, & verbis tã perspicuis, potestatem remittendi & retinẽdi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismũ lapsos, Apostolis & eorũ legitimis successoribus cõmunicatã vniuersus Patrum consensus semper intellexit.*

Con. Tr. sess. 14. cap 1.

## MEDITATIO.

PEruenium ad Apostolorum & Discipulorum congregationem duo Discipuli gaudentes, aliam rerum faciem vident quàm cùm discesserãt, iam nunc discipulorum multitudo credit; dicunt verò, præter Thomam & aliquos; Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Quid est, apparuit Simoni? Per prædicationẽ Simonis credimus resurrexisse, & verè resurrexisse Dominum. Incipit compleri verbum Christi, quòd Ecclesiam esset confirmatura fides Petri & prædicatio, Petrus ipse: prima Apostolicæ sedis auctoritas incipit fieri illustris. Thomas tamen ne Petro quidem credit; quæ fidei retardatio, fidei confirmationem parturiebat in mysterio. Ex alijs aliqui ne Petro quidem, nec duobus narrantibus credebant: non erant omnibus clara omnia. Apostoli credunt præter Thomã omnes; ex Discipulis plerique credunt, reliqui inter fidem Petri & duorum discipulorum titubant: discutiuntur autem nubila, abiguntur titubationes Christi glorioso aduentu. En adest IESVS. Sed quando? serò, vltima diei parte, sole occidente: occidebat enim creatus sol, vt increatus oriretur, & lux cælestis in cordibus Discipulorum, & per illos in nostris. Non præterierat prima Sabbatorum, hoc est dies dominicus (vt eodem die quo Deus mũdum creauit, non solùm resurgeret Christus, sed fidem suæ resurrectionis confirmaret) occluseratis, ô boni, fores domus, quas poterat vis humana aperire; fortiùs tamen cordis vestri portas, quas solus Christus potuit aperire: sed vos timebatis Iudæos, vestras titubationes fidei & infirmitates non metuebatis. Attamẽ eratis in vnum congregati, quod erat signum fidei, spei, & charitatis, quas virtutes in Christum & in vobis debiliter quidem, & quasi in arctum redactas habebatis. Erat autem vobiscum magnum illud præsidiũ, virgo Dei Mater Maria. Ita eratis adhuc aliqui vbi venit ad vos IESVS clausis ianuis, nec voluit pulsare, ne turbaremini; qui pulsabat alioqui ad corda vestra continenter, & suo aduentu erat illa adaperturus. Permouit vos aduentus IESV, non enim tantummodo exteriùs ad vos aduenit salus æterna, sed interiùs etiam, læta & viuida præsentia & operatione: itaque gauisi estis viso Domino: steterit in medio vestrũ vtrobique, & interiùs & exteriùs. Tuum est, magne IESV, stare, quia Deus es infinitè firmus & immutabilis: tuum est in medio stare, quia solus es Dei & hominum mediator. Vtrobique igitur steristi; & vt Deus, & vt homo, medius inter Discipulos, hoc est, in medio Ecclesiæ tuæ constitisti: firmitatem inchoasti communicare tuæ sponsæ & constantiam tua præsentia & gubernatione & donis perpetuam. Iam igitur primùm è consistentia tua illa diuina, & medio viscerum misericordiæ & redẽptionis tuæ dixisti pacẽ, & attulisti Discipulis & Ecclesiæ tuæ. Neq; enim solis illis pacem dixisti, sed Ecclesiæ quæ erat, & quæ futura erat omnibus seculis: tua enim vox, tua dictio, etiam si creata erat, immensi tamen verbi erat, vim habuit diuinam, & virtutem pacis immensæ. Neque hoc solùm dixisti, sancte IESV, sed addidisti; Ego sum. Vim tui nominis æterni exeruisti, & quod Abraham nõ indicaueras, quod primũ Moysi indicasti, eius rei immensæ sensum mysticũ Ecclesiæ proposuisti; Ego sum, sum ego Dominus, hoc mihi nomen in æternum. Sublimia dona sunt hæc Domine: sed quare addis; Nolite timere? Significaui quòd semper volo in Ecclesia mea intelligi, liberi arbitrij, quod hominibus indidi, vsum liberum me illis relinquere, qua libertate vtantur si velint, meis donis præuenti & adiuti. Attendite mei Discipuli, commoui corda vestra gaudio, &

1. Tim. 2.

Exod. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



luce præueni ac donis meis: nolite esse timidi, confidite, reijcite vestras tristitias, quibus abducti fuistis ab officio, pauores depellite, qui de mea passione & morte, de mea absentia vos debilitauerant; quod prouidēter quidem permisi & benignè. Addidit hæc Christus, non ad doctrinam Ecclesiæ solùm perpetuam, sed ad emendandū in Discipulis imperfectum vsum donorum quæ acceperant; *Luc.24.* conturbantur enim & conterrentur, & ascēdunt cogitationes in corda. Verè illud certū est Christe IESV, necessarium esse speciale auxilium diuinitatis præsens, vt iuxta tuam gratiam, & virtutem à te nobis inditam, operemur: non dabas Discipulis post dona illa illud auxilium, propterea adhuc turbabantur: sed erat singularis tunc prouidētia quòd non dares, vt illo auxilio & illos, & nos egere perciperemus. Addis igitur suauem increpationem, vehementem tamen, vt qui illis tuā diuinitatem aperis, & ad secreta cordis eorū penetras. Quid estis turbati, & cogitationes ascendunt in corda vestra, & putatis spiritum videre, non me verum hominem? Adeste, ô Discipuli, præsenti & forti animo, nec plus valeat apud vos præteritorum turbinum importunitas, quàm cælestis, quam ego vobis offero, tranquillitas & diuina vis: animaduertite nihil esse cur turbemini. Hæc erant in verbis Christi; simul porrigebatur Discipulorum cordibus speciale Dei auxilium, quod faceret dona Dei in illis efficacia. Subijcit verò interiores animi consolationes & confirmationes per externa signa: sic enim est eius misericordiæ vbertas, vt non solùm Ecclesiam suam, & dilectas sibi animas auxilio illo peculiari prosequatur, sed sensibus etiam spiritus ornet & cōfirmet benignus IESVS. Videte manus meas, inquit, & pedes, externæ oculorum aciei coniungite internam; ita perspicietis quòd idem ille ego sum qui fui pro vobis crucifixus. Applicate tactus sensum tū exteriorem tum interiorem & ad vulnera, & ad corpus, & experimētū accipietis vtrinque, me non esse tantum spiritum, sed carnem simul, & veram carnem, verum corpus me habere, & idem in quo passus sum habere agnoscetis: vnde spiritualis experientia meæ resurrectionis corda vestra penetrabit, & in Ecclesia & pijs hominibus perseuerabit. Neque verò solùm hanc humanitatem quam cernitis, credetis illam esse eandem, & hominem me resurrexisse, sed Deum. Animaduertite hac veritate pasci interiorem vestrum auditum, tactum, & odoratum singulari spiritus mei, & corporis, & cicatricum fragrantia, suauitate, cælesti virtute. Gaudio erant Discipuli è primo Christi conspectu occupati, nunc autem ad tam eximia IESV beneficia & spiritualia dona adeò gaudent, adeò exultant, vt gaudij vehemētia, quæ à fide profecta erat & eius sensu spirituali, sua exundantia fidem ipsam superet; & facit vt quasi non credant quæ credebant maximè, cordis exhilaratione absorpti, & in admirationem leuati. Ibi verò auget miserationes suas magnus IESVS; ex gustu exteriore excitat spiritualem etiam gustum suæ resurrectionis: quo gustu, quas acceperant consolationes aliorum sensuum perfunderet; nec sineret è lætitia abduci, sed in ipsorū gustu & affectu conquiescere. Priùs comedit ipse, & verè comedit; comedens autem cibauit simul eorum corda gustu spirituali suæ resurrectionis: quem vt confirmaret, dedit illis suas reliquias ad comedendum. Auidè accipiunt Discipuli excellentem cibū, quem in manu habuerat Christus, è quo comederat, qui è manu Christi dabatur. Quis dignè cogitare poterit quanta vis spiritus illi cibo ex illis rebus accederet, quanta suauitas, quanta bonitas? Nam propterea illum cibum petijt & accepit Christus, ex illo comedit, ex illo reliquias dedit de manu sua, vt illam haberet diuinitus efficaciam in animis Discipulorum cibus ille. Comedunt, confirmantur illis dona, augetur spiritualis gustus resurrectionis, & deriuatur in illorum omnes sensationes diuina quædā suauitas & sancta quies: vnde cælestis accessit sapientia, & excellens illud donum spiritus, quo Deus sensum illis aperuit vt intelligerent scripturas. Propterea subiunxit sapiens IESVS; Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Agnoscetis ex his meis donis, tum ex eo quòd nūc vobis conferam ea omnia de quibus vobis ante meam passionem egi; & intelligetis esse impleta quæ scripta sunt in lege Moysi de me, & in Prophetis ac Psalmis; videbitis ea omnia completa, sentietis in spiritu & gustabitis: hæc prouenient è sapientia mea in vos. Addo aliud spiritus donum, vt non sapientiam solùm in diuinis scripturis & fidei dogmatibus habeatis, sed lucem infundo sensui vestro interno & menti atque



atque intelligentiam, qua scripturas omnes intelligatis, & nihil vobis sit clausum. En ego hoc beneficium diuinum vobis confero, qui *Apoc.3.* aperio & nemo claudit, claudo & nemo aperit: ego qui solus accipere possum librum de manu sedentis in throno, & aperire vobis & Ecclesiæ meæ septem eius signacula. Hæc excellentissima illa est traditio ac diuina intelligentia scripturarum, quæ perseuerat perpetuò in Ecclesiastica Hierarchia: ab hac excidunt hæretici diabolico fumo abducti in errorū tenebras pestilentes. Multa sunt & magna beneficia quæ contulisti discipulis hactenus excelse IESV; adiungis tamen maiora: rursum illis pacem confers priori maiorem: nam illa ad confirmationem propriè attinebat dogmatis quod erat de tua resurrectione & mysteriorum intelligentia, hæc priori quasi cumulus additur, & vis acrior illam fidē prædicandi, & omnem veritatē Euangelij tui sacrosancti, & contrarijs potestatibus debellatis pacem hominibus afferendi. Ostendisti verò illam pacem, & quæ accipiebant dona Discipuli eò esse dirigenda, vt alijs pacem afferrēt *Ioan.20.* & salutem, per maiorum donorum accessionem. Propterea additur; Dixit ergo iterū IESVS, Pax vobis: quasi per illud, ergo, quò referretur pax significaretur: explicasti enim hæc maior pax quorsum attineret magne IESV, ad missionem scilicet tuam à Patre Apostolis & Ecclesiæ communicandam. Nō enim fuit tuæ bonitati fuit & misericordiæ, si naturā humanam ad vnionem diuini verbi exaltares per incarnationem tuam, & nos faceres filios Dei, fratres tuos per tuæ gratiæ & virtutis diuinæ operationem; sed excellentem nunc facis donorum tuorum accessionem. Communicas hominibus tuam à Patre missionem & quasi extendis; Sicut, inquis, misit me Pater, & ego mitto vos: illa mea missio in mundum facta est, vt per meam veritatis prædicationē & confirmationē per miracula, labores, passionem & mortem hominibus conficerem salutem sempiternam: sed in hac ipsa missione hoc simul erat, hanc simul accepi potestatem, vt ego vos similiter mitterem; quod nūc facio diuina auctoritate & virtute, vt inter homines & Deum mediator. In me enim recō- *2.Cor.5.* ciliauit Deus sibi mundum; & in vobis per me posuit hoc verbum & ministerium huius reconciliationis: en estis Apostoli mei, legati mei ad mortales. Verùm illud intelligite, rationem missionis meæ à Patre vobis esse imitandam. Me vnum misit Pater Apostolum, in *Heb.3.* quo habeatis vestri Apostolatus vnitatem, à quo vno vim diuinam accipiatis atque exerceatis: legationem verò hanc vestrā, qua pro me fungemini, vt certiùs teneatis, vnitatē vobis vnius Pastoris & mei Vicarij relinquam à vobis ad cælum ascendens, vt similitudinem meæ & vestræ missionis agnoscatis: in mea enim missione agnoscitis vnitatem & virtutem Patris mei; in eo quem vobis præficiam, meam vnitatem, & vim, & rationem totius meæ gubernationis in Ecclesia mea: ita perfecta fiet vestra missio in me. Neque hoc tantummodo donum accipietis à me, sed potestatem etiam dimittendi & retinendi peccata hominibus per meum sacramentum: cuius maiestatem facultatis vt percipiatis, en inspiro ex meo afflatu in vos diuinitatis spiritum, gratiam vtramque, & illam quæ faciat vos mihi magis acceptos, & eam in qua illa est facultas cælestis, vt ipsam & teneatis, & exercere positis. Deus remittit peccata hominibus, vel non remittit sed punit: huius auctoritatis ministerium habetote ex me & in me, quod ego sum cum Patre meo probaturus: atque vobis absoluentibus hominum peccata, Trinitas nostra soluet; vbi non soluetis, nos similiter retinebimus. O rerum diuinarum sublimia mysteria! Tot ergo ac tantis beneficijs, tantæ gloriæ splendore ornatam, magne IESV, tuam resurrectionem Ecclesiæ tuæ manifestasti: videt, agnoscit, confitetur sancta tua Sponsa; gratias agit tibi immortales. Permanant illa dona ad me item, etiam si ingenti sum indignitate: abige tu meam indignitatē benigne IESV, fragilitatem protege & robora, & fac vt vis tot beneficiorum in me influat, ad gloriam tui nominis sempiternam. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA PRIMA
## POST PASCHA.

Apparet IESVS discipulis & Thomæ.

IOAN. XX.

*In cxvij. imaginem adnotatiuncula.* cxvij. 143.

*A. Thomas domum reuersus, Apostolis narrantibus apparuisse IESVM non credit.*
*B. Post octo dies venit IESVS similiter atque antea, & dicit Thomæ: Infer digitum in manus meas, & manum in latus: & noli esse incredulus, &c.*
*C. Infert Thomas: respondet: Dominus meus, & Deus meus.*
*B. Dicit ei IESVS: Quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. XX.

THOMAS [a] autem vnus de duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit IESVS. Dixerũt ergo ei alij discipuli; Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis; Nisi videro in manibus eius fixurã clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies [b] octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis; Pax vobis. Deinde dicit Thomæ; [b] Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei, [c] Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei IESVS; Quia vidisti me, Thoma, [b] credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia IESVS est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. ABsente Thoma apparuerat Discipulis IESVS: at vbi is rediit, narrant ei Discipuli ad se venisse Dominum, paulò postquã ipse domo esset egressus; exponunt quæ dixerat, quæue gesserat: sed qui antea fuerat incredulus, ne tunc quidem credit vel Petri, vel omnium Discipulorum prædicationi. Qua incredulitatis permissione in Apostolo prouidit nobis Deus sapientissimè magnum fidei præsidium & firmitatem. Neque verò simpliciter non credit Thomas, sed obfirmat in eo præterea animum; Nisi videro, inquit, in manibus eius fixuram clauorũ, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Cur non credis Thoma? Quia cor meum ignominia passionis Christi & mortis adhuc occupatum erat, & meæ imbecillitati permittebat me Christus, non solùm propter meam culpam, sed propter Ecclesiæ etiam vtilitatem.*

*B. Non videtur lõgiùs abisse Thomas, rediit propediem, & ad octauum vsque diem cum Apostolis & Discipulis versatus est; verùm suã incredulitatem retinens: Apostoli verò constanter fidem resurrectionis tenebant. Quamobrem vt Thomæ mederetur imbecillitati benignus IESVS & nostræ, die octaua similiter atque antea clausis ianuis, venit ad cœnaculum vbi erant congregati discipuli; perseuerabat enim adhuc Iudæorum metus, quærebantur adhuc latebræ: salutat omnes; Pax, inquit, vobis. Quæ salutatio aliorum Apostolorum fidem exhilarauit dulcissimè, Thomam vehementer perturbauit primùm, deinde incepit blandè erigere, in quem præterea aspiciens Christus; Quæ est ista, inquit, tui animi obfirmatio Thoma? Cur tam multis testibus meæ resurrectionis nõ credidisti? Obstupebat ad verba Iesu Thomas; spectabat verò ad sanitatem, exuberat tunc Christi benignitas; Infer, inquit, digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meũ, & noli esse incredulus, sed fidelis. Erant Christi vulnera aperta, & sunt, ad passionis fidem confirmandam, & resurrectionis gloriam illustrandam.*

*C. Obedit dicto Thomas, infert digitum in locum clauorum, manum in latus inserit, tangit Christi vulnera, certò cognoscit vera esse vulnera viui & veri hominis IESV, liberatur eius animus omni ambiguitate: videt planè non solùm ea quæ tractabat non esse spiritum, sed leuatur ad summum fidei sensum: sentit enim attactum intimum diuinitatis Christi: profitetur Dominum & Deum IESVM. Qua in re enituit Christi clementia singularis, vt qui fuerat infirmus & tardus ad credendum, is acciperet insignem animi cõfirmationem & lucem. Complet mysterium Christus quapropter titubare Apostolum permiserat, & rerum experientia imbecillitatem eius fidei sanauerat.* Augusti. Gregor. Theoph.

*B. Quia, inquit, vidisti me, Thoma, credidisti: hæc fuit mea in te benignitas extraordinaria, nõ tuum meritũ, non tua laus, nõ tu propter hanc fidem beatus; Beati potiùs qui non viderũt, & crediderunt: quasi interdiceret ne quis signa requireret, vel miracula ad credendũ exigeret. Loquitur verò de nobis vt de præteritis: tanquã is qui quod erat futurũ iam nouerat in sua æternitate & sapientia.*

## MEDITATIO.

Ita est planè, Domine IESV sancte & sapiens; cuius vis misereris, & quem vis indu-
Rom. 9. ras: quem vis auxilio singulari gratiæ tuæ
Psa. 20. præuenis in benedictionibus dulcedinis, quẽ non vis non præuenis: quis autem est qui tibi dicere possit, cur ita facis? Tu enim es Deus, nos tua creatura; tu fictor, nos fictilia tua vasa, & ex nobis nihil, ne terra quidem. Laudamus te, Domine, in æternitatem tuam; iustus
Psa. 144 enim es in omnibus vijs tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. Sed væ tamen illis pessimum quibus tua illa auxilia subtrahis ad eorum condemnationem: væ etiam ijs in quibus ad misericordiam destitutionẽ illam confers; sed his præsens væ & temporarium; conuertis enim hoc tu in bonum, quæ tua excellens est misericordia. Illud verò longè à nobis depelle, IESV bone; hoc si de tua sapientia aliquando permittas, verte in bonum, obsecro, tua benignitate: quod in Petro feciſti ex negatione, in Thoma è nimiùm curiosa incredulitate. Sed ex te, Beate Thoma, peto per tuam illam singularem gratiam, exponas mihi tuæ huius dubitationis mysteriũ: nam video alios item dubitasse, non solùm mulieres, sed Apostolos & Discipulos. Fui ego ferè singulari quadã imbecillitate & animi ambiguitate, quam à natura acceperam:

Universidad de Deusto
Biblioteca



Eccl. 19. fouebam verò, quòd sciebam dici esse leuem corde qui citò credit; addebam meas imperfectiones & culpas: iuuabat me subinde bonus IESVS, sed recurrebat vis naturalis illius tentationis voluntariæ, & infirmitatis. Itaque ferè fui Didymus, id est amphibolus, & quasi geminus. Nec sentiebam in meonomine esse abyssum simul & perfectionem: gratiâ scilicet vocationis Apostolicæ, & alia Dei dona. Hæc quidem habebam, non mouebar illis: itaque nonnunquam fluctuabam; vt quãdo ex timore potiùs dixi; Eamus & nos, & Ioan. 11. moriamur cum illo: & rursum vbi interpelIoan. 14. lauI IESVM; Nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? & nunc potissiIoan. 20. mùm vbi præfractior fui; Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Nã in omnium fuga dum caperetur Christus nõ fui ego vltimus: inde conceptam magnam animi mei perturbationem vehementer auxit eius passio, crux, mors, sepultura: præsertim quum ad naturæ meæ, & voluntatis imperfectionem, & ad præcedentes ambiguitates illa adderentur. Totus igitur mihi displicebam, totus languebam amaritudine, totus eram dolore oppletus; nec locum habere poterant apud me quæ de eius resurrectione narrabantur: inde dixi, nisi videro, nisi mittam digitũ, nisi mittam manum: excludebant enim alia omnia meæ passiones. In his tamẽ omnibus lugebam mortem Domini mei, discruciabatur cor meum, ardebam desiderio boni IESV, amabam vitæ authorem & fontem IESVM: eram miserabilis, & suprà quàm dici potest afflictus. In his quum essent aliqua bona, erant tamen simul multa mala: hæc angebant me acerbiùs, quàm illis vrebar diligentius. Sed, quæ est eius benignitas & miseratio infinita, respexit bonus IESVS meam afflictionem, & fecit vt meæ illæ incredulitates in vtilitatem non meam solùm, & fidei perfectionem conuerterentur, sed etiam Ecclesiæ suæ; vt qui quasi extinctis meis titubationibus, omnes omnium sæculorum titubatioCyrillus. nes extingueret. Atque adeò ornauerat iam me absentẽ Dominus, & incogitantẽ, simul cum alijs Apostolis excellẽti illa virtute missionis, facultate item illa cælesti remittendi peccata & retinendi: eram enim etiam absens de sacro illo collegio, cùm illi sua dona conferebat immensus IESVS. Permouerant me voces & testimonia discipulorum; Vidimus Dominum, ostendit nobis & manus & latus, conspeximus comedentem, comedimus etiam nos ex eius reliquijs; dixit se Apostolos mittere, quemadmodum ipse missus à Patre fuerat, insufflauit in nos oris sui spiritum, & dedit potestatem dimittendi & retinendi peccata; credimus, Thoma, hæc etiam dona tibi esse collata. Erant hæ mentis meæ vehementes præparationes; trahebat me Pater Christi, trahebat Christus ipse, sed ego tamen repugnabam; vsque adeò verum est liberum arbitrium in homine perseuerare, id quod ne Deus quidem vult vincere nisi illud velit. Est magna arbitrij liberi potentia, vel abusus potentiæ, vt Deo repugnare possit iubenti, monenti, trahenti: vicissim autem singularis illius facultas, vt possit gratiam Dei recipere, & illi operanti cooperari; quod longè est facilius quàm auxilium Dei repudiare: hoc enim facit homo sine gratia, sine Deo ambulans vias difficiles; illud præuentus auxilio cælesti, adiutus gratia, adiutus Deo. Illis igitur mentis meæ angoribus & miserijs permisit me conflictari acriùs sapiens IESVS ad octo dies, quæ omnia ad animi mei præparationem maiorem conferebantur, & resipiscentiam solidiorem. Iam erat octauus dies; Ioan.20. eramus intus omnes: en tibi, venit IESVS ianuis clausis, stat in medio, dicit; Pax vobis. O adorandam vbertatem misericordiæ Dei nostri IESV! Omnem celebritatem superioris apparitionis ad hanc rursum applicat; & tamen illa propter omnes præter te, Thoma, fieri videbatur, hæc propter solum te, nõ propter omnes. Et tamen fiebant & illa propter me, & hæc propter omnes; vtraque enim propter Ecclesiam vniuersam omnibus futuram seculis. Obtulit vt auribus meis, ita cordi pacem & gaudium bonus IESVS, alijs auxit; incepi sentire vim in me diuinam, cœperunt Psal.51. diffluere meæ titubationes, & dissipari vt à facie ignis cera: illa omnia sensi in me beneficia, quæ ante octo dies similibus signis senserant omnes. Excellenti me præuẽnit gratia benignus IESVS, & præparauit ad contactum vulnerum suorum, & diuinitatis professionem. Præparauit quidẽ me illis donis, sed peruasit acris illa actio Christi cor meũ, vbi audiui soli mihi ab ipso dici, & quidem cum vi quadam exprobrationis; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse



li esse incredulus, sed fidelis. Spicula fuerunt hæc à Christo in altum cordis mei iniecta, quæ me vehementer corripuerunt atque humiliarunt, simul propulerunt ex me omnem mentis tarditatem atque incredulitatem; vnde diuina in me virtus illa veritatis & fidei Ps.44. effulsit, & confidentiæ spiritualis robur & exultatio. Inde eructauit cor meum è vestigio verbum illud bonum; Dominus meus, & Deus meus; & perfectam Christi resurrectionis fidem professione humanitatis & diuinitatis eius confirmatam ostendi. Nam vbi intuli digitum in locum clauorum, vbi manus missi in latus; non tetigi solùm, sed vidi, hoc est omnibus sensibus internis perspexi carnis Christi veritatem, & veram ipsam resurrectionem; vnde leuatus sum in spiritualẽ sensum, & splendorem quendam cælestem diuinitatis. Itaque signaui quòd esset IESVS verus Dominus meus, & Deus meus & omnium; ijs enim verbis veritatem expressi humanitatis Christi, & dominij diuinitatis significaui: quod addidi, meus, id attinebat ad sensum meæ consolationis internæ, & assensus fidei firmitatem. Neque tamen Dominum & Deum potui profiteri, quin omniũ intelligerem. Stabant ad magnalia hæc Christi admiratione & stupore erecti omnes, laudabant impensiùs Christum, confirmabant suam fidem & spiritus consolationem. At verò Christus, qui voluerat intelligi, & attinere meam incredulitatem, & eius in me beneficia non ad me solùm, sed ad omnes, hæc sua responsione explicat; Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt & crediderunt. Excellentissima fuit hæc Christi IESV doctrina ad fidem Ecclesiæ stabiliendam. Nam quum antea ad credendam eius resurrectionem ferè signa sensilia intercessissent; Angelorum apparitiones & verba, vacuitas sepulchri, linteamina, sudarium, Christi apparitiones, vulnerum contrectationes, comestio: eò videri poterat fidei substantia contrahi, vt nisi ex rerum experientijs credere nullus deberet: quod voluit IESVS è mentibus fidelium esse extirpatum, & docere Heb. 11. fidem nec esse ab apparentibus accipiendam, nec ex apparentibus constare; sed esse ipsam non apparentium argumentum, & rerũ sperandarum hypostasin siue substantiam: quòd si contingant sensilia signa, illa tamen non esse fundamenta fidei, sed Dei internam reuelationem & lumen: dari signa ad expediendam reuelationem, propter hominum infirmitatem; quæ sedata, ad interiora recurrere debet fides; quæ scilicet meritum nõ amittit, nisi signa dum taxat sint causa credendi. Itaq; per meam imperfectionem voluit sapiens IESVS omnem fidei titubationem & impuritatem esse à cordibus fidelium depulsam: quare necessitatem suam è Dei prouidentia habuit mea erratio & tarditas, per quã mortalibus tam excellens doctrina prouenit. Habui quidem fidei meæ meritum & beatitudinem; manuduxerunt me tamen illi Christi conspectus, illi contactus, & quasi appliciuerunt fidei, quæ ex dono Dei non sine illis, sed non propter illa in animo extitit & roborata est. At verò maior erit beatitudo, maius meritum eorum fidei qui non petent signa ad credendum, & credẽt etiam si nihil viderint, & puram fidei substantiam imbibent & retinebunt. Gratias tibi habeo & ago ingentes, sancte Apostole, pro dono huius doctrinæ singulari. Verùm audi, obsecro te, benigne Thoma: credimus quidem nos in Christum, in eius omnia mysteria & dogmata, etiam si nihil coràm viderimus; & tamen te fide non superamus quam tunc habuisti. In ratione credendi certè me superastis, non in donis quæ præterea accepit tunc mea fides à Christo. At voluerunt videre quæ tu antiqui Patres; & tamen illi non reprehenduntur, tu reprehensus fuisti. Illi ex abundantia fidei videre quæ credebant expetierunt, ego per illa credidi. Verùm vos dixerat Christus beatos, quòd ea videretis quæ non viderunt illi. Non laudauit nos tunc IESVS quòd videre vellemus quæ ille nobis inspirabat diuinitus per fidem, sed beneficium suum singulare in nobis commendauit, vt ea, quæ credebamus, aliqua ex parte videremus, ipsum in carne salutem mortalium operantem. Vnum si te orem, beate Didyme, taceo. Scis tu quæ sit animorum nostrorum imperfectio, quod malũ; pendemus à consolationibus vel experimentis internis: scis simul in illis non esse sitam perfectionem orationis vel spiritualium exercitiorum: age apud Deum hanc causam pro nobis Patrone singularis, vt consolationes spiritus à Deo & accipiamus affluenter, & illis industriè, & deuotè, & fructuosè vtamur ad maiorem Dei omnipotẽtis gloriã. Amen.

APPA-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# APPARET CHRISTVS SEPTEM DISCIPVLIS AD MARE TIBERIADIS.

## IOAN. XXI.

*In cxviij. imaginem adnotatiuncula.* cxviij. 144.

*A. Non multò post venerunt omnes Hierosolymis in Galilæam, erant ad mare Galilææ alij alijs locis, Petrus & filij Zebedæi Bethsaidæ.*
*B. Ostendit Petrus velle se piscatum ire, efferunt se illi comites sex.*
*C. Piscantur tota nocte, nihil capiunt.*
*D. Stat IESVS manè in littore, rogat num quid pulmenti habeant, hoc est aliquid piscium pro obsonio.*
*E. Respondent simpliciter, vt emptori vulgari, Non.*
*D. Subdit IESVS, Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.*
*E. Mittunt, concludunt piscium ingentem copiã: quod cùm sentirent,*
*F. Agnoscit IESVM Ioannes, & dicit Petro, Dominus est.*
*G. Quod Petrus audiens, succingit se tunica, & mari venit ad IESVM.*
*H. Panis & pisces, quæ parauerat Christus in littore.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. XXI.

POstea [a] manifestauit se iterum IESVS ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus; [b] Vado piscari. Dicunt ei; Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim; & illa [c] nocte nihil prendiderunt. Manè autem iam facto stetit IESVS in littore, non tamen cognouerunt Discipuli quia IESVS est. Dicit ergo eis IESVS; [d] Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Respõderunt ei, [e] Nõ. Dicit eis; [d] Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non [e] valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo Discipulus ille [f] quem diligebat IESVS Petro; Dominus est. Simon Petrus [c] cùm audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. DIutiùs non substiterũt Hierosolymis Apostoli & Discipuli post Christi resurrectionem, nec Maria Mater Virgo cum mulieribus; præsertim cùm in Galilæam vt venirent iussisset Angelus, vbi IESV Messent visuri: quamobrem in Galilæam omnes discesserunt, ablatis insignibus cruciatuũ & mortis Christi, clauis, corona spinea, sindone, sudario. In Galilæa autem cùm versarentur, ad teloniariam artem quidem periculosam & ancipitem non rediit Matthæus, ad piscatoriam tamen redierunt Petrus, filij Zebedæi, & alij, vt ex honesto artificio sibi & suis victum pararent. Erant alij alijs in locis; Bethsaidæ verò ad mare Galilææ Petrus, Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, Thomas, Nathanael, & duo alij discipuli. Erat simul Virgo Maria benedicta Mater, neque enim ab eius cura & obsequio discedebat Ioannes. Non conuenerant autem in vrbem celebrem Capharnaũ, vt solebant, sed in suum vicum: nam certi nondum erant quid essent facturi, & priuatam interea vitam agebant, expectantes quid ipsis Christus mandaret.*

*B. Ostendit Petrus se velle piscatum ire; obtulerunt sex illi se socios: piscantes totam noctem nihil expiscantur.*

*C. Absque luce scilicet, & Christi præsenti virtute non fuit, vel Apostolorum, vel Discipulorum, vel illorum qui illis successerunt, efficax vnquam hominum piscatio.*

*D. Manè cùm ad terram accessissent, stetit IESVS in littore; non agnoscunt tamen eum Discipuli: rogat; Pueri, num habetis aliquid pulmentarij? Pueros communi nomine appellat, vt valentes ac robustos operarios: petit verò si quid habeant piscium ad obsonium.*

*E. Respondent simpliciter; Non; vt emptori populari, nihil de Christo suspicantes.*

*D. Subdit IESVS; Mittite in dexterã nauigij rete, & inuenietis. Mittunt numine iam attacti, concludũt magnorum piscium ingentem multitudinem.*

*E. Quod cùm sentirent, & rete non possent extrahere præ multitudine piscium & magnitudine, tunc tãdem agnoscit IESVM dilectus Discipulus Ioannes; (parit enim lucem spiritus Dei dilectio) & dicit Petro, Dominus est. Agnoscit item Petrus IESVM, agnoscunt omnes. Amabat quidem fortiùs IESVM Petrus, teneriùs Ioannes.*

*G. Non patitur moras Petri feruor vt ad Christum veniat in cymba, erat nudus, id est expeditus ad piscandum, solam interulam gerens; curtam breuioribus brachijs accipit ependyten, tunicam videlicet nauticam superiorem, qua etiam nunc nautæ vtuntur, & appellant capotũ; qualẽ inquit Hieron. tulisse in desertũ Hilarionem cum sacco & sago rustico. Hac tunica succinxit se Petrus: sciebat enim in vado esse cymbam: ita venit ad IESVM, alij veniunt nauigio; non enim longiùs à terra aberant quàm ducentis cubitis plus minùs. Trahunt verò rete, non extrahunt.* Hieron. in vita Hilarionis.

*H. Piscis prunis impositus, & panis.*

## MEDITATIO.

INtelligo, Domine IESV, de tua gratia; celebrasti piscationem diuinis mysterijs, sed animarum, sed hominum: horum designasti piscatores Apostolos tuos & Discipulos, & eorum Successores. Neque mysterio caruit quòd ad Apostolatum qui piscatoriam exercebant bona ex parte assumpsisti; vt artem, & suum laborem piscandi in spiritualem industriam & exercitium faciliùs conuerterent ex piscationis analogia. Docuisti pisces nos esse, mundum mare, Ecclesiam nauem: nam quũ in mundo viuamus, & hic sit mare; nos necessariò pisces sumus. Quid enim huic seculo similius quàm mare? Est quidem mare elementum, sed impurum, salsum, mala quidem salsitudine & amara; exsuxit enim Satan & peccatum si quid erat habiturum dulcedinis nostrum mare. In quotidiano est fluxu & refluxu mare ex quodam mutabilitatis dominio: nec sat illi est sic esse instabile etiam quũ est quietissimum, quid non patitur turbarum & violentiæ à tempestatibus & ventis, tum ab internis terræ exhalationibus? contrà verò eius tanta est infidelitas & incerta tranquillitas, vt insidiosè videatur agere si quando quiescit. Quàm est in tempestatibus immite! quàm barbarum! Nam cùm terræ videatur sua littorum verberatione minari continenter, in tempestate quasi suas vires exerit, & veluti armata acies, furit & in se & in terram, quasi illam delere possit amens elementum. Age, hoc non potest; quot homines absorbet tamen! quantas rapit diuitias! quot absorbet insulas! quot vrbes & regiones insana quadã inunda-

Matt. 16. Luc. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca



inundatione obruit! Denique si nihil aliud, quàm acerbè vexat nauigantes nausea, vomitu, omni spurcitia! & quos non potest submergere, eos omnibus modis contendit persequi & affligere. Quid igitur in seculo non mari est simile? quid non est magis quàm simile & magis acerbum? & tamen in hoc mari sumus pisces. Quis nos liberabit à pessimo hoc mari, nisi tu Christe IESV, nisi gratia & virtus tua? Nihil vereamini, fratres mei: ego calcaui & superaui omnis maris malitiam, & misi piscatores qui vos è mari eripiant. Sed quid est, Domine, quòd bis *Luc.5.* *Ioan.21.* iubes Apostolis tuis piscari? Vbi primò eos vocaui, ostendi vocationis qualitatem & officium, vt eò dirigerent sui animi intentionem, quod est Apostolatus præcipuum munus, homines à malitia mundani maris eripere. Sed admonui ne sine me piscarentur, ne nocte; sed ex me vt virtutem acciperent & lucem, qua virtute & luce si in omni piscatione niterentur, sagenam impleturos & naues piscibus; quod planè non possunt, qui sine mea vi & luce conantur piscari. Atque adeò tanta est meæ virtutis efficacia, tantus meæ lucis splendor, vt etiam mali, modò legitimè mittantur, copiosè expiscari soleant. Et tamen qui fuerunt in antiqua lege Patriarchæ, & Prophetæ, & pij homines exiguum fructum retulerunt; quia illa ætate, vel sub lege illa, & minor dabatur virtus, & sub vmbra omnia fiebant. Repræsentaui porrò illa piscatione vocari omnes ad fidem & salutem, bonos, malos, saluandos, reprobos: propterea multi capiuntur pisces, sed numerus negligitur, & magnitudo piscium non significatur. Rumpunt rete pisces aliqui, hæretici scilicet & schismatici, vexat multitudo ad subuersionem vsque naues, mali etiam foras mittuntur, vel non intrant rete: varium euentū illic volui significari Ecclesiæ ministeriorū. Hac verò piscatione, certum eorum fructum qui consequuntur æternam salutem repræsentaui: non dixi simpliciter, Laxate retia, quasi in incertum; sed, Mittite in dexteram, ad certam spem & fructum piscationis: hîc nihil patitur rete detrimenti, nihil periclitatur nauis; haberur hîc ratio singularis numeri, capiuntur mystico numero pisces, sunt magni: designātur videlicet prædestinati ad gloriam, qui insigniter magni erunt omnes, etiamsi in insigni magnitudine alij alijs gloria minores. Illic non prandetur vel comeditur post expiscationem, hîc inuitantur ad prandium operarij, panem comedunt & piscem, gloriæ æternæ substantiam, & cælestem suauitatem. Ad hoc prandium indicitur vt operarij afferant suæ piscationis pisces, de quibus ipsi suā capiant etiam gloriā & iucunditatem, videntes illos ad prandium cæleste adhiberi, eadem fruentes gloria beatos pisces. Hîc nō audiunt, Ducite in altum; erant enim iam Apostoli in altum leuati cum naui sua, acceperant excellentia illa beneficia, fidem resurrectionis, sensum ad scripturas intelligendas, facultatem missionis euangelicæ & functionis, & dimittendi peccata ac retinendi: propositum illis erat altum mare, vbi piscarentur homines quos conuerterent ac gubernarent, quorum peccata remitterent vel retinerent. Diuinam proposuisti doctrinam per hos piscatores sapiens IESV, & amplitudinem ministeriorum Ecclesiæ & efficaciam: sed huius piscationis reliqua mysteria obsecro, IESV Christe bone, vt me doceas vt voles. En tibi compendio: post accepta illa à me dona excellentia Hierosolymis nolui meos Discipulos esse otiosos, nec orationi & contemplationi tantùm dediros esse, sed exire eos volui in Galilæam quasi in mūdum, post acceptam facultatem prædicandi & remittendi peccata, & sua piscatione præferre desiderium homines piscandi: obiter tamen ostensum est, posse ministros Ecclesiæ honesto artificio vitā sustentare. Cogitabant autem futura spiritualis piscationis mysteria quum piscabantur, quod desiderium & meditationē ego meis dictis & gestis illustraui. Illi tota nocte nihil expiscantur; nam sine meo peculiari præsidio, & concursu, & luce non sunt efficacia præclara etiā mea dona: non laborant tamen in piscatione; neque enim molesta esse debet occupatio pia, etiam si aliquando videatur successu carere. Denique quæ in illis egi, in omnes transtuli: facio opportunè verbi diuini ministris animum, præsertim cùm ex mari & exercitio in proximos redeunt vacua piscatione ad terram viuentium, & cælestem meditationem & orationem. Quod vbi me permittente cōtingit, accedo ego ad confinium illius terræ & istius maris, & compello meos piscatores blandè, & allicio ad spem, atque eorū animū erigo; Pueri, num aliquid obsonij habetis è vestra piscatione? Vos estis pueruli mei, quos dedit *Hebr. 2.* *Luc. 12.*



dedit mihi Pater cælestis: igitur vt agnoscant suam imbecillitatem, inuito dulciter; Num aliquid estis expiscati quod vestrum animum recreet? Scio ego, nihil; sed interrogo: agite, nihil vos pudeat id confiteri. Curo vt ingenuè profiteantur mihi suam infirmitatem; Domine, nihil egimus: quod vbi ex humilitatis sensu dicunt, antequam auxilium postulent, (etiamsi vera humilitas per se semper erat) meum illud desideratum præsidiū ego ipsis offero, & docco dexteritatem piscandi: *Ps. 117.* ostendo vt ex dextera Patris mei exerceant sua ministeria, futurum vt dextera Domini faciat virtutem, dextera Domini eorum exalter ministerium, dextera Domini faciat fortitudinem. Patefacio illis me esse illam dexteram, cuius auxilio & virtute piscantur, & capiunt pisces ad meam dexterā, è mea dextera *Ephe. 1.* *Mat. 25* in iudicio euocādos. Porrò illud edoceo, non esse negligendos pisces in sagenam Ecclesiæ adductos, sed curam præterea adhibendam, & industriam, & operam vt è mari educātur, & in terra vbi Christus est collocentur: institūatur scilicet quemadmodum maris ac mundi detrimēta, & importunitates, & mala euitent. Quod faciēt, primùm quidem si statum vitæ Christianæ ex spirituali prudentia colligant & stabiliant, dein vt statum quem delegerint moribus & exemplo salutari tueantur & ornent; tunc enim à me ad conuiuiū Sanctorum euocabuntur, vbi & pascentur ipsi diuinitus, & sui piscatores ex illis pascētur. Heu Domine IESV, quàm longè ego absum à perfecta huius piscationis intelligentia spirituali & praxi! quàm imperfectè agnosco hoc seculum mare esse! quàm parum sentio maris fluctuationes & acerbitates! & propterea præbeo me piscem meis piscatoribus peruersum ac difficilem. Contrà verò terrā viuentium, vbi Christus parat nobis prandiū, non cogito, terram lætam, suauem, plenam delicijs cælestibus, plenam Deo; nihil hæc meum desiderium alliciunt, nihil mouent: nam si mouerent, si allicerent; reciperem vtique me mea voluntate, è tua gratia, benigne Domine, ad tuam doctrinā, ad tua mandata & sancta consilia implenda, quæ ad cælestem illam viuentium terram ducunt, cuius etiam hîc initium quoddam & prægustationem præbent in te. Adiuua me Domine, saluum me *Ps. 108.* fac secundùm misericordiam tuam; sana in- *Ps. 102.* firmitates meas magnas & malas; vt cantem *Psal. 70.* gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# PRANDET CVM SEPTEM DISCIPVLIS IESVS.

## IOAN. XXI.

*In cxix. imaginem adnotatiuncula.* cxix. 145.

*A.* *Alij Discipuli nauigio veniunt.*
*B.* *IESVM adorant; & naui etiam qui retinebant nuem & rete.*
*C.* *Cùm iussisset IESVS afferri ex piscibus captis, extrahunt rete magnorum piscium plenũ centum quinquaginta trium, præeunte celeuma Petro.*
*D.* *Assunt duos pisces præter illum Christi.*
*E.* *Sedet cum discipulis ad prandium IESVS, panem eis, piscemq; dispertit.*
*F.* *Constituit Petrum Pastorem omnium ouium suarum, & Vicarium in terris, quod imago cæpere non potuit.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. XXI.

A Lij autem [a] discipuli nauigio [b] venerunt (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt [c] prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis IESVS; [d] Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit [c] rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis IESVS; [e] Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit IESVS, & [e] accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertiò manifestatus est IESVS discipulis suis cùm resurrexisset à mortuis. [f] Quum ergo prandissent, dixit Simoni Petro IESVS; Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine; tu scis quia amo te. Dicit ei; Pasce agnos meos. Dicit ei iterum; Simon Ioannis, diligis me? Ait illi; Etiam Domine; tu scis quia amo te. Dicit ei iterum; Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei; Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* *LIttori alligant rete, & omnes descendũt ad IESVM; vel duo remanent ad nauigium, qui hoc, & rete curent & retineant. Venerat primus ad Christum Petrus, veniũt deinde alij, complentur gaudio; adorant omnes, è naui etiam si qui remanserant.*

*B.* *Parauerat Christus prunas & panẽ, prunis piscem imposuerat: hoc vel suis manibus fecerat humilis IESVS, vel Angelorum ministerio, vt ad comedendum Discipulos inuitaret: itaque viderunt quidem Christi apparatum, iubet tamen ipse vt ex piscibus, quos ceperant, aliquos extrahant & assent.*

*C.* *Cùm iussisset IESVS vt ex piscibus, quos ceperant, Discipuli afferrent, Princeps Petrus venit ad nauigium, illum alij sequũtur; illo præeunte celeuma trahunt in terram rete plenum centum quinquaginta tribus magnis piscibus: prouidit autem Christus vt non rumperetur rete tot piscium pondere & violentia. At verò plena sunt hæc mysteriis: trahit Petrus rete saluandorum prædicatione Euangelij; omnia enim ministeria Ecclesiæ per Petri sedem gubernantur: horum saluandorum numerus est centum quinquaginta trium mysticè; qui numerus ex omnibus partibus numeri septemdecim simul sumptis conficitur: vt illi significentur beatitudinem consequi omni tempore, qui decem mandata seruauerint per legem Spiritus vitæ, & septiformem gratiam Spiritus sancti. Repræsentat' alioquin numerus centum quinquaginta trium, observationem perfectam decem mãdatorum in Ecclesia Christi per centum, id est decem decades; & per quinquaginta, Spiritus sancti missionem, & donorum affluentiam; per tria, apertam & explicitam sanctæ Trinitatis confessionem. Eodem autem numero saluatos intelligimus ante Christum per obseruationem decem mandatorum, & septiformem gratiam Spiritus, quæ significabatur per septem lucernas candelabri in templo Domini, coniunctò scilicet legi Spiritus; lex enim, quãdo non adiuuat gratia, Aug. in præuaricatores facit, & est tantùm in littera: Ioan. 21. ita fit, vt qui saluantur, omnes per illum numerum significentur in vtroque statu, & veteris & noui testamenti. Neque verò vel pondus horum piscium, vel difficultas faciet vt rete rumpatur, vel aliquis è reti dilabatur; firma enim est Dei prædestinatio æterna, & ad illam implendam Ecclesiæ efficacia ministeria, certus est numerus prædestinatorum.*

*D.* *Erat appositus piscis quem parauerat IESVS, & panis. Assantur duo alij ex captis; inuitat ad prandium omnes IESVS.*

*E.* *Assident, dat omnibus de manu sua panem, piscem similiter: nulli verò erat dubium quin esset Dominus; propterea nullus illum interrogauit: tu quis es? Impresserat initiò IESVS eorum cordibus claram & suauem sui cognitionem. Voca nos, bone & sancte IESV, ad prandium tuum, da nobis vitæ æternæ panem & robur, adde piscem cælestium consolationum.*

*F.* *Tum magno verborum pondere & spiritus creat Petrum suarum ouium Pastorem, & in Ecclesia sua Vicarium; quod exprimere non potuit imago.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# APPARET CHRISTVS IN MONTE THABOR.

## MATTH. XXVIII.

*In cxx. imaginem adnotatiuncula.* cxx. 146

A. *Mons Thabor, quò Apostoli, Discipuli, & sanctæ mulieres conuenerant.*

B. *Videntes* IESVM, *omnes eum adorauerunt.*

C. *Accedens ipse peculiariter dicit Apostolis; Data est mihi potestas, &c. Euntes docete, &c. Ego vobiscum sum, &c.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### MATTH. XXVIII.

VNdecim autem Discipuli [a] abierunt in Galilæam in montem vbi constituerat illis IESVS. Et videntes eum, [b] adorauerunt; quidam autem dubitauerunt. Et accedens [c] IESVS locutus est eis, dicens; Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.

ADNO-



## ADNOTATIO.

Aug. de consensu Euangel. lib. 3. c. 25.

OCtaua est hæc Christi manifestatio ex decem quas Euangelistæ commemorant; eo-dem enim resurrectionis die quinquies narratur apparuisse: primùm Mariæ Magdalenæ, secundò in itinere mulieribus, tertiò Petro, quartò euntibus Emmaunta, quintò decem Apostolis, & alijs Discipulis absente Thoma: sexta fuit manifestatio item Hierosolymis post dies octo præsente Thoma, & vulnera Christi attrectante; septima ad mare Tiberiadis quatuor Apostolis & tribus Discipulis: succedit octaua hæc, in monte Galilææ: nona fuit Hierosolymis in die ascensionis recumbentibus vndecim: decima eodem die, non iam in terra, sed in nube, quod

Aug. de consensu Euangel. lib. 3. c. 25. Act. 1. Luc. vlt. Act. 1. 1. Cor. 15

Marcus & Lucas referunt, siue dicas vnam illam fuisse apparitionem continuatam. Dubium tamen non est quin sæpius manifestauerit se Christus Apostolis, apparens eis, & loquens de regno Dei. Narrat item Paulus visum IESVM plusquam quingentis fratribus, deinde Iacobo Alphæi, scilicet filio; quæ fuerunt manifestationes ante ascensionem, & planè antequam Paulo appareret, quæ fuit nouissima manifestatio. Quo fit, vt quæ quingentis fratribus, illa non fuerit quæ facta est in dormitione B. Virginis Matris, quod quidam dicunt. Octauo igitur loco apparuit Christus in monte Thabor, qui est in Galilæa, naturali quidem ornamento celebris, Christi tamen beneficijs longè celeberrimus: ibi enim docuit Apostolos, ibi transfiguratus est, ibi orauit. Hic est mons Galilææ, vbi se visum iri prædixit per Angelum IESVS. Venerunt autem vndecim Apostoli ad montem; venerunt cum ipsis & alij Discipuli, & sanctæ mulieres:

A. Est enim consentaneum vt hæc sit manifestatio quam pollicitus est Christus non solùm Apostolis, sed in vniuersum omnibus, etiam mulieribus: erant tamen primarij Apostoli vndecim, quibus peculiariter loquebatur, vnde etiam intelligere possemus, aliquos in multitudine dubio animo fuisse, non tamen ex Apostolis, qui confirmato Thoma erant omnes in fide resurrectionis constantes.

B. Adorant omnes Christum.

C. Accedit ad vndecim Christus, illis præcipuè loquitur; Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Quando data est tibi potestas, magne IESV? Diuinam potestatem dedit mihi Pater in æternitate, qua ego vnà cum Patre semper vtor. Verum est alia secundum humanitatem mea summa potestas: hanc tametsi in conceptione mea accepi, ea tamen non sum vsus hactenus, nisi pro ratione meæ œconomiæ, & ministerij quod à Patre accepi. Fuit mea potestas ferè abscondita, nunc verò nihil est amplius quòd cohibeatur vt antea: regnabo in cælo & in terra, donec ponam omnes inimicos sub pedibus Patris. Nouissimè mortem destruam, iudicabo orbem terrarum; his dabo gloriam æternam, illis sempiternum supplicium irrogabo. Sed vos eritis, & posteri vestri, mei commilitones, ego Imperator & Rex vester. Docete igitur, non Iudæos solùm vt hactenus, sed vniuersas gentes quæ à me audistis credenda, speranda, amanda, agenda: baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hæc enim est non solùm magnum Sacramentum, sed diuina etiam doctrina: eo enim & vitam accipit cælestem baptizatus credens in vnum & trinũ Deum, in mortem Filij Dei, & resurrectionem. Simul etiam docete omnes seruare atque opere complere quæ ego vobis tradidi. Neque verò timeatis, vel pusillo animo sitis; non enim ego à vobis abero: in Ecclesia, quæ est corpus meum semper ero, in capite eius, id est Petro & eius Successoribus, in Sacramentis, virtutibus & donis, ero in mentibus pijs. Sed hæc erit virtutis præsentia: nonnunquam etiam apparebo re ipsa sanctis meis & amicis: verùm illa erit perpetua & perfecta præsentia mea apud vos vsque ad consummationem seculi; adero enim vobis semper in Eucharistiæ Sacramento & Sacrificio.

Universidad de Deusto
Biblioteca



SVbinde intelligimus, fratres, atque adeò semper agnoscimus quæ loquitur, quæ gerit Christus, & quæ docet, nobis dici, simul omnibus omnium seculorum hominibus: non enim solis illis concionabatur & miracula edebat, sed omnibus. Vt enim præsentes omnes habuit non solùm in diuinitatis immensitate, sed in sua visione beatifica & sapientia, ita quasi præsentes omnes instituebat. Quapropter in Marco dicit; Quod vobis dico, omnibus dico. Quibus omnibus? viuentibus omnibus, & futuris omnibus, quos pro præsentibus habeo. Hoc etiam loco quum dicit IESVS; Ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ seculi; res eadem exprimitur. Vos vnum estis, non distinguo vos à futuris, sed de illis perinde vt de vobis loquor. Vt enim simul pro omnibus veni in mundũ, & in cruce mortuus sum, & resurrexi; ita omnia omnibus dixi, pro mea œconomiæ prouidentia, iuxta quod ratio postulat singulorũ. Sum vobiscum vsque ad consummationẽ seculi, quia vos estis vnum cum futuris omnibus, quibus similiter dico atque vobis. Hæc quum ita sint, fratres, debemus nos quæ gerit, quæ loquitur Christus quasi præsentes in spiritu meditari, & quoad assequi poterimus contemplari: quæ ratio in oratione & spiritualibus exercitijs diligenter à nobis est obseruanda. Non enim vt absentia Christi mysteria meditari debemus vel contẽplari, quasi alibi fiant, alibi nos illa tractemus; sed cogitatione & animo illic oportet simus vbi res geruntur, vt ex omnibus locorum, personarum, rerum, actionũ circumstantijs spiritum concipiamus & deuotionem. Veniamus igitur, fratres, cũ Apostolis, misceamus nos Discipulis & multitudini, vel illũ potiùs sacrum comitatum sequamur pro indignitate nostra: & quamuis in multitudine aliqui sint qui plenè non credant, ne illis nos putemus esse anteponendos. Quid enim nos? Quomodo credimus! quàm frigidè, quàm negligenter, quàm sine fructu! Quot grauamur peccatis quibus illi carebant! Sed vnde veniebant illi, & quò; inde, eò veniamus. Venerant illi è Hierosolymis: ibi meditationem renouemus resurrectionis Christi, apertionis sensus vt intelligerẽt scripturas, missionis Apostolorum, & potestatis remittendi peccata & retinendi. Per Galilæam in montem Thabor iter habebant, eadem nos vestigia sequamur: sed in itinere iuuemur comitatus sancti consortio, & è locis quà iter habebant, eam esse viam confideremus, qua iter habuit toties IESVS, eius Mater, Apostoli; in qua concionatus est Christus, fecit multas & magnas virtutes. Subsistamus ad mare Tiberiadis; ibi contemplemur Petrum & socios piscantes, & nihil capientes piscium: videamus Christum in littore, & reliqua eius loci mysteria, totam celebritatẽ piscationis & prandij. Conspiciamus post prandium IESVM ter sui amorem à Petro exigentem, quæ erant amoris Petri incitamenta & accessiones, quas offerebat Christus, recipiebat per humilitatem Petrus. Subijciebat verò Petri responsionibus interim magnus IESVS excellentem illam & supremam in Ecclesiam suam auctoritatem, & iurisdictionem secundùm suam summam, & Vicarium suum in terris Petrum diuino priuilegio constituebat & confirmabat; simul excellentem illam potestatem clauium cæli dabat quam erat illi pollicitus, & vniuersam planè in Ecclesia potestatem, vt cui omnes subijcerẽtur potestates & homines, per quam hominibus esset dispensaturus omnem authoritatem in Ecclesia & iurisdictionem. O mysterium excelsum! ô priuilegium incõparabile! Et tamẽ simul videbimus illi mortem à Christo denuntiari, quam esset subiturus pro illius fide, & accepta sua potestate, quæ maior erat prærogatiua quàm illa Ioannis: solidiùs scilicet Petrus amabat, teneriùs Ioannes. Postea verò audiemus denuntiari, quando via sit ingredienda in montem Thabor ad Christum, comparabimus animos nostros ad iter ex superiorũ mysteriorũ consideratione, suauissimè in itinere de his rebus colloquemur, & animũ cõparabimus ad ampliſſimũ illũ Christi cõspectum. Ascẽdemus in montẽ præcedẽtibus Apostolis, subsequẽtibus Discipulis & alijs pijs hominibus, mouebit nostrã deuotionẽ horũ omniũ deuotio, monebit & mulierũ; non enim aberãt illæ: singuli passus addẽt nobis suã mentis leuationẽ, Ad planitiẽ amœnã illam & amplã sacri montis perueniemus: & ecce nobis dabit se conspicuum IESVS; quo conspectu quum viderimus alios omnes vehementi religione permotos, tangemur & nos deuotione. Procumbunt omnes in genua & ad terram, ad summam Christi IESV adorationem profundè corda sua humiliantes, & Christum ad diuinitatis vsque gloriam exaltantes; similiter nos cum illis pro nostra deuotione excitati IESVM adorabimus & magnificabimus, laudes illi in corde nostro canentes, ex cognitione nostri nihili & professione. Sanabuntur nostræ & fidei & aliarum virtutum imperfectiones, vt aliquot illorũ sanatæ sunt fidei ambiguitates. Quid autem nobis accedat ex adoratione deuota, atque ex mentis nostræ purgatione, aduertamus. Accedet ad nos benignus IESVS, & nostro spiritui blandiùs sese insinuabit, & insperget menti nostræ suauem & fortem odorem potestatis suæ omnipotentis, quam accepit nascendo à Patre in æternitate; tum excellentis, & architectonicæ, quam recepit merito suæ vitæ, passionis, & mortis; qua constitutus est Rex à Patre super Sion montem sanctũ eius. Dabit de sua benignitate vt sciamus in illuminatione cordis nostri, quæ sit supereminens magnitudo virtutis suæ in nos qui credimus, secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in ipso Pater, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia sub pedibus eius subijciens, & ipsum dans caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Hinc agnoscemus dona Dei in nos, quæ à Christo per Ecclesiã accepimus, doctrinam, baptismum, alia sacramenta, præcepta, & morum Christianorum institutionem. Et hîc quidem primùm venerabimur & obseruabimus Ecclesiæ Principes, qui Apostolis succedunt, & in his Petri successorem Romanum Pontificem, & alijs Episcopis anteponemus, & supremo in terris honore prosequemur & obsequio. Habebimus in suo honore Parochos, qui Discipulis succedunt. Nostris verò & Episcopis, & Parochis vel Præpositis religiosè obediendi animũ suscipiemus studiosè excreendum. Ecclesiæ verò Catholicæ & hierarchicæ orthodoxam doctrinam non retinebimus solùm & confirmabimus in corde nostro integrè ac syncerè, sed acri etiam zelo prosequemur aduersus desertores Christi & Ecclesiæ & hostes Lutheranes, & alios omnes qui ex alia Lerna ebullierunt, bufones tetros & pestilentes. Præterea quam ex baptismi sacramento ritè baptizati acceperunt vim diuinam agnoscemus & gratiam, qua illuminati sunt, & renati Christo ex aqua & Spiritu sancto; vnde vitæ spiritualis principium in nobis agnoscemus in spiritu diuinæ generationis, cui cooperandum sit in Christo. Nam quæ potest esse maior vis, & dignitas, vel suauitas, quam in baptismo per Christum inuocatam esse, affuisse, operatam esse vnitatem Dei & Trinitatem vna infinita illa & æterna virtute? & ita operatam, vt intelligamus cõsequutam fuisse principali quadam adoptione gratiam qua renati sint filij Dei, & facti Christi fratres, ac designati regni eius cohæredes; vocati ad bona opera, in quibus per Dei gratiam ambulent ad æternam gloriam in Christo promerendam? Ad hæc principiũ statuemus à Deo, & in Deũ, quo videlicet operemur ex eius virtute, & ad eius gloriã, ac intimis cordis nostri visceribus in perpetuum illud imprimemus. Illud præterea erit cordi nostro suauissimum, non hæc solùm nobis ingentia beneficia præstari, sed proponi etiam præcepta, quasi necessitatẽ & rationẽ Deo seruiẽdi. Quid enim amanti Deũ optatius esse potest, quàm vt qui ad regnũ cælorũ vocat quos genuit filios, & vim largitus est ad illud perueniendi, viam etiã docear & rationem qua eò iter nostrũ dirigamus & actiones? Ea via est mandata eius & cõsilia, si quis ea sequi velit, quæ nobis per se, per suos Apostolos & Ecclesiam præscripsit. Magna est cordis nostri exultatio vbi Christũ audimus præcipientẽ Apostolis; Docete baptizatos ea omnia seruare quæ mãdaui ego vobis. Ergo ea omnia Apostolos docuit, ea omnia imperauit vt nobis præciperẽt suo nomine; quasi in illis præsentẽ videamus Christum nobis præcipientẽ. Quid certius? quid vtilius ad nostrã salutẽ, & quidẽ sempiternã? Audiemus præterea magni IESV diuinã illam pollicitationẽ & repræsentationẽ; Ego vobiscum sum vsq; ad consummationẽ seculi: corde intimo accipiemus illã suauiter ac deuotè. Lætabimur in salutari nostro IESV; cantabimus & psallemus virtutes eius; seruiemus illi in timore, & exultabimus ei cum tremore sancto: exaltationes Dei existent in gutture nostro, & dabuntur gladij ancipites manibus nostris contra dæmones & mundum, contra carnem & concupiscentias nostras. Dicemus in iubilo cordis in Domino, Emmanuel, nobiscum est Deus, nobiscum est IESVS, nobiscum



Mat. 13
Mat. 28
Ioan. 21.
Psal. 2.
Eph. 1.
Mat. 28
Psal. 29.
Psal. 2.
Ps. 144.
Isa 7.
Mat. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



biscum Christus, quis contra nos? quis verò
Rom.8. non pro nobis contra hostes Dei & nostros?
Hæc magna sunt dona, bone IESV, quæ hactenus, te donante, sum meditatus de tuo beneficio singulari: verùm illam præterea ex te, Domine, vim intelligo, quam tunc Apostoli perceperunt profligandi hæreticorũ superbas peruersitates, & insanias falsas ac pernicioſas. Non erant hæretici, & tu illos tamen inde vsque expugnasti, sapiens IESV, spiritu oris tui omnipotenti & gestorum; & paucis quidem verbis & gestis, sed diuina sapientia & virtute plenissimis. Nam vbi consistent qui resurrectionem veram carnis inficiantur, quum te videant tot argumentis, & rerum experientijs, veram tuam carnem resurrexisse ostendere? Quis hæreticorum audebit suam esse à Christo missionem mentiri, (etiam si hæretici impotenter mentiuntur) vbi audit
Joan.20. dicentem Christum; Sicut me misit Pater, ego mitto vos? Quos enim mittit quum hoc dicit? Nempe Apostolos, & in illis omnes quotquot erant legitimè mittendi omnibus seculis. Ostendant hæretici se in Apostolis missos; id si nunquam poterunt, vt non poterunt, nec missos vnquam se esse à Christo ostendere poterunt. Alioquin verò si Apostolos tunc solos misit Christ⁹, nullus postea à Christo missus est; quare minùs ipsi. Sin in illis alios mittebat; quasi præsentes, quasi vnitos Apostolis mittebat, quasi successores mittebat, & per Apostolos quidem, ac Vicarium sibi substituendum. Rursus Nouatus ac Nouatiani validissimè confutati sunt illa
Joan.20. Christi insufflatione, illis verbis; Accipite Spiritum sanctũ: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorũ retinueritis, retenta sunt. Quorsum enim tandè tanta data facultas esset, si illa nõ licet vti? Quorsum attinet tanta maiestas? Insufflat Christus, dat Spiritũ sanctũ, Sacerdotes cõsummat noui & æterni testamenti: addit; Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorũ retinueritis, retenta sunt: quare Iudices creat in causa peccatorum quæ post baptismũ cõmittuntur. O peruersitatẽ contrà sentientiũ, nõ modò veterũ Nouatianorũ, sed recentiũ è Lutheranismo, qui nefariè sacramentũ pœnitentiæ affligũt atq;
Ioan.21. adeò tollũt! Iam verò vbi Vicariũ suũ super omnes oues, super omnes agnos, super vni-
Ps. 145. uersum ouile suũ creat Petrũ; quasi exurgit Deus, & dissipat hæreticos omnes, & fugiunt à facie eius qui à facie Ecclesiæ & Pastoris vnius recedũt. Quid enim? Fecitne Pastorẽ Ecclesiæ Petrũ, & nullũ præterea in ipso designauit? Habuit igitur Ecclesia vnitatẽ & gubernationem à Christo per Vicariũ Christi Petrum, mortuo Petro non habuit, sed fuit diuisa & desolata? Hoc fulgure diuini verbi prostratus serpens hæreticus, adhuc tamẽ audet sibilare; solum Christũ Petro mortuo dedisse vnitatẽ & gubernationẽ, & exercuisse in Ecclesiã suam. Cur id nõ potuit viuo Petro, quod potuit mortuo? quod si potuit, vt potuit, cur nõ fecit? Et quidẽ vbi vnitate egebat magis, & gubernatione Pastoris qualis futur⁹ fuerat Petrus, cur illo eam destituit? Illud scilicet vultis hæretici (ô vafritiẽ diabolicã & pestilentẽ!) vt vnitas tollatur ab Ecclesia quę videri possit & deprehẽdi, quã in Petro instituit Domin⁹; & dissipetur ouile Christi absq; Pastore, & habeãt singulæ sectæ hæreticorũ insensibilẽ suũ Pastorẽ & Iudicẽ, & quẽ sibi ipsi faciant per suã vesaniã Christũ: deniq; vt sint omnes hæreses à Christo, & illũ (si Deo placet) habeãt omnes hæretici authorẽ, & vnum Pastorem. Quod quum faciunt, comprobant omnes hæreses, & Christũ sibi contrarium & erroneum; vt sunt multæ hæreses sibi è diametro contradicẽtes. Hem infernũ! hem satanicum chaos! Porrò autẽ cùm dixisti, excelse
Mat.28 IESV; Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: non solùm Ecclesiæ ad officia sua omnia obeunda diuinam virtutem obtulisti, sed illam armasti etiam ad hæreticos omnes, omnes philosophos, omnes Gentiles, omnes Machometanos, omnẽ infidelitatẽ & tyrannidem conculcandã, ad Satanã, & aduersarias
Rom.16. omnes potestates sub pedibus suis conterendas velociter. Tua enim illa potẽtia, tum infinitæ diuinitatis, tũ merito tuo cõparata, permanat in Ecclesiã tuã vniuersam, in Catholicos, & in omnes qui tenent illã vnitatẽ in te. Nam Satanam iam vicisti, & in inferno colligasti; interficies verò eius primarium satelli-
2. Thes. tem Antichristũ Spiritu oris tui, & solutum 2. breui rempore tua permissione Satanam rursum non solùm colligabis vt nocere amplius nunquam possit, sed trades in æternũ sæuissimis suis pœnis cruciãdum, omni libertate expoliatum. Regnasti ergo, & regnas potestate quæ data est tibi à Patre in cælo & in terra; & per te, & in te, Ecclesia tua suũ regnum obtinebit, & implebitur gloria tua & virtute: qua virtute potẽtes effecti Apostoli tui, & eorum Successores, profligabunt hæreticos omnes doctri-



doctrina sua, quam non in angulis Donatistarum, non in Lutheranorum nimbus prædicabunt, sed catholicè & orthodoxè in omnibus gentibus. Neque docebunt adultos homines tantummodo, sed infantes etiam Christi authoritate & traditione; in gentibus enim voluit etiam sapiens IESVS infantes intelligi, qui docentur gratia & virtutibus in baptismi Sacramento acceptis, qui etiamsi non actu, tamen habitu credunt: vnde peruersi Anabaptistæ concidunt. Conteritur verò Sabellius, Arrius, Eunomius, Macedonius, & quotquot in Deum trinum & vnum blasphemant, vbi tanto verborum Christi splendore & maiestate Dei vnitas & trinitas prædicatur. Aboleturque Luheri primaria hęresis: Sola enim fides non iustificat hominem; imò ne
Mar.16 iustificat quidem baptizatos, nisi per baptismum: non enim qui crediderit dumtaxat dixit Christus, sed coniunxit, & baptizatus fuerit; disertè docens non satis esse fidem. Illi etiam quos oppugnat grauiter & expugnat Augustinus, prosternuntur, qui exclusiuè (qui est mos, potiùs verò corruptela Lutheranorum) hærent & præcisè illis verbis; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: vt quicquid præterea flagitij quiuis cõmittat, saluus tamen sit futurus, quia & credidit, & fuit baptizatus: cum quibus planè faciunt Lutherani, etiam si dissimulent; tribuunt enim fidei soli iustificationem, & memoriæ susceptri baptismi. Quum verò addit Christus, Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis, nónne diuinis traditionibus dat authoritatem, & oppugnatores traditionum Lutheranos, & alios omnes expugnat? Traditione enim accipiunt mandata Christi Apostoli, ex traditione primùm docent; scribuntur deinde ex his multa, non omnia. Nam sensus scripturarum quem acceperunt Apostoli à Christo (vt alia omittam) vbi scriptus est? Quæ autem in hoc genere scripta non sunt, ab eadem traditione suam vim obtinent vnde quæ scripta. Iisdem verbis deijciuntur operum osores & detractores: intelligimus enim, authore Christo, mandata operum dari fide-
Luc.10. libus, obseruationes verò mandatorum afferre vitam æternam ijs qui illa faciunt. Postremò vbi omnium confirmat animos Christus diuino suo verbo & pollicitatione; Ecce, inquit, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, simul hæreticorum omnium animum & vires frangit ac dissipat; vt à quibus longè sit Christus, quos contra sit Christus. Ita fit vt omnis hæresis timida re vera sit, quem timorem sæpenumero etiam prodit ferocia quædam insolens: vbi enim fides non est, vbi nulla vera virtus; quomodo constare potest verus animi vigor? Ad hæc, si eisdem verbis Caluini simul insaniam dicamus esse notatam, verè ac catholicè faciemus, & piè. Cur enim, Ecce vobiscum sum, quasi ad rem nouã, & extraordinariam, & admiratione dignam, dixit Christus, nisi illud significaret quod est orthodoxum; non modò Christum ipsum pijs affuturum omnibus diebus præsentia spiritus, & diuinitatis, & auxilij; sed peculiari etiam præsentia in sacrosancto Sacramento Eucharistiæ? Ostendit siquidem hanc esse excellentissimam Christi præsentiam, ad quam confugere, vnde opem petere summo studio & deuotione semper deberemus. O sancte & benigne IESV, implesti cor meum diuina doctrina, luce, suauitate, virtute. Sit tibi gloria in secula seculorum. Amen.

DOMI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# DOMINICA SECVNDA
## POST PASCHA.

De Pastore bono, ostio, Ostiario, ouili.

IOAN. x. ANNO XXXII.

*In cxxi. imaginem adnotatiuncula.* cxxi. 58.

A. *Venit ad hanc parabolam Christus post sanatum cæcum natum, & Iudæorum inde natam disceptationem.*
B. *IESVS docet Pharisæos, profitetur se bonum Pastorem, ostium, & Ostiarium ouilis sui.*
C. *Dimicat legitimus Pastor cum lupo fortiter.*
D. *Mercenarius & ignauus fugit, & lupus dispergit oues.*
E. *Fit omnium ouium vnum ouile, & vnus Pastor.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

IOAN. x.

IN [a] illo tempore [b] dixit IESVS Pharisæis; Ego sum Pastor bonus. [c] Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. [d] Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & [d] fugit; & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet [e] vnum ouile & vnus Pastor.

## ADNOTATIO.

A. *SAnato cæco à natiuitate, magna est excitata Pharisæorum perturbatio, magnæ contentiones & inter ipsos factæ, & cum cæci parentibus, & cum cæco ipso. Hunc tandem cherem, id est execratum ejecerunt foras, id est excommunicauerunt. Quum hæc audiret Christus & videret in spiritu, cæcum inuestigat, & longè maiori afficit beneficio quàm sanitatis: disertè enim ostendit illi se Christum, se filium Dei esse. Recipit grato animo cæcus Dei donum, procidit ad pedes IESV, illum adorat: subdit benignus IESVS salutarem omnium increpationē, simul & admonitionem; Ego in iudicium veni in hūc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Veni vt qui reiecto proprio iudicio & intelligentia fidem Dei sequuntur, ij videant; qui contrà per arrogantiam suo iudicio & prudentia carnis nituntur, ij fidei lumen vel amittant, vel non recipiant. Hæc contra se dicta interpretantur Pharisæi. Num nam, inquiunt, etiam nos cæci sumus? Respondet IESVS: Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum ergo vestrum manet. Quasi dicat: Vtinam essetis cæci, & cæcos vos esse profiteremini, quæ esset aliqua ad fidem & veritatem intelligendam dispositio. sed cæci non solùm estis, sed insolenter vobis scientiam arrogatis: propterea constans est & difficile peccatum vestrum. Hinc ad salutarem illam parabolam de ostio, Ostiario, ouili & Pastore extendit sermonem.*

*B. Docens enim Pharisæos accepta occasione ex eorum interrogatione, ostendit apertè vnum esse ouile Dei ouium, huius se esse ostiū per quod esset intrandum, aliunde non patere ingressum nisi latronibus: Pastorem, Vicarium scilicet per*

*hoc*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*hoc ostium debere ingredi, huic aperire se, qui huius ouilis est ostium & Ostiarius. Ostendit deinde se Pastorem esse illum summũ, Pastorum omnium exemplar perfectissimũ, qui non solum non relinquit oues à lupis dissipãdas & rapiendas, sed morti se offert ad eas liberandas; quæ est & incomparabilis charitas, & virtus infinita: nam occiso Pastore, solent lupi in ouile tyrannidem exercere pro sua libidine; Christus verò morte sua Diabolum, mundum, mortẽ, infernum superauit, & horum tyrannidem dissipauit ac sustulit.* Augusti.

*C. In circulo designatur Pastor bonus, qui cum lupo pro ouibus dimicat fortiter, nec oues derelinquit.*

*D. Contrà fugit ignauus Pastor & nequam, vbi videt adoriri lupum ouile.*

*E. Congregantur omnes oues in vnum ouile, omnes homines in vnam fidem, in vnam Ecclesiam Catholicam, lupis omnibus profligatis: existat vnus Pastor Christus in vno Pastore Christi Vicario, Petri successore; quod cùm fiet, veniet Christus ad iudicium; tametsi dies ille ignorabitur. Salutaris autem doctrina & ijs qui animarum curam gerunt datur, & ouibus, quæ agnoscere suos Pastores debent, non alienos, non eos qui non intrant per ostium, non quibus non aperit Ostiarius, sed ipsi irrumpũt in ouile; non ijs qui veniunt, non mittuntur; qui intrudunt sese, nec scitur vnde sint: denique quos Ecclesiæ hierarchia non agnoscit, eos fugere debent oues, sequi verò debent legitimos & veros Pastores; his animas suas pascendas cum omni simplicitate & mansuetudine exhibere.*

## MEDITATIO.

Augusti. TV es igitur, ô bone & sancte IESV, Pastor ouiũ, habes ouile, eius es & ostium, & Ostiarius. Sed quæ sunt oues? quod ouile? Sunt oues fideles mei, felices si ouis naturam imitẽtur, si sint mansueti, si in oculis suis imbecilles, si sint obedientes suis Pastoribus, alienos auersentur, si sint bonis operibus fœcundi atque affluentes, si bona opera nutriãt & augeant, si illorum curam gerant, si casti fuerint, si admonentes Pastorem suæ necessitatis; medicinam item si afferant alijs salutarem, tum ex superfluis, tum etiam ex necessarijs. O felicem hominem si similem se mihi præbeat ouem Pastori! Sed quod ouile tuum? Ouile Ecclesia mea est; hæc verò populus per totum orbem diffusus à me vocatus, à me per baptismum Deo consecratus, meorum particeps Sacramentorum, sub meo in terris Vicario. Magnum, magne IESV, mysterium, diuinum ouile. Huius ego sum Pastor, incolumium ouium cõseruo & augeo sanitatem, imbecillium confirmo; quæ illam amiserunt, ijs restituo; vitam etiam, si eam perdiderint, reparo; eas à luporum & ferarum omnium iniuria & maleficio protego; illas pasco salutaribus & cælestibus alimẽtis. Ego oues meas in montibus Israël excelsis, in riuis & pascuis vberrimis & pinguibus, in herbis virentibus, & in cunctis sedibus pasco; accubare eas facio, vt requiescentes cibum salutariter ruminent. Requiro si qua perijt; si qua abiecta fuerit, reduco; si qua confracta, colligo; si qua infirma, consolido; quæ pingues, quæ fortes, eas custodio, & pasco in meo iudicio prouidenter, & defendo. Ego tua sum ouis, Domine, tua benignitate, tu Pastor ille meus es excellenti bonitate. Tuæ diuinitatis bonitas increata & infinita est & æterna; tuæ etiam humanitatis, & diuinæ hypostasis vnione, tum donis summis cæteras creaturas omnes immenso interuallo antecellis; tibi gloria in seculum: si tu pascas me, nihil mihi deerit, in pascuis vberrimis me collocabis. Verùm qui ostiũ es ouilis, sancte IESV? quî verò Ostiarius? Si enim ostium, quomodo Ostiarius? Ne meas parabolas intellige quasi auribus & oculis interioribus neglectis, externis rebus hæreas; sed quando illas audis, exteriori quidem intelligentia illa apprehende quæ exteriùs dicuntur, spirituali verò ea quæ innuuntur vel similitudine, vel proportione, vel ratione quapiam. Ostium est ouilis externi qua ingressus vel datur vel negatur: leua oculum tuæ mentis, vide me factum Ecclesiæ meæ ostiũ in cruce & morte mea: aperio vulnera mea veris & pijs ouibus, adulterinis & falsis occludo; quod cùm facio, sum certè idẽ Ostiarius. Sed quæ pascua, qui riui quibus pascis & potas oues? Ego pascua, ego riui: ego enim cibus omne delectãmentum, & omnis saporis habens suauitatem; non qui in vos cõuertatur, sed qui nos in se conuertat. Et illud præterea animaduertite, in cibo hoc esse simul potum. Ego enim in cibum acceptus, non famem solùm animæ, sed sitim omnium satio diuina meæ virtutis affluentia. Hic cibus desiderium

Albert. magnus.

Ezec. 34

Sap. 16.

Augustin. lib. 7. Confess. cap. 10.



siderium animæ vt superat suæ diuinitatis excellentia, ita explet suæ bonitatis infinita suauitate. Nec hoc facio per Eucharistiæ dum taxat sacramentum, sed per meas virtutes, per mea dona semper facio, per ineffabilẽ vnionem meæ charitatis, quæ mentem illustrat, cor mearum ouium & voluntatem inflammat, & facit quod ego sublimi illa oratione Patrem deprecatus sum, vt vnum in nobis sint, quemadmodum nos vnum sumus: nos quidem essentiæ & diuinitatis vnitate, oues meæ gratiæ & charitatis vnione. Verũ quid illud est, bone IESV; Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inuenie:? nam quod dixisti, saluabitur, intelligo: non est enim datum nomen aliud, in quo nos oporteat saluos fieri quàm tuum, nullaque salus extra ouile tuum est: illud etiã percipio; qui ingreditur in ouile tuum, eum cælestia pascua inuenire: sed quid est, egredietur? vel quo pacto quî egreditur ex ouili tuo, vel pascua tua reperire potest, vel salutem tenere? In ouile meum est vnus & primus ingressus; rursum interiùs in eodem alius est ingressus & egressus. Id ex templo veteris Synagogæ, quæ Ecclesiæ meæ fuit typus, intelligi potest: erat enim in illo templo Sanctum seculare, vbi fiebãt quotidiana sacrificia; dein tabernaculum, in quo candelabrum, mensa, & propositio panum, quæ dicebantur Sancta: interposito autem velamento sequebatur secundum tabernaculum, quod Sancta sanctorum vocabatur, vbi thuribulum, vbi arca testamenti, propitiatorium & Cherubim. Erat in templum ingressus primus communis ad Sãctum seculare omnibus, Sacerdotibus quidem & Leuitis in atrium, scilicet interius, ad alia atria alijs: deinde patebat ingressus in prius tabernaculum Sacerdotibus vicissim inter se; in secundum verò soli summo Sacerdoti, & semel quidem in anno, non sine sanguine. Quo fit vt post primum ingressum in templum essent præterea duo ingressus, quare & duo egressus: verum non omnibus; non erat scilicet propalata Sanctorum via, quam propalaui ego solus in verissima Sancta sanctorum ingressus per meum sanguinem, in cælum ipsum: & patefeci omnia tabernacula omnibus; vt qui in Ecclesia est, ingredi vlteriùs possit ad vlteriorem lucem & gratiam, ad maiora dona, ad excellentiores mentis illustrationes, ad cælum etiam ipsum leuari, vt ad me vsque perueniat aliquãdo: vnde tamen egressus illi detur ad solitas vitæ ac virtutum moralium functiones; vbique verò pascua inueniat vberrima, & in contemplationis operationibus, & in virtutũ aliarum actionibus. Ago tibi diuinas gratias, magne IESV, quòd me intra templum tuum recepisti atq; conseruasti: scio te illud præterea velle, vt progrediar vlteriùs ad altiora & amœniora tua tabernacula; video te vocantem, iter mõstrãtem, atque adeò trahentẽ; sed eo sum ego maiori indignatione dignus, quòd hæc & audio & narro speculatiuè tantùm, quasi ad me nihil attineant, quasi intelligere sit satis, neque oporteat corde & animi affectu cõcipere, & spirituali operatione exercere atque exprimere. Quid igitur faciam infelix ego homo & nihili? Multa scio intelligere te, quæ si facias, aperiam ego tibi secretiora illa ostia; sed tu curiosè agis: quæ scis, quæque ego dedi tibi, in his te non exerces, & nihil aliud quã odiosè peris continenter, quasi nihil acceperis: mihi ista ratio vitæ spiritualis non placet. Parce, obsecro, mihi bone IESV, quia insipienter egi nimis. Ergo hoc nunc experire, exere ex profundis cordis tui simplicitatis atque humilitatis actum, coniunge orationes per mea quinque vulnera, & dic mihi; Domine IESV, illumina tenebras meas: adde; Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium. Sit nomini sancto tuo, admirabilis IESV & bone, laus & gloria sempiterna. AMEN.

Iudic. 9. Exod. 30.

Ioan. 17.

Ioan. 10.

Act. 4.

1. Paral. 21.

Psal. 17

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA TERTIA
## POST PASCHA.

De eo quod dixit Christus; Modicum & non videbitis me, etc.

IOAN. XVI. ANNO XXXIII.

*In cxxij. imaginem adnotatiuncula.* cxxij. 104.

*A. Hoc docuit Christus post institutionem Eucharistiæ.*
*B. Mors, & sepulchrum clausum significat modicum quo non viderunt IESVM.*
*C. Apparet post resurrectionem; ita sit modicum quo viderunt eum.*
*D. Ascensio Christi, quæ terminat modicum quo ipsum viderunt.*
*A. Exponit IESVS hæc per similitudinem de pariente muliere.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. XVI.

IN [a] illo tempore dixit IESVS discipulis suis; [b] Modicum, & iam non videbitis me, & iterum [c] modicum, & videbitis me, quia [d] vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem; Quid est hoc quod dicit nobis; Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me; & quia vado ad Patrem? Dicebãt ergo, Quid est hoc quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem IESVS quia volebant eũ interrogare, & dixit eis; De hoc quæritis inter vos, quia dixi; Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. [a] Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam nõ meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrũ, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*[a] POst vltimam cœnam antequam à mensa surgeret Christus, tum etiam postquã surrexisset, alio in loco, priusquam egrederetur ad prædium Gethsemani, animos Apostolorum cõfirmauit diuini verbi sui suauitate atque virtute, quod alia figura libuit hic repræsentare ad maiorem perspicuitatem, vt proximè sequentibus duabus imaginibus. Qui igitur in hoc Euãgelio legitur sermonem habuit Christus postquã à mensa surrexerat.*

*B. Sepulchrum clausum antequam Christus resurgeret, illud repræsentat quod Christus dicit; Modicum & non videbitis me: hoc est quanto tempore in sepulchro fuit, vel eis non apparuit: tametsi etiã fecit fugã, & scandalum quod passi sunt tempore passionis Apostoli, vt nullus spiritu illũ tunc videret, fidei lumine vel amisso, vel vehementer debilitato.*

*C. Apparet IESVS post resurrectionem Apostolis & alijs Discipulis: significatur verò quod Christus subdit; Iterum modicum & videbitis me. Viderunt enim IESVM post resurrectionem Apostoli & Discipuli per dies quadraginta a non solùm exteriori conspectu, sed interiori per fidem; quamuis quidam aliquando non crediderunt.*

*D. Ascensus Christi ad Patrem modicum illud tempus terminauit, quo erat cum Apostolis & Discipulis versatus IESVS, quod ipse explicat: Quia vado, inquit, ad Patrem post secundum illud modicum, nec me amplius videbitis secundùm carnis consuetudinem vt antea. Hoc quum non intelligerent Apostoli, & vellent eum interrogare; exponit Christus absentiam per tristitiam ipsorum & mundi lætitiam, præsentiam per eorum lucem & gaudium, vnde sequebantur mundi tenebræ & luctus. Quum verò adducit Christus similitudinem de muliere pariente, num locus explicatur xvj. Apocal. à Ioanne? illic enim Ecclesia cruciatur vt pariat filium, qui rapitur statim in cœlum. Et alioqui qui seminant in lachrymis, in exultatione metent, & bona opera per difficultates expediuntur, & regnum cœlorũ per tribulationes. Idem euenire solet in deliberãdo de religionis ingressu. Hæc ita exponuntur communi consensu, etiã ab Augustino, qui tamen se postea colligens, melius existimat interpretanda; vt, quia vado ad Patrem, ad, modicum & non videbitis me, referatur, & reliquum modicum sit vniuersum tẽpus quod inter ascensionem & iudicium fluit. Itaq; primum modicum sequatur tristitia, secũdum lætitia; pòst iudicium vniuersale.* Psa. 125.

## MEDITATIO.

Psal. 144. IVstus es, magne IESV, in omnibus vijs tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. Ioan. 7. Quod de tẽpore mortis tuæ dixisti Discipulis, quod etiam de resurrectionis, antequam ad Patrem ascenderes, semper nobis dicis ac repræsentas. Illis prædixisti modicum fore tempus absentiæ tuæ; id enim triduum fuit, neque illud plenum, quo anima tua in limbo fuit, (& fecisti ibi Paradisum Patribus) corpus in sepulchro depositum, quo tempore etiam si homo non fuisti, perseueraſti tamen vbique esse Christus. Non viderunt te eo tempore corporali & sensili aspectu Discipuli, & ferè ne spirituali quidem: resurrexisti à mortuis, fuisti rursum homo; ibi fuit secundũ modicum, & exteriori tua præsentia illis Act. 1. interiorem etiam restituisti, apparens eis per quadraginta dies, & loquens de regno Dei. Cùm non viderunt te, oppleti erant tristitia & luctu; rursus cùm viderunt, abijt luctus & tristitia, successit gaudium, & cordis suauitas, & exultatio; gaudium verò nemo ab ipsis abstulit: quod tu significasti, Domine, quum illis simul de ascensu tuo ad Patrẽ fecisti mentionem. Et quidem ab ascensione tua Hierosolymam cum gaudio magno reuerterunt: magnitudinem illam gaudij addideras tu benigne IESV, & prius gaudium feceras syncerum & solidum, quod positea in ipsis confirmasti. Viuit etiam in Sanctis tuis iuge gaudium, & quasi conuiuium cordis intimum: eo autem perseuerante, duplicem vicissitudinem experiuntur tuæ prouidẽtiæ & benignitatis; altera est vicissitudo cùm leuantur à te nonnunquã supra potentiarũ suarum naturalem operationem luce tua illustrati: quæ rarò quidem, aliquando tamen lumen gloriæ imitata per caliginem, hoc est inaccessibile lumen tuum, ad te penetrat; vnde nescio quid primitiarum gloriæ tuæ attingunt Sancti, quasi sibilum auræ tuæ tenuis, momentaneũ quidem illum, diuinum tamen. Rursus verò

Ioan. 16. Luc. vlt. Act. 2. Pro. 15. Dionys. in mystica Theo. & ad Dorotheum. 3. Reg. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad se redeunt, & te non vident quasi in te, hoc est in alta creaturarum omnium negatione effulgentem in caligine, sed in creaturis, in scripturis, & mysterijs totius tuæ in terris œconomiæ, & in tuis Sacramentis non tam cõtemplantur quàm meditantur. Alia est eorũ
*Iacob. 1.* vicissitudo, dum modò in varias tentationes atque afflictiones incidunt, modò cõsolationibus recreantur & virtutum prouentu. Dedisti enim tu & Apostolis, & Sanctis tuis, sapientiam & vim, tum etiam industriam spiritus, quæ faciunt vt nihil moueantur illarum rerum vicissitudinibus, quin fructum potiùs vtrinque capiant in te vberrimum, de hostibus etiam suis victoriam salutarem adipiscan-
*Iudic. 3.* tur, depugnantes vtraque manu expeditè & generosè. Hæc, pie Domine, cõsidero in Sanctis tuis, & video te similiter nos docere: con-
*Psal. 68* fusio cooperit faciem meam, & cor meũ vehemens dolor occupat. Liberasti tu quidem nos, sancte IESV, ab illa infirmitate & scandalo quod in tua passione & morte passi sunt Discipuli; quam fragilitatem tu in nostrum fidei robur reuocasti: at enim in meditatione passionis tuæ & mortis vt non vacillet fides nostra, tamen quanta sterilitas cordis nos tenet! Quis enim sentit tuos dolores? quis cruciatus, ignominiam, contumelias tuas, vulnera, mortem ipsam corde & intimo spiritus sensu percipit? Quis verò fontem ibi videt apertum tuæ bonitatis, ac magnæ illius tuæ misericordiæ; & tunc maximè Deum cognoscit, & ad eius potẽtias secretiores ingreditur? Quis præterea in tuæ mortis & sepulturæ vel contemplatione vel meditatione mortẽ peccati sensu interno percipit, hoc est veteris hominis mortem atque sepulturam? Planè non videmus te, nullum Spiritus sensum in tua morte capimus, nullum affectum interiorem sentimus. Id si quòd mœrore cordis oppressi essemus nobis contingeret, boni consuleremus: verùm non ita est; sed non videmus te, non sentimus illa mysteria propter mentis nostræ cordisque socordiam atque ignauiam. Et quidem consequens est, vt qui nullũ sensum spiritus recipit ex meditatione passionis tuæ & mortis, nullum porrò accipiat ex resurrectionis: nisi quod peruersè sæpenumero agimus; pati tecum refugimus, gaudere auemus atq; prosequimur. Et tamen si hinc contingat nobis lætitia, non illinc mœror, nõ erit illa solida, non syncera lætitia; nisi enim tecum compatiamur, nisi tecum fuerimus *Rom. 6. & 8.* mortui, non resurgemus tecum, nec conglorificabimur. Da nobis, benigne IESV, vt mysteria passionis, mortis, & resurrectionis tuæ in se piè ac profundè ita meditemur, vt inde deriuetur in corda & mẽtes nostras fructuosa & plena illorum mysteriorum deuotio, eademque in nobis sentiamus, pati nos tecum, *1. Pet. 4.* mori, resurgere: vt hac cogitatione armati, in magna tranquillitate animi & pace viuamus, pleni bonis operibus in te: & quamuis vel vitæ huius fragilitate, vel etiam tuæ prouidentiæ suaui dispositione, obueniant vicissitudines consolationum ac desolationum; intimũ tamen gaudium illud, & pax recondita in re, cor nostrum deserat nunquam. Ita fac per tua illa mysteria bone & magne IESV, qui es Deus benedictus in secula. Amen.

DOMI-



# DOMINICA QVARTA
## POST PASCHA.

De eo quemadmodum Spiritus sanctus arguit mundum, etc.

IOAN. XVI. ANNO XXXIII.

*In cxxiij. imaginem adnotatiuncula.* cxxiij. 105.

*A. Ibidem hæc docet.*
*B. Mittit Christus Spiritum sanctum, quo diuino facto tria illa arguuntur.*
*C. Omnes homines adorant crucem, vnde arguitur mundus de peccato.*
*D. Ascendit Christus in cælum, vnde monstratur eius iustitia, & confutatur mundus.*
*E. Dæmon profligatus, cui etiam per gratiam Spiritus sancti fideles dominantur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. XVI.

IN illo [a] tempore dixit IESVS Discipulis suis; Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis vt ego vadam. Si enim nõ abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, [b] mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de [d] iustitia, & de [e] iudicio. De peccato quidem, [c] quia non crediderunt in me. De iustitia verò, [d] quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, [e] quia Princeps huius mũdi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.

## ADNOTATIO.

*A. EOdem loco cùm surrexisset à mensa, dixit Discipulis Christus quæ hoc Euangelio recitantur; Vado ad eum qui misit me; sed per crucem & mortem : & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? sed hæretis in mea cruce & morte, & in timore vestrarum persecutionum. Itaque nihil aliud quàm tristitia & mœrore vos conficitis, nec ad fructum crucis meæ assurgitis, & gaudium quod pariet resurrectio mea, & in cælum ad Patrem ascensio. Audite igitur veritatem meam. Est vtile vobis futurum vt vadã: neque enim aliàs veniet Spiritus sanctus nisi ego vadam, quem, quum ad Patrem abiero, mittam: Pater enim tunc illum mittet, simul illum ego mittam à Patre. Ego semper ero vobiscum, per Spiritum sanctum certa victoria & triumphus à me agetur: vici ego enim mundum, peccatum, mortem, confeci iustitiam sempiternam, conculcaui Satanæ tyrannidem : hæc hactenus etiam egi, quæ tum per mortem consummabo.*

*B. Mittit IESVS è cælo Spiritum sanctum in Discipulos, quo dono & virtute tria illa designauit Spiritus sanctus quæ prædicit acturum illum Christus. Nam fuit vehemens illa non Iudæorum solùm, sed omnium hominum redargutio: videntes enim increduli in credentes cæleste donum descendisse, & peccati arguebãtur, & iustitiam Christi confitebantur; & non solùm illum iustum, sed iustificantem eos qui in ipsum crederent. Vnde consequebatur apertè, non amplius dominari mundo Satanam, sed Christum; & iudicium illud esse ac condemnationem omnis diabolicæ potestatis.*

*C. Rursus omnes homines crucem adorant & Christum : qua in re sancti Spiritus virtus vehementer arguit peccati impios & incredulos. Intelliguntur autem hæc à sancto Spiritu fieri non vno tempore solùm, sed toto Ecclesiæ militantis decursu, vsque ad seculorum consummationem, & iudicium ipsum vniuersale, in quo plenissimè hæc omnia consummabuntur quæ hic prædicit Christus agenda.*

*D. Item ascendit Christus ad Patrem : quæ ascensio & Spiritus sancti missio manifestè cõmonstrant Christi: iustitiam, & illam qua ipse iustus est, & eam qua in eum credentes iustificat. Quum enim misit Spiritum sanctum in Ecclesiam Christus, ei simul cum alijs donis claritatem suam communicauit, qua formaliter qui in Christum credunt iustificantur per sacramẽtorum efficaciam, per opera item in Deo ex claritate facta.*

*E. Satan profligatus & victus à Christo. Hæc verò redargutio mundi, cuius erat princeps Satan, fuit ab initio in Ecclesia clarissima: nam nõ solùm in credentes & pios homines Dæmõ non dominabatur, sed piorum ministerio per Christi inuocationem passim expellebantur & conculcabantur Dæmones, atque è suis idolis & templis eijciebantur. Vis ergo trium redargutionum hæc est: non crediderunt in Christum: quare mũdum de peccato cõdemnat Spiritus sanctus: abijt Christus ad Patrem, misit Spiritum sanctũ per quem iustificat pios; quare illustris fit Christi iustitia, & palàm mundi impietas: victus & conculcatus est Dæmon à Christo, quod & quæ dicta sunt, & piorum potestas in Dæmones demõstrat; ita à Spiritu sancto mũdus cum Dæmone simul iudicatur & condemnatur.*

## MEDITATIO.

*Phil. 2.* ABijsti, sancte IESV, ad Patrem, ad eius dexteram sedes, & in ipsius es gloria, mi-
*Ioan. 14.* sisti Spiritum sanctum ad nos, qui maneat nobiscum in æternum: itaque nos quidẽ non te interrogamus, quò vadis? attamen nõ aperimus oculos mentis nostræ, non sensum cordis, vt intelligamus quàm fuerit nobis vtile, te à nobis corporali & sensili præsentia abesse: vt videlicet acciperemus Spiritum sanctũ à Patre & à te, cuius virtute illustrarentur corda nostra & confirmarentur; illam verò tuam præsentiam sensilem expectaremus in finem temporum, cùm ad iudicandum orbem venies: interim Spiritus sancti consolatione essemus contenti, & sensilem tui visionem mutaremus in spiritualem, quam nobis per virtutes, per dona, per beatitudines, & fructus spiritus. subministras per Spiritum sanctum tuũ. Hic sensus nobis est vtilior in hac mortalitate, quod, bone IESV, significasti tu Magdalenæ, cùm noluisti ab ea tangi. Et tamen *Ioan. 20.* semper es nobiscum in Eucharistiæ tuæ Sacramento, & nonnunquam sanctis tuis, ijs scilicet qui solent te alioqui in spiritu contemplari, appares de tua singulari benignitate. Hæc vtinã, Domine, vt verbis recẽsemus, ita



ita intimo spiritus nostri sensu perciperemus atque exprimeremus: sed nos cùm repositam nobis tantã gratiã in hac tua abitione sciamus, illam tamen non agnoscimus, alia agimus, alia nos mouent, hæc non mouẽt: auertimus animum à spiritualibus, & ad sensualia applicamus; qui re vera luctus noster est: nam quid aliud quàm luget spiritus, vbi sensus gaudet? Erige animum nostrum Domine, & reconditæ virtutis tuæ magnitudinem nobis aperi. Atqui aperuisti iam, atque ob oculos omnium fidelium, atque adeò mortaliũ omnium, exposuisti triumphũ tuæ crucis. Triũ-
*Col. 2.* phasti enim de hostibus tuis omnibus, peccato, morte, mundo, Satana: expoliasti principatus, potestates, non solùm spirituũ malignorum, sed peccati, mortis, mundi; omnem potentiam conculcasti & traduxisti palã, tuæ crucis diuinam virtutem in luce tuæ veritatis
*1. Cor. 15* manifestans, & illorum impotentiam atque ignominiam: in cruce tua, absorpta sunt illa omnia in victoria. Vbi enim est, ô mors, ô peccatum, ô munde, ô Dæmõ, victoria vestra? vbi vester stimulus, vbi vestra virtus? expugnata sunt hæc omnia atque contrita per crucem tuam fortissime IESV. Solus igitur tu
*Psal. 3.* hunc triumphum agis de hostibus tuis, formosus in stola tua, & gradiens in multitudine virtutis tuæ : conculcasti enim eos in furore tuo, & inebriasti eos in indignatione. & detraxisti ad terrã virtutem eorũ. Omniũ miserationum Domini recordemur & laudum, super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem donorum quæ largitus est nobis, secundùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinem miserationum suarum. Hunc triumphum egisti, magne IESV, in cruce, & agis continenter per crucem. Neque verò hoc fuisti contentus triumpho; sed Spiritum præterea tuum misisti, vt ipse quoque mundum triumpharet, & tuam victoriam & gloriam exaltaret. Quid enim Spiritus sanctus iam inde postquam à te missus est gessit? quid gerit? quid geret? Agit suum de tuis hostibus triumphum, confirmat tuum. Coarguit enim mundum & conuincit glorioßissimè, vbi exaltata fide tua tam potenter, tam latè, tanta luce Euangelicæ veritatis in cordibus fidelium exorta & operibus illustrata, traducitur eorum peccatum & impietas, qui in te vel non crediderunt, vel non credunt, vel hæreticè vel peruersè credunt. Agit præterea Spiritus sanctus de mundo triumphum, ostendens te iustum, illum iniustum: mundus enim te condemnauit ad mortem omni acerbitate, contumelia, & ignominia plenam, atque inter latrones crucifixit; Pater verò cælestis te ad dexteram suam in cælo collocauit glorioßissimè. Mundus te vt blasphemũ & impium, vt seditioßum damnauit; iustitiam tuam & gloriam super cælos exaltauit Pater omnipotens, vt sit ipse, & tu iustus, & iustificentur per te qui ex fide sunt tua sancte IESV. Coarguitur enim palàm impietas & iniustitia hominum & peruersitas ex Euangelij tui luce & gloria per Spiritũ sanctum tuum. Triumphat item mundum & coarguit Spiritus tuus, vbi eius Principem demonstrat esse iudicatum à te vt victum: nõ solùm autem à te, sed ab his qui in te credũt, per te indies illum profligari ac vinci. Illa item tua est gloria, Christe IESV, quòd nos simul triumphas, hoc est triumphare de hostibus tuis & nostris facis, per tui imitationem, per nostras passiones atq; operationes in te. Hæc omnia cùm ita sint, intelligo tamẽ, bone IESV, triumphos hos agi, non esse finem illis impositum: triumphus agitur quidem de omnibus, verùm repugnant adhuc, negotiũ nobis exhibent hostes tui de tua singulari prouidentia. Huiusmodi igitur triumpho imponetur tũc terminus, vbi tradideris regnũ Deo & Patri, & euacuaueris omnem principatum & potestatem & virtutẽ; cùm mortale hoc *1. Cor. 15* nostrum induerit immortalitatẽ; accipient enim tunc hi triumphi consummationem & gloriam sempiternam. Agimus tibi gratias immortales, magne IESV, de tua in nos benignitate & triumphis tuis : fac porrò dignè triumphum nostrum à nobis agi de hostibus tuis & nostris, vt gloriemur in laude tua, & in virtute magnitudinis & gloriæ tuæ exultemus, & bonis operibus in te abundemus. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

Orationis perfectio docetur.

IOAN. XVI. ANNO XXXIII.

*In cxxiiij. imaginem adnotatiuncula.* cxxiiij. 106.

*A. Ibidem docet Christus Discipulos perfectionem orationis quam essent habituri.*
*B. Confessus Christi ad dexteram Patris, vt intelligamus omnia nos impetraturos à Patre per Filium.*
*C. Significantur in splendore splendores æterni in quibus generatus est à Patre Filius. Psal. 110.*
*D. Incarnatio, in qua prædestinatio Christi intelligitur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. XVI.

AMen amen [a] dico vobis, si quid petieritis [b] Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quidquã in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exiui. [c] Exiui à Patre, & [d] veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei Discipuli eius; Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.

## ADNOTATIO.

*A. CHristus docens perfectionem orationis: idem locus vbi eodem capite ostenderat Christus illustriorem spiritus sapientiam datum iri discipulis, postquam ipse resurrexisset, ascendisset in cælũ, & Spiritũ sanctũ in illos misisset. Addit verò nunc fore illis omnia quæ ad fidei plenitudinẽ spectarẽt per Spiritũ sanctũ apertiora, nec interrogaturos, vel oraturos vt solebant, hoc est imperfectè.*

*B. Sedet Christus ad dexteram Patris in cælo: orant verò Apostoli Patrem, sed manu designantes Christum, vt qui nomine eius Patrem orent. Significatur autem noua orationis perfectio, qualem antea non habuerant Apostoli: ex maiori enim intellectus luce, & voluntatis perfectiore in Deum affectu, noua ratio orationis emanat & efficacia; quæ facit, vt sola hæc videatur esse oratio, nõ fuisse superiores. Propterea dixit Christus: Non petistis vsque modò: confirmo tamẽ simul futurum, si quid petieritis perfectè in nomine meo, id est in virtute omnium mysteriorum meorum, quæ erant tũc completa, si per plenitudinem meriti mei, quòd omnia sitis accepturi quæ ad nomẽ meum illustrandum petieritis à Patre: hanc orationis rationem, hanc perfectionem hactenus non habuistis; incipite iam hinc illã exercere, illi assuescere, hac doctrina & luce, quam nunc potestis accipere, bene animati.*

*D. C. Annunciatio & incarnatio Verbi diuini:*



*diuini: nam is fuit vnus exitus à Patre temporalis, cum quo coniunctus est æternus exitus, qui est generatio à Patre æterno. Hos exitus apertè pronunciat Michæas 5. cap. Et egressus eius (numero plurali, vt Hebraicè est, & in Septuag.) ab initio à diebus æternitatis. Vnus enim egressus planè est ab initio à diebus æternitatis, æternus scilicet; alius in prædestinationis excellentia: primogenitus enim est Christus omnis creaturæ, est prædestinatus filius Dei, tum temporalis missio processit à Patre, qui est principium absque principio, & è sua æternitate misit Filiũ, pro temporis plenitudine à se constitutæ.*

## MEDITATIO.

VEnite, fratres, ad vim perfectionemque orationis intelligendam ex ore IESV, æternæ omnipotentis Patris sapientiæ. Docuerat quidem Discipulos suos excellentissimam orationem; quid igitur expectare ex præsenti orationis doctrina debemus? Summam cum illa, & salutaribus orationibus, virtutem & efficaciam esse copulatam ostendit Discipulis suis Dominus, quodque ad illud vsque tempus non orassent in eius nomine, vel quòd tenuiter id fecerant, vel quòd facere non potuerant adhuc perfectè, quia mysteria œconomiæ Christi, per quæ petendum est, nondum erant consummata; vel omnino idonei non erant ad petendũ per crucis Christi & passionis mysteria, qui adhuc illa non intelligebant. Docet ergo quo pacto essent petituri, in eius videlicet nomine. Quid? Iam id non fecerant Apostoli? Ex Christi quidem institutione & præcepto fecerant; sed ita fecerant, vt collatione eius doctrinæ & lucis quæ nunc illis offerebatur, in nomine IESV nõ viderẽtur orasse. Accepistis igitur præclaram illam lucem orationis, & vim diuinam, ô beati Apostoli, hac Christi doctrina: sumus nos vestræ prædicationis & Apostolatus filij; docere nos, oramus per Christum IESVM, quemadmodũ in nomine eius orare debeamus: doce tu nos omnium nomine beatissime Petre Apostolorum Princeps; quod, obsecro, est nomen Præceptoris tui, in quo petere à Patre debemus in oratione? Est primum eius nomen ineffabile יְהוָה Iehoua tetragrammaton, cuius significatum per κύριος bis ego in epistola mea indicaui: vt Euangelistæ, & alij noui testamenti scriptores, tum Ecclesia Christi, non tantùm in veteri testamento, sed etiam nouo, quoties ex veteri occurrit nomen tetragrammaton, non ipsum, sed eius loco nomen Adonai, vel κύριος, vel Dominus, scribunt. Hoc est primum nomen Christi, per quod, eiusque significationem, Patrẽ orare debemus, per quod vim diuinam accipere, & orationis, & omnium actionum.

Hoc nomen, hanc diuinitatem & in æterna generatione dedit Filio Pater, & in incarnatione communicauit atque vniuit illi humanitati in Filio: hinc omnia Christi opera creata, omnes actiones, passiones, mors ipsa vim accepit infinitam; Dei enim erant hæc omnia per illam humanitatem: quare summa hæc est virtus, ad quam ex alijs semper est penetrandum. Aliud est nomen Christi אֱלֹהִים Elohim, id est Deus; quod propterea ineffabile non est (vt nec alia Dei nomina) quòd virtutem significet aliquam à nobis ex Dei effectu intelligibilem. Est igitur hoc nomen actionis Dei infinitæ, vt שַׁדַּי Schaddai omnipotentiæ, siue infinitæ abundantiæ & miserationum, אֲדֹנָי Adonai Dominij & auxilij infiniti. Itaque vim item accipiet vestra oratio, si innitatur actioni, potentiæ, dominationi, & auxilio Christi infinito. Alia portò nomina Dei similiter exponentes, ex singulis singularem vim accipite orationis in Christo IESV. Ad hæc in nomine עִמָּנוּאֵל Emmanuel læto animo orate Patrem; est enim nobiscum Deus filius, est homo Dei filius, qui lusit in orbe terrarum coram Patre, & iucundè quidem lusit exercendo suæ œconomiæ diuina mysteria, mortem etiam oppetẽs pro nobis summa cum animi promptitudine atque alacritate; qui posuit in suis delicijs esse cum hominibus, & pro mortalium salute pati, & crucẽ subire. Hic est nobiscũ, in quo cùm perpetuò sint Pater & Spiritus Sãctus, simul nobiscum cũ illo est vniuersa Trinitas superbenedicta. Hoc nomen Christi facite vobis familiare, illi vos dedite, ô filij, per illud orate: sed nomen IESV adiungite, magnum illud, porens, & admirabile nomen, nobis propitiũ & salutare, Dæmonibus inimicum & formidabile, cui flectitur omne genu, cælestium, terrestriũ, & infernorũ; per quod omnia nomina Dei, omnes eorum virtutes vobis conciliantur; quod cordium vestrorum lumen cæleste

*Prou. 8.*

*Phil. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cæleste est, virium diuina restauratio, ignorātiæ sancta illuminatio; quod nostra est sapiē-
1.Cor.1. tia, iustitia, sanctificatio ac redemptio; atque
Eph.1. adeò omnia in omnibus adimpletur IESVS:
ex quo scilicet omnis virtus, omnis perfectio,
omne bonum in omnes deriuatur, ac in om-
nibus consummat spiritus plenitudinem: in
quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, bo-
nitatis, & misericordiæ, & salutis æternæ abs-
conditi sunt: verè enim IESVS ipse est
Isa.45. Deus absconditus, Deus Israël Saluator. Hoc
nomen, hunc IESVM altè cordibus vestris
recipite filij, hinc vires accipite spirituales,
vnde ad Patrem accedatis, per quem petatis
quicquid petitis à Patre: illud simul adhiben-
tes nomen & obsecrationem, qua IESVS
ipse in cælis apud Patrem vtitur. Non solùm
enim inter nos vitam viuens mortalem ob-
tulit Deo Patri labores suos, passiones, cōtu-
melias, vulnera, mortē, alia mysteria suę œco-
nomiæ omnia; sed nunc idem facit, cōtinen-
Heb.9. ter apparēs vultui Dei pro nobis: ipsum enim
Hebr.5. habemus in cælo Pontificem æternum secū-
dùm ordinem non Aaron, sed magni illius
Melchisedech, habemus aduocatum & inter-
pellatorem; offert enim se continēter apertè
pro nobis incruentum, & impassibile, & san-
ctum sacrificium, vnicæ illius perfectissimæ
oblationis cruentæ atque passibilis viuam &
diuinam memoriam & repræsentationē; qua-
le nos docuit sacrificium in Missa offerre pro
viuis & defunctis in mysterio. Hoc igitur se-
ctamini nomen, & rationem petendi à Patre
per Missæ sacrificium, per mortē & passionē
Christi, per omnia eius & mortalis & immor-
talis mysteria: his nitimini in petitionibus ve-
stris, non vestris meritis; etiam si Sanctorum
meritis, tum etiā vestris vti potestis; nō quasi
vestræ virtuti innitamini, sed Dei, qui sua do-
na voluit nostra esse merita in Christo, & ra-
tiones orationis exaudiēdæ: neque enim non
in nomine Christi petetis, siquid per merita
Matris eius sacrosanctæ, si per Sanctorū me-
rita postulatis. Petite simul in nomine Chri-
sti, quod nomē incarnationis Christi myste-
riū ostēdit, & vnionis gratiā illam infinitam.
Est enim Christus vnctus: sed à quo vnctus? à
Act.10. tota Trinitate: quo oleo? Spiritu sancto & vir-
tute: quibus verbis summa illa vnio hypostā-
tica significatur, qua verbum caro factum est, Ioan.1.
& habitauit in nobis. Hæc igitur sint vobis
præsidia & vires, quibus orationes & petitio-
nes vestras fulciatis. Verùm audite: hæ tā sū-
blimes obsecrationes, (ex quibus alias omnes
intelligere potestis) hæc tā efficax petitionis
virtus obtinebit quæ petetis omnia, modò
gratiarum actiones simul coniungatis; tum
alia addatis quæ Christus orationi addēda esse
docuit, pietatem, fidem, perseuerantiam, & fi-
Mat.7. nem Deo dignū: neque enim omnis qui di-
cit, Domine, Domine, ipse intrabit in regnū
cælorū: neque rursus qui in nomine Christi
vicunque petit, is continuò consequitur quæ
expetit. Illud etiā sciatis, opera bona quæ fe-
ceritis Christi voluntatem sequuti, ea magnū
habere momētū, vt in nomine Christi petē-
tes petita recipiatis. Fuit salutaris nobis hæc
tua expositio doctrinæ Christi, Petre sanctissi-
me; sed obsecro te vt mihi declares præterea,
quo pacto verba illa intelligantur, quæ hoc
Euangelium præcedunt; In illo die nō roga-
bitis me quicquam. Voluit bonus IESVS,
antequā perfectum orandi modum nos do-
ceret, dedocere imperfectiones nostras. In die
illo me non rogabitis quicquam: quo die?
Quando scilicet iterum videbo vos, & gaude-
bit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo
tollet à vobis: quādo apertus vobis fuerit sen- Ioan.16.
sus vt intelligatis scripturas, cùm Spiritū san-
ctum accipietis, qui vos docebit omnem ve-
ritatem? tunc quas vobis innuo cognoscetis
vestras imperfectiones petitionū & interro-
gationum præteritarum, & totam meditatio-
nis atque orationis rationem mutabitis. Per-
cipietis enim illa multa quæ modò nō pote-
stis portare; atque vt mei cognitionem perfe-
ctam accipietis, ita non petetis vel interroga-
bitis me quicquam: ex maiori enim luce ille
ego quem priùs cernebatis, illustrior vobis
videbor: quare faciam ego, faciet Spiritus san-
ctus, vt plenitudinem scientiæ accipiatis. Pro-
pter hæc omnia mysteria agimus gratias quas
possumus maximas Deo. Tibi item magnas
Pastor noster & Patrone singularis Petre, &
dicimus IESV Christo cum Ioanne Apo-
stolo, Amen, Amen.

ASCEN-



# ASCENSIONEM CHRISTI
## PRÆCEDENTIA PROXIME.

MAR. VLTIMO. LVC. XXIIII. ACT. I.

*In cxxv. imaginem adnotatiuncula.* cxxv. 147.

A. *Vltima apparitio Christi in cœnaculo montis Sion, vel vltimæ principium.*
B. *Christus discumbit cum Apostolis.*
C. *Exprobrat incredulitatem præteritam aliquorum; edicit ipsis vt eāt in mundum vniuersum &c.*
D. *Circuli porrò designantur quæ cōtinet Euāgeliū, & primùm quidem docentur fidem, & baptizantur credentes.*
E. *Dæmonia eiciunt.*
F. *Loquuntur linguis.*
G. *Serpentes tollunt: vt Paulus, qui viperam excussit in ignem.*
H. *Si mortiferum quid bibunt, non eis nocet, vt Ioāni.*
I. *Super ægros manus imponunt, & eos sanant.*
K. *Spectant ad curiositatem Apostoli, a qua deterret eos Christus.*
L. *Educit eos in montem Bethaniam versus, ducens secum pompam Angelorum & animarum.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. XVI. LVC. XXIIII. ACTOR. I.

NOuissimè [a] autem [b] recumbentibus illis vndecim apparuit, & [c] exprobrauit incredulitatē eorū & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eū resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis; Euntes in mundū vniuersum, prædicate Euāgelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, cōdemnabitur. Signa autē eos [d] qui crediderint hæc sequētur; In nomine meo [e] Dæmonia eijcient, [f] linguis loquētur nouis, [g] serpētes tollēt: & si [h] mortiferū quid biberint, nō eis nocebit: super [i] ægros manus imponent, & bene habebunt.

*Et conuescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris. Quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

*vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

*Igitur qui [k] conuenerant, interrogabant eum, dicentes; Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis; Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua*

MAR.

Universidad de Deusto
Biblioteca



potestate; sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

*Eduxit autem eos foras in Bethaniam.*

Et Dominus quidem IESVS postquam locutus est eis,

*Et cùm hæc dixisset,*

## ADNOTATIO.

*Augustin. de consensu Euang. li. 3. c. 25.*

A. Fuit hæc penultima apparitio in cænaculo montis Sion, vel vltimæ principium, postquam è Galilæa redierant Discipuli Hierosolymam, & iussisset eos IESVS in ciuitate sedere, donec induerētur virtute ex alto: hinc enim eos versus Bethaniam duxit Christus, in montē Olueti, vnde ad Patrem ascendit.

B. Christus mensæ assidens cum vndecim Apostolis. Cōtemplare Christi maiestatem & gloriam, Discipulorū fidem & animi deuotionem. Comedit igitur & bibit cum Apostolis quo die ascensurus erat: priùs tamen quàm cibum caperet, illis dedit sanctam Eucharistiam; quod pie credi potest fecisse Christum quoties cum discipulis post resurrectionem manducauit & bibit.

C. Ad prandium exprobrauit Christus nonnullorum præteritam incredulitatem, ad eorum & nostram fidei confirmationem; quasi nobis præcipiens, qui eum non vidimus resurrexisse, vt ijs & qui viderunt, & qui non videntes crediderunt, credamus: quibus verbis dedit Christus vim fidei quæ nos attingit. Porrò non videtur alienum dicere prandium; nam eodem die ascendit Christus, postquam cum discipulis māducauerat; quare cœna non videtur fuisse: consuetudo autem antiqua erat Iudæis bis in die cibo refici; nam coruus Eliæ 3. Reg. 17. panem & carnes mane detulit & vesperi; & ad mare Tiberiadis ad prandium inuitat Discipulos Christus. Edixit verò illis vt eant in mundum vniuersum, & prædicēt, &c. Circulis porrò designātur quæ continet Euangelium.

D. Et primò quidem docentur fidem & credunt, deinde baptizantur Catechumeni partim verò merguntur in fontem, partim effunditur in capita Catechumenorum aqua, vt significetur varius ritus Ecclesiæ. Porrò infantes iuris diuini interpretatione, quod traditione accepit Ecclesia credunt, vbi legitimè baptizantur, in fide Ecclesiæ, quæ supplet eorum fidei actum, quē non habent; habitum dat sacramentum, & facit fideles. Describuntur alijs circulis quæ prædixit Christus consequuturа eos qui crediderint. Non dixit, qui crediderint & baptizati fuerint; nam & credentes non baptizatos hæc signa sequi poterant; loquutus est enim Cornelius linguis, & sui ante baptismum. Fides porrò facultatem habet signorum, vbi signorum est necessitas; quembadmodum initio Ecclesiæ non solum vniuersalis ex scripturis sacris accepimus, sed in principio particularium, vt in historijs particularium ecclesiarum legimus, & in noui orbis atque Indiarum videmus. Idem apud Ioannem prædixit Christus; Amen amen dico vobis, qui in me credit, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Significauerat verò facienda signa vbi necessaria ea essent propter incredulitatem; Non creditis, inquit, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite: subdit autem ea quæ diximus. Idem exponit Paulus; Linguæ, inquit, in signum sunt, nō fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ non infidelibus, sed fidelibus.

*Innocen. extr. de bap. & eius effect. c. maior. Aug. 23. epist. Dionys. de Eccl. hier. ad fin.*

*Ioan. 14.*

*1. Cor. 14*

E. Primum igitur signum Dæmonum eiectio est, quæ in circulo repræsentatur.

F. Multitudini loquitur credens fide munitus, & dono spiritus ornatus linguis varijs, Dei magnalia & Christi eius.

G. Excutit Paulus in ignem viperam quæ eius manum inuaserat in insula Melita post naufragium.

H. Bibit venenum lethiferum Ioānes Euangelista absque vllo detrimento.

I. Imponuntur manus super infirmos virtute fidei in nomine IESV, & sanantur infirmi. Similium signorū erat vis in fide, & est adhuc, sicubi



sicubi necessarium esset, vel omnino ad Dei maiorem gloriam spectaret miraculum, vel ad manifestandam Sancti alicuius viri virtutis excellentiam, aut etiam opportunum esset diuina voluntate. Simul intelligimus mysticè efficaciā esse datam fidelibus & pijs hominibus ad opera spiritualia designanda; nam & Dæmones eiciunt, cum prauos homines à peccato reuocant; linguis loquuntur, vbi ex spiritu abundantia singulari quadam luce & efficacia de rebus diuinis & spiritualibus verba faciunt; tollunt serpentes, quando & à se, & ab alijs Dæmonū impetus abigunt & frangunt; illud etiam & in se assequuntur, & in alijs efficiunt, vt si quid mūdus si quid caro in animā infuderit veneni, id vt ne nocent: tandem sanant pij suas infirmitates spirituales & aliorum in nomine IESV Christi. Addidit autem IESVS, ne ab Hierosolymis discederent, sedederent in ciuitate, quousque induerentur virtute ex alto; & expectarēt Spiritus sancti aduentum, quo, & igne, essent illis paucis diebus baptizandi.

K. Inde verò occasionem accipientes Discipuli, qui audierant, qui essent crediturі, eos signa facturos amplissima, & Spiritus plenitudinem esse accepturos, spectarunt ad terrenum regnū, quibus spirituale promittebatur & cæleste; & Planè existimarunt, curiosè quidem, esse sibi definē seculi interrogandum. Ad hunc igitur sensum respondet Christus, ac prohibet illam curiositatem quam videbat & in Discipulis tunc esse, & in alijs esse futuram. Non est, inquit, vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.

L. Postquam IESVS præcepta dederat Apostolis, eduxit eos cum alijs Discipulis versus Bethaniam, in montem Olueti: ita enim interpretari possumus illud; Eduxit eos foras in Bethaniam: rationem scilicet itineris explicat Lucas; iter accepisse Christum quà ad Bethaniam itur, sed substitit tamen in montis Oliueti vertice, vnde ascendit ad Patrem. Nam certum est, consentientibus omnibus interpretibus, ex mōte Oliuarum ascendisse Christum in cælum, non è Bethania. Contemplare verò Christi diuinam potentiam in hostili ciuitate, vbi ante quadragesimum primum diem fuerat cum summa ignominia & cruciatu necatus, media luce per totam vrbem educere ipsum palàm Discipulorum multitudinem per portam auream, pandere ante eos viam superne, alijs non conspicuum, transire verò Discipulos iuxta templum, vbi solebat esse hominum concursus perpetuus & frequens, progredi ad illustrem & imminentem vrbi montem, nec quisquam aut cōmouetur, aut impedire cogitat vel audet concursum vel multitudinem. Voluit videlicet tunc pati Christus, nūc gloriosè ad Patrem ascendere Dominus cæli & terræ.

*Luc. vlt. Act. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# ASCENSIO CHRISTI IN CÆLVM.

MAR. XVI. LVC. XXIIII. IOAN. XXI. ACTOR. I.

*In cxxvi. imaginem adnotatiuncula.* cxxvi. 148.

*A.* Intelligitur peruenisse ad verticem montis Olineti cum cælesti cœtu.
*B.* Hinc cùm omnium in se oculos animósque conuersos cerneret, benedicens eis, ascendit in cælum.
*C.* Splendidissima exceptus nube ab oculis eorum eripitur: pompæ Angelorum & animarum coniungunt sese plurimi Angeli è cælo, qui in nubilo & voce tubæ vementem excipiunt.
*D.* Apostolis intuentibus in cælum euntem,
*E.* Duo Angeli candida veste insignes prænunciant Christum pari maiestate & gloria ad iudicium vniuersale esse venturum.
*F.* Redeunt domum, & sunt assiduè in templo, laudantes & benedicentes Deum, quod non potuit imago exprimere.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. XXIIII. MAR. XVI. IOAN. XXI. ACTOR. I.

[a] & eleuatis manibus suis benedixit eis.
Et factum est [b] dū benediceret illis,

recessit ab eis,
& [b] ferebatur in cælū.

assumptus est in cælum,

& sedet à dextris Dei.

Et ipsi [c] adorantes regressi sunt in Hierusalem.

Et erant semper in tẽplo laudantes & benedicentes Deum. Amen.

Illi autem profecti prædicauerũt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Sũt autẽ & alia multa quæ fecit IESVS, quæ si scribãtur per singula, nec ipsum arbitror mũdũ capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

vidẽtibus illis eleuatus est:

& [c] nubes suscepit eũ ab oculis eorum,

Cumq; [a] intuerentur in cælum euntem illũ, ecce [c] duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis; qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic IESVS qui assumptus est à vobis in cælũ, sic veniet quemadmodũ vidistis eum euntẽ in cælum.
Tunc reuersi sunt Hierosolymam [c] à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalẽ, Sabbati habens iter.

Sunt autem & alia

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*Ad verticem igitur montis cùm peruenissent, constitit Christus, consistit tota Angelorum & sanctarum animarum cælestis pompa: nec mora, cùm intenti in eum ora fixissent Apostoli & Discipuli, ac corda recrearent dulcissimo eius conspectu, exspectantes eius in cælũ ad Patrem ascensionem, incepit bonus ac sanctus IESVS eleuatis in Discipulos manibus illis benedicere.*

*B. Et factum est cùm illis benediceret eleuatus in aëra propria virtute ferebatur in cælum; circumfusa sequebatur Angelorum & animarũ multitudo: suscepit autem illum nubes à Discipulorum oculis. O benigne & omnipotens Domine IESV, benedic & nobis. Num vnam habuisti dumtaxat benedictionem? Benedixi & tunc vobis & Ecclesiæ, & meam effundo continenter in eas animas benedictionem & dona, quæ similiter se comparant me iuuante, atque erant Discipuli tunc comparati.*

*C. Suscipitur à candidissima atq; amœnissima nube IESVS, in qua obuiã ei processerat è cælo cælestis militiæ exercitus innumerabilis: his se cõiungunt Angeli qui Christũ è terris ad cælum sequebantur, & sanctæ animæ: laudant omnes Deum, celebrant cælesti prædicatione & iubilo totam vitæ, mortis, ac resurrectionis, & ascensionis Christi dispensationem, vniuersa miracula, doctrinam, mysteria omnia hominis Dei Christi IESV laudibus in cælũ, & in omnem diuinitatem efferunt. Accurrunt qui elementa & species creatas gubernant Angeli; hi, & qui orbes omnes mouent, obsequium & laudem Deo & Domino suo offerunt præterèunti. Penetratis omnibus cælis, constitit ad summam Empyrei cæli altitudinem IESVS, vbi ad dexteram Patris omnipotentis assedit; prouehens videlicet humanitatem ad diuinitatis vsque dignitatem, possessionẽ, atque authoritatem: distribuit singulis Sanctis suas gloriæ sedes, parat venturis, regnat in cælo gloriosissimè, à cælo in orbem terrarum potentissimè. In ascensu autem ortæ voces Angelorum è cælo obuiam venientium; Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Respondetur ab omnibus Angelis & Sanctis; Hic est formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Contrà hi illis imperant; Attollite verò portas Principes vestras, eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Respondent exultantes Anzeli; Quis est iste Rex gloriæ? Alij omnes simul in iubilo, Iste est Rex gloriæ; Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

*D. Sed quid Apostoli & Discipuli interea? Intuebantur cum summa animi & admiratione & iucunditate eum in cælum IESVM; illorum enim mentem, cor, & spiritum trahebat suauissimè secum in cælum benignus IESVS: ipsi autem laudabant & glorificabant in iubilo mentis suæ Christum IESVM, & adorabant. Et cùm esset ab eorum conspectu in nubem receptus Christus, fixo tamen obtutu in cælum mentem intendebant.*

*B. Quod cùm facerent, ecce astant illis duo Angeli virorum figura & forma, vestibus albis talaribus ornati: hi eos reuocarunt ab illa oculorum intentione, & docuerunt in ipsis esse Christum vt promiserat, è cælo vsque in ipsis viuere, in ipsis operari: hanc esse exspectandam & amplectendam præsentiam, illam corpoream non esse tunc necessariam: eam exhibiturũ esse Christum in fine seculorum, cùm ad iudiciũ veniet similiter atque nũc vbi in cælum profectus est, propria scilicet virtute, in nube, in corpore glorioso, cum passionis suæ clarissimis cicatricibus, cum omnibus Angelis & sanctis suis, montẽ eundem Oliuarum supernè occupans: in terra autem cum eis futurum & cũ Ecclesia, realiter quidem, substantialiter, & inuisibiliter in sacra Eucharistiæ Sacramento; inuisibiliter item sua virtute in sanctis animabus, nonnunquã etiam visibiliter. Confirmati & edocti ab Angelis Apostoli ingenti fuerunt gaudio delibuti, gratias egerunt Angelis reuerenter, cælum hi repetunt corpore exuti, Apostoli & Discipuli redeunt Hierosolymam lætitia magna exultantes: narrant omnia Mariæ Matri Virgini benedictæ, narrant cunctis mulieribus; quamuis illa in spiritu præsens omnia viderat: nisi velimus affuisse præsentem in montem, & beatam Virginem Matrem, & sanctas mulieres, quũ ascendit in cælum IESVS; quod piè meditari possumus & contemplari, etiamsi nihil hac de re in scriptura legamus.*

*F. Illis verò diebus pleni spe Apostoli & Discipuli, exspectantes Spiritus sancti aduentum, versabantur quotidie in templo, laudantes & benedicentes Deum (huiusmodi verò non potuit exprimere imago), nec quisquam illos impediebat vel abigebat, ita volente & disponente Christo, donec acciperent Spiritus sancti virtutem, qua robur induerent diuinum & constans aduersus persequutores omnes.*

MEDI-



## MEDITATIO.

EGredimini adhuc semel filiæ Sion celebris, & veri mysteriorum Christi contemplatores, & videte Regem vestrum ad suum regnum cæleste glorioſissimo triũpho ascendentem. Sed quid ego vos cuoco? video enim vos continenter cum Rege vestro fuisse, contemplatas esse, & diuinis laudibus celebrasse eius de cælis descẽsum in vterum Virginis sacrosanctæ, tum è Virginis vtero natiuitatem in hunc mundum, Angelorum iubilum, & cælestes hymnos & illic & hîc audiuisse, ad vitæ eius odorem & actionum cucurrisse, eas omnes in corde vestro conseruasse studiosè & deuotè. Substitistis verò in sponsi vestri cruciatibus, passione, & morte: fuistis illis angustijs conflictatæ acerbissimis, & sponso commortuæ & consepultæ; veram sumi mortificationem è Christi pœnis & morte spirituali experientia comperistis. Resurrexistis autem cum Christo, mysteria illa multa & magna post resurrectionem Domini vestri intellexistis. Adest iam dies ille optatissimus, pretiosior longè dies quàm aurum & obrizum, quã lapis omnis pretiosus, ac dulcior melle omni & fauo: huius diei lux terram cælo coniũgit. Sed exponite mihi, obsecro, sorores nostræ, animæ Christo dilectæ, quæ frequẽter lætam hanc celebratis solennitatem, quæ cum Christo in cælum subinde ascenditis, cum ipso cõsidere in cælestibus soletis, exponite Christi ascensionis mysteria; nec meã indignitatem respiciatis: atque adeò oro vos vt à Christo Domino impetretis, ne mea socordia vestrã impediat eruditionem. Audite igitur fratres. Ascensiones dedit Dominus Deus, & certas exaltauit vias, nõ solùm in corde hominum, sed etiam Angelorum; verùm eorum qui auxilium in Deo ponunt: solus Deus, solæ personæ diuinæ ascendere non possunt, quum sit Dei infinita celsitudo. Potuit Lucifer ascendere & beatus esse; verùm fuit eius ascensionis libido peruersa & pestilens; non enim posuit in Deo, sed in se auxilium. Dixit enim in corde suo; Ascẽdam ad beatitudinem, conscendã super astra cæli, exaltabo soliũ meum super omnes Angelos, prouehar meã gloriam, sedebo in monte testamenti, sublimitatem meam & solium erigã, conuentũ meum habebo ad cæli cardinem supremum: ascendam super altitudinem nubium, Angelorum omnium influxus in suos inferiores, & operationes mihi arrogabo, illas ego faciam. Et has quidem ascensiones in corde suo disposuit sua ipsius virtute: itaque dixit; Euadam altissimo similis, neque eius operâ indigeo vllâ. Fuit hæc Luciferi ascensio stolidissima, & suprà quàm dici posset pestifera; tertiam Angelorum partem peruertit. Quo factum est, vt qui ex diuino auxilio & gratia per humilitatis descensum salutarem mereri potuit vt in cælum ascenderet, & sempiternam beatitudinem, iusto tamen Dei iudicio & potentia in infernum sit detractus, & in profundũ lacus, magno prœlio à Michaële & eius Angelis superatus, atque in terram cum desertoribus spiritibus proiectus. Nam vbicunque est, illic secum ignem suum circumfert, ibi suum habet infernum & lacum. Proiectus è cælo Satan perpetuò idem dicit, & obstinatus dicit, horrendum frendẽs in sua condemnatione; Ascendã, exaltabo, sedebo, ascendam, similis ero altissimo: similiter fremunt Dæmones omnes. Quod quum non possint assequi, & pœnas dent æternas quòd voluerint, ad idem tamẽ homines nunquam cessant instigare impotenter, Deo ad mortalium spirituale exercitium, & pietatis prouentum illud permittente, & ad diuinitatis gloriam; ita fit ad pœnam spirituũ malignorũ ampliorem. Ita Euæ insibilauit; Eritis sicut Deus, similes eritis Altissimo: similiter obtrudit omnibus: sed qua via? per superbiam & inobedientiam, quemadmodum ego feci, ita vos me imitamini, & in cælum ascendetis, nec vobis humi erit rependum. Nam quorsum nititur omnis tentatio, nisi vt deserto Deo per superbiæ spiritum peruersas ascẽsiones statuamus, & nostras cupiditates adoremus, atque adeò Diabolum instigatorem quasi pro Deo in cælo collocemus & veneremur? quo ipsi nihil acceptius esse potest. Et hoc quidem machinatur Diabolus, etiam apud fideles homines dolosè, quod in infidelibus & hæreticis apertè & impudenter facit; vt exaltent Satanam supra astra cæli, statuant in monte testamenti, & in lateribus Aquilonis, & cuehant super nubium altitudinem, neque tantùm faciant similem Deo, sed Deum, quod ipse tamẽ ausus non fuit expetere. Itaque & Satan, & eius satanici spiritus, & præuaricatores homines in ascensiones insanas stolidissimè incumbunt & miserrimè: quod quum faciunt, nihil

Apoc. 12

Gen. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



aliud quàm in descensiones, & casus calamitosos incurrunt: sic enim significauit Dauid, quum dixit; Deiecisti eos dum alleuarentur: *Psal. 72*
sic vidit magnus IESVS Satanam de cælo cadentem, & qui eius ascensiones sequuntur in suis superbijs cadentes. Contrà verò omnipotens Deus exaltauit semper humiles descensiones, & in ijs summas ascensiones constituit in Christo, quem mortalibus proposuit humilitatis exemplum excellentissimũ. *Luc. 10.* *Luc. 1.*
Quid enim aliud carnem sumens Filius Dei, quid, cùm crucifigi se passus est, quàm descensiones diuinas nos docuit, in quibus diuinæ essent ascensiones? Nam propterea exaltauit ipsum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. O potentes Christi descẽsiones! ô excelsas humilitates! Vides, bestia Lucifer, tuas ascensionum amentias subuerti atque præcipitari, sublimari verò submissiones à Deo in filio suo? Quid altius filio Dei? si enim exaltari altiùs non potuit in diuinitate, quum consubstantialis sit Patri suo & coæternus: tanto tamen odio insanas tuas ascensiones habuit Deus, tanto amore humiles descensiones complexus est, vt voluerit carnẽ filium suum sumere, in qua posset descẽdere atque humiliari. Quis enim maior esse descensus potest, quàm si infinitus fiat finitus, immortalis mortalis, & mortuus? Hoc factũ in Christo est, & quidem perfectissimè per hypostaticam diuinæ naturæ & humanæ in diuina persona vnionem. Simul ad hanc descensionem aliquos adiunxit Christus diuinos descensus & humilitates: submissè natus, nutritus, versatus inter homines est; donec in illam se daret passionis, crucis, & mortis vltimam exinanitionem, & descensus profunditatem: cum qua coniunxit & illum ad inferos descensum; vt nihil esset vel humilitatis vel descensus quod non obiret excelsus IESVS. Disponebat autem diuinas ascẽsiones in corde suo & pro se & pro nobis: illæ enim submissiones fontes erant diuini carũ quæ sunt consequutæ exaltationum. Ascendit ex inferis ad vitam, non qualem posuerat pro nobis, sed ad immortalem & cælestem; tandem excellentissimo triumpho in cælum ascendit. Implestis, filiæ Sion, mentem & cor meum pijs & salutaribus descensionibus atq; ascensionibus: intelligimus disponendas quidem semper esse ascensiones in cordibus nostris, sed in auxilio & gratia quam nobis obtulit Christus. Verùm illud præterea à vobis postulamus pro vestra charitate in omnes, vt hodiernæ ascẽsionis mysteria nobis exponatis. Audite illud primùm, præparãda esse corda vestra feruenti humilitate & oratione, ad salutarem ascensionis Christi cum Angelis & Sanctis eius meditationem, & cogitandum ascensionem illam nostrarum esse ascensionum causam. Ascendit enim Christus in cælum quà erat homo, & ad diuinam illam sublimitatem, & gloriam, & potestatem; vnde intelligimus ad nos diuinam bonitatis eius efficaciam deriuari, vt ex alijs Christi mysterijs: quæ virtus suo etiam gradu per piam meditationem & cõtemplationẽ communicatur: ea verò in nos vberiùs influit, si verè Christo vniamur fide, spe, & charitate, diuinis virtutibus, & Spiritus sancti donis. Obierat iam suam in terris legationem Dominus: nihil aliud quàm finis erat imponẽdus, & cõsummatio mysteriorum omnium; vt non solùm mortuus esset Christus propter peccata nostra, & resurrexisset propter iustificationem, sed vt in cælum ascenderet propter nostram glorificationem. Celebranda est, fratres, perfecta Christi ascensio. Is enim qui ascendit, *Ephes. 4.*
ille est qui descendit primùm ad inferiores partes terræ ex morte; vt nullus esse possit ascensus maior, siue vnde ascendat consideretur, siue quò. Ea Christus consistit in monte Oliuarum summo misericordiæ opere & charitatis impleto; consistit in eo monte superquẽ stabit cùm venerit iudicare viuos & mortuos: significat verò se ad cælum ascendere, vt ad dexteram Dei Patris sedeat, & illam iudicandi potestatem accipiat. Ascendis, Christe IESV, in cælum, & tamen tu montem Olineti fecisti cælum & paradisum; vbi enim cælum & paradisus, nisi vbi habitat Deus? *Colos. 3.*
At in te inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vbi cælum & paradisus, nisi vbi videtur Deus à sua creatura? At hîc videtur Deus ab Angelis, & eò magis hoc videtur cælum quàm illud fuerat hactenus, quia hîc etiã ab anima tua videtur Deus, nõ solũ ab Angelis, videtur ab animabus omnibus quas è Limbo eduxisti. Hîc præterea est Mater tua, quæ eximium est paradisi ornamentum; sunt tui Apostoli & Discipuli; est Ecclesia tua Sponsa. Cur autem in cælum vis ascendere benigne IESV? mane nobiscum Domine: hinc potestatem exercere poteris in cælo etiam, non solùm in terra; ascendes autem posteaquam iudicaueris orbem vniuersum.



uersum. Non placet iste affectus vester mihi; vos me cognoscere, me frui velletis secundũ carnem; at contrà oportet: similiter scilicet qui ad meam ascensionem conuenerant cogitabant vel desiderabant; at ego illam cogitationem compescui, & meam quidem præsentiam corporalem non abnui, sed quando esset futura, in eo interdixi ne essent curiosi: simul significaui quæ dicitis omnia & potentiùs, & glorioſiùs, & decentiùs è cælo me esse facturum: voces Prophetarum adimplendas; neque mihi expectandum vt præmium laborum accipiam. Est alioqui fructuosius prorsus futurum, vt quem affectum nunc sentitis, illum exuatis, & in spiritualem conuertatis; vt fides vestra alatur, & syncera in me charitas, donec venero ad finem seculorũ, vbi præsentia mea corporalis nihil imminuet animorũ perfectionẽ, sed augebit etiam diuinitus in gloria sempiterna. Erat conuentus cælestis in monte cum Christo: contemplamini verò Christum, eius diuinitatem, summam animæ gloriam & corporis, gesta ea omnia considerate, ea omnia animum vestrum implebunt diuina luce & suauitate. Recreabit quidem animum vestrum conspectus militiæ Angelorum & animarum beatarum, Virginis Matris Dei sacrosanctæ, Apostolorum, Discipulorum, sanctarum mulierum, Ecclesiæ ipsius; verùm ad se trahet Christus totam animæ vestræ intentionem, totum cordis affectum. Illic omnia vestra desideria reficientur, ibi mentis tenebræ dissipabuntur, succedet splẽdor cælestis luminis; ibi volũtas summum bonum inueniet, in eo conquiescet; ibi degustabitur significatio quædã gloriæ sempiternæ. Simul intelligetis non ablatum iri dona illa à vobis per ascensionem Christi in cælum, sed ea cum Christo ascendente cælestes ascensiones atque accessiones esse acceptura. Charitate autem in Christum inflammabimini, vbi illũ videritis ascendere, & proficisci in gloriam suam. Neque mouebit vos quòd præsens non sit corporaliter atque visibiliter; mouebit magis & placebit quòd viam ante vos aperuerit, quòd sedeat ad dexteram *Mich. 2.*
Patris, quòd considere vos faciat in cælestibus in spiritu, quòd sedes æternas inter Angelos vobis paret, quòd Ecclesiam inde & animas vestras gubernet, quòd inde in cælo & in terra regnet, quòd humanam naturam in cælum euexerit, quòd hoc diuino facto docuerit cælestem vitam nobis esse viuendam, non terrenam. Summã ergo dedit lætitiæ causam ascendens in cælum magnus IESVS; nec indoluerunt Discipuli illo in cælum ascendente, mirati sunt potiùs diuinam eius potentiam & maiestatem: itaque magno cum gaudio Hierosolymam reuersi sunt; ita erant inflammata omnium corda diuina luce atque suauitate. Sentiebant igitur in se quod in Christo videbant; afficiebantur enim diuinitus gestis omnibus Christi: quocirca cùm primùm leuauit manus IESVS, leuari simul inceperunt omnium corda, & spiritus exultare, & assurgere fixis oculis suauissimè in manus eius qui creauerat cælum & terram, quæ cruci affixæ fuerant pro mortalium salute. At quando sibi à Christo viderunt benedici, & simul attolli illum in aëra ad cælum, & vim diuinam è Christi manibus & benedictione in se aduerterunt illabi dulcissimè, simul intellexerũt mysterio fieri, quòd dum benediceret illis recederet; vt significaretur ad ascensum nostrum in cælum opus esse virtute cælesti; simul decessum illum corporalem & visibilẽ vim habere benedictionis, & quòd ab IESV recedente plura essent dona accepturi. Erãt copulata omnium corda cũ Christo ascendẽte; ascẽdebat Christus, ascendebãt eorum corda in spiritu. Effundebatur è Christo, & eius ascensu, diuinorum vnguentorum cælestis fragrantia, quæ eliciebat illas voces; Vnguentũ effusum ascensio tua magne IESV; Trahe nos post te Deus IESV, in odorẽ vnguentorum tuæ ascensionis curremus, tecum ascendemus. Diligunt te quas fecisti tuæ adolescentulæ, animæ puræ, & amœnis floribus virtutum vernantes. Quòd si adolescentulæ currũt post IESVM, quid הָעַלְמוֹת ha- *Cant. 1.* *Luc. 24.*
almah, id est illa Adolescentula, illa Virgo abscondita & sacrosancta, quæ IESVM cõcepit & peperit, Regem Regum, Emmanuelẽ IESVM, quæ omnium adolescentularum est Regina? Quid hæc ascendente filio, quid sentiebat, quid agebat? Id nos exprimere non possumus; tu scis, magne IESV, qui solus illa maior es, qui illam secundùm humanitatem tuam donis excellentibus ornasti. Ergo nobis illud est residuum, vt quantum fuerit eius gaudium, quanta exultatio, quàm sublimis animi eius ascẽsio, exponere nesciamus; tantum confiteamur longè fuisse superiorẽ quã omnium adolescentularum: & te in illius donis, magne IESV, benedicamus atque adoremus, & illam secundùm te. Prosequeban-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur te tua virtute ascendentē, excelsè IESV, cum exultatione & iubilo Angeli & animæ sanctæ, Angeli etiam suis tubis clangebant tibi diuinas laudes, consequebatur in spiritu è terra te piorum Ecclesia; tui verò conspectū exhibuisti omnibus, benigne IESV, donec oculi pleno obtutu assequi potuerunt: excepit te deinde nubes præclara ab omniū oculis, vt poneres nubem currum & ascēsum tuum. Et mirum non est si libenter vtitur ministerio nubis sapiens IESVS, & in mōte, & hīc, & ad iudicium veniens: voluit enim Ecclesiā suam significari per nubem, & in ea suam præsentiam, clementiam, atque fœcunditatē. Illud verò singulari priuilegio fecit Christus, vt principiū fidei ascēsionis eius in cælū constaret euidentia, finis & consummatio pura
*Ps. 103.* fide. Inde porrò celerrimo motu (ambulat enim super pennas ventorum intulit se cæli empyrei altitudini summæ magnus IESVS: ibi à Patre exceptus diuino honore, & collocatus ad eius dexteram est; vt vbi semper fuit quà Deus diuinitatis gloria, beatitudine, & iudiciaria potestate, quas ab æternitate cum Patre possidet; ibi collocaretur quà homo excellentissimè supra omnes creaturas gratia & gloria; & tanta esset eius gloriæ sublimitas, vt idem Dei honor simul vnitæ Dei humanitati deferretur, & in solio diuinitatis collocaretur Deus homo, mundum gubernaret, & particularibus iudicijs homines iudicaret, extremum illud & vniuersale iudicium in finem temporum reseruans. Quum hæc in cælo gerebantur, incomparabilis agebatur inter cælites lætitia & iubilatio de alijs Christi mysterijs; illa etiam singularis, quòd Angeli suas vacuas sedes videbant impleri, & prospiciebant omni ex parte implendas, & concessuros electos homines cum Christo in cælo in cōmunione gloriæ & iudiciariæ potestatis. Exultabant verò eò impensiùs beatæ animæ, quòd in se percipiebant illa bona compleri, esse complenda in alijs electis hominibus; lętabantur se ab inferno, & à peccato, & Dæmonū sæua tyrannide & captiuitate liberatas, & in seruitutē gloriosā Dei omnipotētis esse assertas. Videbāt è Christi manibus omni benedictione plenissimis hominibus cōmunicari dona amplissima, cuius communicationis à Patre acceperat ille facultatem. Silentio potiùs humili, & tacitis laudibus, quàm verbis, qui agebatur in cælo triumphus celebrari à nobis debet: sit Christo gloria sempiterna. Sed quid interea Apostoli? quid Ecclesia? Intentos in cælum oculos cuncti habebant. Sed quæ erat eorum meditatio & laus? Eadem illa quæ Angelorum, reuelante Christo; eadē cogitabant, & suaui fide contemplabantur, in illis recreabantur eorum corda & spiritus, & laudabant Deum in excelsis. Sentiebant verò diuina virtute vt in Christo illa fieri, ita in se cum Christo: coniungebantur in ipsis spiri-
*Ephe. 2.* tuales illæ consolationes; quòd conuiuificati essent Christo, quòd conresuscitati: addebatur in gratiæ & consolationis cumulū, quòd sentiebant se in spiritu per gratiam Christi singularem cælo inseri, ad consessum Christi leuari. Magnus triumphus agebatur in cælo, magna celebritas & exaltatio erat in terra: & in hoc quidem erant Apostoli omnes; verùm faciebat rerū magnitudo, & spiritus refectio quæ è cælo & Christo ad ipsos deriuabatur, vt non mente solùm, sed oculis & sensibus in cælum erecti essent. Quibus rerum externarum significationibus finem dederunt Angeli, quorum verbis confirmati quidem omnes in rebus spiritualibus sunt, & edocti tum alia, tum etiam illud, circumspectè vtendum & modestè in oratione exterioribus significationibus, vbi cōtingūt interiores consolationes; & in conuentu Ecclesiæ illas esse reprimendas, gaudium retinendum, & bonas animi inspirationes. Ita affecti Hierosolymam reuerterunt Apostoli è monte Oliueti, & cælestibus mysterijs; quibus vita nostra in cælos
*Coloss. 3.* euocatur, vt etiam si anima in hoc corpore & seculi necessitatibus viuamus, spiritu tamen continenter ad cælum spectemus, illuc ascendamus, illic viuamus; & sapiamus non quæ in terra, sed quæ in cælo sunt, vbi Christus est in æterna gloria Patris sui. Hinc etiam discamus in oratione versari, & spiritualibus mentis leuationibus deuotè, sapienter, & fructuosè, ad gloriam IESV Christi Domini & Dei nostri. Amen.

SACRA

# SACRA DIES PENTECOSTES.

## ACT. II.

*In cxxvij. imaginem adnotatiuncula.* cxxvij. 149.

A. *Hierusalem, & locus in monte Sion, in quo hæc facta sunt mysteria.*
B. *Cœnaculum in ea domo, in qua instituerat Eucharistiam Dominus: ibi erant sedentes.*
C. *Considunt omnes ordine.*
D. *Sedet in medio beatissima Virgo Mater; omnes summa cum expectatione & deuotione.*
E. *Fit repentè de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis, & replet totam domum.*
F. *Apparent linguæ tanquam ignis, qui sedit super singulos; & repleti sunt Spiritu sancto.*
G. *Incipiunt eloqui variis linguis Dei laudes.*
H. *Ad hanc vocem conuenit multitudo, mente confunditur, stupent, mirantur; nonnulli tamen irrident.*
I. *Stans autem Petrus leuat vocem suam, concionatur ad illos diuina efficacia.*

### ACTVVM II.

*ET dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem [a] loco. Et factus est repentè de cælo [c] sonus tanquam aduenientis spiritus vehemētis, & repleuit totam [b] domum vbi erant [c] sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ [f] linguæ tāquam ignis, sedítque supra singulos eorum; & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Et [g] cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Hierusalem habitātes Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. Factâ autem [h] hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est; quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostrā in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen. & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes: Quid nam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebāt quia musto pleni sunt isti. Stans autem [i] Petrus cum vndecim, leuauit vocē suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia; sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum; sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. VRbis Hierusalem pars describitur, & mons Sion, vt intelligatur venisse Spiritum sanctum in Discipulos in monte Sion cõgregatos, in eadem domo vbi sacræ Eucharistiæ sacramentum & sacrificium instituerat Christus; non in eodem cœnaculo, sed in superiori, vt antea ex traditione annotatum est.*

*B. Cœnaculum amplum vbi erant sedentes Apostoli & Discipuli in oratione suspensi, eodem die expectantes à Christo donum Spiritus sancti quod promiserat. Erat autem omnium vnus animus & cor vnum suaui quadam deuotione perfusum: præparauerat enim eorum cor & mentem è cælo Christus, vt dignè Spiritum sanctum accipere possent & fructuosè.*

*C. Ceterum rationi & scripturæ consentaneum, quod traditio Ecclesiæ, & imaginum vsus habet, vt beata virgo Mater Maria interesset mysterio: perseuerabant enim post Christi ascensionẽ Apostoli vnanimiter in oratione & obsecratione, cum Maria matre IESV, & mulieribus, & cognatis eius.* Act. 1.

*D. Primarium igitur locum habebat in sacro consessu Mater Dei Maria; circum ipsam ponè erant mulieres, ordine suo sedebant Apostoli & Discipuli. Venit beata illa hora tertia, quam non dubium quin Virgo Mater præsciret: & ecce mittunt Pater & Filius in sanctum cõsessum infinitum suum amorem, quem in æternitate spirant sibi consubstantialem & coæternum. Verùm quando, quo pacto, quibus signis? hæc audiamus deuote, fratres, ac reuerenter. Completi erat tunc primũ dies omnes Pentecostes, aderat quinquagesimus dies post Paschа nouum, id est post resurrectionem Christi, vbi vera illa completa est mortalium liberatio: mortuus enim Christus est propter peccata nostra, resurrexit propter resurrectionẽ nostrã & iustificationẽ.*

*E. Et ecce tibi derepentè factus est è cælo sonus. Repentinus sonus è cælo factus excitat atq; attrahit ad diuinitatem vehementissimè quidem, suauissimè tamen corda omniũ; vehementius eorum qui erãt parationes ad diuinos afflatus recipiendos: quare plenissimè excitauit atq; attraxit cor Virginis Matris Dei Mariæ, deinde suo ordine reliquorum. Neque verò sonus ille tantùm erat, sed simul vox, vt appellat Lucas.* Act. 1. *Quid igitur significabat ille sonus, illa vox? Aperiri viscera misericordiæ & amoris Dei nostri Patris & Filij in Ecclesiam, mitti illũ amorem, qui in æternitate erat in Patre & Filio, ab vtroque vno principio vera spiratione procedens. Et sonus quidem hoc significabat: quid spiritus vehemens replens totam domum? Effusionem infiniti Spiritus & amoris, qui feruida illa & efficaci virtute in omnium corda fortissimè ac placidissimè influebat diuinitus: & non solùm animos præsentium omnium summa cum dulcedine replebat, sed in totam etiam domum, hoc est Christi Ecclesiam, iam inde erat redundatura copiosissimè.*

*F. Quid hic sonus, quid vehemens afflatus attulit? Igneas linguas, quasi ex vno igne diuino in singulos distributas, singulis insidentes. Refertur enim verbum ad rem vnam, Spiritum scilicet, vt intelligamus vim illam diuini amoris igne fuisse inflammatam, quæ non solùm faceret vt membrum illud vocis artifex prædicaret Deum, atque laudaret excellenter, sed vt omnia etiam viscera, ossa omnia interiora & exteriora Dominum benedicerent.* Psal. 34. 83. 102.

*E. Quid igitur tandem per hæc signa Deus operatus est? Repleti sunt omnes Spiritu sancto, plenitudinem acceperunt charitatis, fidei, atque spei, virtutibus ac donis sunt impleti sapientiæ, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate, timore Domini: quæ dona, quæ virtutes robur simul & firmitatem atque efficaciam acceperũt pro singulorũ diuina vocatione ac propria sanctione. Itaque cœperũt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

*G. Loquebantur quidem tunc non Hebræa solùm lingua, sed varijs diuersarum nationum; verùm facultatem simul acceperãt, vt vna lingua loquentes à varijs nationibus intelligerentur: vt intellexerunt Petrum loquentem omnes qui conuenerant. Loquebantur autem primùm quidem omnes simul dulcissimo concentu, quasi in Ecclesiæ choro.*

*H. Verùm statim vi Spiritus domo egressi, quũ iam ad sonum & vocem cõmota multitudo conuenisset, palàm Petrus, & Apostoli, & Discipuli similiter atque domi fecerant varijs linguis Dei magnalia prædicabant; maiestatẽ Dei, magnitudinem, bonitatem summo consensu, cõcentu suauissimo, insolita quadam oratione diuinitus efficaci concelebrabant. Commoti priùs erant & excitati multitudinis animi ad vocem è cælo auditam; audientes verò Apostolos & Discipulos suis linguis laudare Deum tanta virtute, tam inusitata eloquentia, mente confunduntur omnes, mirantur rei nouitatem & magnitudinem, stupent omnes: erumpũt denique in varia iudicia, etiam in obmurmurationes; alij, quidnam*



*quidnam hoc sibi vult? Quorsum hæc spectat nouitas? Agnoscebantur Apostoli & Discipuli IESV: partim verò timebant, partim in dubium rei euentum reuocabant; alij apertè deridebant, mustò plenos, & ebrios dicebant. Cõtemplare hic Angelos, qui è cælo elapsum Spiritus sancti prosequuti erant, tum tutelares singulorum, vnum etiam è prima hierarchia, qui Mariæ Matri Dei obsequebatur; tum Michaelem Ecclesiæ Principem cum cæleſti iubilo & exultatione interesse, ac mysteria Spiritus sancti, infinitámque bonitatẽ laudibus efferre: alios Angelos per sonum mouere multitudinem, vt conuenirent ad rei miraculum: non deesse tamen paruulos & abiectos Dæmones, qui persuadeant Apostolos è vino delirare;*

*I. Quos tamen vis orationis Petri diuina, & ministerium Angelorum abegit.*

## MEDITATIO.

O Ineffabilem Dei misericordiam & miserationes! ô benignitatem & beneficia adoranda! Filium suum miserat Deus in mũdum, expleuerat ille eius mandata, pro nobis mortem subierat, resurrexerat, docuerat Apostolos & Discipulos, & antea copiosè, & post resurrectionem excellenter, ascenderat in cælum, & qui fuerant in carcere liberauerat, & fecerat cæli esse captiuos, hoc est secum conregnare ex inferno liberatos: ad dexteram sedebat Dei Patris, omnem acceperat potestatem siue in cælo, siue in terra. Quid Ecclesiæ, quid mortalibus facere potuerat quod non fecisset Deus? Et tamen nunc quasi de integro mittit Spiritum sanctum. Sit eius nomen benedictum in æternum: diuinè fecit, facit, & faciet omnia. Sunt quidem mirabilia operа eius solius & gloriosa; verùm absconsa & inuisa nobis: sed tamen quæ timentibus eum, & quibus probationẽ inducit, soleat sua benignitate Deus denudare, & thesaurizare super eos scientiam. Oro te, omnipotens Domine, vt ita in me fiat; concipiam timorem tuũ, accipiam tuæ manus probationem, vt ita intelligere possim mirabilia legis tuæ. Oro & te, custos Angele, vt meam apud Deum ignatiam & infirmitatem iuues: me enim illud bonitatis & misericordiæ Dei miraculũ mouet vehementer; mitti post Christi missionẽ, post eius vniuersam in homines œconomiã, mitti Spiritum sanctum in Ecclesiam: doce me Angele Dei. En tibi hæc etiam missio ad œconomiam & mysteria Christi spectat. Nã cuius fuit huius sacræ missionis meritum? nõne Christi? cuius precibus datũ vt mitteretur Spiritus sanctus, nónne IESV Christi? Ioann. 14. Ego, inquit, rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Est quidem apud Deum aduocatus vester Dominus & vester & noster IESVS, est vester paracletus & cõsolator IESVS, est vobiscum vsque ad consummationẽ seculi, & hoc erat satis futurum: sed est copiosa apud eum redemptio & misericordia; vt enim copiosi fuerunt & exundãtes passionis & mortis dolores & cruciatus, ita gratia Dei & dona in nos copiosa & exundantia. Erant multa præterea quapropter missus est Spiritus sanctus. Ea docendi erant Apostoli; quorum adhuc non fuerant capaces: hæc vt doceret Christus, misit Spiritum sanctum, qui illos doceret omnem veritatẽ, & omnes diuinas traditiones; neque quicquã esset noui amplius quod fidei addi posset, sed quæ erãt accepta à Christo, quę ab Spiritu sancto, eorũ esset doctrina in Ecclesia & expositio cõstans & perennis. Sed cur antea Spiritus datus non fuit? Quia non fuerat IESVS glorificatus. Acceperunt quidem Spiritum Apostoli ante ascensionem Christi, sed non illam excellentem Spiritus abundantiam & dona quæ postea acceperunt. Nam promeritus erat sibi gloriam suam Christus, quam adhuc non acceperat: oportuit igitur illius consummari gloriã, priusquam illa cõsummatio in Ecclesiam redundaret, & dari hominibus ab eo dona ex suorum meritorum & donorum quæ acceperat affluentia. Plenitudinem porrò diuinæ magnificentiæ adora nobiscum. Misit Deus filium suum in mundum, vt mundus per illum saluaretur: itaque Deum vidit omnis caro, in carne vidit salutare Dei, Deũ audiuit & contrectauit homo. Nec sat hoc fuit: ostendit se ter in voce è cælo Pater; in baptismo Christi, in transfiguratione, in templo, quum ad Christum accederent Gentiles: reliquum erat vt Spiritus sanctus apertiùs manifestaretur hominibus. Fuerat antea manifestatus in columba, nunc in sono cælitus facto, in Spiritu vehementi, in linguis igneis manifestatur. Verè magnus est Dominus Deus, & magna virtus eius & misericordia. Attulisti mihi lætitiam & lucem custos Angele: sed obsecro te per Christum, vt pergas mihi

Psal. 129. 7. Ioan. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca



mihi exponere mysterium huius diuinæ missionis. Inuoca potiùs Spiritum sanctum Paracletum, vt is te erudiat, & emittat in cor tuũ lucis suæ radium; ac doceat te rerum, quas desiderat animus tuus, veritatem : hoc & nunc fac; & in eo perseuera quum ego narro tibi mysteria, vel ex tua meditatione tu me adiutore in Spiritu sancto illa colligis. Quis igitur est qui mittitur beate Angele? Spiritus sanctus, tertia Trinitatis persona, quæ à Patre & Filio æternaliter, non tanquam ex duobus principijs, sed tamquam ex vno principio, nõ duabus spirationibus, sed vna spiratione procedit. Hic amor est Dei infinitus, hic donum Dei immensum. Amant enim se, suamque essentiam infinitam Pater & Filius, & infinitè amant: habent verò infinitam virtutem ex voluntate producendi, quemadmodum Pater produxit ex intellectu itaque producũt in æternitate amorem infinitæ perfectionis & substantiæ, donum Dei æternum; quasi intelligas æterna illa spiratione parari in donũ eundem illum amorem quem Deus produxit. Itaque tantam Deus bonitatem obtinet & charitatem per se & propter se, vt non solùm se & nos amet suo amore essentiali, sed producat etiam amorem sibi & illi essentiali consubstantialem & coæternum, & illum in nos effundat, quasi viscera suæ bonitatis & essentiæ. O rem superiorem omni hominum laude & Angelorum! O bonitatis excellentiam infinitam! Hoc est donum, hæc viscera bonitatis Dei, quæ hodie in Ecclesiam suam effudit Deus, hunc amorem in vos misit Pater & Filius, vt quem in sinu suo & complexu infiniti amoris spirauerant apud se, illum ad Ecclesiam suam mitterent; Pater ad Filiam, Filius ad Sororem & Sponsam: simul vt per sensilia signa non solùm Pater & Filius, sed etiã Spiritus sanctus vim diuini amoris cordibus fidelibus insererent munere principali. Exultate mortales, Deo totis viribus psallite: quod nobis in via nostra non dedit beneficium Deus, eo vos est cõplexus, vt amorem suum daret, & non solùm gratiam, & odorẽ vnguenti, sed ipsam vnguenti substantiam. Sed quid est, Dũ complerentur dies Pentecostes? Complebatur quinquagesimus dies à Christi resurrectione & vero Paschate, sed simul illa etiam Pentecoste antiqua complebatur, quæ transibat quidem, & compleri nũquam poterat: neque enim consummationẽ adducere poterat lex in illa Pentecoste data, sed scripta tantùm fuerat in tabulis lapideis, quæ iustitiam inducere ex se nõ poterat. Hæc verò noua Pentecoste tota est in complendo legem, tota complementum legis est; in hac enim confirmata est lex spiritus vitæ, nempe datus Spiritus sanctus, per eius gratiæ abundantiam, per efficaciam virtutũ & donorum, quæ vitã & iustitiã sempiternã cordibus mortaliũ inserũt. Cõsummauit enim Deus super Ecclesiam suam testamentum nouum, non secundùm testamentum quod fecit Patribus antiquis in die qua apprehendit manũ eorũ vt educeret eos de terra Aegypti, sed dedit leges suas in mentẽ fideliũ, & in corde ipsorum scripsit eas; vt esset Deus ipsis in Deum, & ipsi Deo in populum. Itaque & si scripta sit lex noua, tamen vt est gratia, ac diuini amoris participatio & virtutis, ita digito Dei in cordibus nostris fuit scribenda, corde recipienda, corde tenenda, ex corde illi cooperãdum, ex illa contendendum ad vitam sempiternam. Magna complebantur mysteria in hac Pentecoste, magna ex ea continenter complentur & complebuntur, donec vltimum imponatur illi complementum, & perfectio, & consummatio in gloria sempiterna. Confirmauit igitur legem vitæ in cordibus fidelium Deus per Spiritum sanctum, & diuinis accessionibus ornauit, & fecit efficacem. Audi verò vnde huius mysterij maiestatem agnoscere plenius possis & adorare. Primùm quidem rogauit Christus Patrem vt Spiritum sanctum Paracletum mitteret in Ecclesiam, promisit item Apostolis illum se missurum, qui doceret quæ tunc portare non poterant, qui doceret omnem veritatem: illos docuit post cænam & pedum lotionẽ, quemadmodum chrisma conficerent, quo vngerentur Spiritum sanctum accepturi ordinario & perpetuo Ecclesiæ vsu: quo tempore illud etiam intelligitur, ordinarium sacramentum Cõfirmationis instituisse Christum, nõ etiam statim eius vsum præcepisse. Tandem per noua & excellentia illa signa, sonum, spiritus vehementiam, per linguas & ignem, nõ solùm vim Sacramenti ostendit & fructum, sed formam etiam & materiam Sacramenti indicauit, non dedit, non oleum, non balsamum, nõ verba illa, Consigno te, &c. quæ iam instituerat, sed diuina alia signa, diuinam vocem, quæ & Sacramentum prædicerent futurum, & illius quasi primitias vberiores darẽt, & fructum præstantiorem. Addita autem adhuc

*Hier. 31.*

*Fabianus 2. epist. ad Oriental.*

*August.*



huc est alia huius Sacramẽti celebritas, vt per manus impositionẽ daretur Spiritus sanctus baptizatis, & linguarum donum effunderetur; vt tandẽ suo Confirmationis Sacramento ita nobilitato & veluti confirmato Ecclesia vteretur: in quo etiamsi illa signorum maiestas non adhiberetur, vim tamẽ Sacramenti fideles acciperent, cuius est ab eo die ductum initium. Refeci spiritum meum, Angele Dei: sed perge, obsecro; qualis ille sonus, ille spiritus, illa vehementia, illæ linguæ, ille ignis fuit? Cælestes fuerunt illæ creaturæ ex tempore à Deo creatæ, vt in illis ostenderetur Spiritus sancti aduenientis maiestas & efficacia. Neque enim ille flatus ex communi ventorum, nec lingua vel ignis, vulgaris erat lingua vel ignis: vbique Lucas per similitudines expressit rerum illarum virtutes; quas ipse quidem intelligebat in Spiritu, Ecclesiæ verò per earum similitudines eundem Spiritum & veritatem significabat: vt ex similitudine sensili & inusitata vos assurgeretis ad rerum, quæ indicabantur, spiritualem cognitionem. Factus est repentè de cælo sonus. A quo? A tota quidem Trinitate, sed à Patre & Filio ex personarum proprietate; vt enim ipsi mittunt Spiritum sanctum, ita & hic sonus, & flatus, & linguæ ad ipsos referri sua proprietate possunt: repræsentant tamen signa illa Spiritum sanctum. Porrò conceptus primùm hic sonus est diuina virtute è cælo ipso, & totum cælum priùs implenit, excitauit mentes Angelorum omnium & beatarum animarum, ad admirandũ Dei opus contuendum: è cælo resonuit in domum vbi erant vnanimiter simul considentes, magna cum animi tranquillitate horam expectantes in qua implerentur virtute ex alto, & baptizarẽtur Spiritu sancto & igni, summa Dei dona summa cum deuotione præstolantes; quasi sedes futuri in quibus sederet Spiritus sanctus. Non est templo illatus ille sonus, tametsi in illo frequentes erant Apostoli illis decem diebus; nouit enim erat ille sonus testamenti, non veteris: nouum templum fundabatur, vetus designabatur deserendum; & fiebat tunc quidem destitutionis illius initium. Erat autem sonus ille vox, significabat enim diuina illa mysteria quæ gerebantur; Spiritum sanctum qui mittebatur, gratiam & dona quæ Discipulis conferebantur. Et quænam poterat esse vox significantior, quàm sonus qui illa auribus internis per sensilem & exteriorem auditum ingerebat? Et factus ille sonus est derepentè. Spiritus sanctus enim vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, neque quò vadat. Habet videlicet vim nostrum spiritum occupandi, & in alium mutandi, & in diuinitatem vsque rapiendi, vbi infinita est virtus, vbi ex caligine effulget Deus. Et certè repentè fit, quod à diuinitate in creaturam fit, quæ ex se neque mereri quicquam potest, nec percipere vel præuidere. Sed qualis erat ille sonus? Erat quasi spiritus vehementis. Flatus tamen aëris huius non erat, sed quasi ex aëre; spiratio non vehemens siue violenta, sed quasi vehemens, quasi violenta. Erat enim excellens & diuina quædam creatura sonus ille, imperfectiones non habebat violenti flatus, vel impetum, vel coactionem, vel emotionem, sed suauis erat, benignus, certus & securus, & in diuina suauitate, benignitate, certitudine, securitate, omnem habebat virtutem, omnem veritatem cordibus ingerebat, neque in his omnibus tarditatem vllam nouerat vel difficultatem. Et repleuit totam domum. Quam? Illam quidem vbi erant sedentes exterius; in qua alioqui domo erant perseuerantes vnanimiter in oratione & obsecratione cum mulieribus, & Matre IESV, & fratribus eius. Ea erat Ecclesia Christi, quæ quum vna perseueret ad consummationem vsque seculi, ea simul illo Spiritu complebatur. Et sonus quidem ille & spiratio impleuerat domum, corda fidelium, Ecclesiam totam; & satis esse videri poterat tanti doni excellentia ad animarum sanctificationem, præsertim quum in eo essent linguæ internæ, quibus psallerẽt in cordibus suis Deo; verùm erat Spiritus in proximum exerendus, docendæ omnes gentes, pugnandum aduersus omnem impietatem, debellandus Princeps potestatis aëris huius, rectores tenebrarum harum, & spiritualis nequitiæ in cælestibus conculcãdæ, mundus sub iugum crucis mittendus. Hoc fuit quapropter linguæ sunt datæ, propter Spiritus sancti ad verbum cognationem: Verbo enim Dei erat bellum contra omnes aduersarias potestates gerendum, & erat locuturus Spiritus sanctus quæcunque audijsset, & è Verbo Dei Christo accepturus quæ annuntiaret. Admiranda fuit hæc linguarum ad verbum allusio. Sed velut ignis erant linguæ. En rursum alia cælestis creatura: erant linguæ non igneæ, sed quasi ignis, & suprà quàm ignis lucidè penetrantes, fortes, purgatrices, absumptrices: linguę enim

*Ioan. 3.*

*Act. 1.*

*Ephes. 6.*

*Gregor. Nazian. in orat. in san. Pen.*

*Ioan. 16.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



fabricatæ sunt Verbi diuini artifices, quæ vim haberent illuminandi mundum, ad interiora cordium penetrandi, diuina potentia purgandi qui se purgationi permitterent, aduersus autem repugnantes absumendi vim habebāt diuinam. Hanc virtutem habebant Spiritus sancti linguæ quæ hodie sunt donatæ, quæ vis vsque ad seculi consummationem perseuerabit: non dantur quidem linguæ sensiles, dantur tamen in spiritu efficaces. Sed cur dispertita? Quia Spiritus Dei vnicus quidem est, 1. Cor. 12 sed simul multiplex, diuidēs vnicuique sicut vult suorum donorū partes & prærogatiuas: quod quum facit, vnitatē tamen in donorum varietate tribuit & conseruat. Dabatur omnibus qui in domo erant Spiritus sanctus, sed tamen Marię Virgini maximo dono, magno secundùm hanc Apostolis, magno item omnibus iuxta diuinæ sapientię suauem distributionem. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto. O infinitā diuinitatis potentiam! O immensam & ineffabilē diuini muneris largitatem! Varia effunduntur dona & inæqualia, & tamen suis donis replentur omnes: quasi videas hic expressam similitudinem cælestis gloriæ. 1. Ioan. 3 Nónne Deum vident omnes beati, & similes Psal. 16. Deo sunt? nónne satiantur gloria Dei omnes? Et tamē mansiones multæ sunt in cælo, Ioan. 14. & inæquales gloriæ cælestis excellentiæ. Illud videlicet est, nihil in cælesti gloria est minimum, omnia maxima, omnia excelsa, facultatem omnia nostrarum potentiarum antecellunt: & in hac excellentia variè gloriosus est Isa. 32. Deus in Sanctis suis, & in summa tranquillitate & pace omnes Sancti diuina bonitate & iustitia fruuntur in sua gloria; neque enim possiunt amplius appetere, satiato immensitate Dei eorum omni desiderio: sit benedictus Deus. Similiter fuit in his Spiritus sancti donis: repleti quidem illis fuerunt omnes, suo tamen gradu, cum summa singuli Dei laudē & gratiarum actione, nescio quid cælestis illius œconomiæ degustantes in suorum donorum varietate. Act. 2. Et cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Fuerant quidem illis decem diebus semper in templo laudātes & benedicētes Deum; Luc. vlt. & quidē ea laus & benedictio à Spiritu proficiscebatur: nunc tamen primùm dicuntur loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Illa priuata erat laus ad se, non publica ad alios; hæc ad omnes gentes pertinebat iam inde, & propterea varijs linguis loquebātur, hoc est omnibus: propterea tanta linguarum varietate multitudo mouetur, confunditur, stupet & miratur. Non solùm autem stupebant omnes & mirabantur quòd suis linguis illos videbāt loqui, sed quòd magnalia Dei celebrabāt: ad miraculum linguarum aliud coniungebatur miraculū diuina verborum virtus, harmonia, suauitas plena effectuum diuinorum. Nam si donum Dei erant insidentes illis linguæ, maius erat donū facultas illa in verba deriuata, maior vis & diuinitas sermonum ab illis linguis procedentium: magnum Spiritus sancti opus, summa in mortales benignitas; verè loquebantur prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Sed quid hæc in Apostolis, quid in omnibus effecerunt? Mirificum omnium virtutum & donorum, quæ hactenus acceperant, augmentum, & confirmationem, & robur; & eo maiori excellentia, quo præstantioribus signis indicabantur. Præcellentem igitur gratiā acceperunt, quæ eorum iustitiā auctiorē coram Deo fecit & illustriorem, tum simul omnibus, quæ acceperant, donis robur additum est singulare, innumeris præterea beneficijs eorum animi & corda locupletata sunt, omnē veritatem sunt edocti, atque principali Spiri- Ioan. 13. tus sancti munere quæ antea portare non po- Ioan. 16. tuerant, ea facilè ac suauiter acceperunt: sunt armati cælesti panoplia, duces ac milites spiri- Eph. 6. tualis & cælestis militiæ sunt designati, atque adeò in aciem Dei viuentis educti, & in prælium contra mundum, carnem, Dæmones omnes, contra infernum, mortem, peccatum. Acceperunt igitur fidei, spei, & charitatis diuinas accessiones, tum donorum septem Spiritus sancti peculiari munere quasi ex integro, quibus virtute Spiritus sancti excellentiùs mouerentur. Quum verò dona illa iam cum virtutibus accepissent, insuper horū donorum nacti sunt singularia priuilegia; per sapientiā rerum humanarum ac diuinarum suauem & sublimem vno spiritus complexu mysticā cognitionē & sensum; per intellectū illarum intimam intelligentiā, & ad puram diuinamque veritatem penetrantem: consilium autem & prudentiā spiritus acceperunt, quo non solùm humana, sed cælestia etiam ac diuina ad salutarem praxim conferre possent; tum huius spiritus fortem & constantem operationem & perseuerantiam; ex his verò profluentem diuinam quandā ratiocinationem, & iudiciū ac scientiam: quæ omnia dona 1. Cor. 14 pieta-



pietate sanctè perficerentur, vt ad maiorem Dei gloriam, & proximorū salutem ampliorem & perfectionem referri possent: conseruarentur verò timoris sancto & immaculato spiritu, quem dona sex parerent, & quasi in ministerium & auxilium asciscerent. Ex virtutibus autem & donis vim experiebantur in corda deriuari, qua fructus spiritus & beatitudines exercerent, & contra omnes tentationes cùm intrinsecas, tum extrinsecas generosè pugnarent & vincerent, ac essent omnibus hostibus terribiles. Et hæc quidem omnia ita Ecclesia tunc accepit, vt singuli sua proportione pro ratione sui muneris, & vocationis, & gratiæ sua dona reciperent, & fieret cælestis quidam concentus, vt vocum ita donorum, ille auribus externis, hic internis & spiritualibus. Sed quid alij post illum diem? quā confirmationem gratiæ & rerum spiritualium adepti sunt? Minori priuilegio quàm illi, sed magno tamen; non per sonum, & vehementem spiritum, & igneas linguas, quæ propriè ad primitias spiritus attinebant, sed per im- 8.1. positionem manuum Apostolicarum, & donum linguarum. Quocirca quod Apostolis sonus, spiritus vehemens, linguæ igneæ; id his Act. 19. erat manuum impositio; effectus, loqui linguis: similiter atque primitiarum fuerat; quibus signis effundebatur his etiā Spiritus sanctus, & eius dona omnia, & robur spiritus communicabatur. Quid verò postea in Sacramento Confirmationis, quod Christus ad vsum ordinarium in Ecclesia sua esse voluerat? Datur gratia, dona, & robur spiritus, similiter atque in Ecclesia primitiua; illæ exteriorum signorum excellentiæ non adhibentur. Effectum enim quapropter admouebantur fortitæ quum sint, iam nihil est quod adijciantur: nam & diuinam auctoritatem obtinet Spiritus sanctus, & coarguit mundum de Ioan. 16. peccato, iustitia, & iudicio; & linguæ iam om- August. nes credunt, & factum iam est illud quapropter vel linguæ dabātur, vel linguis loquebantur. O rerum diuinarum cælestia sacramenta! quid illa efficaciæ non habuerunt, quum eorum auditio tantam spiritus excitationem faciat, tantam amoris diuini flammam exsuscitet? Veni, veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium. Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium. O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium. Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium: Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Tibi etiam gratias ago, Angele sancte, cuius auxilio hæc sum meditatus. Sint verò omnia ad Dei trini & vnius sempiternam gloriam. Amen.

*Pro Dominica & festo sanctissimæ Trinitatis nullam visum est imaginem pingere; nulla enim est res creata quæ possit secretissimum illud, & captum omnium vel hominum vel Angelorum superans mysterium imitari: & quæ dantur similitudines à Theologis, vel intellectu solo constant, vel tenues sunt, vel quæ difficulter imagine exprimi possunt. Aliæ verò imagines Patris, item Spiritus sancti, expressæ sunt hactenus non semel, Christi singulis ferè imaginibus. Pro die item Corporis Christi non est posita vel imago, vel adnotatio; hæc enim superius habentur, vbi post veteris Paschæ & communem cœnam, de Sacramenti & Sacrificij sacrosanctæ Eucharistiæ, & de cœna Domini noui atque æterni testamenti actum est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA PRIMA
## POST PENTECOSTEN.

Docet Christus; Estote misericordes.

MATTH. VII. LVC. VI. ANNO XXXI.

*In cxxviij. imaginem adnotatiuncula.* cxxviij. 24.

*A. Mons Thabor, vbi IESVS designat & docet Apostolos.*
*B. Docet tamen ad radicem montis etiam turbas.*
*C. Homo benignus stipem erogat pauperibus.*
*D. Homo præcipitis iudicij, qui alium iudicat temerè & damnat.*
*E. Angelus benefico mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & superfluentem dat in sinum.*
*F. Cæcus cæcum ducens, secum illum præcipitat in foueam.*
*G. Homo qui habet trabem in oculo suo, & tamen festucam eijcere ex oculo fratris emitur.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. VII. LVC. VI.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis; Estote ergo [c] misericordes, sicut & Pater vester misericors est. [d] Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. [e] Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.

*In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura*

Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & similitudinem; Nunquid potest [f] cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem [g] vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras?

*& trabem in oculo tuo non vides?*

Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo; ipse in oculo tuo trabem nō vidēs? Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

*Aut quomodo dicis fratri tuo:*

*& ecce trabs est in oculo tuo?*

*videbis eijcere.*

ADNO-



## ADNOTATIO.

August. de cons. Euang. l. 2. c. 19. Ambros. Christoph. Stateuen. in 1. cap. Matth.

*A. SEcesserat in montem Thabor IESVS adorationem cum Discipulis, in oratione pernoctauerat, ex Discipulis duodecim Apostolos designauerat, quos, data potestate signa ac miracula faciendi, ad prædicandum Euangelium mitteret; deinde peculiariter docuerat quæ tradidit Matth. 5. 6. & 7. capp.*

*B. Descendit postea è monte, stat in loco campestri, illum circumstant Apostoli, Discipuli, & copiosa multitudo, docet omnes eadem fere, scilicet vt omnes, & vt in loco campestri, ita communi & inferiori intelligentia quàm Apostolos, quos, vt in monte, & solos sublimi dignatus erat cognitione, & rerum quæ dicebantur maiori prudentia.*

*C. Homo misericors, qui eleemosynam in pauperes erogat; per quem omnes intelligamus, qui opera misericordiæ, siue corporalis, siue spiritualis, in proximum exercent. Porrò quod addit Christus, Sicut & Pater vester misericors est; vehemens est vis, qua incitamur ad omnia misericordiæ & charitatis opera. Est misericors Pater vester cælestis in vos, illa misericordia si eam agnoscitis (vt agnoscere planè debetis) faciet vt vos in misericordiam fratrum vestrorum tota animi intentione incumbatis: quod si non facietis, nec in vos Pater vester erit misericors, peribitis.*

*D. Præcipitis iudicij homo, qui alium condemnat temerè, nec animaduertit miser illud iudicium, illam condemnationem, non alterius esse, sed sui ipsius: ille enim non propterea à Deo iudicatur quòd ab homine condemnatur, ipse verò illo eodē improuido iudicio reum se coram diuinitate constituit, ac propterea diuino iudicio condemnatur.*

*E. Angelus effundit in sinum misericordiæ ac benigni viri mensuram bonam, confertam, & coagitatam, atque superefluentem. O ponderā verborum & rerum suauissima ad meriti nostri dignitatem prædicandam! O misericordiam Dei infinitam! O passionis Christi & meriti, in quo & per quod meremur, virtutem immensam! Metitur nobis præmium Deus, sed pulchrum, & bonum, pressum, & confertum, coagitatum, & concussum, & superefluens; quod videlicet omnem nostram animam, & potētias, & meritum planè impleat, & superet, & superefluat. Quod scitè quidem, strictim tamen dicere solent Theologi; Deum dare præmia vltra condignum, punire citra condignum: tamen qua mensura mensi nos fuerimus, remetietur nobis Deus. Semper quidem excellit præmium; hæc tamen excellentia, pro ratione meriti maioris, maior & excellentior est.*

*F. Cæcus vnus alium ducens in foueam ruit, & secum alterum præcipitat. Similiter illis euenit, qui ignorantiam suam secuti, aliorum imperitiam docere non verentur.*

*G. Homo qui trabem habet ob oculos transuersam, alium tamen iudicans qui habet festucam tantùm, damnatur. Nostra enim peccata etiam minima trabs sunt nobis, aliena omnia festuca: quo fit vt si ritè & ordine agamus, aliorum vitia iudicare non possimus, certè non debeamus, occupati necessariò & vehementer in nostris.*

## MEDITATIO.

QVàm multa sunt à te diuinè dicta in hoc Euangelio Domine IESV! Sed primùm illud me totum trahit & occupat; Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Vehemens hic est tuæ misericordiæ in corda nostra stimulus. Est Pater meus & vester misericors; quod cùm sit, qua misericordia cùm vratur in vos & in omnes, quid aliud quàm prouocat vehementer ad misericordiam? Quasi illam intelligamus, & sentiamus Dei misericordiam in corda nostra imprimi, & nos ad misericordiam in proximum diuinitus impellere; simul minari, si diuino impulsui non obediamus, si illi non cooperemur. Vt ergo moueant me hæc tua verba ad misericordiam, doce me, obsecro, benigne IESV, per tuam magnam illam misericordiam, vt ex luce diuinæ misericordiæ inflammetur cor meum ad misericordiam. Audi igitur. Misericordia & iustitia sunt quidem in Patre meo, & tota Trinitate; Deus enim ipse est misericordia, est & iustitia, vtraque immensa, vtraque infinita: vtraque ad creaturam attinet, & tamen respicit vtraque diuinitatem: iustitia Dei sapientiam, misericordia bonitatem: ambæ in omnibus diui- *Psal. 24.*

*Ps. 100.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ps. 144. Iac. 2.* nis operibus concurrunt, & tamen primas semper gerit misericordia. Nam cùm duo magna opera fecerit Deus, mundum vniuersum, & incarnationem meam; in vtroque misericordia eius emicuit & benignitas; de neutro enim fuit meritum quapropter fieret, sed solà sua voluntate & bonitate Deus & mundum creauit, & me fecit hominem; vtrumque excellentissimo beneficio. Decuit autem eius sapientiam & iustitiam, vt orbem crearet ad potentiæ suæ laudem & gloriam; tum vt nobiliorem faceret creaturam, vnde erat carnem assumpturus filius Dei: in incarnatione verò mea decuit diuinitatem, vt potentiam suam sublimiùs demonstraret, & hominem potentiorem quàm Satanam faceret, & omnis diabolicæ potestatis triùphatorem. Itaque in mundi institutione, & eiusdem restitutione, vides quemadmodum primas obtinuerit Trinitatis diuinæ misericordia, coniuncta verò fuerit iustitia. Porrò autem institutum misericordiæ tenuit Deus deinceps: summum enim opus misericordiæ meâ incarnationem, vitam creatam, & crucem voluit mortalibus esse salutarem iam inde ab origine mundi, & vim meæ salutis & lucis prouidit ad omnes homines extendi, etiam antequam ego venirem. Mundi præterea, & *Rom. 1.* creaturæ totius vsa est ministerio Dei misericordia ad veritatem suam, virtutem, diuinitatem mortalibus manifestandam. Nunquam præterea præcones suæ potentiæ, & bonitatis, & misericordiæ mittere prætermisit; primùm Patriarchas, deinde Legem ipsam, per quam illam misericordiam repræsentaret, tum Prophetas, qui de aduentu iusti prænuntiarent. Et hæc quidem testimonia suæ misericordiæ, & lucis, & salutis in medio totius orbis posuit Deus; vnde illustrati omnes mortales possent, & ad salutem adduci. Et hæc autem Dei misericordia & benignitas tanta fuit, vt quæ iudicia Deus exercuit etiam ante meum aduentum, à misericordia ipsa laudem *Iac. 2.* habuerint, vt semper misericordia superexaltat iudicium. Iam verò quis enarret Dei & meas misericordias in meæ carnis œconomia? Nam primum fuit infinitæ misericordiæ opus, quòd voluerimus Pater, ego, & Spiritus sanctus vt ego fierem homo ad redimẽdos à diabolica potestate mortales immeritos: potuimus enim alio modo quàm per meam incarnationem saluare homines, potuimus sine mea morte, potuimus sine tot supplicijs meis; verùm hæc omnia exigebat misericordia nostra, quã semper exaltamus, per quam semper potentiam nostram manifestamus: ceterùm ex hac misericordia meæ crucis & mortis, & meo merito illo infinito, immensa benignitate & clementia prospeximus hominibus. Trinitas causa est efficiẽs & finalis omnis benignitatis & clementiæ; harum ego causa meritoria, qua applicatur primùm Dei gratia præueniens, qua peccatores vocentur diuinitus ad salutem, & præparentur ad iustitiam: adduntur verò sacramenta, per quæ omnis iustificatio & gratia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa recuperatur: quod beneficium incomparabile est, vt rebus sensibilibus non solùm homo doceatur, & viam intelligat ad suam salutem, sed illam diuina virtute, certò, & efficacirer accipiat. Etenim quum meruissem pro omnibus mortalibus salutem sempiternam, & ea esset vobis communicanda, qua tamen eratis indigni, manuduxit vos Deus, vt eius efficeremini capaces, priùs per gratiam præuenientem qua vos præparat, deinde per sacramenta, in quibus posuit suam misericordiam & vim diuinam, qua vobis parat et salutem, & gratiam infunderet cordibus vestris inhærentem. Summa igitur in hominis iustificatione emicuit Dei misericordia. Quid? in iustificato homine nónne illa exundat Dei misericordia, vt hominis bona opera ita sint Dei dona, vt fiant etiam bona ipsius iustificati merita? & ipse iustificatus bonis operibus quæ ab eo fiunt per Dei gratiam & meum meritum, cuius est viuum membrũ, verè mercatur gratiæ augmentum, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum? Facit itaque misericordia sua Deus, vt sint homines eius diuinitatis & gratiæ cooperatores. Ad hæc, quoties vos Deus præuenit ineffabilibus & adorandis suis donis! quoties gratia sua præoccupat, & excitat ad virtutem, & incautos ac desides erigit, iuuat, ac promouet! Vnum opus misericordiæ Dei excellens audi, reliqua, quibus plena est terra, tu meditari poteris me authore & propitio. Posui ego *Matt.* in Euangelio meo duas vias meis Christianis Deo seruiendi, vnam si mandata Dei obseruent, alteram vt obseruationi mandatorum coniungant consiliorum etiam meorum obseruationẽ: & hanc viã confirmaui atque muniui votorũ religionis editione corã Ecclesia



sia mea. Huic viæ excellentem gratiam tribui, & donorum abundantiam: in hac feci expeditum & splendidũ iter ad perfectionem vitæ Christianæ persequendã atque capessendam: quo fit vt vocatio Dei ad hũc statum religiosum ab incõparabili gratia Dei & misericordia procedat, qua immeritos præuenit & vo- *Ioan. 15.* cat sua bonitate Deus, & familiariter facit sibi amicos, & peculiares mei sectatores: quos ego eximijs meis beneficijs prosequor & orno. Illud præterea animaduertite; qui sum eadẽ cum Patre misericordia infinita, affectum etiam misericordiæ assumpsisse me in humanitate mea: neque affectum & compassionẽ *Isa. 53.* animi solùm, sed re ipsa miseriam omnem humani generis (quod in me fuit) in mea *2 Cor. 5.* morte sustinui & absumpsi, factus pro omnibus hominibus peccatum, id est peccati hostia salutaris. Audio Domine IESV, & supplex tibi gratias ago. Da, benigne IESV, ne faciat mea immisericordia, vt edat Deus in me iudicium absque misericordia, & peream planè, *Iacob. 2.* vel imminuat in me suas miserationes; sed vt imprimatur cordi meo sensus & efficacia tuæ misericordiæ: ptimùm tamen vt simul iustitiam tuam & misericordiam reuerear, ab illa ad hanc confugiam. Quis enim stare poterit *Ps. 142.* coram tua sola iustitia? vel quis ante te iustifi- *Iob 25.* cari poterit? Viscera ergo misericordię tuæ insere, Domine, visceribus meis, vt tua vestigia sequutus, miserijs proximi compatiar affectu, effectu subueniam quoad possim; vnde vis misericordiæ tuæ in me indies fiat efficacior, & in proximos meos per te abundantiùs deriuetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA SECVNDA
## POST PENTECOSTEN.

Vocatio ad cænam magnam.

LVC. XIIII. ANNO XXXII.

*In cxxix. imaginem adnotatiuncula.* cxxix. 49.

*A.* *Capharnaum, & domus Principis Phariſæorum.*
*B.* *Homo qui parauerat cænam magnam, mittit ſeruum ad inuitatos: afferunt ſinguli ſuas excuſationes.*
*C.* *Primus dicit; Villam emi.*
*D.* *Alter; Iuga boum emi quinque.*
*E.* *Alius, Vxorem duxi.*
*F.* *Omnibus qui vocati erant ſe excuſantibus, dicit ille ſeruo, Exi in vicos & plateas ciuitatis, & pauperes, debiles, cæcos, & claudos introduc.*
*G.* *His introductis, dicit ſeruus adhuc eſſe locum vacuum, Dominus ait; Exi in vias & ſepes, & compelle intrare: quod facit ſeruus.*
*H.* *Paratur cæna, & in hac vita gratiarum, & in cæleſti gloria: nemo tamen eorum qui ſe excuſarunt, guſtabit cænam.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. XIIII.

IN illo [a] tempore dixit IESVS Diſcipulis ſuis: Homo quidam fecit [b] cænam magnam, & vocauit multos. Et miſit ſeruum ſuum hora cænæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei, [c] Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit; Iuga boum [d] emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit; Vxorem [e] duxi, & ideo non poſſum venire. Et reuerſus ſeruus nuntiauit [f] hæc Domino ſuo. Tunc iratus Paterfamilias dixit ſeruo ſuo; Exi citò in plateas & vicos ciuitatis; & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos, introduc huc. Et ait ſeruus; Domine, factum eſt vt imperaſti, & [g] adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo; Exi in [g] vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, [h] guſtabit cænam meam.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* CApharnaum, & domus Principis Phariſæorum, vbi ſanauerat Chriſtus hydropicum, vt probabiliter dici poteſt; nam tempus & locum non ſolet explicare Lucas, itaque coniectura vtendum eſt: ibi enim hanc & alias parabolas dixit Chriſtus diſcumbens ad prandium cum Principe & alijs inuitatis & Diſcipulis. Vnam autem parabolam dixit inuitatis peculiariter, aliam Principi qui ipſum inuitauerat, hanc cuidam ex diſcumbentibus; omnes verò dictas voluit Diſcipulis: propterea habet eccleſiaſticus vſus in Miſſa, hanc dictam Diſcipulis. Aliа eſt hæc parabola, alia Matthæi 22. cap. non ſolum quòd cena hic eſt, illic prandium deſcribitur, ſed propter multa quæ in hac & in illa diuerſa ſunt. Eſto igitur:

Auguſt.

*B.* Homo qui parauerat cænam magnã, Deus eſt, qui benigniſſimè cum hominibus agens, paradiſi cæleſtis cibos ſpirituales ac diuinos Eccleſiæ parauit. Spectat autem proprie parabola ad tempus noui teſtamenti, extendit tamen ad omne tempus poteſt. Miſit Chriſtum Pater æternus qui formã ſerui accepit, & ſeruus dicitur: is vocat multò plures quàm antea vocauerat Deus; & tamen cœperunt ſimul omnes excuſare ſuas occupationes, & beneficiũ detrectare: Chriſtus enim vocat omnes in nouo teſtamento, primum per ſe, deinde per ſuos.

Cyrillus.

Eſai. 42. & 43.

*C.* Homo qui villam excuſat ſe emiſſe, & exire vt eam videat.

*D.* Alius qui obtendit quòd iuga emerit boum quinque, ea ſe ſequi, velle ſpecimen de illis capere.

*E.* Alius, Vxorem, inquit, duxi, quocirca venire non poſſum. Alij duo rogant vt ſe habeat excuſatos, tertius quaſi iure ſuo contẽdit ſe eſſe excuſatum. Huiuſmodi ſunt qui varijs huius ſeculi occupationibus diſtenti, audiunt quidem & agnoſcunt diuinam vocationem & gratiam, ſequi tamen negligunt. Iam ſi hi male audiunt, ſi è cæna excluduntur; quid illis fiet qui vel audire nolunt, vel oppugnant Dei in eos beneficẽtiam?

*F.* In plateis & vicis ciuitatis pauperes, debiles, cæci, claudi, quos ſeruus ad cænam vocat, qui audiunt & obſequuntur. Ii ſcilicet vocationem Dei ſentiunt & ſequuntur, qui paupertatem ſuam agnoſcunt, ſe debiles, cæcos, ſe claudos eſſe, ſe bonis ſpiritualibus deſtitutos & egenos eſſe vident ac profitentur.

*G.* Viæ & ſepes vnde pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos, & quoſlibet, Gentiles ſcilicet, compellit (quod in ciuitate non fecerat) ad cænam intrare. Iudæos enim nõ compulit Chriſtus, qui plura habebant præſidia vnde credere poſſent. Qui extra ciuitatem Dei viuentis erant Gentiles compellit, extendens in illos miſericordiæ vim ſuauiſſimam.

*H.* Paratur Cæna. Cibos enim & cænam parat Deus, cum & in hac vita, & in cæleſti, præclara nobis dona & præmia reponit & pollicetur.

## MEDITATIO.

SCimus, Domine Deus, te nobis cænam in Eccleſia tua gratiarum & donorum tuorum paratam habere, ſcimus te cænam gloriæ & cæleſtium donorum repoſuiſſe in cælo, cogitamus, legimus, loquimur identidem: verùm adeò aridè id facimus, adeò infructuosè & ieiunè, vt alijs ſcripta & dicta illa eſſe videantur, non nobis: & plures adducimus excuſationes, quàm illi homines quos vocat Chriſtus. Vbi enim illa legimus, vbi videmus nos ad cænam tuam vtramque, id eſt ad refectionem & robur animæ, & ſpem vitæ ſempiternæ tam ſeriò, tam vehementer vocari, obſtupemus primùm, & quaſi excordes nihil profundiùs intelligimus, nihil corde percipimus: quòd ſiquid lucis, ſiquid deſiderij boni exoriri cœperit, cueſtigio aliorſum animum diuertimus, alia agimus, alia videntur nobis vel magis vtilia, vel magis neceſſaria: breuiter, omnia nobis placent, omnia nos alliciunt vt hoc ne agamus; vel omnino voluntate noſtra fit vt potiora prætermittamus. Quid? Non ſimiliter atque illi excuſatores excuſamus noſtras excuſationes in inobediẽtijs & peccatis noſtris? Quum etiam nos Deus ad religioſum vitæ inſtitutum & cænam vocaret, primùm reſpondimus, villam emi; quæ vel poſſideo bona temporalia, vel quæ appeto, & qui hæc ſequuntur honores, tuæ cænæ, & regni cælorum deſiderio antepono. Rurſum iuga boum emi quinque: ſenſibus potiùs meis, quàm tuis recondituis & inexpertis delicijs capior. Denique, vxorem duxi, iam animo complector vxorem, non enim poſſum

*Pſ. 140.*

*Apoc. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



possum motus carnis compescere; quæ causa ne excusationem quidem apud te requirit, qui coniugalem castitatem non reijcis. Vtinam hæc non abigerent quamplurimos à religionis ingressu, & multos non diu multumque retardassent. At vincuntur illæ difficultates tuo beneficio & virtute, Christe IESV; & tamen non cessant illæ intemperantiæ esse importunę, si non ad vocationis defectionem, (quod non verentur aliquando vel furtim tentare) certè ad debilitationem disciplinæ suos stimulos non desinunt exercere improbè. Adhæc, si spectemus ad quotidianos Dei instinctus, miram videamus & vanam excusationem. Cùm enim Deus ad meliora nos continenter & perfectiora incitet; nos tamen easdem illas vanitates per imperfectionem paupertatis, obedientiæ, & castitatis cogitamus; semper alioqui ad imperfectiores cogitationes, actiones, desideria declinamus, nec veram Spiritus energiam percipimus, vel tenere insistimus. Ità fit vt contrà quàm ratio vocationis postulat, non ad meliora & perfectiora nitamur, sed ad deteriora dilabamur; vnde necessum est augeri vitæ nostrę difficultates, tædia, inquietudines, si nihil aliud. Quid igitur? Intelligo, bone & sancte IESV, è cõtrario te velle à nobis in Spiritu tuo & nostrę mentis industria esse illas & planè omnes excusationes meliùs agendi repellẽdas: quod faciemus, si quidem qui spiritu carnis nostræ abusi sumus ad peccata & imperfectiones, cõtrà, spiritu Dei, & mentis nostræ industria, ad virtutem & perfectionem conuertamur. Habeamus verò parata ad id præsidia ex meditatione & oratione, coniũcto quoad poterimus spirituali sensu & experientia actionum. Emptam habeamus villam speciosam, amplam, diuinitus fructuosam paupertatem: eam frequenter inuisamus, eam colamus, ex ea colligamus fructum in vitam sempiternã. Boum iuga quinque coëmpta exerceamus; sensus scilicet nostros tum externos, tum internos, & intellectuales potentias, memoriam, intellectum, voluntatem, & inferiorem ex his portionem animæ, ac superiorem. Hæc, inquam, omnia exerceamus in perfectione, luce, & suauitate obedientiæ, nostri gubernationem per Superiorum directionem recipientes, & in ea acquiescentes in Christo. Huic exercitio coniũgamus intimam Christi vulnerum meditationem, & deuotũ spiritus sensum. Vxoris locò ascisca mus sanctam & impollutam mentis & corporis castitatem, omnemque voluptatem reijciamus, nisi quæ ex Deo accipitur ipso, vel ex his in quibus nos lætari Deus concessit, iuxta voluntatẽ eius bonam, beneplacitam, & perfectam, hoc est iuxta nostri instituti religiosam rationem. Assuescamus verò gustare quoniam suauis est Dominus; hæc suauitas possideat, teneat, foueat cor nostrum, & faciat vt iucunda sit nobis vnicè Dei bonitas, Dei virtus, Dei sapientia, Dei voluntas, discernatque obrepentes & alienas iucunditates, eas vt repellat vel corrigat, & ad sanitatem reficiat. Hæc, sancte & benigne IESV, parata habebo te authore, ad prauitatem excusationum abigendam. Verùm scis tu animæ meæ fragilitatem, actionum inconstantiam & infirmitatem. Fac, bone IESV, quæ dixi, ea vt efficacia per te sint in me ad gloriã nominis tui sempiternam. Amen.

Ioan. 4.

Hebr. 13

Rom. 12.

Psal. 33

DOMI-



# DOMINICA TERTIA
## POST PENTECOSTEN.

De oue centesima, & decima drachma perdita.

MATTH. XVIII. LVC. XV. ANNO XXXIII.

*In cxxx. imaginem adnotatiuncula.* cxxx. 65.

*A. Locus vbi fuerat Ioannes baptizans ad Bethabaram trans Iordanem.*
*B. IESVS cum Discipulis.*
*C. Accedunt ad IESVM Publicani & peccatores vt eum audiant.*
*D. Obmurmurant Pharisæi & Scribæ, idq; fastidiũt.*
*E. Nonaginta nouem oues ad caulas relictæ in deserto, vna perdita.*
*F. Pastor inquirit ouem oberrantem.*
*G. Inuentam reportat humeris ad ouile gaudens.*
*H. Domum rediens, conuocat & inuitat ad congratulandum amicos.*
*I. Accensa lucerna mulier euertit demum, & inquirit decimam drachmam amissam.*
*K. Inuenta ea conuocat amicas, & inuitat ad sibi congratulandum.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. XV.

ERant autẽ appropinquantes [b] ei [c] Publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes; quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens; Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit [e] nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? Et cùm inuenerit eam, [g] imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum [h] conuocat amicos & vicinos, dicens illis; Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quę perierat. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitẽtia. Aut quæ [i] mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat [k] amicas & vicinas, dicens, Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudiũ erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

ADNO-

## ADNOTATIO.

*A. LOcus vbi fuerat Ioānes baptizans trans Iordanem ad vicum Bethabaram in tribu Ruben: hic & hanc parabolā dixit Christus, & illam prodigi adolescentis.*

*B. IESVS cum Discipulis.*

*C. Accedunt ad IESVM Publicani seu Telonarij, qui vectigalia publicè redimebant, & publica authoritate exigebant: accedunt peccatores, qui maiori quàm illi infamia laborabant, propter lucri, quod exercebant, iniquitatem, vel planè alij peccatores.*

*D. Obmurmurant Pharisei & Scribæ siue Doctores, Pharisaica stultitia & ambitione fastidientes, quòd IESVS Publicanos & peccatores acciperet familiariter, & amicè cum eis comederet.*

*E. Nonaginta nouem oues in deserto relictæ à Pastore ad caulas.*

*F. Pastor inquirit ouem aberrantem.*

*G. Inuentam, & humeris suis impositam, reportat ad ouile gaudens.*

*H. Veniens domum, conuocatis amicis & vicinis gaudium suum de inuenta oue renunciat, inuitat amicè omnes ad congratulationem.*

*I. Accensa lucerna euertit domum mulier, quæ è decem vnam drachmam amiserat, sex scilicet obulos, & quærit anxiè suam drachmam: non verrit autem solum, sed totam domus supellectilem emouet & transmutat, vt diligentius inuestiget. Itaque vehementius dixit interpres quàm Græcè est, σαφῶς, id est euerrit, quod ipsum, si sedulitatem mulieris exprimere volumus, in, euertit, est.* Budæus, id est tres solidos vulgatus cum dimidio.

*K. Inuenta tandē drachma conuocat amicas & vicinas, narrat læta se drachmam inuenisse, & ad gratulandū sibi eas inuitat. Excellens huius Euangelij est ac suauis doctrina, qua docet omnes Christus, vt singuli pro sua facultate & statu incumbant ad reuocandos peccatores ad pœnitentiā & vitæ Christianæ sinceritatem sectandam, & contemnendas esse hominū peruersorum qui hæc officia deridēt, stultas obmurmurationes, singularem animi exultationē esse in huiusmodi operationum prouentu in Christo.*

## MEDITATIO.

TVes, bone & magne IESV, homo ille, qui è centum tuis ouibus, ad perditam vnam, dimissis nonaginta nouem in montibus & deserto, venisti, eam quæsiuisti, inuenisti, tuis humeris impositam ad ouile reportasti, & conuocatis amicis & vicinis tuis, gaudium celebrasti de salute ouis illius. Intelligo quidem, benigne IESV, ad te referri parabolam, sed caligat intellectus ad sublimitatem eius & maiestatem: obsecro, illam mihi expone. Indignus omnibus modis ego sum, Domine, cui hoc præstes, sed tu dignus qui indignorum miserearis. Audi igitur. Creaui ego initiò nouem Angelorum ordines, cùm nulla esset creatura; simul creaui cælū empyreum proprium eorum locum, vbi eos quasi in deserto collocaui & montibus; terrā item creaui, & elementa, & alia propter hominē, quem sexto die creaui: dicuntur oues nonaginta nouem illi ordines propter numeri eorum amplitudinem, vna ouis præ illis species humana; Angelos enim præ hominibus decuit esse numero ampliore multò, vt longè erant natura perfectiores. Deseruit quidem ouile magna Angelorum multitudo ex omnibus ordinibus, nullus tamen integer ordo fuit apostata: ideo mea iustitia, prouidentia, & bonitate exigente transfugæ deturbati è cælo sunt, alij confirmati in gratia, donati Paradiso. Centesima illa ouis fuit ad ouile recepta: gratia enim mea Adam ornauit iustitia originali & donis: hic item deseruit meū ouile, & Angelorum meorum societatē. Postulauit mea misericordia, vt ne tota hæc natura, quæ in eo homine erat vnicè posita, periret; prouidentia & iustitia, vt pœnas daret suæ prævaricationis, ita & illum, & progeniem totam, è delicijs paradisi eieci, priuaui gratia, iustitia originali, & donis, subdidi laboribus innumeris & difficultatibus, tum morti. Erat illa ouis perdita & deplorata, nec per se poterat ad ouile, & Angelorum communionem redire. Ibi verò effulsit Patris mei misericordia, & mea, & sancti Spiritus. Ego destinatus sum qui illam ouem quærerem errantem & perditam, & ad caulas nostras reportarem: & qua ratione id facerem, in æternitate nostra sancitum est, vt in temporum plenitudine ouis ego fierem, & numerum centesimum ouium implerem: vt homo videlicet ipse fierē, hoc est, singularem humanitatem assumerem per Spiritum sanctum ex Virgine, in suppositi & personæ meæ diuinæ vnitatem. Quod cùm esset factum, restituta quidem erat natura humanitatis; hæc enim fuit prima inuentio ouis pro deperdita: quam enim assumpsi humanitatem, ea nec in se, nec Adam primo homine aberrauerat, atque adeò supra omnes Angelos fuit purissima atque sacrosancta, tametsi misit me Deus in similitudinem carnis peccati. Hāc carnem leuauit sancta Trinitas ad vnionem hypostaticam meæ personæ, & verā idiomatū communicationem antequam in se esset suppositum. Itaque erat humana natura in mea humana natura restituta; verùm fuit meæ & Patris misericordiæ, vt per meam humanitatem alijs hominibus salutem afferrem, & eos ad ouile nostrum reportarem. Id verò feci, non tantùm pro hominibus Patrem orans, (quod sat alioqui esse potuisset) sed volui humeris meis portare omnium hominum errores, infirmitates, peccata: id enim feci tollens crucē, cruci affixus pro hominibus. Ita non solùm per incarnationem meam restitui humanam naturā, sed etiam ampliori misericordia homines prosequutus, quod in me fuit, omnes homines à peccatis in iustitiam & spiritus libertatem asserui. Cùm enim pro omnibus meam passionem & crucem Patri obtulissem sufficienter, simul pro ijs qui sat erant superque ad reficiēdas Angelorum ruinas, hoc est pro prædestinatis efficaciter obtuli crucē meā: quo factum est, vt eorum Angelorum, qui è singulis ordinibus ouile meū deseruerāt, sedes omnes hominibus implerentur, & rediret ouile meum ad vniuersum numerum suum & integritatem. O mysteria! ô misericordiā, pietatem, sapientiam, patientiam omni laude & veneratione superiorē! Implesti cor meū, Domine, tua virtute & suauitate. Sed quo pacto nonaginta nouem oues dimisisti in deserto & montibus? quænam est ista eremus? qui montes? Dimisi illas per incarnationem meam, per quam descendi de cælo in terram, cùm alioqui nec Angelos dimiserim vnquā, nec cælum secundùm diuinitatem, sed in ea semper & fuerim vbique præsentissimus, & impleuerim omnia; vt nihilominus Angeli mea diuinitate in cælo fruerentur. Immensus fuit ille meus descensus, quo immensus factus sum certa mensura, immortalis & æternus, mortalis & in tempore. Eremus mea in cælo est illa speciosissima & fructuosissima, vbi Patrem, me, & Spiritum sanctum vnicè contemplabantur Angeli, in secessu infinitæ diuinitatis, secluſa omni creatura: mōtes verò Trinitatis vnius Dei sunt altitudines & perfectiones infinitæ. Dimisi igitur Angelos in cælo, sed in deserto & montibus meæ diuinitatis. Ad huiusmodi autem desertum, ad hos montes aspirantes Sancti mei in terra, ad desertum contemplationis contendunt, & montes meos; & se existimant felices, si deserta omni pura creatura, ad meam solitudinem, & solum me, & Deum Patrem meum secedant, & Spiritum sanctum, & in nostris montibus pascantur. Sis tu benedictus in secula sempiterna bone IESV. Verùm quid est, magne IESV, quòd rursum facis hominem deperditam drachmam, & mulierem inducis solicitè & accuratè drachmam illam inquirentem, vt lucem accendat, & euertat domum? Homo numisma Dei fuit creatus; illi enim suam imaginem Deus impressit & similitudinem, gratia, donis, & virtutibus illum ornauit. Pretiosum fuit homo numisma, & eo valore & gratia, qua mereri posset vitam sempiternam; amisit per peccatum dona & gratiam, similitudinem Dei deformauit, remansit in eo imago Dei, sed inualida & obscura; hæc fuit restituenda atque illustranda. Id egit Deus veluti mulier illa, quæ antequā parturiret peperit: neque enim qui alios parere facit, ipse non peperit; nec qui alijs generationem tribuit, ipse sterilis fuit. Generauit igitur Deus Pater me in æternitate sua; & hoc infinitum illud lumen est, quod ante Lucifer. rum accendit: deinde in plenitudine temporum humanitatem meam hoc lumine verbi mei accendit perfectissimè, per hypostaticam vnionem; & adhibita hac luce quæsiuit Deus drachmam. Sed quo pacto euertit domum? Commouit cælum & terrā, mare & aridam, mouit omnes gentes, subuertit solium regnorum, & cōtriuit fortitudinem regni gentium. Verùm hac commotione alia fuit commotio maior, mei labores, passiones, mors. Quid enim in me non fuit commotum? fuit afflictum corpus, anima, vita, in meis tribulationibus, molestijs, angustijs, fame, siti, lachrymis, sudore, improperijs, colaphis, alapis, irrisionibus, cōtumelijs, vulneribus, in emotione & luxatione ossium meorū. Sic drachmā deperditam quæsiuit Pater meus & inue-



Rom. 8.

1. Pet. 2.

Isai. 64.

Osea 2.

Psa. 66.

Psa. 110.

Aggæi 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



nitrita genus humanum, quod perierat, inuẽtum est, restauratum, redemptum, ac cælo assertum & vitæ sempiternæ. Quæ autem per me Pater, quę ego in oue & drachma quærenda atque inuenienda egi, ea non solùm ad tempus vitæ meæ temporalis pertinẽt, sed ad omne tempus; inde enim vis diuina ad omnes hominum generationes permeauit: ita
Apoc. 13. dicor ego à Ioanne occisus ab origine mundi; vt fui in præuisione diuina atque acceptione. O ineffabilem Dei misericordiam & sapientiam! Sed quum hæc audio, sancte IESV, video ingentem nobis esse impositam necessitatem hæc Dei mysteria imitandi: non
Eccl. 17. solùm quia vnicuique mandauit Dominus de proximo suo, sed quod nostra hæc est vocatio & vitæ institutum, vt ouem deperditam inquiramus, & ad ouile tuum reportemus nostra diligentia & industria, nostris laboribus; tum vt simul drachmam amissam quæramus accenso lumine tuæ doctrinæ summa solicitudine, nullumque non moueamus lapidem, vt illam tandem inuestigemus, & curemus nostro ministerio in te, vt imago Dei in illa restauretur, quæ erat obscurata, & reficiatur similitudo, tum illi suus valor diuinitus restituatur & augeatur. Quis ad officia hæc præstanda non se agnoscet suprà quàm dici potest ineptum & inutilem, si misericordia tua eum nõ adiuuet, & vim à te non accipiat, Dan. 9.
magne IESV? En in miserationibus tuis multis prosternemus preces nostras ante faciem tuam, non in iustificationibus nostris: exaudi nos Domine, placare Domine, attende & fac; vt ne propter nostra peccata & desidiam pereant animæ, pro quarum salute sanguinem tuum profudisti & vitam. Amen.

DOMI-



# DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

## De copiosa captura piscium.

LVC. V. ANNO XXXI.

*In cxxxi. imaginem adnotatiuncula.* cxxxi. 17.

A. *Mare Tiberiadis.*
B. *Capharnaum, iuxta mare vbi piscabatur Petrus & socij.*
C. *Cùm irruerent in IESVM turbæ, vidit duas naues in littore;*
D. *Et piscatores descendisse, & lauare retia.*
E. *Conscendit IESVS in nauem Simonis, & rogat vt pusillùm à terra reducat, vt doceat turbas.*
F. *Facto fine dicendi, imperat Petro vt ducat in altũ, & laxent retia in capturam.*
G. *Hoc cùm fecissent, concluserunt piscium magnam vim, ita vt rete rumperetur.*
H. *Innuunt igitur sociis, vt ad se adiuuandos occurrant.*
I. *Veniunt, iuuant, implent ambas naviculas piscibus, vt penè mergantur.*
K. *Agnouit Petrus virtutem Christi, procidit ad eius genua, correptus stupore clamat; Exi à me Domine, &c.*
L. *Similiter stupent filij Zebedæi, qui erant socij Simonis; & relictis omnibus secuti sunt eum.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. V.

FActum est autem cùm turbæ irruerent in IESVM vt audirent verbum Dei, & ipse stabat [b] secus [a] stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: [d] piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autẽ in vnam [e] nauim, quæ erat Simonis, rogauit eũ à terra reducere pusillùm: & sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem; [f] Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondẽs Simon dixit illi; Præceptor, per totã noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autẽ tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, [g] cõcluserũt piscium multitudinẽ copiosam. [g] Rũpebatur autẽ rete eorũ: & [h] annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt venirẽt, & adiuuarent eos. Et venerũt, & impleuerunt [i] ambas nauiculas, ita vt penè [i] mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, [k] procidit ad genua IESV, dicens; Exi à me Domine, quia homo peccator sum: stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. [l] Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem IESVS; Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. Mare Galilææ, siue Tiberiadis.*

*B. Capharnaum, ad quod est Mare Genesareth siue Tiberiadis, vbi vt in frequenti & opulẽta ciuitate piscari solebat Petrus & eius socij lucri maioris causa, non ad suum vicum tenuem Bethsaidam.*

*C. Quũ astaret IESVS secus stagnũ, siue mare Genesareth, & irruerent in eũ turbæ cupiẽtes verbũ Dei audire, vidit duas naues piscatorias ad littus, vnam Petri, alteram Iacobi.*

*D. Piscatores autem descenderant in littus, & retia sua lauabant.*

*E. Recedẽs igitur à turba IESVS ascẽdit in eã nauim quæ erat Petri, & rogauit Petrũ suauiter, vti paululum à terra nauim abduceret, vt sedens è naui turbã commodiùs doceret. Docuit.*

*F. Quum autem finem fecisset dicendi, non rogat, sed edicit Petro vt in altum mare ducat nauiculam, & iactent retia in capturam. Non descẽdit è naui IESVS, paret Petrus, educit longiùs cymbam, illũ sequitur alia nauis, piscatur Petrus præsente Christo in eius nomine; alij simul piscantur, sed nihil expiscãtur: Petrus concludit copiosam piscium multitudinem.*

*G. Trahens rete Petrus cum suis, sentit multitudinem & pondus piscium, & difficultatem tractus; rumpi autem ipsis rete.*

*H. Coacti itaque necessitate annuunt Iacobo & Ioanni vt ad se accurrant, indicant auxilio se eorum egere.*

*I. Accurrunt, iuuant spectante hæc omnia IESV: implent vtranque nauim tanta piscium multitudine vt mergerentur; quod scitè interpres, penè mergerentur, dixit, leniens hyperbolen; parum enim aberant quin mergerentur, mersum ibant, impletis ad summum nauibus, & oneris nimio pondere periclitantibus.*

*K. Sentit vim diuinam Petrus ex piscium ingenti captura: addebatur & illud mirum, quòd sub tanto pondere naues non mergerentur. Tactus igitur cordis cõpunctione, & ad rei miraculũ stupẽs, ac procidens ad genua IESV; Exi, inquit, à me Domine: peccator enim ego sum, & indignus apud quem sit tanta maiestas ac virtus.*

*L. Idem patiuntur qui in altera naui erant Iacobus & Ioannes: similiter corde profitentur esse se indignos quos iuxta esset IESVS. Probãs eorum humilitatẽ & animi reuerentiam, cõfirmat tamẽ peculiariter IESVS Petrũ: Noli animum abycere, cõfide, noli timere, intellige futurum quod longè maius est, vt homines alia piscationis ratione non in mortem sed in vitam sis capturus. Nõ intrat in cymbam Iacobi & Ioannis, sed Petri, non iubet alios cymbam à terra abducere, sed Petrũ; Petrum iubet ducere in altum, iactare rete in capturã; hic procidit ad genua IESV, tametsi alij stupent ad rei miraculũ; Petro nominatim Christus prædicit futurũ vt homines caperet, ad vitã, non ad mortem vt pisces: quæ omnia & futurã Petri summã dignitatem, & facultatem spiritualem prænuntiant. Illud præterea constat, non esse hoc loco vocatos Apostolos, sed Matthæi 4. Cap. quo fit, sequutos quidẽ esse IESVM semel, iterũ & allectos, non vocatos; & præludia illa fuisse consummatæ vocationis: in illa verò Matthæi, nõ solum ad cognitionem & familiaritatem fuisse allectos, sed plenè interius & exterius à Christo vocatos; nec postea ante resurrectionem ad piscatoriam rediisse, sed continenter ac constanter Christum fuisse sequutos: quæ est Augustini sententia.*

## MEDITATIO.

FActum est autem. Excitatio hæc est piæ attentionis. Audite qui IESV gesta, & salutem vestram amatis, qui verbum Dei audire desideratis, qui Petri in Ecclesia Dei viuentis primatum veneramini; audite diuina Dei & Christi eius mysteria. Cùm turbæ irruerent in IESVM. Et quid mirum si miracula, si beneficia diuina & signa, si verba vitæ æternæ studiosè sequebantur, si illa IESV benignitate, virtute, mansuetudine, si totius oris, & verborũ gratia & dignitate, ac diuinitate allicerẽtur atque attraherẽtur, & ad hæc omnia auidè ferrẽtur atq; imminerent? ἐν τῷ ἐπικεῖσθαι. Hoc mirum non fuit, etiamsi in turba: magis longè mirãdũ, si nos, qui hæc omnia & longè plura, & fide tenemus, & mẽte percipimus, tanta desidia torpeamus, & tãtùm non fugimus vbi de verbo Dei, de salute nostra vel audiendum, vel agendum est, & nunquam ferè non sumus cordis deuotione destituti; atque adeò quando nõ offendimur, & desidiosè agimus, si exercenda oratio est, si spiritualibus rebus incumbendum? quãdo auersionem animi in fratrum bonorum imitatione, quando in vitæ nostræ emendatione non sentimus? Vt audirent verbum Dei.

Vehemen-



Vehementer expressit Lucas doctrinæ Christi maiestatem, vbi Græcè dixit, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ; non communiter verbum Dei, sed infinitum illud Patri coæternũ Verbum & consubstantiale. Illud enim loquebatur, illius erat illa vox atque doctrina, viua, efficax, & sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionẽ animæ & spiritus, compagum quoque & medullarũ; discretor ac iudex cogitationum & intentionum cordis. Hi autem effectus verbi Dei suauissimè alliciunt bonæ voluntatis homines; cõtrà verò hominũ peruersitati comminantur vehementissimè. Et ipse stabat. Stabat semper Christus erecta atque intẽta voluntate & virtute, etiam sedens, ad salutẽ mortalium peragendam, quod nobis ingentem & facere debet, & augere fiduciam dona accipiẽdi ab infinita benefaciendi promptitudine. Et tamen aliquando stare Christum significat (vt nunc) exertã singulariter Christi virtutem benefaciendi turbæ, Discipulis, Ecclesiæ suæ. Secus stagnum Genesareth. Hoc est mare Genesareth, & Cenereth: quasi dicas hortum Principis, & citharam; Galilææ mare ac Tiberiadis, aqua dulci ac salubri, piscium varij generis ferax, præcipua bonitate. Hoc stagnum siue mare celebrauit Christus propter mysticam eius quam ab ipso accepit significationẽ. Erat stagnum propter stabilitatẽ, mare, quòd vẽtis esset subiectum; sed cuius maris esset dulcis aqua & salutifera, & piscium bonorum abundans. Sed inter hos miscet malos pisces inimicus homo, vt in sementẽ bonam zizaniã. Itaque Ecclesia est mare, propter eius stabilitatem & vbertatem salutarem: per hoc, id est per baptismum, in nauẽ Ecclesiæ recipimur; sed exagitatur contrarijs Dæmonum & tentationũ ventis: in eo vult nos nauigare, in eo nobiscũ nauigat Christus, & virtus eius tempestates sedat, quas & pedibus suis conculcat: in hoc vult Principes Ecclesiæ piscari: ex hoc mari prodimus nos omnes, & in naui Ecclesiæ nauigamus. Recreat nos huius maris, huius nauis meditatio, sed verendum nobis est, ne è naui excidamus, & in malos pisces degeneremus. Auerte hoc infortunium magne IESV. Vidit duas naues. Altera nauis Ecclesiam Romanam significat, cui præest Petrus, & qui hunc legittima successione sequuntur Principes; alia reliquas omnes Ecclesias repræsentat, quæ Principi Ecclesiæ cõmunione & societate iunguntur, & obedientia. Stantes secus stagnum. Stat IESVS in terra secus stagnum, naues in mari secus stagnum: vtriq; ad mare erant, sed Christus semper in terra viuentium, vnde ad mare nostrum appetit. Naues, id est Ecclesiæ, in mari quidẽ, sed inde ad terram applicantur, vt Christum excipiãt. Sed quid est, vidit? Non quas priùs non videbat, sed in quas suo aspectu diuinam virtutem communicabat, & ex vilibus nauibus in Ecclesias Dei viuentis transformandas designabat. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia sua. Docentur Ecclesiæ Principes & cõcionatores sordes suæ conscientiæ eluere; & ministerij sui impedimenta decutere, vt paratiùs & efficaciùs concionentur, & fructum vberiorẽ & maiorẽ animabus adferant. Ascendens autem in nauim quæ erat Simonis. Iam incipit Christus celebrare nauim Petri, Ecclesiam scilicet Romanam: nõ enim caret mysterio quòd in Simonis nauim ascẽdat, non Iacobi. Rogauit eum à terra ducere pusillùm. Allicit Petri animum; rogat, non imperat, sed suauiter petit, quasi ad illius arbitriũ. Porrò terra viuentiũ Christus, quum in naui esset, recedendum docet à multitudinis terrenæ vsu ei qui cõcionaturus est fructuosè: verùm initiò non longiùs, sed ad cõmunẽ hominũ intelligentiam verba accommodanda, & eorum animos sensim parãdos ad mysteria recipiẽda, & salutẽ animi desiderandã. Et hoc quidem facit Christus ex naui Ecclesiæ: non vult tamen his teneri angustijs suos concionatores, & verbi ministeriũ, sed porrò cessandum ab ijs principijs ostẽdit. Vt autẽ cessauit loqui. Finem vult fieri Christus præparationum, & ad altitudinẽ mysteriorum progrediendum. Dixit Simoni. Qui erat Princeps piscationis, & Ecclesiæ Princeps futurus. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturã. Iubet IESVS vt se authore verbi Dei administratores ad profundam humilitatem cor suum applicent, mente in mysteriorum ecclesiasticorũ & cælestium altitudinem, inde in corda hominum, quæ sunt inscrutabilia, sese insinuantes; ita laxent in capturam retia, & artificium sui ministerij exerceant. Et respondens Petrus dixit illi; Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Recipit spiritum Petrus & virtutem, quã significauerat Christus dum dixit, Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam, & veluti illam cordi imprimit; confidentia verò impletur commemoratione sterilitatis nocturnæ piscationis, & auxilij præsentia: videt se in diuina lu-

Hebr. 1.
Hebr. 4.
Mat. 13.
Mat. 4.
Mat. 16 Ioan. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca



na luce piſcaturum. Ita corde ſuo gerere ſemper debent myſteriorum Dei adminiſtri, ſe nihil poſſe, nihil feciſſe, velle ſe inchoare aliquem fructum afferre in Eccleſia Dei; id ſe facturos in verbo, in promiſſione, in virtute Chriſti IESV. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinē copioſam. Quid verò eſt, cùm hoc feciſſent? Cùm ea cōfidentia, eo ſpiritu & virtute rete laxauiſſent, concluſerunt, &c. Efficax eſt miniſterium ſpirituale, quod nō quaſi ex ſe homo, ſed ex diuina virtute exercet; quaſi ipſe non operetur, ſed in ipſo & per ipſum Chriſtus, & ipſe in Chriſto; atque ita ſe attemperet diuinæ operationi, vt nihil ſe eſſe ſentiat, nihil ſuā cooperationem, ſed totum effectum Deo & ipſius gratiæ tribuat; ſe ſeruum agnoſcat inutilem & nihili, ſe indignum planè qui tantæ maieſtati ac virtuti cooperetur, & cuius cooperationi vim tribuat Deus, ac etiam tantum prouentum in ipſo. Animaduertendū autem Petri nauem aſcendiſſe IESVM, Petro iuſſiſſe vt duceret in altum, ipſi indixiſſe vt laxarent retia: vnde intelligitur vſum Petrū Andreæ fratris auxilio, eius ſocios fuiſſe Iacobū & Ioannem cum ſua nauī, omnes retia laxaſſe in mare, ſolam Petri nauim copioſè expiſcatam: quæ omnia quid aliud quā repræſentant futuram Petri & Eccleſiæ Romanæ maieſtatem & authoritatē vnicam, ex qua aliarū eccleſiarum penderet authoritas, vnde & in alias deriuaretur fidei conſtantia; alias piſcari quidē, ſed per Eccleſiā Romanā, expiſcari ſine illa nō poſſe? Rumpebatur autē rete eorum, & annuerunt ſocijs qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Fiunt efficacia miniſteria vniuerſalis Romanæ Eccleſiæ, ſi particularium eccleſiarum miniſterio commodē vtatur. Habent quidē aliæ eccleſiæ omnes iuriſdictionē per Romanū Pontificē: itaque in Romana Eccleſia vniuerſali concluditur omnis numerus prædeſtinatorū, nec extra eā quiſquā ſalutē cōſequitur: nō tamen propterea ceſſant, vel neceſſaria nō ſunt officia, actiones, & miniſteria aliarum eccleſiarum. Propterea Eccleſia Romana, & eius Præſes Romanus Pōtifex ita debet exiſtimare, ſe quidē laxare retia omnia in Eccleſia & extrahere, ſed ad id conferri oportere operas aliarum eccleſiarum & miniſteria: proinde innuere atque edicere ſemper alijs debent vt ſe adiuuent: ruptum iri rete, & euaſuros multos piſces ſi ſuas facultates non exerceant opportunè & diligenter. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Habent aliæ eccleſiæ ſua officia, miniſteria, ſuos effectus, ſed in reti Eccleſiæ Catholicæ Romanæ implent ſuas eccleſias: piſcantur cum Petro, etiam ſi in alia ſint particulari eccleſia; itaq; expiſcantur ſuos, vt ſuos in Eccleſia Romana particulari Petrus: omnes verò in vniuerſali Eccleſia Romana numerum implent eorum qui fidem recipiunt in Chriſto. Plures eſſe hi non poſſunt de ordinaria Dei poteſtate, quàm qui à Deo ad gratiam Dei Eccleſiæ miniſterio vocantur: itaq; ad ſummum Eccleſiæ implētur, vt plures capere non poſſint; ex his tamen ſoli ſaluātur prædeſtinati. Quod cùm videret Petrus. Solus Petrus videtur ad myſteriū penetrare, & ſentire quòd ad ſe attineant quæ dicebātur, quæue fiebant. Procidit ad genua IESV. Profunda ſcilicet eum occupauit humilitas, & indignitatis ſuæ cognitio ad præſentiam tantæ virtutis atque maieſtatis, & ad myſteriorum, quę ſignificabantur, magnitudinē. Dicēs; Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſum. Ex agnita Dei virtute infinita ſenſus ingeneratur peccatorum adeò efficax, vt ante conſpectum diuinæ maieſtatis nemo conſiſtere poſſit, nemo non ſe ad nihilum redigat animi cogitatione humili. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam acceperant. Vehemēs fuit ille Petri mentis ſtupor, & ſi vis etiā extaſis, in captura quidē piſcium, & ſenſū virtutis Dei viui, ſed ſimul ex ſymbolica ſignificatione futurorum myſteriorum. Similiter ſtupuit Andreas, Iacobus & Ioannes ſimiliter myſterium ſenſerunt; ſocios item Simonis ſtupor apprehendit, non Iacobi & Ioannis: maiori enim ſunt priuilegio in Eccleſia Catholica clericj Romanæ Eccleſiæ Cardinales quā aliarum. Et ait ad Simonē; Noli timere. Placet mihi tua ſummiſsio & humilitas, ſed nolo eā abire in puſillanimitatem, potiùs in animi magnitudinē; & non in tua quidē, ſed in mea virtute & benignitate confirmari & fieri efficacē. Ceterùm tametſi quod dicebat Simoni, intelligebant ad ſe etiā pertinere Andreas, Iacobus, & Ioannes; tamen peculiariter Principi Eccleſiæ futuro animum addidit Chriſtus principalē atque excelſum. Ex hoc iam eris homines capiens. Quod in ſtupore indicauerat Petro Chriſtus, hoc explicat palàm ſoli, rurſum eius principarum in Eccleſiam deſignans.



gnans. Non ſimiliter atque nunc de cetero es piſcaturus; nunc piſces quidem ad mortem perſequeris, de cetero aliam habebis ex me rationem piſcationis: homines piſcaberis & capies ad vitam ſempiternam, quam ego illis dabo per tui officij miniſterium. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſequuti ſunt eum. Oſtēdit Chriſtus Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis vocationem & officium, & quem eſſent ſequuturi; non tamen vocauit, nō indixit vt ſe ſequerentur. Cōcipi quidem animo primùm ſolet ſpiritus vocationis, huius dignitas & vtilitas, & inſeri cordi deuotio; ſimul ſuſcipi impulſus interior, quaſi principia ponat Deus ad perfectionem eundi. Hac gratia vti debemus vt præparatione, & intelligere mundo renuntiandum interiori animi propoſito, etiamſi nondum actu & opere exteriori, donec illa animi deuotione ac promptitudine parati audiamus Dei impulſum, quo omnino promoueamur ad actum illius præparationis & potentiæ. Hæc percipimus ex hoc loco, & alio Matthæi. Audiſtis, fratres, myſteria Chriſti, geſtorū, & ſedis Petri primatus; illorū vis ad corda veſtra penetret. Currite ad Chriſtum, properate, irruite, incitate corda veſtra deuotione, & operum bonitate indies maiori. Stat Chriſtus, expectat vos, atque adeò vos ipſe ad ſe trahit, ad ſe ipſe facit vt curratis, docet vos vitæ æternæ verba ex naui Petri, ex Eccleſia Dei viuentis, primùm quidem propter veſtram ineptitudinem initia ſalutis & perfectionis veſtræ, deinde in altitudinem myſteriorum vos educit. Ibi myſteria vos docet diuina, quibus informati magnum fructum accipitis ſiue meditationis ſiue contemplationis, capitis magnam peccatorum veſtrorum & imperfectionum multitudinem, ea arguitis; ita à lumine manifeſtantur, ita in lumen & vitam mutantur. Hinc concipitis humilitatis profundā quandam deuotionem, vnde vel ſpiritum mundo renuntiandi auidè accipiatis, vel accepta renunciatione in melius indies contendatis, quod per hæc myſteria in vobis Chriſtus operatur. Hæc eſt enim myſteriorum Chriſti efficacia exemplaris, vt geſta eius, quæ ſunt Dei, viua actione ad omnes penetrent, omnibus fructum affectant, iuxta Chriſti IESV meritum, & prouidentiam Dei infinitam: cui eſt gloria in ſeculum. Amen.

Cap. 4.

Ioan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN.

## Compescitur iracundia.

MATTH. V. ANNO XXXI.

*In cxxxij. imaginem adnotatiuncula.* cxxxij. 19.

*A. In monte Thabor Christus docet.*
*B. Mortuus iacet, & ducitur homicida, vt reus iudicio.*
*C. Non hoc solùm, sed qui fratri irascitur reus esse potest etiam iudicio gehennæ ignis.*
*D. Qui dicit racha, contumeliosum verbum, sed anceps, reus similiter esse potest concilio.*
*E. Qui dicit, fatue, nec iudicio, nec concilio sistitur, sed plane gehennæ ignis addicitur.*
*F. Homo qui relinquit munus ad altare, & vadit primùm reconciliari fratri suo.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. V.

IN illo [a] tempore dixit IESVS discipulis suis; Dico autē vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum est antiquis; Non occides: qui autem [b] occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui [c] irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, [d] racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, [e] fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi [f] recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. CHristus sedens in monte Thabor docet Discipulos.*

*B. Quinque circulis repræsentātur ea de quibus agitur in hoc Euangelio. Primùm quidem iacet homo occisus; damnatus ad mortem ducitur homicida.*

*C. Qui irascitur temerè fratri, lædit ꝙ fraternitatis charitatē aliquo signo exteriori, is rē admittit quæ iudicio obnoxia est. Propterea autē iudicio subijci dicitur qui irascitur, quia potest fieri vt irascatur quidem, non tamen consummata sit illa ira, vel perniciosa: & tamen repræsentatur infernus; fieri enim potest, & sæpe fit, vt ira sit crimen lethiferum.*

*D. Concilium iudicum, cui sistitur qui nō solùm irasci videtur fratri temerè, sed in vindictam aliquā prorūpit, & conuitio aliquo appetit fratrem, racha (quod est genus conuitij dissimulati propter vocis ambiguitatē) illum appellans. Nam à רֵיק interiectio est ad indignationē attinens, nihil adhuc iniuriæ explicans; à בָּזַק significat mollem & tenerum; tandem à רִיק vacuum & vanum. Iudicabitur ergo hoc, non ab vno solùm iudice, sed planè à concilio. Peccat videlicet grauiùs, vt qui temerè, qui ex ira, qui fratri videtur iniuriā dixisse. Porrò iudicium & conciliū coniuncta sunt, & per auxesin dicta: sed vt non sunt apertè, vt non semper sunt consummatæ illæ iræ, ita excusatio à lethali peccato obtendi potest à iudice vel à concilio: verū quia peccatum mortiferum videri etiā potest, ideo dicuntur iudicari, & ignis inferni appositè adscribitur.*

*E. Homo qui planè alium accipit contumeliosè, fatuum, siue stultum appellans, vitiū scilicet mentis nobilissimæ partis animæ illi impingens. Hic non dicitur obnoxius iudicio, vel concilio; consummata enim ira sua ipse se ipsū condemnat ad ignem æternum; qui dicitur gehenna, abominabilis scilicet, vt vallis Hennō; nec excusationi aliquid reliquū facit, quare solus inferni ignis apponitur.*

*F. Homo qui recordatus habere fratrē aliquid aduersum se offensionis, relinquit munus suum ad altare, & recedit quærens fratrem, vt illius animū sibi conciliet, & tunc Deo posit munus offerre. Placet enim Deo oblatio è mundo corde profecta, ab immundo non placet.*

## MEDITATIO.

DOmine IESV, libera nos propter nomen sanctū tuum ab omni deceptione, siue extrinsecus illa irrepat, siue proueniat intrinsecus. Decipit nos mundus, peruersi homines, Dæmon; circumuenit nos nostra cogitatio; vigeat in nobis lux tua sancta cælestis, diuina, quæ nos illustret, & ostendat quid vitare debeamus, & faciat eadem in te vt longè à nobis illud depellamus: ita abundabit nostra iustitia, qua iusti per te sumus & in te, plusquam Doctorum legis antiquæ & Pharisæorum; vt nō solùm litteram legis tuæ veteris intelligamus, sed ad eius intelligentiæ spiritualem perfectionem penetremus, & hanc te iuuante exerceamus. Vides, sancte IESV, quàm longè ab hoc gradu absumus, cùm tamen perfectionē vitæ spiritualis simus professi ex votis, ex statu, ex instituto. Quando enim legem veterem, & omnino vetus testamentū spiritualiter percipimus? quando non Psal. 70. cognoscentes litteraturam introimus in potētias & magnitudines virtutis Domini quæ est in illa littera inclusa? quę ex illa elucet, quę nouum testamentum, & legem Dei æternam nobis repræsentat ex illis figuris, ex illa vmbra, ex littera, & quidē ablato iam velamine per te Domine. Age, huc non penetramus, nec meditamur veteris scripturæ sensum spiritualem, quod omittere non deberemus: quid? tuam illam perfectionē nouæ legis suauem, cælestem, diuinam quando vt decet in se meditamur? quando opere explemus? Vel quam nunc exponis de obseruatione quinti præcepti, vbi doces fieri homicidium posse iracundia & vindictæ appetitione; quæ intrinsecus etiam si cōtineatur, ferit tamē odio proximum, quem beneuolentia prosequi debemus. Rursum si iracundiæ accedit verbum quod ad iniuriā possit quis interpretari, hoc vel iudicio, vel cōcilio addicitur. Nam si apertum quis ex animo, præsertim irato, dixerit conuitiū, de eo nihil est quod iudicetur, reum illum prodit gehennæ impotentia, & animi prauitas & operis. Sed vt expleamus tādē hāc tuæ doctrinæ intelligentiam, de tua gratia & beneficio, alia tamen nobis remanent superanda. Nam quotusquisque non identidem irascitur, etiam si non lethaliter ac pernicio-

sè, ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca



sè, neque occidat planè sol super illius iracũdia ? obscuratur tamen & obnubilatur ratio & charitas, debilitatur vita spiritualis & lux; præsertim verò vbi vehemens commotio incessit, non irascimur quidem fratri, non proiabimur in racha, non in fatue, sed hæc mẽti & voluntati violenter se offerunt, & nõnihil attinguntur. Est hæc iracundia, non tamẽ fetè vitium, sed tentatio improba & malitiosa.

*Psal. 88.* Video, Domine, me excusare animi intẽperantiam, sed tu dominaris fluctibus maris; doce me quemadmodum procellam hanc & sedare possim in te si exurgat, & prouidere ne exurgat. Audi igitur. Pax tibi animi comparanda & exercenda est, ac mentis tranquillitas; quam assequêris per me, si me inueneris, qui sum cordis pax vera: me autem inuenies, hoc est in corde tuo ero ego efficax sensus & motus, si tuum statum vitæ tuearis, si omnes tuas actiones obserues, & ad perfectionẽ dirigas per me; omnia autem impedimenta vitæ spiritualis abijcias, nitaris fide, spe, ac charitate, diuinis virtutibus, nitaris familiarissimè modestiæ animi & humilitate: vtaris autem omni studio orationis, non illius solùm

*Luc. 18.* quæ statis horis recurrere solet, sed quoad eius facere poteris assidua & continenti, recondita spiritus intentione, etiam res alias agens. Afferet etiam illa meditatio pacem, si in virtute paupertatis ita leues spiritum, vt nihil possideat cor tuum nisi Deum. Ex virtute castitatis nulla ex re delectationem capias, nisi ex Deo & in Deo. Ex virtute obedientiæ à nullo regi te vel gubernari permittas, præterquam à Deo, & à superioribus tuis in Deo. Si in his rebus ponas studium atque exercitium, pacem cordis inuenies; qua stabilita & confirmata vsu & sensu spiritus, fiet in me, vt ingruente iracundiæ motu vel occasione, præualeat pax mea, nec locum habeat perturbatio. Quòd si, vt est vestra fragilitas naturæ imbecilla, irrumpat nõnunquam iracundia violenter, ad ea confestim est vobis accurrendum quæ pacem conficiebant, vel omnino ad aliquem sensum spiritus qui vos soleat acriùs permouere; ibi enim reperta mea vi diuina, refectis viribus, facilè extrudetis perturbationem. Gratias ago tibi bone & sancte IESV. Verùm hoc mihi tãtùm remanet, de quo cupio à te instrui. Cùm irasci nõnunquam non solùm possim, sed etiam debeam, quo pacto huiusmodi iracundiam concipere absque vitio possim ? Primùm nunquam iram concipias, nisi ex pace spiritus proficiscatur: deinde nunquam irascaris nisi contra peccatum, vel contra id quod cum peccatis complicatũ videris: ad hæc ne præueniat rationẽ ira, sed sequatur; ne dominetur, sed seruiat & obediat. Da, Christe IESV, quæ his paucis verbis declarasti expleam. Ita facias, magne & bone IESV, per tuæ vitæ & mortis meritum. Amen.

# DOMINICA SEXTA
## POST PENTECOSTEN.

Subseruire poterunt huic Euangelio imagines Dominicæ quartæ Quadragesimæ, & earum adnotationes XLII. & XLIII.

ANNO XXXII.

EVAN-



## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XV.

*IESVS autem*

*suis,*
*dixit;*
*turbæ,*
*quia triduo iam perseuerant mecum,*

*Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.*
*Et dicunt ei;*

*Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam?*
*Et ait illis IESVS;*

*At illi dixerunt; Septem, & paucos piscículos.*

*vt discumberent*

*& pisces,*

*& dedit*

*& Discipuli dederunt populo.*

*Et comederunt omnes, Et quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas.*
*manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres.*

*Et dimissa turba ascendit in nauiculam, & venit in fines Magedan.*

MARC. VIII.

ITerum cùm turba multa essent cum IESV, nec haberent quod manducarent,
conuocatis Discipulis,
ait illis;
Misereor super turbam,
quia ecce iam triduo sustinent me,

nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt.

Et responderunt ei Discipuli sui;

Vnde istos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine?
Et interrogauit eos;
Quot panes habetis?
Qui dixerunt; Septem.

Et præcepit turbæ discumbere super terram.
Et accipiens septem panes,
gratias agens fregit,
& dabat Discipulis suis
vt apponerent,
& apposuerunt turbæ.
Et habebant piscículos paucos,
& ipsos benedixit, & iussit apponi.
Et manducauerunt,
& saturati sunt;
& sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas.
Erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia: & dimisit eos.
Et statim ascendens
nauim cum discipulis suis,
venit in partes Dalmanutha.

MEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## MEDITATIO.

SCio te, Domine IESV, misericordiã esse infinitam, benignitatem, clementiam; & hoc cùm considero, quasi meæ incredibilis indignitatis oblitus, apud te audeo de re quasi præsumere: Parce tamen mihi, suauissime IESV, si te ex hoc tuo Euangelio audeo interrogare, vt meum, & omnium qui ad te cõfugiunt, pædagogum clementissimum. Quid est quòd bis miraculum de panibus repetijsti? Volui illustriùs doceri, fidem Sacramenti Eucharistiæ, atque aliorum quæ sciebam oppugnatum iri ab hæreticis, ac peruersi capitis hominibus: & illic quidem monstraui, vnde vis Sacramentorum manaret, hic Sacramentorum etiam numerum expressi. Cur non frequentiùs huiusmodi miraculum edidisti, sancte IESV, vt alia? semel tantùm ediderã, & quærebant me turbæ, quia comederant ex panibus: quid si frequenter panes multiplicassem, nónne essent me quæsituri rerũ temporalium auiditate, non spiritualium? Et tamen non omisi bis illud signum edere propter mysterium duplex. Quorsum autem attinet quòd tam es frequens, Domine, in docenda turba & adiuuanda? Quia in ea sciebam esse quod faciliùs sanaretur, quàm in Principibus & Pharisæis. Illa magna ex parte simplicitate animi ducebatur, conscientia suorũ malorũ, & boni appetitione: hi contrà ferè duplicitate animi, malitia, obstinatione. Quidnam in tuo animo versabatur, bone IESV, vbi turbæ miserebaris? Passionis meæ, & vitæ totius meritum cõmunicabam ijs quorum me miserebar. Itaque meos faciebam illorum labores, pœnam, peccata; quæ est verissima ac summa misericordia. Quo pacto turba tecum esse poterat, qui pax es & tranquillitas infinita, turba verò incondita, inquiera, tumultuosa, non solùm inter se, si homines inter se conferantur, sed etiam si singulorum cogitationes, appetitiones, opera? Turbam ego ad me euocabam interno impulsu, vt ad me veniens, & mecum vnà manens, me audiens, à me iuuaretur, & desineret esse turba, accepta à me pace & tranquillitate, sanatis eorum infirmis. Cur Discipulos conuocas, sciens quòd non haberent quid manducaret turba, & illis dicis; Misereor super turbam? Eos iam destinaueram, per quos mea Sacramenta administrarem; & iam tunc designabam ministros sacræ Eucharistiæ: imprimebam porrò illis spiritum miserationis, quo debebant in primis esse ornati, qui mysteria mea in Ecclesia erant administraturi. Expone mihi, Domine IESV, cur dixeris tam vehementer; Quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt. Res erat noua, & magna admiratione digna, quòd vbique me reijcerẽt Principes, Scribæ, Pharisæi, & me arguerent, me persequerentur & vellent interficere; turba tamen imperita & incondita, neglecto cibo, quasi vitæ suæ oblita, triduo mecum esset, me audiret, me longanimiter sustineret; quod fieri non potuit absque singulari fructu meæ doctrinæ cælestis. Porrò augebat admirationem, simul & miserationem, quòd fame affligerentur, & essent defecturi in via si absque cibo dimitterentur; illi præsertim qui longè venerãt, certiùs essent periclitaturi. Cæterùm semper mihi gratior est ternarius numerus, qui semper in vnitate essentiæ personarũ diuinarum distinctionem mihi repræsentabat. Quid sibi vult autem, bone IESV, quòd tubare permittis Discipulos, & ad suam facultatem spectare, non ad tuam? Iam si ad tuam, nónne erat mirum magis, & grandior permissio, si Apostoli non solùm fidei obliuiscerentur, sed etiam experientiæ quam de quinque panibus acceperant antea? Instruebam ego quidem mea doctrina, miraculis, gestis omnibus Apostolos & Discipulos, & in illis simul Ecclesiam meam, cuius in illorum tubationibus medebar infirmitati, & futuræ illius firmitatis fundamentum iaciebã. Amputabam enim in illis omnium, qui in me erant credituri, fidei inconstantias & tiubationes maiori efficacia & fructu, quàm si nihil hæsitassent. Adde quòd summum mysterium hoc miraculo significabatur, propterea fuit consentaneum vt vehemẽter confirmaretur. Vnum si interrogauero, IESV bone & sancte, reliqua à te pro tua benignitate exspectabo. Quid est quòd nec illi quinque, neque huic septem panum miraculo cõiunxisti potus miraculum? Potus non exigebat miraculum, cùm vicinus esset lacus Genesar, cuius erat aqua salubris. Fuit & illa causa, quòd volui significari, laicis non esse communicãdam Eucharistiã necessariò sub vini vel potus specie. Ago tibi gratias immortales IESV, Dei infinita sapientia, pro hoc & omnibus beneficijs quæ à te accepi de tua benignitate. Amen.

*Clem. Alexan.*

*Ioan. 6.*

*2. Cor. 3. Zach. 12*





# DOMINICA SEPTIMA
## POST PENTECOSTEN.

### Cauendum à falsis Prophetis.

MATTH. VII. LVC. VI. ANNO XXXI.

*In cxxxiij. imaginem adnotatiuncula.* cxxxiij. 25.

*A. Mons Thabor, vbi Christus docet.*
*B. Falsus Propheta docet frequentissima concione, sed deprehenditur lupus.*
*A. Docet IESVS non posse bonam arborem malos fructus, nec malam bonos facere.*
*C. Quod exponitur per spinetum, vnde non possunt ficus vel vuæ colligi.*
*D. Et per tribulos & rubum, vnde item nec ficus nec vuæ colligi possunt.*
*E. Arbor bona dat bonum fructum.*
*F. Arbor mala excinditur, & in ignem mittitur: ita fiet falsis Prophetis, & hæreticis omnibus.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. VII. LVC. VI.

IN illo [a] tempore dixit IESVS Discipulis suis; Attendite à falsis [b] Prophetis qui veniunt ad vos in vestimẽtis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A [a] fructibus eorum cognoscetis eos.

*Non est enim arbor bona quæ [a] facit fructus malos; neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam.*

Nunquid colligunt de [c] spinis vuas, aut de [d] tribulis ficus? Sic omnis arbor [e] bona, fructus bonos facit: [f] mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, [f] excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

*Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

## ADNOTATIO.

*A. CHristus docet in monte Thabor Apostolos.*

*B. Falsus Propheta vel concionator veniens ipse, non missus legitimè. Huiusmodi quidem apparent exteriùs oues, mansueti scilicet, modesti, humiles, fructuosi; verùm si excutias, sunt intrinsecus truculenti & rapaces lupi. Propterea effictus est in circulo, qui lupinam illius pellem prodat esse interiùs: idem apparet in vestis partibus extremis. Audit tamen eos turba, & facilè capitur horum doctrinæ & sanctitatis simulatione. Hos, cum magna animaduersione, esse cauēdos, docet Christus: Primùm explorandum an veniant per se ipsi, non mittantur: si enim nullam missionem prætexant, audiendi planè non sunt, sed prorsus exterminandi: si missos se prædicent non legittima quidem atque ordinaria Ecclesiæ potestate, sed à Deo propter ordinem, ne tunc quidem audiendi sunt, nisi edito priùs miraculo, aut loco scripturæ adducto, qui peculiariter de se loquatur. Hunc tantùm adduxit Ioannes, & Christus, tantùm est adducturus Elias in fine temporum. Miraculum si adducant, tamen est animaduertendum, ne falsum atque effictum illud sit; quod explorari poterit ex veritate doctrinæ: nam si cōtrà doceat, quàm Ecclesiæ doctrina & traditio habet, impostor est ille, & cum suo miraculo, cum sua scriptura reÿciēdus. Hoc verò est quod Christus docet; Ex fructibus illorū cognoscetis eos: è doctrina & huius fructibus quàm mali sint Prophetæ vel Doctores, quàm cauēdi: nam alioquin etiam mores planè deprehendetis per hypocrisin & malas artes effictos. Quòd si facile non sit, doctrinam vel mores discernere, tunc nihilo secius animaduertendum attentissimè, quid tandem pariat doctrina, quid mores denique: non possūt enim diutiùs celari horum impostura & calliditates, nec contrà bonitas animi & veritas obscurari.*

Extr. de hæres. ca. quum ex iniusto.

*A. Siquidem bona arbor facit bonos fructus, mala malos; & planè fit vt ex abundantia cordis os loquatur, & consequatur similis operatio.*

*C. Spinetum, vnde fieri non potest vt colligantur ficus vel vuæ.*

*D. Tribuli, vel rubus, vnde nequeunt ficus vel vuæ colligi. Sunt falsi Prophetæ & hæretici, spinæ, tribuli, rubi, vnde suauitas doctrinæ & veritas colligi non potest.*

*E. Arbor bona & bene fructuosa, cuius foliū non defluit, cuius omnia quæ facit prosperantur.*

*F. Mala & malè fructuosa arbor: huius defluunt folia, sunt mali fructus, & tandē exscinditur, & in ignem conÿcitur comburenda: ita fiet hæreticis omnibus, & falsis Prophetis, nisi resipiscant.*

## MEDITATIO.

Mat. 7. SApienter nobis, vt semper, prospexisti, magne IESV, & docuisti, vt canes & porcos à Sacramētis etiam abigeremus, insolentes scilicet ac mordaces homines, tum eos qui impuritate ac sordibus peccatorum gaudent: itaque vtrosque si canes esse vel porci perseuerent, nec admonitionem salutarem Ecclesiæ audiant, sacris arcemus, etiam si fidem teneant: hanc si non tenerent, etiam sine admonitione anathemate ferimus, cùm ipsi se suo iudicio condemnent. At verò alij sunt nostri hostes magis pernicioſi, & à quibus maius nobis impendet periculum: illi scilicet qui cùm non modò sint canes & porci, sed lupi etiam rapaces, tamen violentiam, impuritatem, rapacitatem, & truculentiam dissimulant ouium cultu, modestia, & simplicitate, & specie fructus. Illic igitur iubes arcendos canes & porcos, hîc grauissimè præcipis, vt attendamus nobis à falsis Prophetis, vt diligenter



genter aduertamus ne nos sua astutia, & fraudulenta dissimulatione decipiant; & cùm se obrendant nobis ouem, fiat illa nobis ouis non solùm canis & porcus, sed lupus etiam rapax. Nihil enim est pestilentius, nihil ad sanandum difficilius, quàm facientem pessima, esse persuasum optima illa esse quæ facit. Atqui hoc conantur falsi Prophetæ efficere, vt persuadeant hominibus sua astutia atque peruersitate, ea esse optima quæ pessima sunt; vt ea deceptione tanquam veritate orthodoxa vtentes, quamplurimos faciant (quod ipsi sunt) non solùm canes & porcos, sed etiam atroces & rapaces lupos. Video, Christe IESV, sæuitiam horum, video perniciem, vehementer ab his de tua gratia & virtute abhorreo, & cupio auidissimè horum calliditates atque peruersitates cognoscere, quo illos & vitare possim, & abigere procul; ne vel mihi, vel alijs noceant. Hoc doce me per spiritum Ioan. 3 tuum, bone IESV. En tibi. Origo & fax fuit Satan omnis mali, omnis crudelitatis, & fraudis, & mendacij: fuit ille quidem bonus, & habuit veritatem initiò, sed statim ex initio ipso superbia & inuidia illum ex illa bonitate & veritate deiecit, & fecit lupum crudelissimum atque rapacissimum. Verùm hoc est aliquando aperto latrocinio, aliquando subdolè & fraudulenter: nonnunquam enim clarè est canis, porcus, lupus, leo, omnem crudelitatem & impuritatem exercet in vos impoenitentem, id me propter peccata vestra ita permittente. Sic ante meum aduentum ferè sæ- Colos. 2. uiebat: sed illum conculcaui ego, vici, atque triumphaui, & traduxi palàm; atrocitatis il- Apoc. 20 lius insolentiam compescui, atque ligaui ad mille annos, hoc est, vsque ad secundum mei aduentus proximum tempus. Sed eius vincula variè illum astringunt, pro mortalium varia animorum indignitate & vitio: ligatus vtcunque est idololatris; non enim est in multis tam valida infidelitas, nam magna ex parte est profligata idolomania; Mahometismus etiam & Iudaismus aliquid habent veritatis: non est igitur illud vinculum illis tam obstrictum. Laxius verò est hæreticis, in quos plus potest Dæmon, atque adeò in hæreticis incipit illa solutio Diaboli vires accipere, quæ in Antichristo consummanda est. In Ecclesia autem mea planè religata est Satanæ vis & peruersitas: nisi vestra culpa aliquando relaxetur, vel nisi tanquam ad canem ligatum accedatis. Si quis igitur meo spiritui insistat humiliter atque studiosè, eum non aggreditur Dæmon aperta dimicatione, sed varijs artibus & dolis hūc circumuenire annititur per suos homines, qui solēt item ipsi suas astutias Dæmonis malitijs adiungere: sæpius etiam quem subuertat per se adit. Nihil tamen initiò palàm mali meorum seruorum simplicitati of- 2. Cor. 11 ferre audet, sed vestit se ouium vestimentis, mansuetudinem, modestiam simulat, spem fructus spiritualis præ se fert; addit etiam falsam quandam & effictam lucem. Hæc est prima congressio: ea simulatione, & efficta boni facie, conciliat sibi animum veræ deuotioni & meditationi assuetum, & quasi docilem & attentum reddit. At animum si est adortus parum in rebus spiritualibus exercitatum, illi eueſtigio incipit illudere, dolo malo, & effictis fraudibus sese insinuans menti, maiorem alium quendam spiritum, lucem aliam maiorem, fructum spiritus vberiorem polliceri; & id omni molimine contendit, vt veram deuotionem cum falsa commutet. Quòd si id consequitur, ibi iam quasi parta victoria, & profligato Angelo tutelari, ærumnosam animam ludificari miseris modis pergit: iam vitæ statum deserere placet, nouam vitæ rationem instituere, in prioribus consilijs tenebræ omnia, in nouis lux omnia apparent: breuiter, regnat Dæmon in anima infelice. Verùm si constantem animam pergit oppugnare, & harum artium scientem, non statim ita impudenter eam aggreditur, sed desideria primùm ingerit maioris perfectionis, successum etiam spirituale procurat; nihil tamen omittit inter hæc malitiam suam exercere, sicubi occasionem aliquam nactus sit: quòd si nihil aliud, in ipsis bonis, quæ ipse suggerit, actionibus inspergit titubationes, insuauitates, diffidentias astutè; vt tandem eò perueniat quò contendit, vt illæ rationes vitæ vel actionum fiant pedetentim insipidæ, atque etiam odiosæ, & placeant alia vitæ & actionum consilia. Aliæ præterea sunt Dæmonis artes perniciosæ, & doli mali, quibus tum religiosos homines, tum seculares impugnat. Illos, vbi sub specie melioris boni debilitat Superiorum suorum præsentem obedientiam, contrarium menti iudicium inferens, difficultatem ingerens præcepti, vel præcipientis authoritatem eleuans: denique hostiliter non cessat suas artes exercere in omnem cogitationem vel actionem hominis religiosi. Seculares verò suis itidem fraudibus aggreditur, qui immu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tabili ſtatu tenentur, vt illum faſtidiãt, alium depereant: ſin liberi ſint, temerè vt eligant vitæ ſtatum, lucem æqualem omnibus inducens, vel clariorem etiam imperfectiori. Eſt alia illuſionis ratio item peſſima, ſi lucem tibi offundat in re difficili, vel dubia, vel periculoſa; & enitatur vt nullum conſulas, & ſolus tibi videaris ſufficere. Poſtremò nunquã fatigatur, nuſquam finem facit ludificandi,
*1. Pet. 5.* ſemper circuit quærens quem deuoret, ſemper etiam venatur per quos vos item decipiat. Ad omnes autem eius peruerſitates agnoſcendas, ſimul & depellendas, illud primùm animaduertite, ligatum vobis eſſe Dæmonem, & niſi vos, vos inquam, illius vincula vel laxetis, vel ſoluatis, nihil vobis poſſe mali afferre, hoc eſt, niſi velitis: quocirca veſtram aliquam neceſſe eſt culpam præcedere, ſi aggredientem Dæmonem vel non agnoſcatis, vel non repellatis. Neque verò miremini ſi vos ligatus aggrediatur aſtutè, cùm me
*Mat. 4.* palàm ſit in deſerto adortus; quem ego tamẽ ſuperaui glorioſè, & illa victoria vires vobis paraui, quibus tentationes veſtras repellere poſſitis, non ſolùm apertas, ſed etiam tectas: at enim vos illum ſoluitis, vel acceditis veſtra voluntate ad alligatum. Ergo danda vobis eſt opera, vt diligenter opera pœnitẽtiæ, non interioris ſolùm, ſed exterioris etiam exerceatis, ne veſtra culpa Dæmon vires accipiat quibus vos oppugnet. Quoniam autem permitto de mea prouidentia, vt dolis Dæmon vos
*Apoc. 3.* appetat, quò vos probem, (vt ſoleo quos amo exercere, & ſic ad meliora prouehere) oportet ſimul peculiari oratione vos eſſe munitos ſemper, qua Patrem meum oretis & me, ne incautos vos & imparatos Dæmon aggrediatur: illud præſertim petatis, vt Dæmonem agnoſcatis eſſe, à quo bonæ inſpirationes offundantur doloſè. Accipite verò ſigna maligni ſpiritus. Boni enim ſpiritus inſpirationes leniter, placidè, vt in ſpongiam, ita ab anima bona recipiuntur: contrà mali inſtinctus duri ſunt, non placidi, ſed violenti, cum ſtrepitu, vt ſolet à petra imber accipi. Rem igitur quæ obtenditur referatis oportet ad cauſam, & quemadmodum in animo veſtro recipiatur aduertite; ita agnoſcetis Dæmonem ſub ſpecie Angeli, Prophetæ, & ouis decipere velle. Sin hoc ſigno non diſcernatis ſpiritum, animaduertite diligenter quò vos ducant illę inſpirationes: ſi enim vel ad infirmitatẽ ſpiritus, vel tũtubationem, ſiue ad ſtatus veſtri, vel boni propoſiti, vel actionum bonarum debilitationem vel mutationem, nihil dubitetis eſſe Dæmonem illum, lupum eſſe ſub ouis veſtimento: abigite lupum cum ſua veſte me authore, extrudite malam beſtiam. Eſt vobis alia via, qua poſſitis calliditates Dæmonis propulſare, ſi non ſolùm à quibus vobis periculum timetis, de ijs vel Superiores veſtros, vel Confeſſarios, vel omnino in ſpiritualibus rebus induſtrium virum conſulatis, ſed de ijs etiam quæ videntur bona, recta, atque ſpiritualia; breuiter, aliquẽ habeatis ſemper paratum, cui totos vos aperiatis: fiet mea benignitate, vti quas vos non agnoſcitis veteratoris Diaboli vafrities, ille perſpiciat, & vos inſtruat atque cõfirmet monitis ſalutaribus. Agimus tibi gratias Domine. Verùm, bone & ſancte IESV, cupio de lupis hæreticis audire. De hac meæ Eccleſiæ peſte, ex his quæ audiſti, hactenus potes intelligere. Similiter faciunt hæretici in euertenda fide, vt Diaboli & peruerſi homines ad mores corrumpẽdos: & initiò quidem pari modo veſtem prætendunt ouinam, lucẽ videlicet intellectus, tum perſuaſionem, & confidentiam; hæc omnia efficta, & ſubdola, & ad ſuorum errorum perſuaſionem accommodata. Sed eſt hæreticorum oppugnatio apertior atque impudẽtior: hi enim vel ſtatim, vel paulatim contra Catholicam Eccleſiam ſuos peſtilentes errores intrudunt. Magna igitur culpa illis præbetur aſſenſus, quo maior eſt lux fidei Catholicæ, traditionis, conſenſus, ſucceſſionis, vnitatis diuinæ virtutis in Eccleſia orthodoxa. Obſeruandumque eſt ad hos falſos Prophetas dignoſcendos & euitandos, primùm an legitti- *Ier. 23.*
mè mittãtur, an verò ſeſe obtrudant: hi enim planè non ſunt audiendi, qui legittimè non mittuntur; qui verò effingunt ſe mitti legittimè, horum primæ excutiendæ veſtes & ſimulationes, quæ ſeſe frequenter produnt ipſæ per ſe. Quòd ſi facilè non deprehendatur malitia; ad effectus eorum vel fructus inſpiciendum diligenter: fiet enim non dubiè, vt fructus falſi Prophetæ illum prodant & traducant; non enim poteſt mala arbor bonos fructus facere: ſic enim omnibus Eccleſiæ ſeculis ſunt obſeruatæ atque deprehenſæ hæreſes. Sancta eſt tua doctrina, Chriſte IESV, ſalutaris, diuina: obſecro te, Domine, vt illam in me facias efficacem, & in vniuerſa Eccleſia tua ſancta. Amen.

DOMI-



# DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

## Villicus accuſatur.

LVC XVI. ANNO XXXIII.

*In cxxxiiij. imaginem adnotatiuncula.* cxxxiiij. 64

*A. Chriſtus ad Bethabaram docens Diſcipulos.*
*B. Homo diues, apud quem accuſatur Villicus quòd bona eius diſſipaſſet.*
*C. Aſtat Villicus triſtis, malè ſibi conſcius, nec ſe defendit.*
*D. Abſcedit miſer, init varia conſilia, tandẽ illud placet, vt partẽ eorum, quæ domino debentur, remittat debitoribus, vnde fiat in ipſum benigni.*
*E. Vni dimittit quinquaginta cados olei è centum.*
*F. Alij viginti coros tritici è centum.*
*G. Significatur colligi ex parabola laudandam eleemoſynam, & hominem qui erogat ſtipem largè pauperibus.*
*H. Eidem homini moribundo aſtant Angeli conſolantes animam, & excepturi è corpore diſcedentem.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. XVI.

D[a]icebat autem & ad Diſcipulos ſuos; Homo quidam erat [b] diues, qui habebat Villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocauit illum, & ait illi; Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Ait autem Villicus [c] intra ſe; Quid [d] faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. [d] Scio quid faciam, vt, cùm amotus fuero à villicatione, recipiãt me in domos ſuas. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo; Quantum debes [e] domino meo? At ille dixit; Centum cados olei. Dixitque illi; Accipe cautionem tuam, & ſede citò, & ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit; [f] Tu verò quantum debes? Qui ait; Centum coros tritici. Ait illi; Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Et ego dico vobis; Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, [h] recipiant vos in æterna tabernacula.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A.* CHristus ad Bethabarã docẽs Discipulos.

*B. Homo diues, apud quem suus Villicus fuit delatus, quòd bona eius dissipasset; sed & assistunt amici: vocato autem Villico, ab eo exigit rationem villicationis seuerè; Redde rationem tuæ villicationis; & iam primùm abrogatum sciás tibi tuum munus, amplius villicare non poteris.*

*C. Astat tristis & amaro animo Oeconomus, neque quicquam respondet, accusante & damnante eum peccati conscientia.*

*D. Abscedit miser, videt se esse in vltimam calamitatem redactum, non posse idoneam reddere rationẽ: init secum varia consilia, tandem rationes eius omnes eò redeunt: Priuor mea administratione, non possum operis & labore victum parare, erubesco stipe emendicata victitare: illud tantùm fit mihi reliquũ & facile pecuniam Domini remittam debitoribus: ita fiet vt in me ipsi sint benigni, & ego meam paupertatẽ illorum erga me benignitate sustentem.*

*E. Debitor, cui remittit Dispensator è centum quinquaginta cados olei. Ea est mensura Hebraicè bath, continens septuaginta duos sextarios: continet verò sextarius binas cotulas siue heminas, quas vulgo vocant pintas.* Ioseph. Ant. cap. 2.

*F. Alius cui dimittit viginti coros tritici è centum. Est autem corus aridorum mensura, capiens medimnos Atticos vnum & quadraginta, & capit medimnus duos modios.* Ioseph. Ant.

*G. Homo qui erogat prolixè eleemosynam in pauperes, quem laudat Dominus quòd prudẽter fecisset.*

*H. Idem moriens, cui assistũt cum suis Angelis animæ quibus benefecerat, illius animam receptura morientis. Eò enim spectat parabola, vt qui sunt peccatores, saltem eleemosynis redimãt peccata sua. Dicuntur verò diuitiæ mammona, non Hebræorum sed Syrorum lingua, quæ de iniquitate collectæ sunt: interpretatur verò Christus diuitias omnes, quas peccatores possident, esse mammonam; quibus scilicet indigni sunt: ne quis intelligat ex pecunijs malè acquisitis & aere alieno dari facultatem eleemosynas faciendi.* Hier. 6. quæst. ad Algasiã.

## MEDITATIO.

SVM ego Villicus tuus, Domine Deus meus; audio, & scio, & sentio: accepi à te bona quæ habeo, quæ tua sunt, & ea dedisti in manus meas in te gubernanda, ad gloriã tui nominis; vnde etiã mihi parem vitam meam sempiternam. Nec solùm mihi naturalia bona dedisti, animã, & potentias meas, per quas sum & possum naturaliter; sed bona mihi præterea dedisti supernaturalia, virtutes scilicẽt & dona, quibus esse habeo cæleste & facultatem: sum quippe Christianus, sum factus filius tuus adoptiuus, frater Christi Domini & Dei nostri. Neque his fuisti contentus, benigne Domine, in gratiam etiam religiosi instituti me tam immeritum recepisti, multis donis, multis visitationibus exornasti atque exhilarasti. Quæ omnia cùm considero, & vtinam ita considerem vt debeo; dum igitur hæc considero, & quemadmodum his sum vsus animaduerto, in summam venio animi mei confusionẽ. Videó enim me apud tuam iustitiam esse diffamatum, & variè delatum, & hoc quidem verissimè: accusat enim me mea conscientia atque condemnat, sentio me tuis donis indignum, è tua villicatione reiectum, omnis consilij & opis prorsus expertẽ; iustissimè exilium cordis, & omnem desolationem patior. Quid faciam miser? Nihil enim possum sine te, Domine, qui meo demerito, & tua iustitia abiecisti me. Fodere nõ valeo. Voluntatem quidem tu mihi, Domine, fecisti reliquam, qua vellem etiam abiecta facere & laboriosa, id est pœnitentiæ asperitatibus & abiectionibus sustentare vitam spiritualem: verùm hoc videor non posse conari in hac desertione tua, iacet animus, languet, stupet. Mendicare erubesco. Oratio mihi residua esse videri poterat, qua ad te, qua ad Sãctos tuos me conuerterem: hoc etiam præsidium timeo ne tua destitutione ereptum sit mihi, neque audeo ad te, quem tam variè offendi, confugere; operuit enim confusio faciem meam: ad Sanctos tuos accedere erubesco; scio enim illos zelo tui honoris & iustitiæ esse feruentes. Videó tamen, Domine, quænam sit tua voluntas in his angustijs; vt me dedam pietatis operibus & iuuando proximo: video consilium tuum, vt quod ferè negligebam, saltem mea necessitate excitatus faciam diligentius; hactenus enim errani, nam Psal. 68.



nam potiùs fui in me iuuando, neglecto ferè proximo, hoc est non curando bona quæ dederas mihi administrãda in villicatione mea, quæ est de tuis ouibus & prædijs. Et primùm quidem Missas, orationes, corporis afflictiones, & pia alia opera offeram pro animabus purgatorij. Secundo loco eadem offeram pro pœnitentijs debitis proximi mei, & vita in melius commutanda. Terriò adducendis hominibus ad confessionem & eius frequẽtiam dabo operam diligentem. Quartò alijs ministerijs iuuandi proximi incumbam studiosè: &, vt breuiter dicã, propriè ad me intelligam attinere parabolam. Nam ex instituto habeo compertum, quæcunque accepi dona à te, Domine, ea omnia propterea accepisse me, vt in meam & proximi salutem & perfectionem illis vtar, ad maiorem nominis tui gloriam. Quod vel non feci, vel negligenter feci, vel paruo cum fructu feci & repugnãter. Obsecro Domine, parce peccatis, parce negligentijs meis; & da primùm vt de tuis donis & bonis ne faciam mammonam iniquitatis, contra tuam voluntatem illis abutens, vel ea inutiliter retinens: & exhibe, clementissime Pater, ex eo quod hactenus fateor fecisse me iniquitatis mammonam, vt quamplurimos iuuem, & ad salutem ac perfectionem promoueam; ita fiet vt iuuer ego in meis desolationibus ac miserijs, & tandem recipiar ad vitam sempiternam. Amen.

# DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

De huius Euangelij duplici historia descriptæ sunt suæ imagines superiùs.

EVANGELIVM DOMINICÆ IX. vide in Dominica in Ramis palmarum.

ET ADNOTAT. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. LXXXVIII.

ANNO XXXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA DECIMA.

## POST PENTECOSTEN.

De Phariſæo & Publicano.

LVC. XVIII. ANNO XXXIII.

*In cxxxv. imaginem adnotatiuncula.* cxxxv. 90.

*A. Chriſtus in templo, in porticu Salomonis docens.*
*B. Magnifici quidam homines, qui alios aſpernabantur præ ſe, & alia multitudo audiens.*
*C. Templum cum atrijs.*
*D. Phariſeus proximè ſtans ad ianuam atrij Sacerdotum, arrogantiſſimè & ſtultiſſimè orat.*
*E. Publicanus longè ſtans tundit pectus, & oculos non audens tollere in cælum, humillimè orat; Deus, propitius, &c. redit domum iuſtificatus, contra quam Phariſæus.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. XVIII.

Dixit autem & ad quoſdam qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam; Duo homines aſcendebant in templum vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat; Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri; velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens; Deus, propitius eſto mihi peccatori. Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuã ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.

ADNO-



## ADNOTATIO.

Gerſon Pandec.

*A. CHriſtus cum Apoſtolis in porticu Salomonis, vbi hanc parabolam dixit, poſtquam receptus fuerat gloriosè in ciuitatem.*

*B. Ante ipſum magnifici quidam homines, qui in ſe confidebant quòd iuſti eſſent, & reliquos aſpernabantur. Alia multitudo, quam illi contemnebant præ ſe.*

Act. 21. 24 & 26.

*C. Templum, (nam atria etiam ſub nomine templi continebantur) vbi arrogans & vanus Phariſæus ad oſtium atrij Sacerdotum & holocauſti ſtat, erectis in cælum oculis: orat autem apud ſe inſolentiſſimè. Conſidera, antequam verba audias, inſanam hominis confidentiam, inde barbaricam arrogantiam, omnium aliorum hominum contemptum præ ſe: ſe iuſtum, bonis operibus abundantem, alios omnes ſceleratos, & vitijs omnibus coopertos. Venit dein ad verba; Non ſum ſicut cæteri homines, &c. O hominis peruerſitatem intolerabilem!*

*E. Publicanus cum ſuo marſupio & tabulis collybiſticis, implicatus ſcilicet negotijs pecuniarijs & lucris, quod exercitium ferè nunquam ſine peccato fit. Hic contrà planè quàm Phariſeus orat: primùm agnoſcit ſe coram diuinitate peccatorem; pudore & peccati conſcientia confuſus ſtat longè, non audet in cælum oculos leuare, exit in ſigna pœnitentiæ, tundit pectus vt cor compungat, petit à Deo veniam & ſimpliciſſimè & humillimè. Deus, inquit, propitius eſto mihi peccatori. Hæc Publicani oratio cælos penetrauit, & ei peccatorũ veniam conciliauit. Sunt hæc quinque verba efficaciſſima, præſertim ſi ea ad quinque Chriſti vulnera referamus, ſimiliter animo contriti vt Publicanus. Illam orationem damnat Chriſtus, vt arrogantiæ & ſtultitiæ plenam; hanc laudat, vt humilem, & deuotè ſapientem: illum pronunciat non deſcendiſſe iuſtificatum, deſcendiſſe telonarium. Similem elationem, & arrogantem magis & barbaram, moriens Lutherus euomuit.*

## MEDITATIO.

EHeu meam miſeriam! Non agnoſcebam ego me Phariſæum, ſum tamen, Domine IESV, & fui: aperuiſti tu ſenſum mihi, quò in me Phariſaicam conſpiciam ſuperbiam & arrogantiam, peſſima illa vitia; tum meam in me confidentiam, & aliorum contemptum præ me. Quando enim ego (omitto alia vitia quibus repletus ſum) ſed quando ego in operibus etiam bonis non me magna ex parte

Luc. 17. ſentio? Quando pleno corde dico, ſeruus inutilis ſum, è voluntate tua ſi quid ago? Quando quò magis in bona actione verſor, eò magis in diuina gratia & virtute abſorbeor? Quando

Gal. 2. illud experior in ſpiritu, quod Paulus tam conſtãter ſcripſit, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus? vel quando ſubdo, quod eſt planè conſectarium, eſſe quidẽ certè deberet; Operor ego, iam nõ operor ego, operatur verò in me Chriſtus? vel quando omnem oſtentationem, & omnem finis imperfectionem depello? Rurſus verò nouiſti tu, Domine IESV, cordis mei perpetuam inſolentiam: meæ actiones, cogitationes, opera mea ferè omnia mihi arrident & placent deliciosè, nihil in illis video imperfectionis, nihil mali: aliorum contrà vel non conſidero, vel non placent, vel diſplicent; etiam ſi non voluntate forſan mea, habitu tamẽ quodam, & animi auerſione, quam è malo principio proficiſci neceſſum eſt. Sat dixi, vt quid hæc multiplico? Tu, ſancte IESV, ſcis peccata mea eſſe multa & mala, meas imperfectiones & infirmitates tu noſti, ego non agnoſco, cæcutio in omnibus. Illumina cor meum, IE- Pſ. 138.
SV bone, vires inſere cordi & potentijs meis, & doce me quo pacto hæc mala poſſim euadere. Ex hoc Euãgelio nunc te erudiam. Cane igitur orationem Phariſæi ne imiteris, illam Publicani amplectere; atque adeò contrà quàm fecit Phariſæus tu ora. Ille, Gratias ago quòd non ſum, &c. Sua arrogantia incredibili ductus, ſingularem illam ſuam iactantiam & animi peruerſitatem Deo fert acceptam, quaſi eius malitiæ auctor eſſet Deus: tu modeſtia animi, atque humilitate cordis, ex te nihil boni in te agnoſce; quæ à Deo beneficia accepiſti, ea te tua improbitate corrumpere ſemper, nec percipere quemadmodũ à Deo proficiſcantur, vt ex infinito illo fonte omnis miſericordiæ & gratiæ fluant, illius eſſe Iac. 1. 1. Cor. 12 dona. Si quid habes boni vel benefacti, Deũ lauda, te vitupera de tua indignitate, de tua inutilitate, de tuis peccatis; & tantum abſit vt Dei benignitate abutaris ad contemptionem alio-

Universidad de Deusto
Biblioteca



aliorum hominum, vt contrà te reliquis hominibus, quotquot sunt, viliorem deputes ac deteriorem; tuis omnia illorum peccata su-
*Mat. 7.* perari; festuca sint omnia omnium peccata in oculis tuis, tua ingens trabs: hac ratione te para ad imitationem orationis Publicani. Sta
*Ps. 129.* verò longè, vt de profundis ad me clames: non enim audio ego, si quis ad me accedit, sua incogitantia atque arrogantia erectus, sed qui ex profunda cordis sui humilitate quàtò longiùs recedit, tantò accedit propiùs, & magis à me exauditur. Tu te indignum reputa non solùm vt ad me accedas, sed vt in cælum audeas præ confusione & pudore peccatorum suspicere: totum te occupet tuæ vitæ & peccatorum turpitudo. Corripe verò peccata tua, contunde & contere cor tuum, decute omnem peccandi affectum; & facto principio nouo fidei in me, & spei, & deuotionis contra peccata tua, Publicani quinque verba dicas ad quinque mea præcipua vulnera, quæ pro te in cruce accepi, illa eò referens, quasi nunc videas illa vulnera infligi, vnde vim recipiãt. Deus, qui pelagus es infinitum infinitæ substantiæ, virtutis, misericordiæ, pietatis: nam idem es Deus cum Patre & Spiritu sancto, es simul idem Dominator, Dominus omnis creaturæ; merito item tuæ passionis & mor-
*Mat. 28.* tis, data est tibi omnis potestas in cælo & in
*Ezec. 18.* terra: potes igitur omnia, nec vis peccatoris mortem, sed vt conuertatur & viuat. Propi-
*Rom. 3.* tius es tu Domine; scio enim quòd te proposuit Pater tuus propitiatorem pro omnium peccatis: vtere tua propitiatione in me; non potuisti enim propiùs ad nos venire vel fieri, qui non solùm nostram humanitatem, labores, pœnas assumpsisti, sed mortem etiam nostram. Ita fuisti verum propitiatorium, in quo *Rom. 3.* Deus ad nos veniret propè misertus nostri, ac delens peccata nostra per te. Esto: es tu quidem omnibus mortalibus propitius, quod ad te & tuæ mortis meritum attinet; mihi etiam applicasti tuæ passionis meritum, si ego eius vim non repellam, si ego adhibeam quæ à me requiris adduci, & iuues vt adducam, quò remissionem peccatorum recipiam. Ecce, Domine, pœnitet me peccatorũ omnium, omnia detestor, ab omnibus propono deinceps te iuuante cauere; volo confiteri illa Sacerdoti tuo, & ad eius arbitrium de illis satisfacere: me totum tuæ bonitati & voluntati trado; Propitius esto mihi peccatori. Sum quidem profligatissimus peccator, & perditissimus, sed tu pro huiusmodi etiam mortuus es, in his sanandis maior est tua misericordia, maior gloria. Scio me non percipere peccatorum grauitatem, nõ intelligere quid tandem sit Deum offendere: da mihi, benigne IESV, hæc omnia, vt ita nunc saltem adhibeã, quantum sit satis ad remissionem omnium peccatorum meorum. Deinde augeas hæc omnia in me, vt maior indies accrescat gratia remissionis tuæ & virtus; qua possim & certiùs & faciliùs peccata deinceps vitare. Ita fac, sancte & magne IESV, per nomen sanctum tuum, quod est ineffabile, per vitam, per passionem, per mortem & resurrectionem tuam. Amen.

DOMI-



# DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

## Sanat IESVS surdum & mutum.

MAR. VII. ANNO XXXII.

*In cxxxvi. imaginem adnotatiuncula.* cxxxvi.

62.

*A. Tyrus vrbs.*
*B. Et ad vigesimum milliare Sidon.*
*C. Sarepta ad nouẽ milliaria à Sidone versus Tyrum.*
*D. Christus iter faciens trans Iordanem, per mediꝰ fines Decapoleos.*
*E. Non longè à mari Genesar offerunt illi surdum & mutum sanandum.*
*F. Ducit illum IESVS à turba seorsum, & immittit illi digitos in auriculas.*
*G. Exspuens in palmam suam, tetigit saliua linguam eius, & dixit illi; Ephphethah.*
*H. Audit & loquitur rectè surdus & mutus.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. VII.

ET iterum exiens de [c] finibus [a] Tyri, venit per [b] Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines [d] Decapoleos. Et [e] adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in [f] auriculas eius, & exspuens [g] tetigit linguam eius; & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi; Ephphethah, quod est, adaperire. Et statim [h] apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & [h] loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plùs prædicabant, & eò ampliùs admirabantur, dicentes; Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

## ADNOTATIO.

*A. VRbs Tyrus, & ad vigesimum quintum milliare.*

*B. Sidon, ad Septentrionem: vtrag, maritima: in tribu Aser Sidon, etiam si non obtinuerint eius possessionem Israëlitæ; Tyrus non erat in continenti, cùm diuisa esset terra.*

*C. Sarepta oppidum ad nouem milliaria à Sidone Tyrum versus. Ex his finibus, sanata filia Cananæa, egressus per Sidonem, ad eam scilicet extendens iter, deinde inter medios fines Decapoleos IESVS venit ad mare Tiberiadis, contra Bethsaidam & Capharnaum, vbi satiauit postea quatuor hominum millia septem panibus. In hoc itinere sanauit hunc surdum & mutum.*

*D. Christus iter facit trans Iordanem per medios fines Decapoleos. Est autẽ Decapolis regio decem vrbiũ, trans Iordanẽ, circa Hippum, & Pel-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Lib. de locis Hebr. Lib. 5. cap. 16. Mar. 5. & 7. Mat. 4.

*& Pellam, & Gadaran; ita Hieronymus: Plinius verò post Iosephum in numero non easdem vrbes obseruat, qua in re dicit fuisse varietatem. At video vnam illam regionem Decapolim à Marco significari, vt etiam innuit Matthæus, & aliam fuisse à Galilæa; vt decem vrbes in diuersis regionibus sparsas non fuisse Decapolim hoc loco significet Marcus, tum illud, Decapolim trans Iordanem esse. Nam Gerasenorum regio erat trans Iordanem, vbi Christus fuit cùm insignem illum Dæmoniacum sanauit; qui tamen cum Christo non transfretauit, sed, vt à Christo intellexerat, cœpit prædicare in Decapoli, quæ ad montem Antilibanum spectat, post quem introrsum esse Decapolim tradit Plinius.*

*E. Non longè iam erat à mari Genesareth, vbi adducunt ad eum hominem surdum & mutum, & obnixè eum rogant, vt illi impositâ manu salutem afferat.*

*F. Seducit illum IESVS à turba seorsum, & immittit digitum vtriusq; manus vnum in eius auriculas. O felices aures quas digiti Christi tetigerunt, & quas eius digitus, id est Dei potentia, sanauit! Immitte, benigne IESV, digitum tuum in aures nostri hominis interioris obtusas & surdas, vt gloriâ tuam & Patris, quam enarrant cæli, terra, orbis, visibilis & inuisibilis creatura, quam gratia & redemptio tua copiosa proclamant, audiamus.*

*G. Spuit præterea IESVS in volam manus, intingit digitum in saliuam, deinde tangit digito saliua imbuto exertam muti linguam, suspiciens in cælum ingemit, & dicit, ephphet hah, ita enim Marcus ex Chaldæo* אפתה ἐφφαθά, *per syncopen dempto è medio Thau, & duplicato* פ *propter daghes, & mutato* ה *in* א. *Latinus interpres omisit alterum φ, in alijs imitatus est Græcum; significat verò aperire.*

*H. Surdus & mutus recepta salute audit & loquitur perfectè, mirantur turbæ; ipse gratias agit Christo. Imbue, obsecro Domine Sancte IESV, tua saliua & gustu linguam nostram, vt ex interno sensu, & spiritus suauitate, tuum sanctum nomen laudemus in secula. Sed quid hic est noue rei? Cur ingemit IESVS, quod non legitur nisi bis fecisse, hic, & sequenti capite Marci? & ibi quidem ad Pharisæorum duritiam cordis deploratam ingemuit, sed hic cur nam? Vt ostenderet difficultatẽ sanitatis spiritus in ijs, qui nec auditum habent interiorem, nec linguæ officium ad orationem exercent.*

## MEDITATIO.

O Beatum te surde & mute. Felicem tuam surditatem & infantiam, faustas aures & linguã, quas Christus Dei filius & virtus suis digitis tetigit, sua saliua inunxit, sua potentia sanauit. Quid igitur? quid antequam sanitatẽ reciperes, quid in ipsa sanatione, quid postea sensisti in te? explica nobis rem totam, bone surde & mute. Audite ergo. Non audebã ego ad Christum accedere, quòd nec illum rogare mutus, nec audire si quid mihi loqueretur surdus poteram: cupiebam quidem sanari, incipiebam etiam interiùs audire Christum; ipse enim mouebat silenter cor meum, & ad se fidemque sui alliciebat: incipiebã item aliquid illi loqui silentio, & respõdere ad internam illius vocem; itaque turbæ omnibus signis capitis, manuum, linguæ, innuebam vt me ad IESVM adducerent. Adducunt, sistunt ante bonum IESVM, deprecantes vt mihi manum imponat, credentes futurum id quod ego credebam, vt illa manuum impositio fieret mea sanatio. Vidit IESVS illorũ & meam fidem, & ampliori me prosequutus est benignitate: non imponit enim solùm manũ, sed me abducit primùm à turba, quod non tantùm fecit exteriùs, sed interiùs etiam segregauit me à turbis mearũ cogitationum, & ab alterius turbæ contagio: animo meo videlicet attulit primùm peccatorum contritionem, deinde pacem & tranquillitatẽ, quod ego tum primùm sensi in me fieri, cùm me apprehendit manu sua IESVS, & abducere cœpit seorsum; quasi viderem à mea & mundi malitia me separari: ego verò sequebar volens, lubens, magna animi suauitate delibutus. Euge bone surde & mute. Ergo te manu tenebat IESVS, te ducebat, te segregabat ab omni & turba & turbatione. Quid præterea intelligebas fieri illa separatione? Diuinam Christi in me familiaritatẽ & benignitatem: vnde augebatur in me fides in IESVM, & fiduciæ robur, & amoris suauitas. Quanquam postea percepi illud simul insinuari, qui surdus ad vocem veritatis est, & ad orationẽ mutus, nec quicquam vel audit vel loquitur è sensu spiritus sui deuotè, cum esse admonendum vt à peccatis primùm, à malis occasionibus veluti à turba secedat, quo curetur à Christo. Sic eras animo iam & cogitatione affectus: quid præterea sensisti vbi in aures tuas filius Dei diuinos digitos immisit, vbi suo sputo linguam tuam tetigit, postquam in cælum suspexit, ingemuit, & dixit, adaperire? Audite Dei in me mirabilia. Vbi me secretò apud se abduxit, non sanauit statim, sed parauit animum meum ad diuinũ beneficium recipiendum: tangens quidem aures meas digitis suis, excitabat meam fidei imbecillitatem, infundebat non animo solùm, sed auribus, & corpori meo mirabilem quandam vim & suauitatem: quasi se agnosceret natura à Creatore suo tangi, & in melius renouari, & veluti exultaret. Vbi verò saliua sensi imbui linguam meam, animæ meæ gustum aduerti immutari in me, expelli noxium rerum humanarum, conciliari rerum spiritualium iucundum & salutarem saporem. Tactus vterque spiritum quendam excitabat in me, qui interiori quadam significatione declarabat non esse illos digitos, illam saliuam hominis tantùm, sed simul Christi, Dei omnipotẽtis, salutis sempiternæ. Erectus eram summa animi expectatione, & attendebam totus in alias Christi operationes: mouit verò me vehementer vbi ad cælum suspexit, & quasi me leuauit ad mysticam diuinitatis prægustationẽ: gemitus autem, vt perciperem illum Dei gemitum ad me attinere, meumque gemitum efflagitare; innuere alioqui quàm sit difficile animum curari qui nec audiat verba veritatis & salutis, & mutus ad orationem sit: hæ erant præparationes. At verò cùm dixit, Ephphethah, id est aperire, illæ omnes præparationes, & quasi motus ad salutem & animi & corporis mei suam sunt perfectionem consequutę; Ps. 117. apertæ sunt iustitiæ portæ, & ingressus audiui potentias Domini, confessus sum Domino, Psal. 70. & recordatus sum iustitiæ Dei solius; incepi vndique audire magnalia Dei & virtutes eius, quæ continenter facit & operatur: animadueerti creatum in me interiorem auditũ cordis & mentis meæ, simul suauissimus accessit exterior auriũ auditus & perfectissimus. Fecerunt hæc dona Dei vt intelligerem mirabilia quæ fecerat in me benignus & magnus IESVS. Etenim ante hæc omnia intellexeram peccatorum meorum remissionem præcessisse; tum verò lingua suo vinculo soluta, cùm interiori, tum exteriori, exultauit ad laudem & gloriam Dei & Christi eius prædicandam, repleta est cælesti dulcedine, gustauit & vidit Psal. 33. quàm bonus, quã suauis est Dominus, exiit in gratiarum immortalium actionem, celebrauit Dei in me miserum & abiectum hominem misericordiã. Sed quid est quòd tam studiosè hæc intelligere voluisti? cauete ne aliqua sit cum auiditate hac vestra coniuncta curiositas; incumbite in imitationem mei. Putatis non esse vos surdos & mutos? Si ita existimatis, ibi verò magis estis & surdi & muti. Quis enim ex vobis nõ habet cordis aures ad veram & claram Dei vocem occlusas? quis inspirationes bonas spiritus agnoscit? quis contrà malas auertatur & reijcit? quis ad interiores aurium spiritualium delicias puras & sanctas attingit? quis præterea est assequutus vel exercet suauem illum & viuacem gustum vitæ, passionis, mortis, resurrectionis, & aliorum mysteriorum Christi? quis gratiæ percipit & virtutum fragrantiã? quis contrà turpitudinem peccati & fœditatem penitus abominatur? quis porrò ex gustu & auditu spirituali loquitur? quis non potiùs aridè verba sua effutit, & in aërem disperdit? quis in verbo non offendit? Omitto alia innumera- Iacob. 3. bilia in hoc genere: vno tantùm verbo perstringam vestram tepiditatem & inconstantiam. Vobiscum similiter se gessit Christus atque mecum: eratis in turba seculi, surdi & muti, segregauit vos Christus ex ea turba per vocationẽ religiosam, per exercitia spiritualia: in eo recessu tetigit & aperuit aures vestras, vt verba eius audiretis & mysteria: addidit gustum consolationum spiritualium, cum facultate meditationis & orationis: rursum verò confirmauit hunc secessum, hæc dona per religionis ingressum; ibi continenter auget, nisi vos impediatis. Ad dona Dei ne sitis desides, illis vtimini, illis cooperamini, ne in magnum iudicium incidatis. Gratias tibi ago, magne & sancte IESV, quòd me tam fructuosè per surdum & mutum docuisti: fiat, obsecro, efficax in me hæc doctrina. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Incidit in latrones viator.

LVC. X. ANNO XXXII.

*In cxxxvij. imaginem adnotatiuncula.* cxxxvij. 33.

*A.* Capharnaum, vbi Legisperitus tentat IESVM.
*B.* Reges & Prophetæ desiderantes videre quæ Discipuli videbant, & non viderunt.
*C.* Hierusalem ad occidentem.
*D.* Hiericus ad orientem: in medio spatio mõtes Dommim, vbi viator incidit in latrones.
*E.* Adoriuntur viatorem latrones, spoliant, vulnerant, & semiuiuo relicto abeunt.
*F.* Præterit miserum hominem Sacerdos illaciter faciens.
*G.* Similiter Leuita.
*H.* Samaritanus autem videns, venit ad eum: alligat vulnera eius, &c.
*I.* Impositum iumento ducit in stabulum.

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. X.

IN illo tempore [a] dixit IESVS Discipulis suis; Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quòd multi [b] Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderũt; & audire quæ auditis, & nõ audierunt. Et ecce quidã Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens; Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum; In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi; Rectè respondisti. Hoc fac, & viues. Ille autem volens iustificare se ipsum, dixit ad IESVM; Et quis est meus proximus? Suspiciens autẽ IESVS dixit; Homo quidam descendebat ab [c] Hierusalem in [d] Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eũ, & [e] plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Accidit autem vt [f] Sacerdos quidam descenderet eadem via; & viso illo præteriuit. Similiter & [g] Leuita cùm esset secus locum, & videret eum, pertransijt. [h] Samaritanus autẽ quidã iter faciẽs, venit secus eũ, & videns eũ misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundẽs oleũ & vinũ: & [i] imponẽs illum in iumentũ suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait; Curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego cùm rediero reddã tibi. Quis horũ trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit; Qui fecit misericordiã in illũ. Et ait illi IESVS; Vade, & tu fac similiter.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A. DOcuit IESVS quæ hoc Euãgelio continentur in ciuitate Capharnaum ad mare Galilææ; ibi Legisperitus tentans interrogat Christum.*

*B. Hinc Reges, illinc Prophetæ manus in cælũ tendunt, quasi dicant; Vtinam disrumperes cælos, & descenderes; Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustũ; aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Desiderabant quidẽ vehementer videre diem Christi, & non viderunt tamen.*

*C. Hierosolyma ad occidentem.*

*D. Hiericus ad orientem ad vigesimum lapidem: in medio spatio montes Dommim, & nemora in quibus latrocinia & cædes fiebant frequenter: in his montibus refertur ex parabola incidisse viator in latrones, cùm Hierosolymis discedens Hierichunta iter haberet.*

*E. Adoriuntur latrones viatorem, dispoliant, crudeliter vulnerant, abeunt deinde semiuiuo relicto.*

*F. Sacerdos suo corporis cultu, qui vidẽs vulneratum & miserum hominem, præcrit illum tamen, nec misericordia prosequitur.*

*G. Similiter facit Leuita.*

*H. Samaritanus veniens ad eum, & videns tantam crudelitatem, & hominis miseriam, misericordia commotus, ex iumento descendens ad illum accedit, medetur vulneribus vt potest, infuso vino ad expurgandum, oleo ad leniendum & sanandum.*

*I. Impositum suo iumento ducit ad stabulum, id est ad publicum hospitiũ, & collocat in hospitio, & quod supererat diei tum nocte illa eius ipse per se curam agit: deinde cùm necessariò esset discessurus, prolatis duobus denarijs, id est octo caroleis cum quaternis denariolis, qui faciunt septem solidos vulgares, eos dat hospiti, & illius vt curam gereret cõmittit: ne dubitaret vltra acceptum argentum siquid opus esset erogare, se illi redditurum quicquid supererogaret. Fœcunda sensibus est hæc parabola; sed quia non licet multa in adnotationibus commentari, illud excipiamus. Incidimus in latrones, quoties è vita spirituali, quæ in visione & perceptione diuinæ pacis versatur, declinamus in mundi instabilitatem, nec tenorem spiritus tenemus: ibi incurrimus in Dæmonum latrocinium, & vitiorũ plagas. Hæc ferè cùm continenter fiant, cõtinenter ad Samaritanum Christum accurrendũ est, qui nostri misertus curet vulnera, curã nostri gerat tum per se tum per Angelos & Sanctos, tum per Ecclesiæ ministerium. Agnoscamus autem nihil nos posse homines iuuare sine Christo, in Christo posse: huic fidamus in nostris ministerijs, & viribus, & industria, sine hoc nulli.*

## MEDITATIO.

SIs tu, Domine IESV bone & magne, in secula benedictus. Amen. Aperuisti mihi hodie mirabilia de lege tua, fructũ quò aspirare debeamus in oratione. Nã te cùm in te non videamus in hac mortalitate; lucẽ enim habitas inaccessibilem, quæ lux tu es, & substantia tua lux est infinita, aliam nobis gratificaris lucem, alia videnda; quæ non sunt id quod tu, significationem tamen dant illius tuæ infinitæ lucis, & tui. Lux hæc creata quidem est, sed supra omnem naturalem lucem est, & donum tuum est, in quo significatio datur tuæ infinitæ lucis & tui modo ineffabili. Dissipat hæc lux mentis cogitationes prauas, ignorantias illustrat, difficultates expellit importunas, exstirpat noxias inclinationes, incutit cordi ictum diuinum illum tuæ virtutis. Da nobis, sancte Domine, hanc lucem frequenter, quãdoquidem videmus illam te dare nolle continenter. Omitto hic dicere quæ exhibere soles in oratione videnda in vita tua, in passione, in morte, in alijs mysterijs, sensus spiritus, experimenta interna ac motiones, & in mysterijs ipsis lumen tuæ illustrationis: quæ autem hactenus dixi omnia disponunt de tua gratia nos, vt ea præterea audiamus quæ videre non possumus, hoc est, vt ad res illas animum attendamus, quò lux illa te ita disponente non attingit. Vtinam quæ hîc ego balbutio percipere possem, vel cum fructu sentire. Hæc dona tua, IESV magne, mirifica sunt: & partim quidem attinere intelligo ad fidei perfectionem, partim ad spei, tum ad alia diuina dona; omnia verò applicant ad charitatem, id est ad præcepti illius magni obseruantiam, quam hoc item Euangelio explicas. Quid enim in oratione post illa, vel etiam inter ipsa, quærendum nobis tandem est? quò spectare debemus? Quò tu manuducis, qui charitas es infinita, ad amorem Dei & charitatem: vt videlicet Deum perfectè diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex totis

1. Tim. 6

Universidad de Deusto
Biblioteca



viribus, ex tota mente, & proximũ sicut nos ipsos. Verùm hîc me mordet vermis meæ conscientiæ Domine IESV: quî enim, vel quando totum cor, animum, vires, mentem pono in Deo diligendo? Audi igitur, & quod dicam repone in corde tuo altè, & exercitio quotidiano confirma. Non solùm nihil præponas amori Dei, sed illum reliquis omnibus antepone, & supra omnia Deum, & propter Deum omnia dilige, & hoc præceptum, quod ad sufficientiã attinet, implebis, si præueniente gratia diuina nitaris. Verùm etiam si hæc facere videaris, vel etiam experire aliquo sensu spiritus, & eò peruenias vt nihil tibi ea in
1.Cor.4. Psal.18. re sis conscius, non tamen propterea iustificatus es; delicta enim quis intelligit? quis ad occulta cordis sui penetrat? Porrò autẽ perfectè adhuc præceptum illud non implesti, dum charitatem donum illud & virtutem excellentissimam in corde tuo non habueris, & ex illo in me & per me operatus non fueris; eius enim vi ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus, ex tota mente Deum diliges & me; iuuabunt te simul ea quæ videris, & quæ audieris in spiritu. At verò, Domine, cùm certus non sim quando charitatem sim consequutus, omnia mihi fiunt incerta, versor in magna spiritus ambiguitate. Quid igitur velles? vt euidentiam gratiæ tuæ haberes, vel fidẽ Catholicam? Intellige neutrum horum desiderare te debere, vel consequi posse, è potentia hac ordinaria; nam euidentiæ naturali illud nõ subest, nec ad id descendit Catholica fides, cui falsum subesse non potest. Caueas verò à Lutherana gratiæ certitudine, quam ego per meam Synodum damnaui. Quid ergo? vis vt per miraculum hæc tibi cõcedam? At hoc ad tentationem Dei spectat. Video, Domine, curiositatem esse meam si amplius desiderem: sed tamen illud, etiamsi omni bono indignus sum, peto, benigne IESV, vt ne inquietum sit & incertũ cor meũ; videor enim videre aliam esse rationem animum meum confirmandi. En tibi: fige cor tuum in fide Catholica; ea non te faciet certũ de tua gratia, ex illa tamen quasi è luce emerget lumen quoddam quasi reflexum, quod cum timore coniunctum non sinet animum tuum anxium, sed faciet bona spe delibutum. Huic addes sensus internos, & experientias spirituales, & signa alia, quæ soleo concedere ad indicandam gratiæ præsentiam: quæ omnia vt non attingunt ad fidei certitudinem, ita sat sunt ad animum confirmandum, vt solet consolatio spiritualis. Illud autem animaduerte, quam tu per curiositatem inquirebas maiorem quàm pro huius vitæ statu debes gratiæ certitudinem, illam nõ assequi est vtilius viatori homini: nam certitudo illa inhiberet ac retardaret cursum vitæ spiritualis, qui cõtinuus esse debet ac perpetuus; debet simul in hac mortalitate stimulum retinere perennis sui progressus, & solicitum tenere cor legittimè certantis, sed quietè, dulciter, confidenter. Loquutus es mihi ad cor bone IESV; sit tibi gloria sempiterna. Sed quis est fructus parabolæ hominis qui descendit ab Hierusalem Hiericunta? Caurionem tibi adiunxi vehementem, vnde caueas, vt illa dona quæ accipis in oratione ne amittas per negligentiam. Animaduerte te versari in Hierusalem quando illa accipis dona; vide verò ne inde relicta Hierusalem descendas Hiericunta, in fluxiles & mutabiles cogitationes vel actiones. Quòd si in ministeriũ sis egressurus tuæ vocationis, ibi verò summa tibi cura, summo studio est nitendum, vt gustum ac sensum Hierosolymorũ, hoc est donorũ Dei retineas; ne cùm in rebus gerendis versaris, detrimentum facias tuæ salutis. Et tamen vt estis fragiles, si lædat tuam pacem spiritus, vel vires internas vel veterator Dæmõ, vel cogitationes, vel aliæ perturbationes, accurre ad me Samaritanum intenta oratione, contritione peccatorum, & ad sacramentum Pœnitentiæ si opus fuerit, vt si qua accepisti vulnera, ijs sanatis rursum confirmatior ac viuacior in aciem descendas, & retineas Hierusalẽ cùm prodis ad Hierico & actiones tuas. Ita faciam Domine IESV: Samaritã summe, adiuua me. Amen.

DOMI-



# DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

## Curat IESVS decem leprosos.

LVC. XVII. ANNO XXXIII.

*In cxxxviij. imaginem adnotatiuncula.* cxxxviij. 81.

*A. Castellum in Samaria, vbi leprosos sanauit IESVS.*
*B. Domus extra castellum, vbi leprosi vitam miserè sustentabant.*
*C. Cùm iret IESVS in castellum, occurrunt ei decem leprosi, clamant; IESV Præceptor, &c.*
*D. Videns illos IESVS dicit; Ite, ostendite vos Sacerdotibus.*
*E. Dum irent, mundantur omnes.*
*F. Vnus tamen solus videns se mundatum, redit, & voce magna, procidens in faciem ante IESVM, gratias egit.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### LVC. XVII.

ET factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam [a] castellum, [c] occurrerunt ei decem viri [b] leprosi: qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes; IESV Præceptor, miserere nostri. Quos vt [d] vidit, dixit; [e] Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est dum [e] irent, mundati sunt. [f] Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciẽ ante pedes eius gratias agẽs: & hic erat Samaritanus. Respondens autem IESVS, dixit; Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi; Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

### ADNOTATIO.

*A Castellum in Samaria: per mediam Galileã enim & Samariã habebat iter Hierosolymam IESVS, non amplius rediturus in Galilæam ante passionem. Præmiserat autem Iacobum & Ioannem in ciuitatem Samaritanorũ, vt parարẽt illi: quibus repulsis non tamen propterea noluit Samaritanos beneficio prosequi; abiens enim in aliud Castellũ, leprosos eorũ curauit.*

*B. Domus extra oppidum, vbi decem leprosi separati ab hominum consuetudine vitam miserè sustentabant.*

*C. Et hi quidem exciti celebritate nominis Christi transeuntis, ei obuiam procedunt; & ad genua omnes prouoluti, suppliciter leuata voce dicunt; IESV Præceptor, miserere nobis.*

*D. IESVS illos oculis suæ etiã misericordiæ primùm aspicit, deinde dicit eis; Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Nunquam nõ significat Christus in sanandis infirmis, vel mortuis suscitandis, virtutem Sacramentorũ, institutũ, ac rationem. Hic etiam ministerium indicat sacramenti Pœnitentiæ, confessionem item iubet enim ad Sacerdotes ire, & lepram manifestare: mundat etiam lepram antequam se Sacerdoti aperiant, dum ad eum pergerẽt: vt solent per cõtritionem remitti peccata ante confessionẽ, vel sacramentalem absolutionem, ex harum voto.*

*E. Leprosi abeuntes versus Hierosolymam, in itinere à lepra liberantur: & ex his vnus tantũmodo redit ad IESVM gratias actũrus, alij immemores beneficij discedunt.*

*F. Vnus, & Samaritanus quidem, cùm alij essent*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sent Iudæi, vt sensit in se etiam interius beneficium, se non solùm à lepra carnis, sed spiritus sanatum, exclamans, & magnificans Deum redit, procidit in faciem suam ante IESVM, & gratias illi agit. Vtinam non esset hoc exemplum frequens, vt è decē ne vnus quidem agnosceret beneficium quod accipit in absolutione sacerdotis, qua remittuntur in Christo peccata.*

## MEDITATIO.

SCiebā quòd essem leprosus, sed nunc excitasti me, Christe IESV bone, vt agnoscā in me multas esse decades leprosorū. Decē enim sunt in me leprosi, exteriores quinque sensus, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, cum sibi respondentibus spiritualibus quinque. Iam enim primùm quinque sensus externi ex fomite, qui in nobis perseuerat, malè ac variè affecti sunt, leprosi sunt, tum maiorem indies concipiunt infectionem ex impuritate obiectorum & sensationum. Morbosa enim sunt omnia sensuum obiecta, vnde & sensuum operationes, vt mundus totus corruptus est tanta peccatorum spurcitia & contaminatione; augemus nos continenter nostris peccatis illam contaminationē. Adduntur quinque sensus spiritus, qui his sensibus opportunè respondent; visui & auditui fidei sensus duo, olfactui sensus spei, tactui & gustui duo item sensus amoris siue charitatis. Hi ergo sensus spiritus, qui fructuosi admodū esse possent, sunt tamen in nobis valde informes & imperfecti, atque è nobis quasi leprosi. Succedunt quinque interiores sensus animæ, cōmunis videlicet sensus, imaginatiua siue phantasia, æstimatiua, cogitatiua siue dianœa, & memoria. Hi sensus, heu miseriam! & corrupti sunt magis, ac magis leprosi; concipiunt enim ab externis, eorumque operationibus, suas contaminationes, & de suis operationibus addunt plures: qui cùm magis accedant ad intellectus, volūtatis, & spiritus operationes, eò sua corruptione obsunt magis. His præterea sua proportione respodēt quinque spirituales sensus; communis, cùm deuotē mouent sensuū exteriorū obiecta in eorū præsentia sua varietate & collatione; imaginatiua cum æstimatiua subseruit meditationi, illa dat spiritus intelligentiam, hæc mouet ad sinceros affectus animi; cogitatiua fructū meditationis traducit ad contemplationem; memoriæ tandem fidele ministerium conseruat omnes has sensationes cum suis spiritus fructibus, & opportunè eas repræsentat ad orationis vsum. Ad hos sensus attinent diuinæ reuelationes quæcunque fiunt per phantasmata atque imagines. Neque verò ad hos non deriuantur sui sensus spirituales fidei, spei, & charitatis vt ad exteriores; & quidem copiosiùs, atque sublimiùs, maiorique cum spiritus vtilitate. Per omnes autem sensuum decades quantæ peruagantur imperfectiones in nobis! quot sese adiungūt cuestigio, etiamsi puræ illæ incipiunt esse operationes! Potrò autem quî possum meos illos decē leprosos præterire, hoc est decem præceptorum legis iuæ obseruationes, in quas quā multæ incurrūt infirmitates, negligentiæ, & imputitates? Vides, Domine IESV sancte, quàm multos leprosos ego habeam: & in omnibus clamo ad te, & à longè quidem; longissimè enim à te absum cum tāta leprosorum multitudine: propterea clamo magis, adiuua clamorem meum, vt ad tuas aures misericordiæ & pietatis perueniat; ingens enim erit clamor si ad te pertingat, si audias, si iuues. Intelligo simul de tua gratia tunc fore clamorem maiorem, si ex profundis clamem ad te, & quò profundiùs id faciam & longiùs, eò maior erit clamor meus ad te. Qui enim temere, vel superbè, vel quasi ex se ad te contendit accedere, is longè recedit: qui contrà profunda id facit humilitate atque animi simplicitate, is quò hoc facit & veriùs & profundiùs, eò magis ad te fontem salutis & vitæ accedit. Adiuua IESV Præceptor, sana infirmitates & lepras omnes. Miserere mearum leprarum, tu es salus nostra, tu Saluator, tu Præceptor noster: præcipe Domine, & sanabor. Quòd si in hac mortalitate relinquis ad exercitiū nostras fomitis & aliorum hostium nostrorum impugnationes atque importunitates, vt facere soles de tua sapientia, illud oro, Domine, vt quā plurimas sopias, & quæ erunt residuæ, vt de his mihi victoriam perpetuam gratificeris; & facias vt ex tuis donis in meis operationibus spiritus versēr, & ita vtar potentijs meis, vt earum imperfectiones vel infirmitates ne operationes meas contaminent. Amen.

DOMI-



# DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN.

Docet Christus fiduciam habendam Deo.

MATTH. VI. ANNO XXXI.

*In cxxxix. imaginem adnotatiuncula.* cxxxix. 23.

*A. Mons Thabor, & campestris locus vbi docet Christus.*
*B. Pro priore Euangelij parte homo pius describitur, qui totus est in cœlū intentus, vbi thesaurizat.*
*C. Alter, qui totus inhiat lucris caducis, merces, aurum, domum, supellectilem amplam anxiè parat.*
*D. Iubet IESVS respicere aues, vt quas Deus alat non solicitas.*
*E. Tum ornatum liliorum, quæ non laborant neque nent.*
*F. Pratum herbis ac floribus conuestitum.*
*G. Salomon in domo sua magnificentissimè vestitus illis conferri non potest.*
*A. Docet ex his, Nolite soliciti esse. Quærite primùm regnum Dei, &c.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. VI.

IN illo [a] tempore dixit IESVS Discipulis suis; Nemo [b] potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & [c] mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum? Respicite [d] volatilia cæli, quoniam non seruunt neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Non vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate [e] lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec [g] Salomon in gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si enim [f] fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quātò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo [a] soliciti esse dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gētes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. MOns Thabor, tum campestris locus ad mõtis radices, vbi hæc docuit Christus.*

*E. Vt primam partem Euangelij pictura indicet, describitur homo pius, qui oculos & animum habet in cælum intentum, vbi sibi æternas opes thesaurizat suis operibus bonis in Christo.*

*C. Alius inhians lucro & mammonæ, qui nihil minùs quàm cælum cogitat, colligit merces, vasa preciosa, pecuniam, splendidam domum parat, quæ illum seruum auri ac Dæmonis faciant, & sepeliant in inferno.*

*D. Aues, quas alit Deus non laborantes neque solicitas.*

*E. Lilia, quæ cùm pulcherrimos flores producant, crescunt, & neque laborant neque nent.*

*F. Pratum, & in eo amœnus & iucũdus fœni viror, quod tamen facile in clibanum conijci solet: illud autem Deus virore & iucunditate vestit.*

*G. Salomon Rex in sua gloria magnificentissimè vestitus, in solio regni sui. Tã si volucres, si alias animantes omnes, si plantas Deus vestit, conseruat, gubernat diuina sua prouidentia, quorum decori naturali nec Salomonis quidem magnificentia vestitus est comparanda; quid animo sumus homines Christiani angusto & deiecto, vt de nostro vel victu vel vestitu ita simus soliciti? Quasi è nostra solicitudine illa pendeant & gubernentur, non è Dei prouidẽtia suauissima.*

*A. Totam igitur solicitudinem in Deũ conijciamus vnicè, atque si nos nihil essemus cooperaturi. Addamus tamẽ fideliter cum animi nostri simplicitate & demissione nostram industriam, nostram cooperationem; nec velimus ex nimia solicitudine ad aliud extremum transire, & in arrogantiam atque in sublime tolli, & Deum tentare: quæramus regnum Dei, & iustitiam eius ac iustificationes, & hæc omnia, de quibus sumus soliciti anxiè, nobis adycientur & prouenient: iustitia enim & Spiritus Dei faciẽt, vt nostram operam adducamus fideliter: quòd si nulla nostra id possimus vel operâ vel industriâ, Dominus ipse pro sua benignitate nobis prouidebit.*

## MEDITATIO.

3. Reg. 18. PLanè ita est Domine IESV, etiã in nobis, vt populo Israël dixit Elias Propheta tuus, claudicamus in duas partes, & duobus Dominis continenter seruimus, quod tamen frequenter vel non intelligimus, vel excusamus. Neque verò hîc de illis loquar qui confitentur tẽ esse Dominum vnum cum Patre & Spiritu sancto, factis autem negãt; hi enim planè quidem nolunt duobus Dominis seruire, sed vni Dæmoni, cuius voluntatem faciunt, cui seruiunt, & eum vnicũ Dominum factis profitentur. Neque de illis hîc prosequar dicere, qui cùm Sacramentorum vsum frequentẽt, & videantur alioqui vitam viuere inculpatam, in perpetua tamen sunt auiditate vel diuitiarum, vel dignitatum ecclesiasticarum, vel omnino honorum secularium. Hunc autem animi sui statum constanter excusant; ego tamẽ illos non possum probare; videtur enim hi, si non tibi, Domine, seruire ac simul mammonæ, certè tibi obtemperare non sine mammona. Ego quidem illos damnare nõ audeo grauioris impuritatis, tu enim solus cordium scrutator es; tamen vehementer mihi displicent illorum illæ actiones, si quæ præter te aliquid quærũt, & nõ primùm te & vnicè quærunt, te solum desiderantes; nec ad te solum aspirant, ad te solum tendũt, & alia desideria omnia in pelagus immẽsum tuæ sanctæ voluntatis nõ immergunt, vt sopitis atque sepultis illis auiditatibus, videant in luce tuæ bonitatis quid sibi eligendum sit, quid consectandum. Verùm dum hæc dico, bone & sancte IESV, vrget me mei animi conscientia, vt alijs omissis de me cogitem. Quid tu? non similiter facis? qui tamen perfectionem vitæ professus es Christi consilio & authoritate. Age, elegeris statũ perfectionis purè, nunc quàm purè, quàm perfectè illum obis? Perspicè attentiùs: quoties tu ad Deum spectas absque mammona? id est purè & illibatè Deum amas, & illum alijs rebus omnibus vnicè atque simpliciter anteponis, & non immisces tuis actionibus, illis etiam spiritualibus, sexcentas impuritates, à sensu, ab intellectu, à voluntate? Quot animi distractiones pateris, non solùm è tua culpa deriuatas, sed etiam quas sponte sectaris aperta culpa susceptas? Breuiter, quando tandem vnionem illam tui spiritus ac mentis, ac tui intellectus ac volũtatis in Deum, eiusque bonitatem exerces vel consequeris, in qua vnius Domini professio est, & spiritualis sensus? Rursum verò animaduerte quã anxiè, quàm solicitè de rebus externis cogites & agas, siue etiam internis; quàm non intelligas Deum esse rerum omnium creatorem, conseruatorem, gubernatorem; tuam solicitudinem ferè tam esse improuidam & arrogantem, vt videaris in sublime tolli, & partes quæ Dei sunt propriæ quasi velle assumere: vel ita illam exercere solicitudinem, quasi Dei prouidentiæ infinitæ non confidas. Ita est Domine, mihi hæc te adiutore displicent sancte IESV: impuritatem quidem actionum mearũ agnosco, & ijs commoueor vehementer, vbi audio tam acriter, tanto cum molimine & terrore,

Exo. 20. cũ tanta maiestate; Ego sum Dominus Deus
Deut. 6. tuus; non habebis Deos alienos coram me;
Matt. 12 & rursum; Audi Israël, Dominus Deus tuus
Deut. 6. Deus vnus est; Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: quod item tu dixisti in
Matt. 12 Euangelio tuo, & in anima mentem & intel-
Luc. 10. lectum concludi declarasti, in fortitudine vires. Et verò eisdem præceptis instructus video illi actionum impuritati me posse mederi in te, si non solùm fidei diuinam lucem in his præceptis percipiam, sed gratia diuina nitens, & ex illa vim accipiens, illique cooperãs, vnitatem Dei, vnitatem Domini, charitatis vnitatem intimo corde, anima, mente, omnibus viribus cõcipiam, atque operibus exprimam. Ad quod etiam si non possimus perfectè in hac mortalitate peruenire vt desideramus, &



semper aliquid sit futurum quo possimus in hac perfectione crescere, tamen illud à te petimus, bone IESV, vt nullæ nostræ imperfectiones, quas scimus & frequẽtes esse & quotidianas, illam virtutem vnionis debilitent; sed potiùs ex nostra debilitate prouentũ humilitatis facias, vt feruentiores etiam ex imperfectionibus euadamus, compuncti atque excitati. Iam verò vt excutiamus nostras diffidentias, ac nimias illas solicitudines, tu, Domine IESV, sapientissimè prouidisti. Nam quum scias desiderium animæ nostræ vanum esse & impotens: quid quærere, quò ferri deberet, vbi quiescere, benignissimè ostendisti; & ita ostendisti, vt vires dares in quibus & alia desideria omnia, omnes nostræ operationes cõquiescerent, & vitã acciperent. Quis enim est, qui, si regnũ Dei & eius iustitiã semel animo cõcupiscat, corde corripiat, & cordi infigat, aliud vel quærere, vel desiderare conari possit; & non potiùs in eo se omnia cõsequutum esse agnoscat & sentiat? Gustum igitur nobis gratificare, Domine IESV, regni cælestis, tuæque gloriæ sempiternæ: cum hoc coniunge feruens ac plenum desiderium iustitiæ Psal. 118. tuæ, atque tuarum iustificationum: da vt his insistamus, in his roti simus, in his nos fideles exhibeamus tibi cooperatores; & euanescent illæ timiditates, illæ diffidentiæ nimiæ, illæ solicitudines: ibi lucem tuam reperiemus, in qua illud similiter videbimus, quando solicitudo in Deo erit adhibenda; & pacem inueniemus per tuam doctrinam & gratiam, magne IESV, in te. Amen.

# DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Ad Naim suscitatur filius viduæ.

Euangelium legitur feriæ quintæ post Dominicam IIII. Quadragesimæ; inde petatur imago XXVIII. & adnotatio LX. ANNO XXXI.

DOMI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

## Sanatur Hydropicus.

LVC. XIIII. ANNO XXXII.

*In exl. imaginem adnotatiuncula.* exl. 48.

*A.* *Domus Principis Phariſæorum in Capharnaum.*
*B.* *IESVS ingreſſurus domum.*
*C.* *Hydropicus ante eum ſtans.*
*D.* *Obſeruant eum Phariſæi.*
*B.* *Reſpondet eis IESVS; Si licet Sabbato curare?*
*D.* *Ipſi tacent.*
*B.* *IESVS apprehenſum ſanat hydropicum, & ſubdit parabolam de aſino qui in puteum incideret.*
*E.* *Extrahunt aſinum de puteo die Sabbati.*
*F.* *Menſa & conuiuium, in quo iubetur vnus à primo ad vltimum locum deſcendere; contrà aliter aſcendere.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### LVC. XIIII.

ET factum eſt cùm intraret [b] IESVS in [a] domũ cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, & ipſi [d] obſeruabant eum. Et ecce homo quidam [c] hydropicus erat ante illum. Et [b] reſpondens IESVS, dixit ad Legiſperitos & Phariſæos, dicens; Si licet Sabbato curare? At illi [d] tacuerunt. Ipſe [b] verò apprehenſum ſanauit eum ac dimiſit. Et reſpondens ad illos, dixit; Cuius veſtrum [e] aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos; Cùm [f] inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi; Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recũbe in nouiſſimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi; Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*A.* SPlendida domus Principis Phariſæorum in Capharnaum.

*B.* IESVS vel ante ianuam, vel iam intra ianuam domus Principis; vtroque enim modo legitur & verti poteſt, cùm intraret, & cùm introiſſet, quod eſt Græcè ἐν τῷ ἐλθεῖν.

Mũ. intraret. Alij introiſſet.

*C.* Antequam ergo aſſideret menſæ IESVS, aſtabat hydropicus homo ante ipſum, & non audebat petere ab eo vt ſanaretur, propterea quòd eſſet Sabbathum, & obſeruarẽt eum Phariſæi & Legiſperiti an Sabbatho curaret;

*D.* Quod ipſi per hypocriſim & ſuperſtitionem damnabant.

*B.* Hæc ſciens IESVS, reſpondet, vt illorum curet errorem, & miſeri hominis hydropiſim ſanet. Sed quod eſt IESV reſponſum? Primùm ſciſcitatur, num liceat Sabbatho curare.

*D.* Ipſi tacent.

*B.* Fit autem eius plena & appoſita reſpõſio, vbi apprehenſum ſanat hydropicum, ſiue dubitarent, ſiue damnarent. Cùm autem ibi tacerẽt, rurſum reſpondit: Cuius veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi? Quo enim pacto nos externæ oratione reſpondemus, ita Chriſtus internæ, ſiue exteriùs, ſiue interiùs, reſpondere & poterat & ſolebat. Hic bis reſpondet tacentibus, nec ſolùm reſpondet, ſed illos inſipientiæ coarguit, tanta efficacia vt reſpondere non poſſent. Sanatus verò hydropicus facile intelligitur ſignificare eũ qui diuitiarũ ſiti reiecta, diuitiarũ etiam tumorem deponit, dat pauperibus quæ poſſidet, & Chriſtũ ſequitur ſiti & onere pluſquã intercute leuatus.

*E.* E foſſa extrahitur aſinus Sabbatho, quæ eſt coarguti o Iudæorũ: quaſi dicat Chriſtus: Cur adeò eſtis iniqui, ô Legiſperiti & Phariſæi, vt veſtris damnis die feſto prouideatis labore veſtro, opere, induſtria, & me prohibeatis ſolo verbo ſanare miſerrimorum hominum infirmitates?

*F.* Menſa ad conuiuium parata: in hac deijcitur à primo conſeſſu vnus ad vltimum, alius ab vltimo ad primũ promouetur; quæ eſt parabola Chriſti ad confutandam eorum arrogantiã qui primas in rebus omnibus ambiunt; ij enim nihil aliud quàm ad vltimas ex ambitu ſe deijciunt: itaque via eſt certa ad perfectionem vitæ Chriſtianæ & diuinæ contemplationis humilitas.

## MEDITATIO.

CErtum eſt mihi, Chriſte IESV, te domũ cuiuſdam Principis Phariſæorum intraſſe, quis autem hic fuerit ignoro, niſi quòd primarius erat, vt puto, inter Phariſæos, vitijs ſcilicet Phariſæorum inſignis, hypocrita, cæcus, arrogans, ſuperſtitioſus, malitioſus, veritatis tuæ oppugnator. Ego ille ſum Phariſæus, benigne IESV, omnibus vitijs non ſolùm Phariſæorum coopertus, ſed alijs plurimis. Primus ſum omnium peccatorum; ſed illud gratia tua habeo, quòd tuam doctrinam probo, in illam toto pectore incumbere deſidero. Verùm, bone Magiſter, non facio quod volo; ſed quod nolo; & quod in me habitans peccatum vult, illud facio continenter; indies etiam augeo impotenter. Quis me liberabit à corpore mortis & perditionis huius, niſi tu gratia tua, niſi tu magne IESV? Et nũc, Domine, video me eſſe hydropicum: ebibit anima mea è vanitatibus ſeculi multa nimis; ebibit è conſolationibus Spiritus ſua ſocordia & abuſu, propinat philautia: ita autem ex his aquis potatur, vt irritata ſitis identidẽ euadat intolerabilis & infinita. Et quamuis hæc agnoſco, tamẽ deceptione ductus, non peto in oratione ab his mundari; vt non audebat hydropicus à te petere ſanitatẽ, propter Phariſæorũ errorẽ. Ego enim meas imperfectiones ſecutus inſiſto feſtum conſolationũ agere in oratione, & ferè nihil à te peto, quæ tamen eſt ſubſtãtia & finis orationis. En peto Domine, nec volo audire meæ animæ Phariſæos, ſana animam meã, ſitim illam nexiã ſiſte, dein expelle aquã qua tumidus ſum & deprauatus: hoc obſecro facias benigne IESV, etiã ſi vel nõ petã, vel nõ bene petam, vel negligenter petã. Nam peto alioqui Domine, etiam ſi nõ explicẽ apud te, id eſt vehementer deſidero, quæ eſt petitio apud te manifeſta, vt hydropici fuit; & ſimul medere, Domine, illi meæ negligẽtiæ, vel imperfectioni petitionis: ita fiet vt ab hydropiſi liberatus intelligã tuã increpationẽ, & meam in oratione deceptionẽ. Totus enim ſum in feſto & lætitia meditationis, illa me oblecto, nec curo tibi mea peccata offerre curanda, nõ obſecro te; quaſi oratio ſola illa eſſet, quæ verſatur in meditatione mentis, ac rerũ ſublimiũ ſpeculatione, & non potiùs in petitione, obſecratione, & gratiarum actione. Mea mala ego intelligo, Domine, de tua gratia; ſana illa bone IESV, vt in oratione poſſim verſari fructuosè, vt tu vis. Amen.

Rom. 7.

Ioan. 4.

DOMI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

De primo mandato interrogatur IESVS.

MATTH. XXII. MAR. XII. LVC. XX. ANNO XXXIII.

*In cxli. imaginem adnotatiuncula.* cxli.

95.

*A. Templum, quò post celebrem ingressum in vrbem quotidie veniebat IESVS, vbi confatauerat primùm Herodianos, dein etiam Sadducæos.*

*B. IESVS cum Discipulis.*

*C. Sadducæi spectantes quorsum Pharisæorum euaderet oppugnatio.*

*D. Multitudo Pharisæorum, ante quos magnificus legis Doctor IESVM de primo mandato à Phariseis subornatus interrogat.*

*B. Respondet IESVS: Primum mandatũ est; Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est, &c.*

*D. Confirmat responsum IESV Pharisæus, etiam amplificat: audit; Non longè es a regno Dei.*

*B. Acriter interrogat Pharisæos audiente omni populo; Christus cuius filius est? citans testem Danidem.*

*D. Nemo poterat ei respondere verbum, nec ausus est vllus illum amplius interrogare.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MARC. XII. MATTH. XXII. LVC. XX.

IN illo [a] tempore. Pharisæi autem audientes quòd silentiũ imposuisset [c] Sadducæis, conuenerunt in vnum.

*Et accessit [d] vnus de Scribis qui audierat eos conquirentes: & videns quoniam illis bene*

&

*respondérit, interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum.*

interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum; Magister, quod est mandatũ magnum in lege?

*[b] IESVS autẽ respondit ei; Quia primum omnium mandatum est; Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.*

Ait illi IESVS;

*Et diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.*

Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

*Hoc est primum mandatum.*

Hoc est maximum & primum mandatum.

*Secundum autem simile est illi;*

Secundum autem simile est huic;

| MARC. XII. | MATTH. XXII. | LVC. XX. |
|---|---|---|
| *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* *Maius horum aliud mandatum non est.* | Diliges proximum tuum ſicut teipſum. | |
| | In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. | |
| *Et ait illi Scriba;* [d] *Bene Magiſter in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum: & vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine; & diligere proximum tamquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs. IESVS autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet, dixit illi; Non es longè à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.* | | |
| | Congregatis autem Phariſæis interrogauit eos IESVS, dicens; Quid vobis videtur de [b] Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei; Dauid. | |
| *Et reſpondens IESVS, docebat docens in templo;* [b] *Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium eſſe Dauid? Ipſe enim Dauid dicit in Spiritu ſancto;* | Ait illis; | *Dixit autem ad illos; Quomodo dicunt Chriſtum filium eſſe Dauid; & ipſe Dauid dicit* |
| | Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eũ Dominum, dicens; | *in libro Pſalmorum;* |
| *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,* | Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, | *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis,* |
| *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* | donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? | *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* |

MAR.



| MAR. XII. | MATTH. XXII. | LVC. XX. |
|---|---|---|
| *Ipſe ergo Dauid dicit eum Dominum,* | | *Dauid ergo Dominum illum vocat,* |
| | Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? | |
| *& vnde eſt filius eius?* | | *& quomodo filius eius eſt?* |
| | Et [d] nemo poterat reſpõdere ei verbum: neque auſus fuit quiſquã ex illa die eum ampliùs interrogare. | |
| *Et multa turba eum libenter audiuit.* | | |

## ADNOTATIO.

*A.* POſt celebritatem ingreſſus *Chriſti in vrbem Hieroſolymorum, ante eum diem quo paſſus eſt, quotidie in templum veniebat IESVS à monte Oliueti, vel à Bethania, & eodem ad veſperum decedebat; quibus diebus excellenter permulta docuit, & ſæpè illi ſunt inſidiati Iudæi. Quod autem ad hoc Euangelium pertinet, per diſcipulos ſuos & Herodianos illum fuerunt primum aggreſſi Phariſæi, de tributo quod Cæſari pendebant Iudæi: quibus cùm prudentiſſimè reſpondiſſet, & mirarentur omnes, taciturnitate verò ſua præ ſe ferrent diſcipuli Phariſæorũ & Herodiani ſe eſſe victos, erubeſcerent ſimul neceſſariò Phariſæi, tametſi diſſimularent rem ad ſe attinere: ſucceſſerant Sadducæi, & ſummũ argumentũ, quo ſuam hæreſin confirmabãt, illi obiiciunt, de muliere & ſeptem maritis, & reſurrectione. Quibus item quum ſapientiſſimè reſpondiſſet, & ex Scribis vnus perſuaſus apud ſe eſſet illum rectè Sadducæis reſpondiſſe, nec eſſet quiſquam tam impudens, qui illum amplius auderet interrogare: tamen Phariſæi cùm viderent aduerſarijs ſuis Sadducæis eſſe impoſitum ſilentium, ſubdole ipſi armant illum ipſum è ſua calumnia Scribam, legis Doctorem, phylacterijs onuſtum, & fimbrijs circumſeptum, qui veluti ſolus IESVM adoriretur. Aderant illi quidem diſceptatori, ſed diſſimulanter tamen, vt ſi ille vinceretur à Chriſto, ſolus eſſe confuſus videretur; ſin vinceret, tum ipſi ſe aperirent, & victoriam ſibi arrogarent inſolenter. Igitur eſto.*

*A. Templum.*

*B. IESVS cum Diſcipulis.*

*C. Sadducæi ſpectãtes quorſum euaderet diſceptatio Phariſæorum.*

*D. Phariſæorũ multitudo, inter quos Doctor ille magnificus eminet; poſt Phariſæos eorum diſcipuli & Herodiani conſiſtunt. Ille legũ iuriſperitus, perſuaſus tamẽ, vt dictum eſt, quod bene Sadducæis reſpondiſſet IESVS, interrogat quòdnam ſit magnum illud mandatum, & primum in lege.*

*B. Reſpondet Chriſtus, eſſe primum omnium & dignitate & ordine; Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt: & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. In primo enim decalogi præcepto, quod eſt de fide vnitatis Dei, comprehenditur Dei perfecta dilectio, nec hoc ſolum quod eſt charitatis, ſed ſpei & obedientiæ perfectio. Quis enim cognoſcat Deum, qui eum non intelligat eſſe diligendũ toto corde, mente, anima, virtute; in illum ſpem omnem eſſe collocandam, illi etiam in rebus omnibus obediendũ?*

*D. Confirmat reſponſum Chriſti Scriba, atque adeò amplificat; addit ad dilectionem Dei ex toto intellectu vt ametur Deus, quod in mente intellexerat Chriſtus; addit ad proximi, quòd ſit maior hæc dilectio omnibus holocauſtomatis & ſacrificijs. O Chriſti IESV admirabilem benignitatem! Acceſſerat dolo malo ſubornatus à Phariſæis hic Legis peritus, improbo animo acceſſerat, tẽtaturus acceſſerat; & tamen immutat illius animũ Chriſtus, & erudit illius mentẽ, & cor illuminat; dat vires, vt & intelligat quæ dixerat IESVS, & exponat quæ intelligebat:*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*denique, quod nescio an de quopiam alio prædicauerit Christus, iudicat illum sapienter respondisse: deinde ad animum illius & ad cor loquitur; Non longè, inquit, es à regno Dei. Quibus verbis suauissimè eum ad se vocat, & ad vitæ perfectionem inuitat. IESVS autem describitur digito dextræ manus cælũ indicare, manum verò alteram ad cor apponere, vt quæ dicebat expressiùs significaret, vnum esse Deum, & eum diligendum ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente. His peractis gloriosè, & stupentibus omnibus, nisi malitiosus eorum animus obsisteret, magnam præterea illis offert occasionem, vt ad salutem animum aduerterent. Nam nulla indignitate commotus Christus, saluberrimam adiungit interrogationem, & planè diuinã, qua ad sanitatem illos reuocaret.*

*B. Quid, inquit, vobis de Christo videtur? cuius est filius? Dicunt; Dauid. IESVS verò nũ illis solum respondet, sed quasi docens omnes interrogat: Quomodo filium Dauid dicunt Scribæ esse Christum? Nam Dauid ipse, Spiritu sancto ductus, dicebat in libro Psalmorum; Dixit Dominus Iehoua יְהוָה Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Si ergo illum Dauid vocat Dominum, quomodo filius eius est? Nam si Dominus, maior; sin filius, minor. Senserunt Iudæi vim argumenti diuinam: nam adiecerunt facilè animum ad ea quæ in eodem Psalmo de Christi diuinitate exponit Dauid excellentissimè.*

*D. Itaque nullus illi poterat respondere, neque ausus est quisquam amplius eum interrogare, vel cum illo disceptare. Et turba quidem IESVM audiebat libenter, Primates inuidia & & odio rumpebantur.*

## MEDITATIO.

O Bone & magne IESV, esto mihi adiutor propicius in tentationibus meis, non solùm quibus ego ab aduersarijs meis appetor, sed quibus ego tento te, vbi vel curiosè, vel negligenter & desidiosè ago, & præsidijs non vtor quæ tu dedisti mihi. Quoties enim ego à te hoc nomine sum reprehensus! quoties ita me gessi, atque adeò ingessi in orationem temerè, vt partes omnes orationis non adhiberem! quoties ea postulaui à te quæ supra meas vires, vel contra vtilitatem erant, vel planè curiosa & superuacanea! quoties me inconsideratè deieci in pericula! Denique cùm scirem (scire quidem deberem) esse quæ iuuare vel promouere possunt orationem vel actiones nostras omnia humana, ecclesiastica, & diuina præsidia adhibenda vt tibi placeamus, vt te non tẽtemus, ego tamen subinde tam multa prætereo, vt planè mihi videatur tota esse vita mea tẽtatio tui. Quid? non ego te sæpenumero tento vt Herodiani, cùm tibi autumo me placere, & tuam voluntatem sequi, meorum tamen Superiorũ iussa prætermitto, quasi non dixeris; Reddite, quæ
*Mat. 23.* sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo; &,
*Luc. 10.* Qui vos audit, me audit? Similiter itẽ atque Sadducæi te tento; cùm tam crebrò omittam memoriam agere rerum nouissimarũ, quasi
*Eccl. 7.* per Sapientem non vehementer commendasses illius memoriæ præstantiam & vtilitatem. Præterea in illud agnosco, Domine IESV, apertè toties me impingere, quoties vel quæ præcepisti, vel quæ consuluisti adhiberi debere ad actiones meas quæ ad te spirãt, prætermitto vel negligo; quasi videar experiri velle, nũ alia via quã à te cõstituta, possis vel velis me iuuare, & actiones meas promouere; id quod si te tentare non est, quid est? Libera me, obsecro te per tuas actiones omnes perfectissimas, sanctissimas, diuinas, ab alijs omnibus, & ab hoc errore & peccato quo te tam sæpè offendo, neque imputes mihi misero & nihili homini si quid prætermittam in actionibus & exercitijs meis, quod iuuare me posset. Ego enim & si ex animi proposito illa videor non omittere, non tamẽ propterea nõ pecco coram te: vt enim illa omissio ex præsenti electione non fiat, magna tamen culpa mea & incuria extat, & negligentia: has sana, bone IESV, animi mei infirmitates. Sed tamen illud remanet apud te agendum Domine, vt ab illa item me eripias tentatione tui, quæ est crebra admodum. Num illud non est tentare te? Cùm multa sciam per Ecclesiam, per meum vitæ institutum, per bonas tuas inspirationes, & suauem lucem tuam Domine, ita tamen eadem peto ac si nihil nossem, neque curo ea explere in te quæ scio, quasi illa cognitio satis esse non posset ex te, nec vis diuina iuuare, vt ea obseruem quæ noui. Itaque facio planè contrà quàm tu etiam doces, vbi præcepisti; Nolite multum loqui in oratione, μὴ βαττολογήσητε, id est, ne verbosi sitis, *Mat. 6.* idem peruersè inculcantes: nonne ea species quædam



quædam tentationis est Dei, ad Ethnicorum & Pharisæorum æmulationem; tametsi illa non adsit deprauata intentio? Doce me sancte IESV, obsecro te, quemadmodũ eadem petere vel possim vel debeam; simul vim illius primi & magni præcepti mihi expone, quæ quidem videtur esse infinita. Eadem petere, atque etiam identidem petere non inhibeo, modò quam accepistis cognitionem ea vtamini, detis saltem operam vt vtamini, & eò desiderio & efficacia ad opus feramini. Potestis item eadem petere maiori cum deuotione, potestis profitentes vestrã negligentiam, & faciei vestræ incuriã & confusionem, efficaciam spiritus & operis à me postulãtes: potestis alioqui ex doctrina Ecclesiæ, & Sanctorum meorum exemplo. Quod verò petis expositionem magni illius præcepti: hoc esto tibi documentum, vt quæ ad praxim attinẽr, ea non speculatiuè tantùm, sed practicè enitaris intelligere, hoc est, cum animi propensione ad praxim, & executionis desiderio. Petas item vt vim rei sensu interno percipias, & lucem quam præceptum, siue consilium, siue admonitio vel institutio continet. Ita si agas studiosè, (cui studio & negocio ego præero) & rei fructuosam intelligentiam accipies, & vim efficacem qua illam exequaris. De præcepto autem maximo ita accipe; coniunctam esse primam partem cum secunda, fidem vidolicet de vnitate Dei & trinitate personarũ, (quæ illa triplici Dei appellatione significatur) cum secunda parte, quæ est de dilectione Dei; hæc autem vobis cooperantibus fidem consequetur. Habet enim hanc vim vera & firma de Deo fides, vt pariat primùm Dei intelligentiam, deinde progrediatur cum Dei auxilio ad effectum fidei consentaneũ. Cùm igitur illa prima pars fidem Dei proponit, cõcipitur extemplo in mente pia Dei illustris intelligentia, & integer animus tota fertur voluntate, & totus homo ad id amandũ quod per fidem in eius mente viget. Neque verò ad salutem intelligi absque errore potest, vt verus Deus infinita bonitas, potentia, veritas, essentia non debeat toto affectu, tota mẽte & intellectu, tota anima, omnibus viribus & virtute, toto homine amari. At enim, magne IESV, tantam perfectionem nostræ naturæ fragilitas non capit. Scio: non ad quantam extendere se præceptum potest; illa enim nõ est quæ in hac mortalitate habetur, sed quo in hac vitæ vestræ imbecillitate progredi licet, eò enitendum. Est amplissimum hoc præceptum, & quod ad meliora continenter & perfectiora alliciat atque attrahat: nec est huius vitæ mortalis eò peruenire, vltra quod progredi nõ possis; vt veluti emẽso spacio quiescendum necessariò sit. Et tamen si non ex toto corde diligo te, sancte IESV, peccabo ego assiduè contra te amando te? Ne hoc verearis ô bone: nam si ex gratia nihil Deo in amore præponas, Deum verò reliquis omnibus anteponas, non solùm non peccasti contra Deum ipsum amando, sed etiam præceptum implesti; & apud eum gloriam sempiternam illo amore promeritus es in me & per me. Sed imperfectè id facio Domine. Da operam vt perfectiùs facias; quod cùm feceris, nunquam tamen ad vltimam perfectionem peruenies: neque verò propterea peccabis, quin potiùs à peccato longiùs & ab imperfectione discedes, & in merito proficies ampliùs. Summa est in hoc præcepto animorum vestrorum incitatio atq; promotio, & vera via ad perfectionem charitatis, ad quam animi vestri intentione feramini assiduè; & causam accipere positis humilitatis & confusionis internæ, vbi videritis vos à perfectione amoris Dei tã procul semper abesse. Sis, Domine IESV, benedictus in secula, recreasti spiritum meũ, & ad amorem Dei & tuum suauissimè incitasti: da quem animi tenorem me docuisti, vt illum semper seruem in te. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

## Sanatur Paralyticus.

MATTH. IX. MAR. II. LVC. V. ANNO XXXI.

*In cxlij. imaginem adnotatiuncula.* cxlij. 30.

*A.* Domus in vrbe Capharnaum.
*B.* Vbi sedebat docēs IESVS; sedebant simul Pharisæi & legis Doctores.
*C.* Aderat plurima multitudo ad ianuam, quos domus recipere non poterat: & erat virtus Domini ad sanandum eos.
*D.* Abatum paralyticum cùm præ turba non possent inferre, nudauerunt tectum.
*E.* Funibus demissum statuunt ante IESVM.
*B.* Videns IESVS fidem illorum, ait paralytico; Remittuntur tibi peccata tua.
*C.* Hoc tacitè damnant blasphemiæ Indæi.
*B.* Sanat IESVS paralyticum; quo facto ostendit eiusdem esse remittere peccata, & sanare paralyticum.
*F.* Surgit paralyticus, tollit grabatum, & abit.
*C.* Mirantur omnes, & magnificant Deum; vt virtus Dei exerta videretur ad sanandum eos.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. II. MATTH. IX. LVC. V.

ET ascendens IESVS in nauiculam, transfretauit,

*Et iterum intrauit*

& venit
in ciuitatem suam

*Capharnaum post dies;*

*& auditum est quòd in domo esset: & cōfestim conuenerūt* [c] *multi, ita vt nō caperet neque ad ianuam.*

*& loquebatur eis verbum.*

*Et venerunt ad eum* [a] *ferentes paralyticum qui* [a] *quatuor portabatur*

Et ecce

*Et factum est in vna dierum,*

*& ipse* [b] *sedebat docēs.*

*Et erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores qui venerāt ex omni castello Galilææ & Iudææ & Hierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.*

*viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus;*

MAR.



MAR. II. MATTH. IX. LVC. V.

offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.

*& quærebāt eum inferre, & ponere ante eum. Et nō inuenientes qua parte illum inferrent præ turba,*

*Et cū non possent offerre eum illi præ turba,*

*ascenderunt supra tectum, &*

[a] *nudauerunt tectum vbi erat, & patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat.*

*per tegulas* [c] *submiserūt eum cum lecto*

*in mediū ante IESVM.*

*Cùm autē vidisset IESVS*

Et [b] videns IESVS fidem illorum, dicit paralytico,

*Quorū fidē vt vidit,*

*Fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

Confide fili:
remittuntur tibi peccata tua.

*dixit; Homo,*

*Et*

*Erant autem illic*

Et ecce

*sedentes, & cogitantes*

quidam de Scribis

*cœperūt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes;*

*in cordibus suis; Quid hic sic loquitur?*

dixerunt intra se;

*Quis est hic, qui loquitur blasphemias?*

Hic [c] blasphemat.

*Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

*Quo statim cognito IESVS spiritu suo*

Et cùm [b] vidisset IESVS cogitationes eorum,

*Vt cognouit autem*

*quia sic cogitarent intra se,*

*respondens*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MAR. II. | MATTH. IX. | LVC. V. |
|---|---|---|
| *dicit illis;* | dixit; | *dixit ad illos;* |
| *Quid ista cogitatis* | Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? | *Quid cogitatis* |
| *paralytico;* | Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata, | |
| *Tolle grabatum tuum,* | an dicere; Surge, & ambula? Vt autem [b] sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico; | |
| *Tibi dico, tolle grabatum tuum,* | Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. | |
| *Et statim surrexit ille,* | Et [c] surrexit, | *Et confestim consurgēs coram illis, tulit lectū in quo iacebat,* |
| *& sublato grabato, abyit inde corā omnib⁹,* | & abijt in domum suam. | *magnificans Deum.* |
| | Videntes autem turbæ timuerunt, | *Et stupor apprehendit omnes,* |
| *ita vt [c] mirarētur omnes, & honorificarent Deum,* | | |
| | & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. | |
| *dicentes; Quia nūquam sic vidimus.* | | *Et repleti sunt timore, dicentes, Quia vidimus mirabilia hodie.* |

ADNO-



## ADNOTATIO.

*Postquam sanauerat duos homines à Dæmonū legione in regione Gerasenorum, quæ est trans mare Galilææ, & in Galilæam rursum nauigasset, egressus quidem è naui non continuò venit IESVS Capharnaū, sed post aliquot dies: quò cum venisset, in domo quadam consedit, & inchoauit docere. Quod vbi fuit auditum in ciuitate, concurrit multitudo tanta, vt impleta domo, nec ad ianuam capi multitudo posset. Sedebant verò magnifici Pharisæi apud IESVM, & legis Doctores, qui conuenerant frequentes ex omni castello Galilææ & Iudææ (quæ tribum etiam Beniamin complectebatur) & ex Hierusalem, & peculiari quadam efficacia erat virtus Dei exerta ad eos sanandos.*

*A. Igitur esto domus in vrbe Capharnaum.*

*B. Christus sedens, & assidentes Pharisæi & legis Doctores: pone Christum Apostoli astant, est at alia multitudo, repleta est domus.*

*C. Ad ianuam conferta turba inuicem propellit & vrget ingressum.*

*D. Cùm attulissent quatuor homines paralyticum in lecto iacentem, & contendissent illum Christo offerre sanandum, nec pra turba id consequi potuissent; accipiunt consilium, vt nudato tecto & patefacto, illum inde submitterent vt erat in lecto, & ponerent ante IESVM. Alijs igitur in subsidium euocatis, ascendunt in tectū, illud nudant & aperiunt, eò leuant paralyticū.*

*E. Indè rursum summittunt, & collocant ante IESVM coram omni multitudine grabato suo hærentem. Quanto molimine miseri hominis salutem procurant! Quid fides atque animi deuotio in Christum, & charitas in proximum non conatur? quid non efficit? Da nobis, Christe IESV, similiter moliri & nostram, & miserorum hominum salutem. Quum hæc fierent, intermisit IESVS concionem; omnes ora conuertunt ad rem nouam, expectat Christus donec ante ipsum constituant paralyticum: interim illorum animum & fidem fouet ac promouet interius. Attenti aduertunt omnes & animum & oculos in paralyticum & IESVM, cogitant sanationem; qui illum summiserant, instant IESV è tecto vt sanet ærumnosum hominē; paralyticus miserabili vultu opem implorat.*

*B. Quid Christus? Vt fidem vidit eorum qui offerebant, & paralytici, tum quòd esset virtus Patris & sua propensa ad omniū animos ad pietatem commouendos, dixit paralytico; Confide fili, bono animo esto, esto constans in ea fide & deuotione animi quam ego tibi iam sum gratificatus: eam ego respiciens, & eorum qui tanto labore & diligentia te mihi sanandum obtulerūt, plura præsto quàm expetistis. Quæritis paralytico corporis sanitatem, ego illi largiar hāc etiā, sed prius animi, hāc etiam vobis concedā. Dixit verò paralytico; Remittuntur tibi peccata tua. Duo hic docuit Christus: alterū, quòd prius mentem sanabat quā corpus, quod hic planè expressit: alterum, quòd sæpè eueniebat vt propter peccata infligantur à Deo corporis infirmitates; quod hoc etiam loco significatur non obscurè, disertè verò Ioan. 5. c. Iustificatus interius paralyticus iacet tamē in eadē membrorū resolutione, attētior fit turba, completur gaudio paralyticus & sui: Scribæ tamen & Pharisæi nō audēt apertè contradicere, mussitant intra se odiosissimè;*

*C. Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? sensērāt enim ex authoritate loquutū IESVM, non solum vt simplicem ministrum Dei. Cur Doctores & Pharisæi, si credere non vultis, non potius signum petitis ex animi humilitate, Gedeonem imitati? Sed vos blasphemiæ arguitis Filium Dei: at ille dat vobis signum suæ diuinitatis; vestras enim cordis cogitationes perscrutatur in Spiritu sancto & traducit. Quid, inquit, mala cogitatis in cordibus vestris? Iam nihil est quod suspicemini, Pharisæi, me blasphemum esse si dico dimittere me peccata, nā signo etiam externo idem demonstro, tanti vestram salutem æstimo. Age, quidnam arbitramini esse facilius; paralytico dicere, Remittuntur tibi peccata tua; an dicere, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? videtis nihil differre, & vtrunque facere solius esse diuinæ potestatis: si igitur hoc fecero, illud & posse & fecisse non poteritis inficiari.*

*B. En dico (quod vos auditis) paralytico; Surge, tolle tuum lectum, & vade in domum tuam. Hic vis diuina conspicua omnibus fuit.*

*F. Surgit paralyticus, tollit grabatum suum, abit domum, Deum magnificans. Apprehendit autem non solum turbam, sed omnes stupor, omnes timore sunt repleti, omnes magnificabant & glorificabant Deum, confitebantur Deum vtranque potestatem hominibus dedisse, & remittendi peccata, & sanandi incurabiles ac deploratas infirmitates: abibant dicentes, Vidimus hodie mirabilia; nunquā quicquā tale vidimus. Hic verò exponitur quod superius dictum*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ctum erat, fuisse expertam Dei virtutem ad eos sanandos: nam tandem omnes Dei virtutem agnouerunt, & laudibus sunt prosequuti, quod raro contigit alias.*

## MEDITATIO.

VIncimur à Iudæis, fratres, à Pharisæis, à legis Doctoribus. Illi vt audierũt in domo esse IESVM, confestim conueniunt, cõferti ingrediuntur, domum implent, alij vrgent ingressum. At nos scimus docere Christũ è cælo, docere ex Ecclesia, docere ex creaturis, ex mysterijs suæ vitæ, suæ passionis & mortis; omnia videmus esse ingentibus Christi vocibus plena, & tamen desidia torpemus, tabescimus, non attendimus, nihil audimus, euanescimus in cogitationibus nostris. Hem miseriam, hem confusionem nostram coram Deo & Angelis ipsius & Sanctis eius! excitemur fratres mei; etenim virtus Dei exerta etiã nunc est, atque adeò magis nunc est quàm tunc erat, ad peccata nostra remittenda, ad infirmitates nostras sanandas. Accedamus ad
*1. Cor. 1.* Christum, qui est virtus infinita Patris exerta in nos: ecce non est intra domum, quò non
*Apoc. 3* possimus per turbã penetrare, sed stat ad ostium cordis nostri, & pulsat: aperiamus nos illi, ipsi nos dedamus pio & deuoto affectu, fide, spe, & charitate subnixo, & subibit Christus in cor nostrum, faciet nos & domum, & templum suum: ibi nos docebit, deinde paralysim nostræ animæ, nostrarum potentiarum & virium, & desidiam sanabit. Vt hoc autem assequamur, poscamus Sanctorum intercessionem, qui animam nostram, qui nos ante Christum supplices repræsentent sanandos: neq; enim illis obstabit turba, nihil erit quòd tectum nudent; semper faciem Dei vident vt *Mat. 18* Angeli, semper illi assistũt, semper illum obsecrant pro nobis. Hanc verò salutem non solùm ad animam nostram sanãdam petamus, sed proximorum etiam nostrorum: imitemur illorum misericordiam, & industriam, & diligentiam qui tanto molimine paralyticum sanandum Christo obtulerunt: quatuor virtutibus nitamur, fide, spe, charitate, misericordia, leuemus miseros homines in cælum per orationem, per exhortationem, & alia sancta ministeria, ad virtutem & pœnitentiam promoueamus omni studio, labore, & industria in Christo. Aperiet illis cælum Christus; & tunc quidem non dubium aperiet, cùm eos ad peccata Sacerdoti confitenda perduxerimus. Amen.

DOMI-



# DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

## Facit Rex nuptias Filio.

MATTH. XXII. ANNO XXXIII.

*In cxliij. imaginem adnotatiuncula.* *cxliij.* 93.

*A. Templum, & porticus Salomonis, vbi docebat IESVS.*
*B. Regia, vbi sedet in throno suo Rex, assidet Filius, & eius Sponsa, regio omnes cultu & nuptiali.*
*C. Serui vocaturi ad nuptias inuitatos à Rege mittuntur.*
*D. Vocantur: qui suas occupationes externas excusant, alij villam, alij negotiationem, &c.*
*E. Reliqui seruos tenent, & contumelijs affectos occidunt.*
*F. Rex, his auditis, missis exercitibus suis homicidas perdit, & ciuitatem eorum incendit. Hactenus significantur Iudæi vocati.*
*G. Mittuntur serui ad vocandos Gentiles.*
*H. Ex his implentur nuptiæ, fit conessus, & triclinium pretiosissimè ornatur, accedentibus tandem ad Gentes Iudæis.*
*I. Deprehenditur vnus inter omnes, qui nuptiali veste non esset indutus.*
*K. Hunc iubet Rex ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XXII.

ET respondens IESVS dixit iterum in parabolis eis, dicens; Simile factum est regnum cælorũ homini [b] Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit [c] seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterũ misit alios seruos, dicens; Dicite inuitatis; Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in [d] villam suã, alius verò ad [d] negotiationem suam: [e] reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis; Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite [g] ergo ad exitus viarum, & quoscũque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. [i] Intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali: & ait illi; Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris; [k] Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eũ in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

ADNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*ALia est hæc parabola quàm illa Lucæ, vt cõfirmat Augustin. non negat Gregorius, nec cõtendit: hic enim prandiũ, illic cœna proponitur; hic interficiuntur serui, illic nullus necatur: hic mittuntur exercitus, illic nullus apparet exercitus: hic discumbunt ad conuiuium, & ejcitur in tenebras exteriores qui nuptiali veste non erat ornatus, illic nullus accũbit, nullus rejcitur; illa dicta est parabola in domo Principis cõuiuio assidẽte Christo ad mare Galilææ in Capharnaum, anno trigesimo secundo vitæ suæ, hæc Hierosolymis in templo anno trigesimo tertio, & quidẽ post ramos Palmarum ante passionem: postremò illa proprie spectat ad vocationẽ tẽpore Euangelij, hæc proprie ad omne tempus, & non facile ad tẽpus Euangelij contrahi solum potest. Est ergo igitur.*

*A. Templum Hierosolymis, & porticus Salomonis, vbi docebat Christus.*

*B. Regia, & in ea aula magnificentissimè ornata, mensa parata splendidissimè, abacus opulentissimus, apposita infinita aurea & argẽtea vasa: in throno suo sedet Rex purpura, diademate, & sceptro insignis; ad eius dexterã assidet honorificentissime ornatus Filius, ac huius Sponsa forma speciosissima & cultu. Significantur verò ex Verbi Dei incarnatione, nuptiæ quas filio suo fecit Deus cum Ecclesia, quæ nuptiæ in cælo consummationem accipient vltimam, vbi Sponsam receperit in gloriam sempiternã Christus: vocatio autem hæc ad fidem incarnationis, Ecclesiæ vnitatem, & vitam æternam peculiariter refertur, qua singulari quadam gratia omnibus temporibus homines ad salutem vocauit Deus, per Patriarchas, per templum, & Prophetas: nõ est vniuersalis illa vocatio, qua per creaturas & naturalia opera omnes cõtinẽter vocat.*

*C. Ante Regem, serui qui mittuntur vt ad nuptias vocent quos vult Rex vocari.*

*D. Vocantur qui occupationes terrenas excusant, vel vocationem negligunt: alius it in villam, alius ad negotiationem: hi scilicet veritatem non oppugnant, sed prætereunt vel despiciunt, designatur verò Iudæorum plebs, & aliarum gentium omni ætate populus.*

*E. Vocantur alij qui oppugnant atrociter veritatem, & non solum vocationem rejciunt, sed vocantes perimunt crudeliter. Quem enim Prophetarum non persequuti sunt Iudæorum Primarij? & occiderunt eos qui pronunciabant de aduentu iusti; tandẽ iustum ipsum Christum Domini. Principes & Primarij Iudæi hic notantur, & alij ptorum persecutores.*

*F. Exercitus vastans vrbem Hierusalem; interficiuntur non solùm Principes, sed plebs; solo æquatur Vrbs, vastantur & cõculcantur omnia.*

*G. Reiectis Iudæis vocãtur Gentes ad nuptias filij Dei, ad fidẽ Christi, ad Ecclesiæ veritatem, ad præmium æternæ vitæ. Hos vocarunt Apostoli & Discipuli Domini, & eorum successores in vias egressi: nullam enim Gentiles habebant ciuitatem spiritualem, sed erant in vijs varijs adinuentionum suarum errantes. Hos omnes autem vocarunt indifferenter, siue boni inter ipsos haberentur siue mali, etiamsi apud Deum omnes infideles essent.*

*H. Regium triclinium pretiosissimè ornatum, regiæ dapes paratæ, plenus cõfessus nuptialis discumbentium, qui erãt omnes cultu corporum splẽdido & precioso: venit verò Rex vt videat discumbentes.*

*I. Vnus tamen quòd vestem nuptialem non haberet.*

*K. Imperio Regis cum ignominia in tenebras exteriores ligatis manibus & pedibus ejcitur; non è conuiuio cælesti & gloriæ, sed è congregatione iustorum, qui assidẽtes quidem mensæ cælesti in Ecclesia Dei, sentiunt odorem cibi cælestis, alius resipiunt excellentiam, non edunt tamen adhuc. Repræsentatur verò confessus iustorum in iudicio vniuersali, inter quos miscebuntur qui in Ecclesia quidem erunt, non habebunt tamẽ charitatis opera. Iis iudicio reprobatis imperabit Christus facultatẽ omnem bene operãdi eripi, & vsum omnium potentiarum, nisi in malum, in dolorem, in obstinationem, & miseriam: conjcientur verò in exteriores tenebras, id est in tenebrosum & horrẽdum inferni ignẽ; nam interiores, antequam projciantur in baratrũ inferni, patientur mentis tenebras, & damni pœnam illam sempiternã, scilicet diuinæ visionis & fruitionis priuationem. Fletus ignem tenebrosum innuit, frigus intolerabile: transibunt enim damnati ad nimium calorẽ ab aquis niuium.* Iob 24. Hier. Thom. & alij.

MEDI-



## MEDITATIO.

Gregor. in homil. 38. in Euam.

O Dei nostri infinitam bonitatem & misericordiã! Fecit nuptias Filio suo, quando per hypostaticæ vnionis mysterium ei Ecclesiam sociauit: vterus autem virginis huius Sponsi thalamus fuit; vnde & Psalmista dicit, In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, qui ad coniungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto vtero Virginis exiuit. Sed quid obtulit quasi pro dote Sponsæ suæ? Sanguinem & vitam suam, bona omnia quæ assumpsit vt eam sibi copularet, quibus eam aleret, & matrimonij onera sustentaret è Patris & sua dignitate & gloria. Verùm cur nomine nuptiarum vtitur Deus, quod carnales etiam nuptias repræsentat? E sua prouidentia ad doctrinam & disciplinam nostram id fecit, vt à nuptijs carnalibus nos leuaret ad spirituales & diuinas; vim enim & verbo indidit & parabolæ, omnem impuritatem & imperfectionem nuptiarum abigendi: est enim verbum Dei in mentibus nostris diuinè efficax, si quis piè illi cooperetur. Euge anima mea lætare, exulta, iubila: habet Ecclesia Sponsum Filium Dei omnipotentis Christum IESVM, qui dilexit eam: & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata. Verùm quænam fuit & est illa vnio Christi cum Ecclesia? Ea quæ processit ex gratia vnionis Verbi cum humanitate; inde enim prodijt Sponsus Ecclesiæ, inde per pretiosissima dona sua illam sibi vniuit, per fidem, spem, & charitatem, per vnitatem spiritus in vinculo pacis, per dona Spiritus sancti, per virtutes, per fructus spiritus, & beatitudines, per Sacramenta, per alia charismata, per orationis donum & contemplationis, per gratiam status perfectionis, per doctrinam sacrarum litterarum & traditionum Catholicam, per hierarchiam ecclesiasticam, & sacras eius functiones, per cælestium spirituum angelica ministeria, per miraculorum virtutem, per perennem influxum Spiritus, & diuinam gubernationem, per Principem Ecclesiæ Catholicæ Christi Vicarium & eius ministeria, tum per aliarum ecclesiarum Præsides, per fœcunditatem filios Deo, & Christo fratres procreandi. Sunt infinita dona Christi IESV, quibus Sponsæ Ecclesiæ suæ vnitur. Exultemus fratres, vidẽtes Sponsum, & Sponsam Reginam assistere à dextris Regis æterni Christi, pretiosissimis donis ornatam, quæ faciunt cælestes nuptias, & diuinam vnionem, vt gloriosissimè, ita potentissimè. Per eadem autem hæc dona simul diuinitus operatur Christus illum effectum, vt agatur spirituale conuiuium, & diuina celebritas in Ecclesia; in his enim sacrarum rerum mysterijs sunt tauri & altilia occisa, & parata ad conuiuium spiritus, quia è sanguine Sponsi vim habẽt, ac iucunditatem. Et quid mirum? Agnus etiã ipse, id est Sponsus occisus est, & fecit vt suæ illæ fierent nuptiæ: occisus quippe ille est, & reipsa semel, & in acceptatione Dei, ad mysteria & iustitiam Ecclesiæ communicandam ab origine mundi; & fecit deinde vt suum sacrificium perseueraret in consummationem seculorum & militantis Ecclesiæ, in Sacramento Eucharistiæ, & sacrificio sacrosancto. Iam si hæc maxima sunt, vt sunt, quàm erit & magnum & eximium illud donum, quod nos accipimus in Ecclesia per Sponsum Christum, & per illa ipsa dona! Factus simul est Christus, fratres, Sponsus animæ nostræ per illa eadem dona & mysteria; per illa nobis vnitur, & dignos efficit sua vnione spirituali & diuina. Idem nobis paratum est & propositũ conuiuium, eadem celebritas, idem gaudium & fructus: & hic quidem paradisus est deliciarum spiritualium in Ecclesia militante, in Sponsa Christi adhuc actuosa & operosa. Summa quidem sunt hæc dona & mysteria, sunt sublimia & diuina; verùm vt in terris, vt in militia, & exercitijs Ecclesiæ & spiritualis Hierusalem, in laboribus, in angustijs, in meritis. Quis verò poterit vel oratione consequi, vel mente concipere, cælestis & nouæ Hierusalem, Ecclesiæ triumphantis quanta sit dignitas, dona, excellentiæ, mysteria, miracula; quàm excelsum, quàm sublime, quàm infinitum bonum? Et de hac quidẽ ego nihil audeo dicere, nec possum: dixisti tu sublimis Euangelista & Propheta Ioannes, &, vt soles, alitè intonuisti; Et vidi cælum nouum, & terram nouã; primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non est: & ego Ioannes vidi sanctã ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo, à

Ephes. 5.

Psal. 18.

Apoc. 5.

Mat. 28

Apoc. 21. & 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: & reliqua quæ diuinè proſequeris. Mentis & ſpiritus oculos attollite, fratres, ad ſublimem aquilam per cælum latè volantem, & è cælo nobis exponentem, & mentes noſtras ad excelſam gloriam, & nuptiarũ Agni conſummationem leuantem, vt exponat quemadmodum militans Eccleſia triumphãti coniungatur, vnaque glorioſiſſimè fiat, ad cælum euehatur, cælo aſſeratur, ac ſuarũ diuitiarum fiat particeps; vt earum illi detur certa & perpetua poſſeſſio, vt omni contradictione, labore, difficultate ea liberetur. Quòd autem ex auro, cryſtallo, ex tot tamque ineſtimabilibus gemmis & margaritis ciuitatem ædificet, quid aliud quàm ad fidem, & admirationẽ, & laudem cęleſtis Ciuitatis ſupra captum noſtrum poſitam inuitat, & maiora eſſe quæ illic expectamus, & pretioſiora, quàm quæ animo hic complecti poſſumus, ſignificat? Et tamen auro, gemmis, margaritis, cryſtallo ſignificatur lætitia, perfectio, & vtilitas ſumma, vnde ſupereffulgeat ſplendor diuinus, qui nos inducat in templum Dei, quod infinito interuallo reliqua omnia antecellit; & hoc quidem profitetur Ioannes omni eſſe comparatione & ſimilitudine rerum creatarum templum excelſius, eſſe ineffabile. Itaque nihil habet quo illud ſignificet, celebrat tamen diuino quodam ſilentio; Et templum, inquit, non vidi in ea, quod poſſem rei alicuius creatæ ſimilitudine ſignificare. Et tamen dicis Deum & Agnum eſſe templum. Hoc cùm dico, magis fileo: quis enim indicare conari poſſit Dei omnipotentis maieſtatem, & ſubſtantiam infinitam, vel Agni Filij Dei? Sed tamen cùm ſic enuncias (ò rem omni laude creata & gloria ſuperiorem!) omnia officia templi & vtilitates, myſtico quodam ſilentio & luce repræſentas: in gloria cæleſti nulla fore miniſteria templi alterius, omnium miniſteriorum finem & conſummationẽ eſſe in Deo, Deum qui videat, & Deo fruatur, eum omnia quæ deſiderari per templum aliud poſſunt, vel in templo alio præſtari, offerri, celebrari, in Deo ipſo eſſe infinitè conſecuturum, & in Agno Dei Filio, vt in fonte immenſo omnis miſericordiæ, & bonitatis, & meriti, & gloriæ. At enim ego lõgiùs dico quàm aſſequi poſſum: vtinam quæ intelligebas, ſublimis Ioannes, & nunc clariſſimè vides, earum rerum & lucis aliquam ſcintillam & notitiam è templo ipſo mihi impertias. Venite fratres, venite animæ deuotę, introite in potentias Domini, etenim nuptiæ Filij Dei factæ ſunt, & cõſummabuntur tandem in ſeculorum conſummatione. Miſſi quidem ſemper ſunt à Deo Patre æterno qui veritatem fidei prædicarent, qui vocarent ad nuptias; pauci tamen audierunt: alij euanuerunt in cogitationibus ſuis, & ſeculi occupationibus, gratiam & veritatẽ vel non intelligentes, vel negligentes: alij veritatem, & fidem, & nuptias, & harum præcones perſecuti ſunt, & contumelijs affectos interfecerunt: ſemper tamen Deus de impijs ſumpſit ſupplicium, contriuit ſtatuam regnorum & impietatem, induxit in orbem iuſtitiam ſempiternam, Chriſtum IESVM lapidem Dei viuum & electum, qui deſtructa infidelitate factus eſt in caput anguli, factus eſt fundamẽtum & conſummatio omnis ædificij cæleſtis, vnde præſentes animarum noſtrarum nuptię indies exornantur atque conſummãtur. Dona hæc ſumma agnoſcamus fratres, accurramus ad nuptias, ad Sponſum Chriſtum properemus, eius Sponſæ Eccleſiæ adiungamur, aperta eſt nuptiarum ianua, nullus non admittitur qui velit, omnes rogantur, omnes inuitantur. Et boni etiam & mali ad conſeſſum vocantur & introducuntur; verùm mali illi qui fidem quidem habent, ſed opera charitatis negligunt, itaque veſte nuptiali carent, excluduntur. Hi enim ad locum quidem nuptiarum ingredi poſſunt, non aſſidẽt tamen, ſed exploduntur, & æterna damnatione condemnantur. Boni virtutibus induuntur, charitate verò omnes ſuas veſtes ornant, menſæ nuptiarum aſſident, epulis diuinis primùm in hac mortalitate paſcũtur, ſacroſanctæ item Euchariſtiæ ineffabili vnione, virtute, ſuauitate nutriuntur: ita parantur ad illas epulas ſempiternas cum Sanctis & Angelis Dei in cæleſti gloria, cum Chriſto ipſo in æternum percipiendas, quarum etiam viuentes prælibant virtutem & iucunditatem incomparabilem. Amen.

*Rom. 1.*

*Dan. 2.*

*1. Pet. 2.*

*Pſ. 117.*

*1. Cor. 3.*

DOMI-



# DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

## Filium Reguli ſanat IESVS.

IOAN. IIII. ANNO XXXII.

*In exliij. imaginem adnotatiuncula.* exliij. 37.

*A.* *Cana minor, in tribu Zabulon.*
*B.* *Capharnaum, vnde egreſſus Regulus, pergebat ad Canam.*
*C.* *IESVS in Cana.*
*D.* *Peruenit ad eum Regulus, ſupplex orat vt deſcendat Capharnaum, & ſanet filium.*
*C.* *IESVS dixit illi; Niſi ſigna & prodigia videritis, &c.*
*D.* *Urget Regulus; Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus.*
*C.* *Dicit ei IESVS; Vade, filius tuus viuit.*
*D.* *Credidit, & ibat.*
*E.* *Occurrunt illi ſerui, nunciantes filium eius viuere; intelligit illum hora eadem, qua dixerat IESVS, conualuiſſe.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### IOAN. IIII.

VEnit ergo iterum in [a] Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur [b] Capharnaum. Hic cùm audiſſet, quia [c] IESVS adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & [d] rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit [c] ergo IESVS ad eum; Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. [d] Dicit ad eum Regulus; Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei IESVS; [c] Vade, filius tuus viuit. [d] Credidit homo ſermoni quem dixit ei IESVS, & ibat. Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua meliùs habuerat, & dixerunt ei, quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS, Filius tuus viuit: & credidit ipſe, & domus eius tota. Hoc iterum ſecundum ſignum fecit IESVS, cùm veniſſet à Iudæa in Galilæam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A. CAna minor in Tribu Zabulon inferioris Galilææ, in decliui monte posita ad Austrum, sub qua extenditur planities ad Sephoron vsque amœna admodum & fertilis. In hoc oppido fecerat IESVS primum illud miraculum in nuptijs: eò venerat per Samariam, Manassen, & Isachar, cùm ex Iudæa rediret in Galilæam.*

*B. Capharnaum, vnde egressus Regulus, cuius filius infirmabatur, pergebat ad IESVM; audierat enim aduenisse eum à Iudæa in Galilæam, & in Cana esse in Zabulon.*

*C. In Cana IESVS: ad eum supplex veniens Regulus, id est Princeps modicæ alicuius regionis, vel aulicus Regis Herodis (qui etiam si Tetrarcha esset, Rex tamen vulgo dicebatur:) cum eo sui comites; rogat IESVM vt Capharnaum ad mare descendat, ac filium eius, qui incipiebat mori, sanet.*

*D. Infirma fide eum esse videbat Christus, tamen benignitate illum complexus, ac volens illius fidei per miraculum afferre perfectionem, ac eius filij corpus simul & animam sanare, exprobrat prius illi fidei imperfectionem, quæ, nisi miraculis subleuetur, emergere non possit.*

*C. Non creditis, inquit, Iudæi, nisi signa videritis & prodigia. Suauissimè illum reprehendit, indicans se miraculum esse facturum Regulus tamen non emendat fidei imbecillitatem, atque adeò illam confirmat.*

*D. Domine, descende, inquit, priusquam moriatur filius meus; quasi res esset deplorata nisi ad eum veniret: summissiùs tamen addit, Domine. Exerit tunc bonus IESVS suam in illum & filium misericordiam, qua per miraculum filium planè sanat, patris animum ad sanitatem promouet.*

*C. Vade, inquit; filius tuus viuit: recepit vitam qui erat moriturus. Quod cùm diceret, virtus diuina illum est complexa; vires sumit fides, non tamen adhuc perfectionem.*

*D. Credidit quidem verbo IESV, sed quasi volens re ipsa experiri quod crediderat, abibat nondum integra fide, salutato IESV, & actis gratijs compendio, vt solent qui properant.*

*E. Occurrunt ei serui descendenti domum, nunciant viuere filium: non credit adhuc, vt dixerat Christus, nisi comprobet & videat miraculum apertè: interrogat quota hora meliùs habuisset, intelligit septima hora hesterna, eadem videlicet qua dixerat Christus eius filium viuere. Tunc verò tandem credit non ipse solum, sed filius, & serui, & tota etiam domus post quàm quæ facta fuerant ex ipso audierunt. Parum est autem negotij demonstrare aliam esse hanc historiam & miraculum quàm quod Matt. VIII. & Luc. VII. narratur: nam vt aliæ differentiæ prætermittantur, illic erat Centurio, hic Regulus: illius seruus ægrotabat, huius filius: illic erat morbus paralysis, hic febris: illic erat in Capharnaum cum puerum sanauit IESVS, hic in Cana cùm filium; hic est secundum miraculum, illic multa iam patrauerat miracula Christus. Porrò adoremus nos Christi benignitatem non in Regulo tantùm, sed in nobis item, quorum imperfectam fidem videt Christus & auget, modò ad eum accedamus profundæ humilitatis, & pij affectus passibus; & petamus non vt corporalis præsentia, sed vt eius diuina benedictio ad nos descendat. Agnoscamus filios nostros, hoc est dona quæ in Capharnaum, hoc est ex propitiatione & consolatione Christi concepimus, quotidie ad mortem tendere nostra ignauia, nisi sua clementia conseruet illa & augeat qui dedit. Illud præterea animaduertamus, vt ne similiter nos taxet Christus atque Regulum & Iudæos: illi enim nisi per signa non credebant, nos, nisi gratia sensibili abundemus, nunquam assurgimus ad meliorem spiritus frugem. Contrà nobis in humilitate cordis nostri agendum est, vt ita audiamus singuli; Vade, filius tuus viuit, & consolationem spiritus accipiamus, & vim operandi atque progrediendi maiorē indies ad vitæ spiritualis perfectionem.*

MEDI-



## MEDITATIO.

DOmine IESV benigne, expone nobis, quid ex hoc Euangelio ad salutē & perfectionem nostram debeamus excerpere. En vobis, fratres mei, quos meo sanguine & vita redemi, quos habeo semper cordi meo charissimos. Regulum habet anima vestra spiri- 1. Pet. 1.
tum, qui est Spiritus mei gratia & donatio, hic animæ vestræ curam gerit, mentis, voluntatis, potentiarum, actionum omnium vestra- Bern. 2. Hier. q. 12. ad Hedib.
rum; hic iuuat infirmitates vestras, & postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, diuina virtute: verùm à vobis continenter debilitatur, vt ille Capharnaita Regulus. Porrò mens vestra infirma adeò semper est, vt subinde videatur moritura è peccato; succurrite illi vos meo spiritu & gratia nitentes, expulsis illis Reguli imperfectionibus. Animaduertite & cōtemplamini semper me vobis præstò esse ab Hierusalem mea cælesti & Iu- Ps. 150.
dæa, vbi omnis spiritus videt & laudat Deum, ac confitetur Domino. Venio autem ad vestram Galilæam, instabilitatem vestram scilicet & miseriā; accedite vos per spiritū meum ad me ex Capharnaum, id est ex fide meę propitiationis & consolationis cælestis, & petite à Patre meo & à me, vt sanentur vestræ potentiæ, & purificetur spiritus; quasi videatis (credatis quidem, vt credere debetis) & spiritum, & potentias vestras ad interitum tendere, atque adeò mori, nisi ego succurram. Verùm necessium est vt spiritum vestrum & orationem puram faciatis, contrà quàm fecit Regulus: ille primùm in immensitate meæ diuinitatis hæsitauit, vt descenderem rogans & sanarem; vos adducatis in oratione fidem Ier. 23.
præsentiæ diuinitatis meæ in omni loco: ille rursum fidem non habuit meæ omnipotentiæ; reputauit enim me infirmum potuisse sanare, non mortuum suscitare; afferte vos ad orationem, plenam fidem meæ omnipotentiæ, quòd infinita sit, & eadem quæ Patris & Spiritus sancti: postremò ille credidit quidem mihi pronuntianti, Vade filius tuus viuit, sed qui exploraturus esset effectum: non enim credidit planè donec audiret & videret viuere filium. Heu Domine IESV bone & sancte, agnoscimus has omnes imperfectiones nostræ orationis & fidei: quis enim sentit plenam fidem tuæ immensæ præsentiæ & omnipotentiæ? Quis non ita viuit, orat, credit, quasi in te non viueret, moueretur, & esset? Quis sentit in spiritu suo tuum illapsum diuinum? Quis sentit te esse in creatura tua per Act. 17.
præsentiam, potentiam, & essentiam? Quis te in Patre, & Patrem in te esse, & idem sentit de Ioan. 10.
Spiritu sancto? Mysteria sunt hæc veræ fidei tuæ Domine, & tamen nos illa credimus ita negligenter & frigidè, vt similes planè illi Regulo esse videamur. In tertiam verò illius imperfectionē identidem incurrimus. Quotus enim quisque ex nobis non agit curiosè circa euentum impetrationis suarum orationum? Oro, obsecro pro me, rem peto quæ necessaria vel vtilis est ad salutem, piè oro & perseuerāter, ad quæ tradunt Theologi consequi impetrationem; & tamen interturbant me cogitationes importunæ, non accipio, quando accipiam? Hęc animo gerimus, exprimimus aliquando & verbis. Hic magnus est noster error, magna imperfectio spiritus. Hoc malum spiritus nobis affricant nostræ animæ imperfectiones, & nostrarum potentiarum infirmitates. Sana, Domine IESV, etiam orationem: da nobis vt habeamus apud te Mar. 11.
puram & perfectam fidem, nihil titubationis, nihil negligentiæ miscemus; credamus quia accipiemus, & haud dubiè fiet nobis quando tu, Domine, voles, & quod tu voles, & quantum voles, & quemadmodum voles: abundè, satis, superq; erit nostræ orationi satisfactū, si tua voluntas in nobis & de nobis fiat. Ita Matt. 6
enim te vis obsecrari per gratiarū actionem, per tuum meritum & mysteria, & sanctorum intercessionem. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

De singulari inhumanitate serui regij & ingratitudine.

MATTH. XVIII. ANNO XXXIII.

*In cxlv. imaginem adnotatiuncula.* cxlv. 17.

*A. IESVS docens Petrum & Apostolos.*
*B. Sedet Rex in throno suo, assistit concilium, rationem instituit ponere cum seruis suis.*
*C. Offertur illi seruus, qui fisco debebat decem millia talenta.*
*B. Imperat Rex vendi illum, & vxorem, & filios, cùm non esset soluendo.*
*C. Procidens seruus orat Regem, Patientiam habe in me, &c.*
*B. Misertus Rex dimittit illum, atque debitum simul remittit.*
*D. Hic tamen homo ingratus obuium habet, qui ei debebat centum denarios, quē crudeliter accipit,*
*E. Et malè multatum conijcit in carcerem, donec denarios restituat.*
*F. Quod videntes conserui, indignissimè ferunt.*
*G. Deferunt ad Regem hominis crudelitatem intolerabilem.*
*H. Concepta Rex iusta indignatione, acerbè obiurgatum tradit tortoribus, donec reddat vniuersum debitum.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XVIII.

IN illo tempore [a] dixit IESVS Discipulis suis parabolam hanc: Assimilatum est regnum cælorum homini [b] Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, [c] oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet vnde redderet, [b] iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. [c] Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens; Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. [b] Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem [d] seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios; & tenens suffocabat eum, dicens; Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum, dicens; Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt, & [e] misit eum in carcerem, donec redderet debitum. [f] Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & [g] narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi; Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et [h] iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

ADNO-



## ADNOTATIO.

*DEscenderat IESVS è monte Thabor, post gloriosam transfigurationem, vt Feria III. Dominicæ III. Quadragesimæ est annotatum, & venerat postea Capharnaum, soluerat tributum pro se & Petro, ad humilitatem & omnem modestiam erudierat Apostolos, docuerat rationem fraternæ correctionis, significauerat datū iri illis iurisdictionem ecclesiasticam excommunicandi simul & reconciliandi: quo loco significat dari etiam facultatē peccati culpam remittendi: nam qui Ecclesiæ erat obediens, is mittendus erat ad Sacerdotem absoluendus à culpa, & benignè accipiendus. Quod intelligens Petrus, zelo commotus, ne tanta mansuetudo faceret homines salutis suæ negligentes, & abuti beneficij facilitate, rogauerat ex IESV vtrumq; eisdem verbis, quoties remittenda fratri peccata, & quoties benignè tractandus: num septies tantum. Respondet IESVS, non septies, sed septuagies septies; id est, quoties conuersus fuerit frater. Et quandoquidem res erat hæc magni momenti & periculi, vt in quam pij homines poterant incurrere ex immoderato honoris Dei & gloriæ zelo; adducit Christus vehementem parabolam & seueritatis plenam, eò spectans, vt & Sacerdotes, Confessarij, & qui exteriorem iurisdictionem obtinent in Ecclesiam, benignitate & mansuetudine vterentur erga peccatores, nec sibi blandiētes in alios essent rigidi censores ac iudices. Esto igitur*

*A. IESVS docens Petrum & Apostolos.*

*B. Rex sedet in throno regio, assistunt Principes & Consiliarij: cùm autē constituisset Rex ponere rationem cum seruis suis, de eorum administratione,*

*C. Initiò statim vbi actionem instituit, delatus ad eum est homo, qui debebat illi decem millia talentorum, summam pecuniæ immensam, hoc est, sexagies centena aureorum coronatorum millia: sex videlicet milliones, vt dicunt.*

*B. Res cùm esset comperta, nec esset homo soluendo, imperauit Rex vt venum iret ipse, vxor, filij, & quæ possidebat omnia, & fisco debitum vniuersum restitueretur.*

*C. Quod miser ille audiens, seueritate iudicij consternatus, procidit ad Regis pedes ac supplicat; Patientiam habe in me; lenis in me esto & longanimis, noli tui iudicij seueritate, etiāsi iuste iudices, me miserum funditus omnibus fortunis, omni libertate euertere: futurū spondeo, si longanimis in me fueris, vt quæ debeo omnia tibi restituam. O admirabilem obsecrationis virtutem!*

*B. Misericordia motus Rex, confestim & illum dimisit, & æs alienum illi omne condonauit. Non hic de talentis auri agitur, non de debitore rei terrenæ, sed de homine, qui pretiosissimis Dei donis est abusus, qui longe maiora bona Deo debet quàm illa, Dei scilicet gloriā & honorem, suam obediētiam & respiscentiam. Hæc omnia breui oratione à diuina misericordia consequitur homo vt posit: si agnoscens suam miseriam & damnationem, tum suam impotentiā, dicat; Domine IESV, ego omnia Patri tuo & tibi debeo, nihil possum reddere, nihil pati dignum vestra misericordia; tu ipse, si pro me patiaris & longanimis sis per crucem tuam, & mihi tuam illam patientiam per tuam gratiam applices, nihil est quod non possim: hoc fac, & omnia restituo per te Patri tuo & tibi. Hæc est illa vis admirāda, quæ Regem mouet Deum ad misericordiam. Hinc apparet ingratitudinis magnitudo & crudelitatis eius qui è corde non dimittit fratri suo, siue in secreto iudicio, siue in externo, si similiter atque ipse conciliauit sibi Dei gratiam petenti veniam, eam non concedit peccatori, sed fratrem in infernum (quod est in se) dat præcipitē auxilij omnis expertē & desperatum.*

*D. Homo ille immitis, qui obuiam sibi factum creditorem crudeliter accipit, in collum inuolat, illum strangulaturus nisi reddat centum denarios, id est, centum quinquaginta solidos vulgares, nec proiecto ad eius pedes, & similiter petēti veniā, atq; ipse à Rege petierat, vult ignoscere;*

*E. Sed male multatum, mittit in carcerem, donec vniuersos denarios redderet.*

*F. Videntes conserui quæ indignissimè ac crudeliter fiebant, ægerrimè ferunt.*

*G. Veniunt ad Regem, deferunt hominis illius inhumanitatē atque crudelitatem, augent crimē, rem duram & immitē vidisse se, dignum hominem omni supplicio. Imperat Rex duci hominem, sistitur iudicio ante Regem, accusant cōserui: contumeliosè illi Rex exprobrat ingratitudinē & crudelitatem; Serue, inquit, nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?*

*H. Concepta simul ira ex commemoratione atrocitatis, imperat illum nō solùm in carcerem trudi, sed torqueri donec vniuersum debitum reddat. Seueritas tanta hīc explicatur propter*

Universidad de Deusto. Biblioteca



*mysticam parabolæ intelligentiam, quum alias, qui ingenti summa argenti esset liberatus benignitate principali, grandi se obstringeret crimine, propter Regij beneficij enormem abusum, si conseruo minimam non solùm non condonaret, sed nec spatium temporis concederet, vt solutio expediretur. Damnatur autem ad tormenta, donec solueret debitum vniuersum; vnde intelligimus pœnam æternam infligi: nam cùm nunquam, qui in inferno sunt, soluere debitum possint, semper torquentur. Sed cur vniuersum quod iam fuerat remissum, cùm sint dona Dei ἀμεταμέλητα, id est, absque pœnitentia? Illud est: cui remittuntur peccata, si rursum peccat, præsertim per singularē aliquam ingratitudinem, fit vt similiter atque antea puniatur: non solùm quòd semper vniuersum debitum est damnatio æterna, sed etiam quia principium misericordiæ, quod est in se, euertit.*

## MEDITATIO.

OMnibus mortalibus dedisti, benigne IESV, salutarem doctrinam, & diuinitus efficacem, habuisti enim semper verba vitæ æternæ; sed videor ego intelligere ad me propriè omnia attinere, vt præsentis Euangelij doctrinam & vim. Scio te, Domine, bis posituram rationem cum seruis tuis, hoc est, cum his qui tuam seruitutem profitentur; nam alij iam sunt iudicati: in morte igitur illos iudicas, iudicabis in consummatione item seculorum. Verùm illa est summa tua misericordia, vt ante illa iudicia tremenda, & à quibus nullus appellare quempiā potest, aliud iudicium nobis clementissimè hoc Euangelio indices veluti interlocutorium, non definitiuum, à quo scilicet liceat ad te ipsum prouocare. Acerrima enim tua comminatione me, vt ab illis iudicijs caueam, ad illa me præparem, admones: proponis mihi hinc conscientiā peccatorum meorum, illinc rigoris tuæ iustitiæ, & meæ pœnę timorem, nec me habere vllum aliud refugium, nisi tuam bonitatem & misericordiam. En Domine IESV Christe, primus omnium peccatorum ego sum, primus tuo iudicio repræsentor à mea conscientia, quam tu hac parabola timore ac solicitudine ingenti percussisti: accusor malæ fidei in administratione tuarum opum quibus me ornasti, gratiæ, virtutum, donorum, quæ omnia fœdè prodegi. Itaque cùm sim ad paupertatem spiritus redactus, & omnia debeam tibi, ad quæ me ex illis donis obligaueras tibi offerenda, etiam illa dona me deficiunt vnde possim tibi aliquid reddere: quocirca planè sum, nisi tu mei miserearis, deploratus. Verū erigo spem meam in te, qui id iubes hac parabola, hac suauissima tua doctrina: similiter, benigne IESV, te oro, atque ille parabolicus debitor Regem; Habe in me patientiam, & omnia reddam tibi. Quid hoc est, bone & magne IESV? O infinitum fontem misericordiæ & pietatis tuæ! Vis à te peti vt patientiam in me agas, & in me & pro me patiaris, hoc est, tua passione & morte mihi dones, vnde dissoluam Patri tuo & tibi, quæ vobis debeo omnia. Tu enim omnia nostra debita, omnia peccata nostra in te sustulisti, & cruci pro nobis affixisti; omnia dissoluisti, ab omnibus nos redemisti; hæc enim est tui meriti efficacia: solue nunc pro me, Domine; offer pro me tuam mortem, vt continenter facis, & omnia faciam quæ tu iubes: non erunt in me gratiæ, & virtutes, & dona infructuosa. Illud tamen intelligo Domine, non profutura hæc mihi, nisi tecum patiar, nisi te sequar, nisi tuam crucē tollam post te, nisi tuam voluntatem faciam: tunc enim omnia restituentur, tibi tunc tuo auxilio & gratia seruiam. Ita sit sancte IESV. En intelligo tuam in me infinitam benignitatē, agnosco inde quid meo proximo debeam; cauere autem vehementer debeo, ne in illam ingratitudinem & inhumanitatem incidam, vt difficilē me præbeam proximo meo, quin auersiones animi mei in fratres à meo corde exscindam; tum facilem me præbebo & diligentem in iuuando proximo, quibuscunque possum pijs officijs & ministerijs. Neque verò vnquam deterrere me debet grauitas peccatorū vel magnitudo; semper animo meo obuersari debet, si mea peccata ad aliena comparem, meum debitum reputandum esse decem millium talentorum, hoc est, immensum; proximi centum denariorum, hoc est, minimum præ meo; semper debeo esse propensissimus in misericordiam. Quod faciam, si omnia faciam, quæ necessaria & vtilia esse posse intelligo ad iuuandum proximum, nixus fide, spe, & charitate, non parcens meis laboribus, in humilitate & mansuetudine cordis mei in te Domine. Amen.

*Ioan. 6.*

*1. Pet. 2.*

*Col. 1. 2. Cor. 1. Mat. 16*

DOMI-



# DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

## De soluendo tributo.

MATTH. XXII. MAR. XII. LVC. XX. ANNO XXXIII.

*In exlvi. imaginem adnotatiuncula.* exlvi. 94.

*A.* Porticus Salomonis, vbi docebat Christus.
*B.* IESVS cum Discipulis.
*C.* Adorti sunt eum discipuli Pharisæorum & Herodiani, vt caperent in verbo; Licet censum dari Cæsari, an non?
*B.* Seuere obiurgans illorum versutiam & iniquitatē, respondet IESVS; Ostendite mihi numisma censu.
*C.* Ostendunt illi denarium.
*B.* Rogat IESVS; Cuius est imago hæc & superscriptio?
*C.* Aiunt; Cæsaris.
*B.* Respondet; Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.
*C.* Illius responsum admirati, non potuerunt verbum eius vllum vlla ratione reprehendere.

## EVANGELIVM MISSÆ.

MARC. XII.

MATTH. XXII.

LVC. XX.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eū in sermone.

Et

*Et obseruantes*

*ad eum*

mittunt ei

*miserunt*

*quosdam ex Pharisæis*

discipulos suos

*insidiatores, qui se iustos simularent,*

*& Herodianis,*

cum Herodianis,

*vt caperent eum in sermone,*

*in verbo*

*& traderent illum principatui & potestati Præsidis.*

*Qui venientes dicunt ei,*

*Et interrogauerunt eum,*

dicentes;

*scimus*

Magister, scimus

*quia recte dicis*

quia verax es,

*& doces:*

& viā Dei in veritate doces,

*& non curas quenquam: nec enim vides in faciem hominum,*

&nō est tibi cura de aliquo; nō enim respicis personam hominum:

*& non accipis personam,*

*sed in veritate viā Dei doces.*

*sed viam Dei in veritate doces:*

dic ergo nobis quid tibi videtur;

MAR.

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MAR. XII. | MATTH. XXII. | LVC. XX. |
|---|---|---|
| *tributum an non dabimus?* | licet [c] censum dare Cæsari, an non? | *licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* |
| *Qui sciens versutiam illorum,* | Cognita autẽ IESVS nequitia eorum, | *Considerans autem dolum illorum,* |
| *ait illis;* | ait; | *dixit ad eos;* |
| | Quid me [b] tentatis hypocritæ? | |
| *afferte mihi denarium, vt videam.* | Ostendite mihi numisma census. | |
| | At illi [c] obtulerunt ei denarium. | |
| *inscriptio?* | Et ait illis IESVS; [b] Cuius est imago hæc & superscriptio? | *cuius habet imaginem & inscriptionem?* |
| | Dicunt ei, | *Respondentes dixerunt;* |
| *Respondens autem IESVS dixit illis;* | [c] Cæsaris. Tunc ait illis; | *Cæsaris.* |
| | Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. | |
| *Et mirabantur super eo.* | Et audientes mirati sunt, | *Et non [c] potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt.* |
| | & relicto eo abierunt. | |

## ADNOTATIO.

*A. PORticus Salomonis Hierosolymæ, vbi IESVM adorti sunt versutè discipuli Pharisæorum, à suis submissi præceptoribus, vt ei insidiarentur, & in sermone caperent, atque apud Romanos accusarent, vel plebi facerẽt odiosum. Hi secum adducunt Herodianos siue Herodis milites, siue sectarios homines, qui dicebant Herodem Antipatrum Mesciam fuisse, quòd in eius regno defecisset à tribu Iuda sceptrum.*

*B. IESVS cum Discipulis suis.*

*C. Veniunt autem ad eum Discipuli Pharisæorum & Herodiani: proponit vnus IESVS sapientiæ Patris infinitæ quæstionem astutè, priùs tamen illius animũ blanditijs & laudibus aspergens; Magister, inquit, scimus quia verax es, rectè dicis & doces, nec est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum, neque vides in faciem, sed in veritate viam Dei doces: licet nobis dare tributum Cæsari, an non? Quorsum tot & tam variè artes, ô Pharisæastri, ante interrogationem? vt animum eius adulatione deliniretis scilicet, & eò pelliceretis, vt negaret tributũ dari, nec respiceret Romanorũ gratiam, vt Ioazarus Pontifex Cæsaris & Quirini, sed Iudæ potiùs Gaulanitis sententiã & factionem sectaretur, qui auctor fuit grauissimæ seditionis Iudæis, Iudæis, docens nihil esse aliud censum Cæsari dissoluere, quàm prodere auitam libertatem, & manifestam seruitutem profiteri.* Ioseph. antiq. 18. c. 1.

*B. Quid benignus IESVS? Perspecto eorum dolo & nequitia respondet, seuerè illos obiurgans; Cur me tẽtatis hypocritæ, sanctitatem simulãtes, & zelum legis & libertatis, cùm iniquo animo sit is & maligno, mihi verò dolo malo insidiemini? ostendite mihi census numisma.*

*C. Ostendunt denarium, trium scilicet cum semisse solidorum numisma, quod est drachma.*

*B. Rogat cuius illa sit imago & superscriptio; vt ex illorum confessione illos confutet.*

*C. Respondent; Cæsaris. Tiberium intelligamus priuignum Augusti. Colligit sapientissimè IESVS; Illud igitur numisma est Cæsaris. Quid ergo est cur non soluatis quæ sunt Cæsaris, Cæsari? quod vos ipsi vestra professione confitemini.*

*B. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; sed ita tamen, vt quod est maius, & necessarium magis, simul quæ Dei sunt, Deo reddatis: imaginem ille denarius gerit Cæsaris & inscriptionem, vos in animis vestris Dei; vt illinc Cæsari debetis eius iura, ita hinc Deo diuinam gloriam, & obedientiam, & sacrificium. Ita sapientissimè illorum nequitiam confutauit; nam hoc responso nec poterant offendi Romani, nec plebs: illis sat erat audire, reddenda quæ erãt Cæsaris, Cæsari plebs cùm videret esse Iudæam sub Romanorum imperio, illi tributa solui; moderatè videbant IESVM respondisse, tacito nomine tributi, quum & dicebat quæ negari non poterant, & ius naturæ postulabat. Quòd si ad tributum videretur illud spectare, ad id occasionẽ dederant Pharisæi; nec tamen aliud efficiebat, quàm quod duci ex denarij ostensione, & illorum responsione, poterat: hæc verò omnia condiebat quod subiunxerat Christus; Reddite quæ sunt Dei, Deo. Hinc doctrina quam Paulus docet; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; & quæ eo loco prosequitur. Nam quum inquit Christus; Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; obediendum legitimo Principi seculari docet, etiamsi ethnicus sit: quæ fuit doctrina Ecclesiæ perpetua, modò Deo magis quàm hominibus obedientia deferatur, neque præcipiat potestas humana quod potestati & voluntati diuinæ aduersetur. Obstruxit hoc responso os aduersarijs subdolis, neque potuerunt ne falsam quidem & efficiam rationem coram plebe adducere.* Rom. 13.

*C. Mirantur, tacent confusi, eo insalutato abeunt: consequuta haud dubiè est laus Christi à plebe & bonæ mentis hominibus.*



## MEDITATIO.

Psal. 2. MAgnus es, Domine IESV, in omnibus vijs tuis, & in omnibus operibus tuis sanctus: nequitia Phariſæorum voluit te circumuenire & calumniari ſua interrogatione; verùm non potuit; vt nunquam poteſt concilium vllum contra te Dominũ. Eorum erat malignitas, vt te negantem ſolui debere tributum, atrociter apud Pilatum accuſarent ſeditionis & rebellionis. Sin diceres ſoluendum, te facerent plebi inuiſum, & vanum hominem clamarent, ac legum & libertatis auitæ proditorem. Verùm tu illorum nequitiam & malignitatem ita confutaſti, vt ne coram plebe quidem quicquam hiſcere auderent, ſed mirarentur potiùs, tacerent, & te relicto abirent confuſi: quod fuit indicium & vis tuæ diuinæ poteſtatis. Sed quod reſpondiſti expone nobis, bone IESV. Sciebam ego ſceptrum eſſe ablatum à Iudaiſmo in meo aduentu in mundum, conſenſiſſe præterea ſciebam Iudæos in Cæſaris principatum, eſſe Cæſari ſubiectos, quod & ipſi ſunt profeſſi in paſſione mea; itaque Cæſari debebant tributum: ſoluerã ego didrachma, ſcandalum futurum docueram ſi non ſoluiſſem, nec ſignificaueram Romanos non poſſe exigere, ſed me non debere ſoluere, cuius veritatis Iudæi non erant capaces. Hæc omnia cùm poſſem reſpondere, fuit meæ ſapiẽtiæ tam multa non adducere, ſed illud dumtaxat quo illa poſſent intelligi, & poſſet ſimplicitate reſponſi omnibus ſatisfieri: nam denarij & imago & inſcriptio profeſſio erat principatus Romanorum, quare Cæſari reddenda erant, quæ illa profeſſione ſignificabantur. Cæterùm ne propterea crederent prodi legem Dei, ſimul eſſe reddenda Deo, quæ Dei ſunt, docui. Nam ſi Cæſari reddenda quæ eius ſunt, non pugnat hominum obedientia cum Dei, modò magis Deo quàm hominibus obediatur, nec homini contrà quàm velit Deus obediatur: nam omnem poteſtatẽ à Deo eſſe; & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere, tradidi ego per Apoſtolũ meum Paulũ. Doctrinã hãc grato animo à te recipimus, Domine IESV Chriſte; verùm quid ad noſtram vtilitatem ſpiri- Mat. 17. Rom. 13.

tus

Universidad de Deusto
Biblioteca



tus attineat, cupimus intelligere. En vobis ô boni: duplicem obedientiã & subiectionem debetis; Deo primam, alteram præterea legitimis Potestatibus & Superiorib⁹ vestris. Etenim Dei sapientia constituit, vt per Vicarios suos & Præfectos domus sua gubernaretur, tum propter humilitatem, dum homini homo se subdit propter Deum; tum verò ne arrogantes fierent & insolentes homines, dum singuli pro suo capite voluntatem Dei interpretantes omnia replerent seditionibus. Cetertim quò ad maiorem vitæ perfectionem vocantur homines, eò perfectiùs Deo obedire debent, & sua proportione perfectiùs hominibus. Itaque qui ad religionem estis vocati, vt perfectè Deo obedire debetis, ita ho-
1. Pet. 2. minibus propter Deum perfectè, & in homine Deum contemplari præsentem, & venerari vobis iubentem, vos gubernantem, & spiri-
Luc. 10. tu gustare quod ego dixi; Qui vos audit, me audit. Hoc lumen si amiseritis, difficilis erit vobis vestrorum Præfectorum obedientia: ille enim sensus meæ præsentiæ & meæ obedientiæ in homine absorbet omnes asperitates, quæ absq; hac luce & virtute spiritus sunt odiosæ & molestæ. Itaque poteritis interpretari esse hæc inter se coniuncta; obedire Deo, & hominibus; nam in eo ipso quod propter Deum obeditis, Deo obeditis, vti ego docui per me, per meos Apostolos. Illud tamen animaduertite, vt longè præstantior Dei est obedientia quàm hominum, longè excellentiora præcepta illius quàm horum, ita multò maiorem adduci debere & deuotionem animi & promptitudinem ad Dei quàm humanum præcepta implenda. Quare verissimè dixit etiã in hoc sensu Petrus Princeps meo-
Act. 5. rum Apostolorum; Obediendum Deo esse magis quàm hominibus: atque adeò cùm obeditis hominibus, Deo magis obeditis, quia illis propter hunc obeditis. Obiectum enim obedientiæ Dei mediatum Deus est, per præceptum videlicet diuinum authoritas infinita & securitas: obiectũ verò hominum obedientiæ mediatũ homo, per præceptum humanum, sed ad quod dandum à Deo accipit authoritatem homo. Ita fit vt eius authoritas sit humana, secura etiam, nisi quatenus ab homine proficiscitur, qui errare potest. Et tamen quamuis errare homo præcipiendo possit, qui homini propter Deum obedit errare non potest, nisi apertè contra Dei præceptum sit hominis præceptio. Colligite hinc ad virtutes theologicas, fidem, spem, charitatem, & in hanc præcipuè maiorem animi puritatem & vim, maiorem etiam deuotionem esse conferendam, vt in quibus est Deus, per quas proximè operatur & se aperit, præsertim per charitatem: ad hanc omnia vestra referatis; hæc est enim finis, in hac est vita æterna. In hac mortalitate mihi admodum placet vt sitis tam diligentes in exercitio virtutum moralium, modò in diuinis sitis longè feruentiores & attentiores: nam quorsum tandem illæ vobis traditæ sunt, nisi vt ad has contendatis, has pleniùs & fructuosiùs exerceatis? Gratias tibi ago & habeo, magne IESV, docuisti me de tua benignitate; eadem faciat vt quæ intellexi opere expleam. Amen.

DOMI-



# DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

## Sanatur Hæmorrhoissa: suscitatur filia Iairi.

MATTH. IX. MAR. V. LVC. VIII. ANNO XXXI.

*In cxlvij. imaginem adnotatiuncula.* cxlvij.

31.

*A.* *Capharnaum, quò nauigauerat* ℣ *ESVS.*
*B.* ℣ *ESVS loquente parabolam de assumento panni rudis.*
*C.* *Accedit Princeps Synagogæ Iairus, rogans vt sanet filiam eius.*
*D.* *Sequebatur illum* ℣ *ESVS, & comprimebatur à multis.*
*E.* *Et ecce mulier hæmorrhoissa penetrans ad pedes eius, tangit eius fimbriam, & sanatur.*
*F.* *IESVS inuestigat adeò diligenter quis eum tetigisset,*
*G.* *Vt se proderet coram turba mulier, remque omnem confiteretur.*
*F.* *Confirmat eius sanitatem IESVS, dicens; Vade in pace, & esto sana à plaga tua.*
*H.* *Adhuc loquente* ℣ *ESV, veniunt ad Iairum nuntiantes mortuam esse puellam: IESVS Iairi fidem confirmat.*
*I.* *Venit cum eo domum, flentes, & tibicines, & turbam excludit.*
*K.* *Cum solis parentibus, & Petro & filijs Zebedæi, ingreditur ad mortuam.*
*L.* *Tenet manum puellæ, & clamat; Talitha, cumi: & confestim surrexit puella.*
*M.* *IESVS cibum illis apponi imperat.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. V.

*Et venit quidam de archisynagogis*

*& videns eum procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum,*

*Quoniam filia mea in extremis est,*

*vt salua sit, & viuat.*

MATTH. IX.

IN illo [a] tempore.
Hæc illo [b] loquẽte ad eos, ecce Princeps vnus accessit,

& adorabat eum, dicens; Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuã super eam, & viuet.
Et surgens IESVS sequebatur eum, & Discipuli eius.

LVC. VIII.

*Et ecce venit vir*

*cui nomen Iairus, & ipse Princeps Synagogæ erat: & cecidit ad pedes IESV, rogans eum*

*vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



MARC. V.

*Et abÿt cum[d] illo, & sequebatur eum turba multa; & cõprimebant eum.*
*Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis*

*& fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua,*

*nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat: cùm audisset de IESV, venit in turba retrò,*

*& tetigit vestimentum eius.*

*Dicebat enim:*
*Quia si vel vestimentum eius tetigero,*
*Et confestim siccatus est fons sanguinis eius;*
*& sensit corpore quia sanata esset à plaga.*
*Et statim IESVS in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat;*
*Quis[e] tetigit vestimẽta mea?*

*Et dicebant ei discipuli sui;*

*Vides turbam comprimentem te,*
*Et circumspiciebat videre eã quæ hoc fecerat.*

*Mulier verò*

*timens & tremens, sciens quod factum esset in se,*
*venit*
*& [g] procidit ante eum,*

MATTH. IX.

Et[e] ecce mulier quæ sanguinis fluxũ patiebatur duodecim annis,

accessit retrò,
& tetigit fimbriã vestimẽti eius.
Dicebat enim intra se;
Si tetigero tantũ vestimentum eius, salua ero.

LVC. VIII.

*Et contigit dum iret, à turbis comprimebatur.*

*Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim,*

*quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari:*

*stetit*
*fluxus sanguinis eius.*

*Et ait IESVS;*
*Quis est qui me tetigit?*
*Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant;*
*Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, Quis me tetigit? Et dixit IESVS; Tetigit me aliquis; nam ego noui virtutem de me exisse.*
*Videns autem mulier quia nõ latuit, tremens*

*venit*
*ante pedes eius; & ob quã causam tetigerit eum indicauit coram omni populo; & quemadmodum cõfestim sanata sit.*

MAR.



MAR. V.

*& dixit ei omnem veritatem.*
*Ille autem*

*vade in pace, & ẽsto sana à plaga tua.*

*veniunt*
*ad Archisynagogum, dicentes;*

*quid vltrà vexas Magistrum?*
*IESVS autem audito verbo quod dicebatur, ait Archisynagogo; Noli timere, tantummodo crede.*

*Et non admisit quenquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi.*

*Et veniunt in domum Archisynagogi, & vidit tumultum, & flentes & eiulantes multum. Et ingressus,*

*ait illis;*
*Quid turbamini, & ploratis?*

*irridebant*

MATTH. IX.

At IESVS conuersus & videns eã, dixit; Cõfide[f] filia; fides tua te saluam fecit.

Et salua facta est mulier ex illa hora.

Et cùm venisset IESVS in domum Principis,

& vidisset tibicines, & turbam tumultuantem,
dicebat;

Recedite:
nõ est enim mortua puella, sed dormit.
Et deridebant eum.

LVC. VIII.

*At ipse dixit ei;*
*Filia,*

*Adhuc illo[h] loquente, venit quidam ad Principem Synagogæ, dicens ei;*
*Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.*
*hoc verbo,*

*respondit Patri puellæ;*

*crede tantùm, & salua erit.*
*ad domum*

*non[i] permisit intrare secum quenquam,*

*& patrem & matrem puellæ.*
*Flebant autem omnes, & plangebant illam.*

*At ille*

*dixit;*

*Nolite flere:*

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MAR. V. | MATTH. IX. | LVC. VIII. |
|---|---|---|
| *Ipse verò eiectis omnibus,* [k] *assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens.* | Et cũ[i] eiecta esset turba, intrauit, | *scientes quòd mortua esset.* |
| *Et tenens manum puellæ, ait illi; Talitha, cumi; quod est interpretatum;* | &[j] tenuit manum eius, | *Ipse autem tenens manum eius, clamauit dicens;* |
| *Puella, tibi dico, surge.* | & dixit; Puella, surge. | |
| *Et confestim surrexit puella, & ambulabat: & dixit dari illi manducare. Erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer vt nemo id sciret.* | Et surrexit puella. | *& surrexit continuò. Et* [m] *iussit illi dare manducare.* |
| | | *parentes eius.* |
| | | *quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.* |

Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam.

## ADNOTATIO.

*A.* CApharnaũ, quò nauigauerat Christus è regione Gerasenorum, postquam insignem illum Dæmoniacũ cum socio à legione Dæmonum liberauerat. Non contigerunt autẽ quæ hoc Euangelio narrantur statim vbi in terram descendit Christus, sed postea nonnullis interiectis: itaque illud, ecce, Lucæ spectare dumtaxat videtur ad miraculi magnitudinem.

*B.* Loquente adhuc IESV parabolam illam de assumento panni veteris ad nouum:

*C.* Accedit ad locum vbi erat IESVS synagogæ Princeps Iairus, deinvidens IESVM, procidit ad eius pedes, rogans vt domum ad se veniret, quia eius vnica filia ferè duodecim annorum moriebatur. Deprecabatur autem rursus IESVM vehementer, eum adorãs: Domine, in extremis est: addit anxius pater, mortua est, quod erat in sua opinione & metu, quod item solet de eo dici cuius omnino deplorata & desperata vita est. Veni igitur, benigne Domine, impone manum illi gratijs & miraculis plenam, & salua erit ac viuet.

*D.* Surgens IESVS Iairum sequebatur, sequebantur Discipuli eius, & turba multa. Cum autẽ esset in itinere, & à conferta multitudine comprimeretur & affligeretur bonus IESVS:

*E.* Ecce tibi interuenit mulier quædam quæ fluxum sanguinis patiebatur à duodecim annis, & fuerat multa perpessa à cõpluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat, id est potius in deterius venerat. Hac ingentem fidem cõcipiens apud se dicebat; Si IESV vestem tantùm tetigero, à plaga mea tam fœda, tam acerba, tã diuturna, absq; vlla dubitatione sanabor. Hac fide ac confidentia armata, nihil deterretur multitudine, nihil eam detinet corporis debilitas, nihil muliebris pudor, non eã remoratur quòd immũda esset ex lege, penetrat ad IESVM per cõfertam turbã, retrò prosternitur, fimbriam vestimenti IESV tangit manu, & fide sua illa feruida; & cõfestim sanatus est fons sanguinis eius, ac sensit se à plaga sua liberatam.

*F.* Cognouit IESVS in semetipso ex se virtutem exisse, & conuersus ad turbam, inquirebat quis nam ipsum tetigisset, & eius fimbriam vestimenti: nõ quòd nesciret, sed vt se proderet mulier. Negantibus omnibus, ne Apostoli quidẽ intellexerũt de quali tactu loqueretur IESVS; confidenter autem Petrus aliorũ inductu; Præceptor, inquit, turbæ te comprimũt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Nondum nosti, Petre, vel aduertis vel tu, vel tui sodales, quid verè sit tangere IESVM: non est illud quod commune esse potest brutis etiam animãtibus, sed illa vera est exterior IESV tactio, quæ cum interna coniuncta est spirituali, quam virtus Dei benigna & excitat, & donis suis ornat. Itaq; pergit IESVS circumspicere, vt eã quæ illud fecerat videret, ac rogat quis nam eum tetigisset, & significat clarè quemnam intelligat tactum; cum scilicet quem exceperat virtus diuina quæ ex ipso exierat.

*G.* Vidẽs se mulier non latere (circumspiciẽs enim IESVS eã oculis designauerat) procedit in medium, proijcit se ante IESVM timẽs ac tremẽs, agnoscit quæ in se fecerat IESVS, narrat coram omni multitudine rem omnem vt erat gesta, ob quam causam, quo animo, qua fide eius fimbriam tetigisset latenter; tum quòd confestim esset à plaga sua liberata. O admirabilem mulieris fidem & deuotionem, & diuinam IESV Christi benignitatem! sed priorem IESV Christi benedicti benignitatẽ. Quis enim illam mouit, quis iuuit vt tantum sibi de Christi misericordia & virtute promitteret? IESVS ipse. Concepit illa auidè semẽ fidei, deuotione animi fouit, operibus ornauit; penetrauit per turbã, peruenit ad Christum mulier infirma & verecunda, vicit turbæ vim, per multitudinẽ contendit ad Christum, tetigit eius fimbriã vestimenti. Sed quo pacto latenter in tanta turba? Ideo quidè latenter, quia in turba manu extenta, quod nullus animaduertere posset: habet hoc siquidem vera deuotio animi, quòd amat latere interiùs apud Deum. Christi verò infinitam benignitatem contemplare: inserit fidem singularem cordi mulieris, illã operibus facit efficacem, sanat eius animum priùs, deinde fœdam illam corporis plagam; tanto præterea molimine illius fidem contendit inquirere & celebrare; Quis tetigit vestimenta mea? Negat turba, addit Petrus vim negationi; Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Pergit nihilominus IESVS; Tetigit me aliquis: virtus à me exiuit, quæ non exijsset si me nullus tetigisset. Circumspicit vt eam videat quæ tanta fide eum tetigerit, videt, oculis designat, rem eò adducit vt mulier ampliùs latere non posset. Ita solet Christi IESV benignitas & sapientia eos qui se humiliãt, qui donis se diuinis indignos existimant, qui priuilegia à Deo accepta in corde suo apud Deum abscondunt, exaltare, & donis maioribus exornare. Celebrat illius fidem Christus & erigit: id enim est, confide; nõ solùm fidem habe, sed constantiam, & magnanimitatem, & pacem.

*F.* Simul accipe spirituale gaudium; confirmo sanitatem tibi & mentis & corporis. Quòd autem celebrat Christus fidem, nõ solùm intellige quæ sola salutem non esset consecuta, sed illã cui tam multa coniuncta erant, sine quibus sanata non esset mulier.

*H.* Nondum verba finierat IESVS ad mulierem, quum veniunt è domo Archisynagogi ad eum nuntij qui dicerent mortuã esse puellã, nihil esse quòd ampliùs vexaret IESVM, nihil esse quòd veniret. In tanta luce virtutis Dei & Christi non cessarunt tamen esse importuni Dæmones: vt enim illustrior fiat Dei gloria, permittuntur hæ Dæmonum peruersitates. Repellit tamen Christus Dæmonum insidias, Archisynagogum cõfirmat; Ne time propterea quòd mortua sit puella, nihilominus crede posse me illam suscitare mortuam, quàm sanare infirmam, saltem conserua fidem; id enim est, tantummodo crede. Vbi enim periclitatur homo de tota salute, fundamentum vt teneat fortiter adhortandus est; non quòd solum sufficiat, sed quòd ædificiũ sustineat, ne terrores à Dæmone vel aliunde obtrusi eum de virtutis gradu deijciant.

*I.* Venit IESVS, veniunt omnes ad domum Archisynagogi, nõ permittit ingredi quẽpiam præter Petrum & Iacobum & Ioannem Iacobi fratrẽ. Cum his ingressus (præcesserat enim eum Iairus) videt omnia perturbata, flẽtes, plangentes, eiulãtes, tibicines carmẽ flebile canẽtes, tumultus omnia plena & luctus. Iubet omnes bono animo esse; Quid, inquit, turbamini? Nolite flere; tibicinibus, recedite; omnibus, facessite; nõ est mor-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*est mortua puella, sed dormit. Dormiebat quidē tibi sanctè IESV, qui omnes mortuos facilius suscitare potes, quā nos dormiētes; dormiūt etiā in Domino boni, moriūtur planè mali. Et primū quidē deridebāt IESVM, ac quæ dicebat negligebant, quòd scirent mortuam puellam. Addit IESVS ad verba vim diuinā, depellit omnes.*

*K. Assumptis patre & matre puellæ, & tribus Apostolis, nullo præterea ingreditur ad iacētem puellam, accedit ad mortuam lumen infinitum, vita sempiterna.*

*L. Tenet puellæ manum, clamat; Talitha, cumi; id est, puella, surge. Semper clamabat Christus, hoc est, semper erat eius vox Verbi infiniti, & tamen exterius clamauit in Lazari suscitatione, & quidem magna voce; in filij viduæ non clamat, sed confirmatè dicit; Adolescens, tibi dico: hic clamat disertam & claram vocē emittens. Non enim tanta culpa peccant adolescētes & puellæ vt adulti homines, nec tā facilè à peccato inueterato reuocātur homines ad salutem: & tamen hæc clara vox Christi ad infernū penetrauit, puellæ animam per Angelum suum eduxit & repræsentauit Christo; qui eam virtute verbi sui corpori puellæ vniuit: itaque continuò surrexit, & viuens ac valens ambulabat; nec dubium quin loqueretur, & Christo gratias ageret.*

*M. Vt autem fidem parentum confirmaret IESVS, & miraculi veritatem, iussit afferri quod comederet puella. Obstupuerunt magno stupore parentes, non Apostoli, qui similibus signis erant assueti spectandis, vnde consequebatur vt magnitudinem miraculi, & suam admirationem omnibus essent cupidè diuulgaturi; propterea humilis IESVS vehemēter præcipit ne eam rem vulgarent. Præceptum videntur seruasse parentes, sed tamen res ipsa tam clara, tā aperta se prodidit: nouerat enim turba mortuam puellam, videbant postea viuentem, valentem, ambulantem, postquam egressus fuit Christus. Itaque ad exemplum humilitatis imperauit silentiū Christus, & alioqui noluit tam esse cōspicuas mortuorum suscitationes; sciebat enim inde accepturos occasionem Iudæos ipsius interficiendi. O beatam puellam cuius manum tenuit Christus, quā vocauit ab inferno vsque! Cōtemplare lætitiam Patrum, quorum è limbo euocabatur (quod non videtur dubitari facile posse) in ea enim re vident Christum salutem & vitam mortalibus dantem, per illā animam & eius Angelum Christo obedientiā & laudem transmittunt. Cōtemplare illius animæ exultationem ad Christi præsentiam, vt corpori suauissimè copuletur, viuidius quàm antea fuerat: addidit enim illi nouam vim & decorem Christus, vt solent opera gratiæ quā naturæ esse perfectiora. At nos maioris insipientiæ arguimur & stupiditatis, quos & per hoc ipsum ingens miraculum, & tot alijs signis tot modis vocat Christus, manum apprehendit; non audimus tamen, nō sentimus, non sequimur. Præueni nos, Domine IESV, tua gratia & virtute, vt te audiamus, manum tuam dulcissimam sentiamus, vel etiam acerbam si repugnemus; eam sequamur, illi obediamus, illius benignitate diuina fruamur.*

## MEDITATIO.

QVid est, sancte IESV, quòd dum proficiscēris ad suscitandam puellam mortuam, mulierem sanguinis fluxū patientem sanas? Nō solùm hoc egi quod erat præcipuū per mysterium meæ vitæ & mortis & doctrinæ, vt mortales à peccato & æterna morte liberarem, sed etiam vt peccata venialia, tyrannidem fomitis, & imperfectiones & morbos vitæ spiritualis sanarem. Ad hæc sola tollenda mortuus nō fuissem, quòd huiusmodi mortem non inferant sempiternam; sed dū mortalia peccata per mortem meam tollo, simul infirmitates spirituales sano, & quæ venialia sunt peccata deleo: verùm date operam, fratres mei, si velitis vestrarum infirmitatum sanationem consequi, vt doctrinam quam dedi vobis per illam mulierem sectemini. Illa sine me perpessa multa fuerat à pluribus medicis, erogauerat omnem substantiam suam, & tamen peiùs indies habebat. Quid hoc est, nisi quod docui aliàs; Sine me nihil potestis facere? Qui non colligit mecum, spargit. In sanandis itaque vestris infirmitatibus, antequam ad veram humiliratem & orationem, & verum vsum virtutum diuinarum veniatis, quanta patimini à vestris Superioribus! quāta vicissim illi à vobis patiuntur! Affligitis etiam, & tantùm non consumitis omnes vestras potentias naturales, dum in varias asperitates & desperationes impingitis, nunquam tranquillo animo estis, semper iactamini vestris perturbationibus, deteriùs semper habetis. *Ioan. 15. Mat. 12*



tis. Et quid mirum? nempe ad me seriò nō accurritis. Hoc facite quod illa fecit bona mulier: primùm quidem considerate vestras in sanādis vestris morbis difficultates, & vestros in inquirenda animi tranquillitate errores; nullam esse vobis spē reliquam, semper maioribus difficultatibus conflictari vos: spem veram igitur tandem in me vnicè conijcite, spem viuidam & plenam; imperfectiones vsu virtutum fidei, spei, & charitatis depellite. Quod facietis, si aperiatis auditum cordis vestri, vestrum desiderium & deuotionē in me, & fidem concipiatis & spem deuotè, futurū, vt si fimbriam vestimenti mei tangatis, sanemini, & mentis trāquillitatem & pacem consequamini. Quòd si vobis vestra imperfectione videar esse in turba, & quasi inaccessibilis; & sum quidem vobis propter turbam vestrarum passionum & vitiorum inaccessus, nihil tamen vereamini, irrūpite per illam turbam ad meam benignitatem & lucem: nec retardet vos vestra immunditia mentis, non imbecillitas, vt illam mulierem non retardarūt sua immunditia & infirmitas, infirmos, immundos, perturbatos ego sano. Vigeat in vobis illa animi deuotio. Si tetigero tātùm fimbriam vestimenti IESV, saluus ero; sum enim ego amictus lumine misericordiæ sicut vestimento. Sed tactus iste cordis & spiritus est, quem ego communico illis, qui similiter ad me contendunt atque illa infirma mulier. Etenim sensus etiam infirmus huius attactus & lucis recreat animum, nouum dat principium extirpandi difficultates vitæ spiritualis & religiosæ: crescit hic sensus lucis & virtutis meæ, & nouitatem quandam vitæ, & spiritus suauitatem cōciliat; ac facit vt sanatus videatur fons ille vitiorum, perturbationū, & imperfectionum. Verùm videte ne disciplinam spiritus negligatis. Sanatur quidem origo & fons vestrarū imperfectionū, qui in vobis vestra culpa eruperat, non fomes ille originalis: & tamen hic simul debilitatur, ne vobis noceat, præsertim si virtutes in vobis sumant incrementum. Tenete hunc spiritus tenorem, nec desitis gratiæ meæ, & videbitis in vobis mea mirabilia; sentietis sanationem spiritus vestri, dabitis mihi, & in me Patri meo, gloriam. At verò hæc intelligatis dari vobis dona, vt animum accipiatis iuuādi proximum, & animas de manu Dæmonis, & morte peccati eripiendas. Nihil vos difficultatum deterreat in hoc ministerio quod ego per vos operor, ad quod vos & omnes vineæ meæ cultores vocaui, & in Ecclesiam meam misi, vt me nihil reuocauit ab itinere suscitandi puellam id quod audiui renuntiari esse mortuam: nihil vos turbatio retardet quæ solet incurrere ab externis hominibus, à mundo, ab aduersarijs, ab ijs qui peccatoribus applaudunt potiùs, & ea accinunt quæ mortem peccati confirmant. Hæc omnia impedimenta expellite meo exemplo & doctrina, ad animam à peccato mortali liberandā me authore adite, me in vobis operante: primùm spirituali operatione, exhortatione vti potestis familiariter; idem facietis verbi Dei prædicatione publica. Verùm adhibete Patrem & Matrem spirituales animæ, Patrem meum & Ecclesiam. Illum per inuocationem; ille enim est Pater animarum omnium creatione, vestrarum etiam adoptione: in illo simul me inuocate; per me enim omnia creat, per me mortales redimit. Ecclesiæ pijs orationibus vtimini deuotè, doctrina & directione, quæ & concepit & peperit vos per sacrum baptismū; & si quis à Deo recedit, eum cum acerbo dolore iterum parturit. Coniungite Petri inuocationem, & firmitatem fidei atque constantiam, Iacobi fortitudinem pugnandi aduersus Principes tenebrarum; non enim est colluctatio vobis tantùm aduersus carnem & sanguinem: Ioannis ad Christum familiaritatem adijcite, & charitatis suauitatem, id est viscera misericordiæ in vestris ministerijs: ita fiet vt ad bonam mentem reuocetis qui à lege mea recesserunt, & ad pœnitentiam salutarem. Quod certiùs cōsequemini, si eos ad sacramentum Confessionis adduxeritis, firmiùs etiam & securiùs, si ad confessionem vsque generalem, & exercitia spiritualia, pertraxeritis. Amen. *Ioan. 1.* *Gal. 4.* *Ephe. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

# DOMINICA XXIIII. POST PENTECOSTEN.

De Antichristo.

MATTH. XXIIII. MAR. XIII. LVC. XXI. ANNO XXXIII.

*In cxlviij. imaginem adnotatiuncula.* cxlviij. 97.

*A. Postrema abominatio desolationis. Sedet in templo Antichristus, ostendens se tamquam Deum.*
*B. Hunc adorant Iudæi, & infinita mortalium multitudo.*
*C. Vastatio Hierosolymorum & abominatio, quando per Titum sacrificatum est idolis ad portam orientalem templi.*
*D. Ignis iubente Antichristo & Pseudoprophetis descendit de cælo, &c.*
*E. Enoch & Elias, veracibus & innumeris signis confectis, ab Antichristo interficientur, & post triduum assumentur in cælum.*
*F. Prosligantur & interficiuntur qui nolunt Antichristum adorare, & qui characterem bestiæ non habent.*
*G. Proximus aduentus Christi, qui Antichristum interficiet spiritu oris sui, & illustratione aduentus delebit illius potentiam.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

MARC. XIII. MATTH. XXIIII. LVC. XXI.

CVM ergo videritis abominationem desolationis, quę dicta est à Daniele Propheta, [a] stantem in loco sancto (qui legit [b] intelligat:) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes:

*Cùm autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius.*

*vbi non debet,*

*& qui in medio eius, discedant; & qui in regionibus, non intrent in eam.*

*& qui super tectum, in domum, nec introeat vt tollat quid*

& qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua;

*erit retrò vestimentum suum.*

& qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.

*Quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt.*

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

MARC.

Universidad de Deusto
Biblioteca



| MARC. XIII. | MATTH. XXIIII. | LVC. XXI. |
|---|---|---|
| *Orate verò vt hyeme non fiant:* | Orate autem vt non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbatho: | |
| *erunt enim dies illi tribulationes tales,* | erit enim tunc [cc] tribulatio magna, | *erit enim pressura magna* |
| | | *super terram, & ira populo huic.* |
| *quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, vsque nunc,* | qualis non fuit ab initio mundi | |
| | vsque modò, neque fiet. | |
| | | *Et cadēt [c] in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* |
| *Et nisi breuiasset Dominus dies,* | Et nisi breuiati fuissent dies illi, | |
| *non fuisset* | non fieret salua | |
| *quos elegit, breuiauit dies.* | omnis caro: sed propter electos | |
| | breuiabuntur dies illi. | |

Luc. xvij.

*Et ait ad Discipulos suos; Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.*

| | | |
|---|---|---|
| | Tunc si quis vobis dixerit; | *Et dicent vobis; Ecce* |
| *ecce illic; ne credideritis. Exurgent* | Ecce hîc est Christus, aut illic; | *hîc, & ecce illic.* |
| | nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & | |
| *[d] signa & portenta ad seducendos,* | dabunt signa magna & prodigia: | |
| *si fieri potest, etiam electos.* | ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. | |
| *Vos ergo videte. omnia* | Ecce prædixi vobis. | |
| | Si ergo dixerint vobis; | |

MAR.



| MAR. XIII. | MATTH. XXIIII. | LVC. XVII. |
|---|---|---|
| | Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. | *nolite ire neque sectemini.* |
| | Sicuti enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem; | |
| | | *coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget;* |
| | ita erit [g] & aduentus filij hominis. | *ita erit filius hominis in die sua.* |

## ADNOTATIO.

2. Reg. 23 primo Mach. 1. Dan. 9.

A*Bominationem pro idolo accipi & eius cultu, constat ex scripturis: additur desolationis, vt est apud Danielē, (quod est* שומם *Schomem, id est vastans) propterea quòd sequatur vastatio & desolatio huiusmodi idolum & idolatriam. Idolum verò super altare in templo Dei posuit primū Antiochus Epiphanes: sequuta est vastatio ciuitatis. Post hunc Pilatus imagines Cæsaris ædibus Hierosolymitanis intulit noctu obuolutas, non posuit tamen, nec secuta est desolatio statim. Tertia fuit Titi abominatio, vbi capto templo, in porta orientali posita est aquila, & imago Vespasiani, & idolis est sacrificatum, & declaratus Titus Imperator. Cum hac abominatione coniuncta fuit desolatio illa Hierosolymorum atrocissima. Profanauit postea Ælius Adrianus nō tam templū Mosaicū, quod erat euersum, tum abrogatum per Euangelium, quàm sanctam ciuitatem. Idē deinde Cosdroas Persa fecit, fecerunt Tyranni Machometani. Verùm non videtur de his intelligi posse Matthæus: ac ne de illa quidem Titi desolatione, de qua dici non potest quod scribit Matthæus, non fuisse talem tribulationē ab initio mundi, neque futuram. Nam & si concedamus nullam fuisse talem tribulationē ante illud tempus atque illam Titi, tamen maior non dubium quin sit futura, quā inferet Antichristus. Quare consentaneū rationi esse videtur, eam abominationem & idolū Antichristi designari à Matthæo, quādo reuelādus est (vt docet Paulus) homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, ita vt in tēplo Dei sedeat, ostendens se tamquā sit Deus. Beātiā porrò, nō solum Draconē adorabūt homines, quod vaticinatur Ioan. Apost. vt blasphemias & mendacia Antichristi. Lucas verò illam Titi innuit, & admonere videtur, vt pij se recipiant cùm viderint ab exercitu circundari Hierusalē, ante futuram scilicet illā Titi abominationem & desolationem.*

2. Thess. cap. 2.

*A. Postrema abominatio: Sedet enim in tē-plo homo teterrimus, atque omnium mortalium truculentissimus ac pestilentissimus Antichristus, qui in Euangelio dicitur etiam stare.* Mat. 24 Mar. 13

*B. Adorant eum primum omnium Hebræi, simul infinita deploratorum hominum multitudo; omnes scilicet qui inhabitant terrā, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni.*

Egesip. l. 5. c. 45.

*C. Describitur Hierosolymorum obsidio, qua vrbem afflixit primùm Titus, deinde expugnatio & vastatio, tum abominatio idoli & sacrificij ante portam templi orientalem, vt dictum est, quæ portendebat postremam Antichristi.*

Mat. 24 Mar. 13

*D. Iubente Antichristo & eius pseudoprophetis descendet ignis de cælo, fient ab vtrisque mendacia & falsa signa, tanta vi, tāta apparentia, vt decipiendi videātur, si fieri posset, etiam electi. Dicuntur autem mendacia illa signa, quòd vera non sint miracula, sed secundùm operationem Satanæ facta, nihil verò super naturā rerum; sed iactabuntur tamquā miracula inania illa facta & adulterina, cum ingenti arrogātia, cum summis terroribus, & ad blasphemiā Christi & Dei conferentur, & ad Antichristi idololatriam abominandam.*

Apoc. 11.

*E. Postquam finierint testimoniū suū Enoch & Elias aduersus Antichristum, consiliget cum illis Antichristus, vincet & occidet eos: iacebúntque eorū corpora tres dies cum dimidio in plateis Hierosolymorum; neque enim illa sinet sepeliri Antichristus: insiliet autem postea spiritus vitæ à Deo in eorum corpora, resurgent, & euocati à Christo ascendent in cælum.*

F. Pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*F. Profligantur atque interficiũtur à satellitibus Antichristi quicunque illum noluerint adorare, & qui bestiæ imaginem, aut characterem, aut nomen eius, aut numerum nõ habebũt.*

*G. Proximus Christi aduentus ad iudicium, qui interficiet Antichristum Spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui illius potentiam.* 2. Thes. 2.

## MEDITATIO.

*Dan 9.* DOmine IESV bone & sancte, prædixit Daniel Propheta tuus abominationem desolationis, id est Antichristum statuendum in loco sancto: video ego, Domine, hac tẽpestate non Antichristum ipsum, sed eius præcursores multos Antichristos, id est Hæresiarchas sedere in loco sancto tuo, in ijs Ecclesijs quæ tuæ erant, in ijs animis vbi tu habitabas: omnes suas peruersitates atque ex inferno suscitatas hæreses pro verbo tuo violentissimè obtrudentes, auctore atque actore sæuo Satana: quibus præstigijs, quo dolo truculentus draco se ac suos adorari non solum vrget, sed conficit. Deijce hos omnes, bone IESV, Spiritu oris tui omnipotentis: da ijs quos decipere & pellicere nunquam cessant, nunquam non cõtendunt, Spiritum sanctum tuum; da vt confugiant ad montes, id est ad Matris tuæ & Sanctorum intercessiones, ad vnam Ecclesiam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam, & ad te qui es præparatus mons domus Domini in vertice mõtium, & sublimis es super omnes colles, da vt ex Iudæa, id est ex fidei Ecclesiæ Romanæ confessione se conferant ad humilem & deuotam orationem, qui item est alius mons tuus: da verò, Domine, vt hæc agant sublatis omnibus quæ impedire possint, deuote & efficaciter. Scis præterea bone IESV, Patris æterni sapientia, vbi hoc non audet Satan (quamuis impotens bestia est & impudens) tamen ad peccata illum cor nostrum allicere continenter, vt tui obliti illi obediamus, quasi ipse sit Deus, non tu Domine. Et tamen verè tu es Deus noster & Dominus noster, tu *Phil 2.* Patri consubstantialis Filius, tibi omne genu flectendum est, cælestium, terrestrium, & infernorum. Ille draco est, quẽ formasti ad il- *Ps. 103. Ioan. 8. Iudas Apo.* ludendum ei, bestia abyssi est. Ille in veritate non stetit, sed mendax, & pater mendacij est, & reseruatus in iudicium tuum vinculis æternis sub caligine, qui nunc portat execrabile tuum iudiciũ damnatus atque damnandus: nam vbicunque est, circumfert tamen semper ignem suum. Fac, Domine, vt hunc quem abiecisti ne timeam, da vt ne mihi noceat, te timeam, te verear, te amem, te adorem, tibi obediam, sentiam cordis diuino tuo attactu te Deum meum, & Dominum meum. Sustolle me, Christe IESV, altiùs quàm esse posit Dæmon, ad montes tuarum virtutum, quæ tamen omnes vnà sunt tua essentia & substantia infinita. Fac, Domine, vt in te omnia confugia & refrigeria inueniam; omnia impedimenta perfectæ veritatis & vitæ vt depellam, tibi hæream, tibi seruiam, te laudem in secula. Amen.

IN

# IN DIE VISITATIONIS.

LVC. 1.

*In cxlix. imaginem adnotatiuncula.* cxlix. 2.

*A. Nazareth, vbi repræsentatur annunciatio, post quã Virgo Mater statuit Elizabethã inuisere.*
*B. Iter habet Maria festinãter cũ Ioseph ad montana Iudææ.*
*C. Domus Zachariæ in tribu Iuda in montibus.*
*D. Ad quam cùm peruenisset Maria, festinauit ad Elizabeth.*
*E. Sedulò illi anus occurrit, sed eam tamen prior salutat Maria.*
*F. Audita Matris Dei salutatione, ecce exultat in vtero Elizabeth filius, & repletur Spiritu sancto mater, & prædicat Mariæ diuina encomia.*
*G. Zacharias & Ioseph laudant Deum.*
*H. Nascitur Ioannes.*
*I. Post eius ortum redit Nazareth Maria virgo Mater cum Ioseph.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

LVC. 1.

E [a] Xurgens autem Maria in diebus illis, [b] abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda; & [d] intrauit in [c] domum Zachariæ, & [e] salutauit Elizabeth. Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, [f] exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit; Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. [g] Et ait Maria; Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui; deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles; esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ; sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. [h] Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus; & [i] reuersa est in domum suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## ADNOTATIO.

*A.* NAzareth, vbi annunciatio repræsentatur, & incarnatio filij Dei. Repleta enim gratia & diuinitate Maria Virgo, dici non potest quantum fuerit cordis eius & spiritus gaudium, quanta suauitas, quanta exultatio. Nouerat Elizabeth cognatam esse suam ex matre; erant enim Anna & Hismeria sorores ex tribu Iuda: Anna nupsit (ex traditione) Ioachim viro de tribu Iuda, Hismeria verò viro de tribu Leui Sacerdoti, ex quo genuit Elisabeth: sciebat Maria sterilem Elisabeth, deinde ab Angelo audierat concepisse filium in senectute sua: inflammata igitur tot mysteriorum contemplatione & luce, rem totam vt facta erat renuntiauit sponso, qui post annuntiationem ad eam statim adierat: quæ possumus pie meditari ex Origene, Hieronymo, & Theophylacto, ita enim eam inuenit Ioseph esse grauidam è Spiritu sancto ipsa indicante. Nec tamen statim illi aperuit de visitatione Elisabeth, sed postridie, quũ sciret eum liberatum à cogitatione illa varia: quocirca cum eo communicato consilio visendi Elisabeth, ipsum habuit itineris comitem; ita enim res tota constare videtur, vt & statim resciuerit Ioseph, & comes ierit Virgini vxori suæ & Matri Dei: ita eius famæ integritati consulebatur.

*In cap. 1. Matth.*

*B.* Mysteriorum magnitudo, & animi Mariæ exultatio & feruor fecit vt confestim statuerit comite Ioseph sponso proficisci ad Elisabeth in Montana Iudææ. Id verò iter fecit cum festinatione, μετὰ σπουδῆς, diligenter quidem, honestè tamen; neque enim nouit tarda molimina Spiritus sancti gratia & operatio: erat ergo hæc festinatio spiritu suauis ac placida, corpore honesta ac decens. Vide vt iter faciat sancta Virgo Angelorum omnium Domina insidens asinæ, sequitur Ioseph, vrget asinam: siue alius sit comitatus, is subseruit itineri. Comitantur Reginam suam quàm plures Angeli. Iter verò erat è Zabulon, ex oppido Nazareth, per Isachar dimidiam tribum Manasse, per Ephraim & Beniamin. Verisimile autẽ est eos per Hierosolymam transisse, id enim cum parua itineris recti iactura poterant, poterant tamen illam relinquere ad sinistram recta euntes.

*C.* Domus Zachariæ in montana regione tribus Iuda, quam Plinius in decem toparchyis Iudææ ponit, & appellat orinen, id est montanam; in qua etiam dicit fuisse Hierosolyma: vbi ad occidentem Hierosolymorum & meridiem, ad quintum miliare erat ciuitas Iuda, sex leucis à Neel eschol, id est Torrente Eroti, qui ab Ebron distat tribus; vtrumque ad Septentrionem. Insignem ciuitatem esse oportuit: num hæc fuit Aen, id est fons, quæ ab Iosue inter montanas ciuitates tribus Iuda numeratur? Inuitat vt hoc dicamus fons præclarus qui in latere adhuc mõtis visitur, & vallem facit suo irriguo amœnam in primis & fructuosam: hic verò fons medius est inter duas domos Zachariæ, quæ sitæ sunt ad occidentem, distant verò inuicem iactu arcus: quæ est domus occidẽtalior, in ea fuit salutatio; in alia natiuitas Ioannis, quod traditione accepimus.

*Lib. 5. cap. 14.*

*Arand. Brocard.*

*D.* Ad domũ cũ Virgo Dei Mater peruenisset, festinauit ad Elisabeth summo cũ desiderio: erat Elisabeth plena spe & gaudio de filij sui mira cõceptione: sensit in Spiritu venisse ad se cognatam Virginem sanctam, & ad se festinare.

*E.* Occurrit venienti Elisabeth; hanc prior Virgo sancta salutat, hinc ex modestia, illinc ex spiritus feruore. Sed quæ fuerunt verba salutationis? Ea si voluit à nobis Deus ignorari, nec ab Euangelista exprimi, non est quòd curiosè inquiramus; possumus illa tamen pie ac modestè coniectare.

*F.* Vt autem audiuit salutationẽ Mariæ Elisabeth, ecce exsultat Ioannes in eius vtero, vel exsultim ludit. Vt enim erat efficax salutatio nõ tantum Mariæ, sed Christi, & præcipuè Christi ad Ioannem; prior sensit Ioannes vim diuinam salutationis, & motu corporis gaudium demonstrauit, & sensum præsentiæ Christi. Loquebatur exterius Maria, vim verò addebat spiritualẽ verbis Christus interius: itaque occulta virtus Christi, lux, & gratia in Ioanne operabatur. Manifestat se Christus Ioanni, Christum & eius Matrem indicat Ioannes suæ, replet Matrem Christus per Ioannem Spiritu sancto, id est bonorum exundantia replet, & admiratione subita; vnde illa acclamatio magna quidem, decens tamẽ & honesta, quæ alioqui magna planè erat, vt è magno spiritus sensu profecta, vt solent clamare orationes ad Deum, eorum qui magno affectu ac spiritu etiam tacentes orant. Erumpit porrò Elisabeth in laudes Mariæ & eius prolis, Angelum Gabrielem imitata: Tu sola benedictione diuina & gratia es excellens, vt inter viros solus omni virtute & diuinitate excellentissimus est fructus ventris tui. Dein ex luce & sensu dignitatis Mariæ Virginis Matris & Christi, agnoscit suam humilitatem ac profitetur: Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei Dei omnipotẽtis ad me? Vnde arbitraris Elisabeth?

*Ambros. Theoph. Beda.*



*sabeth? non ex me, nõ mea dignitate vel merito. Sed vnde? Inde, vnde venit de cælis ad nos filius Dei Deus Patri consubstantialis, ex infinita Dei bonitate & misericordia. Adde Mariæ præstantiam & meritum, ne seponas tuum: nam quò magis te agnoscis indignam ad quam veniat & Mater Dei, & filius Deus, eo ad te magis ambo festinarunt. Subdit verò rationem & modum quo hæc diuina mysteria intellexit Elisabeth; Vt, inquit, tua salutatio, Virgo Dei Mater, meas aures attigit, exsilijt exsultans, ac præ gaudio ludẽs infans in meo vtero. Et hæc quidem sensilia exterius, sed ex quibus repleta sum Spiritus sancti donis, ac luce diuinæ sapientiæ; intellexi quid tibi Angelus renunciauerit, quid tu Angelo respondueris; nec hæc tantũ intellexi, sed perfectionem tuæ fidei atque humilitatis, & tuæ gratiæ plenitudinem, filij Dei incarnationem, futuram natiuitatem, & nomen in quo salus affertur mortalibus, ac regnum eius æternum: hæc omnia intellexi reuelante filio tuo per meum. Verùm & si in te esse sciam virtutes omnes excellentissimas, fidem tamen prædico & laudo; ea enim cum humilitate summa & obedientia coniuncta, per plenitudinem gratiæ & charitatis tuæ fecit vt tu esses Mater Dei. Quod si factum est quod infinitum est, vt factum planè est; quid non credendum & sperandum eorum quæ de te, de filio dicta sunt & promissa à Domino? Hæc cùm audit Virgo sancta, quasi plenior facta gratia, cecinit canticum illud præstantissimum, Magnificat, &c.*

*G. Zacharias & Ioseph audientes, ille spiritu, hic etiam exterius, & videntes mysteria tam eximia, tam inusitata, inter se similiter admirãtur, laudant Deum, Christum, Mariam, Elisabeth, Ioannem, replentur diuina mẽtis suauitate ac luce.*

*H. Natiuitas Ioannis, cui interfuit Virgo Mater. Considera verò consuetudinem diuinam Mariæ & Elisabeth tribus mẽsibus plùs minùs; quid agebant, quid loquebantur, quid faciebãt? quanta fruebantur consolatione, quanta luce abundabant? quid præterea coniuges ipsi? planè illa domus, facta est Paradisus deliciarum. Parit tandem Elisabeth, subseruit Maria cognatæ puerperio, sed vt virgo non omnia obit munera, sed excipit tamen in vlnas infantem: quod cùm fieret, quis nõ videt innouatum gaudium Ioannis vehementer in tanta Christi vicinia?*

*Ambros. Beda Glossa inter.*

*I. Expectauit (vt est verisimile) Ioannis circuncisionem; qua expleta, salutata noua matre & Zacharia, puerum Ioannem complexa & deosculata rediit in Galilæam ad Nazareth cum Ioseph.*

## MEDITATIO.

ADmitte me obsecro, Virgo diuina, in tuũ sanctum iter & comitatum, etiã si singulari sum indignitate: aperi viscera misericordiæ tuæ in me; tuus sum seruulus, tibi omnia obsequia offero, & filio tuo, & sponso tuo; cantabo in corde meo laudes tui itineris & gloriam. En Angeli iter tuum celebrant;

*Cant. 6.* Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Nec tamen tuam gloriam assequuntur, quod agnoscunt ipsi; metaphoricè enim dicunt, & semper quærunt, quæ est ista? Id enim tibi dat filius tuus, vt tuæ dignitatis excellẽtia omnes creatas laudes antecellat. Quis igitur te prædicet pro dignitate? Filius tuus, Sponsus tuus, Dei

*Cant. 4.* idem filius; Quã pulchra es amica mea, quàm

*Cant. 6.* pulchra es! Iam es pulchra, vt id ego solus intelligam perfectè: pulchra es amica mea, suauis es, & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Nõ sola metaphora vtitur IESVS de te, sed cum translatione coniungit rem ipsam, quam metaphora non assequitur. Progredere, excellentissima virgo, è monte Nazareth, ab excelsa sanctitate, florem gerens infiniti splendoris ac suauitatis IESVM; perge ad ludææ altitudinem, confessionis & laudis diuinæ. Verùm quæ est ista tua festinatio? Studium hoc vehemens animo conceperam vbi audiui ex Angelo cõcepisse Elisabeth cognatam, auxi vbi facta sum Mater Dei, & intellexi idẽ desiderare & velle filium ex vtero, illo enim auctore, ac properante ad suum præcursorem, incitata sum ego ad hoc iter. Non habes Virgo humillima comitatum qualem Principes, qualẽ Reges habere solent, Princeps ipsa Angelorum, cæli & terræ Regina. Eiusmodi non habeo, nec decuit me habere Matrem Regis quidem Regum, & Domini dominantium, sed qui venerat ministrare, non ministrari; sed habeo augustiorem filij mei Dei, Angelorum, Ioseph Sponsi: qui comitatus superat omnem Regum ambitionem & pompam. Ambula-

Universidad de Deusto
Biblioteca



bam ego per montes, per plana, mens verò mea erat in cõtemplatione filij, & mysteriorũ visitationis meæ suspensa, saliens in sublimitatibus Verbi incarnati, transiliens humilitatem assumptæ carnis: Veni ad domum Zachariæ, saluaui Elisabeth; exultat Ioannes in vtero, repletur Spiritu sancto Elisabeth, diuinis præconijs meam ornat humilitatem, & fidem celebrat, & fructus mei vteri diuinitatem. Respondi ego canticum illud meum; Magnificat anima mea Dominum. Excelsa sunt hæc mysteria, diuina sunt, clausa tamen meæ insipientiæ: aperi mihi aliquid horum intelligentiæ Mater Dei & Sponsa. Vt veni primùm, tota fui in laude & contemplatione veri Zachariæ filij mei. O Domine excelse IESV, tu verus es Zacharias, ab æterno è memoria & infinita fœcunditate intellectus Patris generatus; te misit Pater in mundum, recordatus misericordiæ suæ, & pacti, & iurisiurandi: hæc memoria Dei fecit vt vir factus sis ex mea substantia. Vmbra est hic Zacharias Zachariæ; tu verus Zacharias, & lux lucis æterna & infinita mortalibus communicata. Visitaui ex hac domo, ex hac luce Elisabeth: verùm priùs aliam Elisabeth, summum Dei beneficium, & misericordiam Dei mei; qui non solũ promisit & voluit suscipere nostrã humanitatem & fieri homo, sed suo iureiurando etiam confirmauit. O ineffabilem tuã misericordiam Fili IESV, qui illud promisisti & iurasti per temeripsum! eadem enim fuit tua promissio, idem iusiurandum quod Patris & Spiritus sancti; sed in eo simul erat, quòd tu promitteres & iurares teipsum formam serui accepturum, languores nostros verè te laturum, & dolores portaturum, atque iniquitatem omnium, factum iri peccatum, id est hostiam pro peccato, crucẽ ac mortem subituram pro mortalibus. Hæ sunt tuæ miserationes, quæ super omnia opera tua eminent. Salutaui cognatam Elisabeth, quæ salutatio instar fuit magni sacramenti; diuina enim infans IESVS in ea ex vtero operatus est: vt enim primùm aures Elisabeth tetigit mea vox, exultauit infans in eius vtero, quasi non ferens iam vterum saliret ad egressum exultans; & tunc primùm est factus quod postea appellatus est, Ioannes; repletus est enim gratia & Spiritu sancto: factus est Propheta, quia quem oculis externis nõ videbat, exultatione designauit; etiam plus quã Propheta, quòd præsentem monstrauit in vtero clausus: & fuit iam tunc quod erat futurus, Christi Præcursor, & magnitudinis eius prædicator. Sed cui hæc designauit, monstrauit, & prædicauit? Nõ solùm suo ministerio Ioãnes Matri Elisabeth, sed filius meus ex virginali meo vtero per Ioannis exultationẽ illa gessit, quasi sic inciperet respondere suo & Dei iuriiurando: omnes verò singulari animi gaudio, exultatione, & luce repleuit; me, Elisabeth, Ioseph, Zachariam mutum; intelleximus omnes quæ gerebantur mysteria, cõtemplabamur in spiritu exilientem ludibundè coram Domino suo Ioannem, & illius præsentiam sua festiuitate celebrãtem: attenti eramus omnes ad diuinitatem verborum Elisabeth, etiam Zacharias in spiritu, in ijs meditabamur, res contemplabamur in lumine filij mei, in Dei laudes ferebamur in excelsis. Ego item à filio accepi canticum illud meum, canticum canticorum; & dixi in mea simplicitate, in Christo meo: respondi verò ad laudes Elisabeth, ea quidem quæ illa prædicauerat ex humilitate agnoscens & magnanimitate, sed laudem in Deum & filiũ meum conferens, excellenti quadam diuinitatis virtute corporeis sensibus & voce vtens, in cælum tamen vsque spiritu leuata, consentientibus omnibus animæ meæ viribus superioribus & inferioribus in laudem Dei, dixi in filij mei spiritu: Magnificat anima mea Dominũ. Non fecit tua de me prædicatio & laus, Elisabeth cognata, vt animo nunc primùm concipetem Dei laudes & gratiarum actiones, eas enim & habui & egi vbi primùm Filium Dei concepi; fecit vt illas pronunciarem. Non enim perferre mea humilitas potuit, vt laudes ab humana voce audirem, quæ ne ab Angelica quidẽ audire potui quin turbarer; idcirco quas laudes Dei in corde gero continenter, grato animo explicabo. In vterũ meum accepi ego ipsam Dei imaginem, & figuram substantiæ eius, Verbum ipsum Dei. Hanc imaginem summa similitudine & donorum splendore exprimit filij mei anima, & quasi maximam facit sua similitudine & imaginis sublimitate, mea autem anima secũdo loco excellenti sua similitudine & donis magnam facit Dei imaginem. Quum enim Dei in me dona animaduerto, video ostendi in me diuinitatis eius & bonitatis magnitudinẽ post filij mei maximam: neque hoc vereor vel refugio prædicare; non enim in ea animæ meæ sublimitate me cõsidero, vel me sentio, sed

Ps. 131. Luc. 1. Esai. 53. 2. Cor. 5. Ps. 144. Mat. 11. Origenes Ambros.



sed Dominum meum IESVM in me, & Domini mei Patrem in Spiritu sancto; & tota est anima mea qua viuo, meus intellectus, voluntas, aliæ omnes potẽtiæ in Dei magnitudinem erectæ, illam sentiunt viscera cordis mei, nec se aliter quàm in illa, neque laudem suã sentiunt, sed Dei in illa. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. In tanto animæ meæ splendore, & Dei magnitudinis cognitione & laude, animam meam percipio Dei Spiritum induisse, & diuinas motiones excellenti Dei munere recipere: vnde fit vt & cor & caro mea exultent in Deo salutari, & saluatore, & IESV meo; & Spiritu præeunte omnes meæ potentiæ exultationes Dei sentiant in cælesti iubilatione. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Illud verò est cur debeat Domini magnitudinem exaltare anima mea, & in Deo exultare spiritus, quòd magnificauit Dominus ipse in me suam bonitatem & misericordiam. Quid enim in me vidit, in quam tam excelsum beneficium conferret vt fierem Dei Mater? quid inuenit cur tam pretiosis donis me ornaret? Itaque respexit humilitatem meam, & animi mei modestiam, & indignitatis cognitionem profundam, quã ex eius munere acceperam. Ego enim coram illo semper me vilem & abiectam feci ancillam, quod quum faciebam, virtutem non existimabam me habere, vel humilẽ esse, sed eo magis extabat ex ea summissione humilitatis virtus. Hæc Filium vehementer oblectauit, vt qui ad suam illã vltimam humilitatem descenderat: quo fit vt mea humilitate ingentes debeam laudes Deò & gratiarum actiones. Præuideo autem in Deo hinc vsque futurum, vt beatam me prædicent seculorum omnium omnes generationes: hoc verò meæ humilitati nouum & mirum fit; neque enim perspicio vnde sint me laudaturi, nisi quòd meam abiectionem & vilitatem Deus respexerit, & summo loco habere voluerit. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Eo autem referuntur omnia præconia, quod superat nõ solùm Angelorum laudes, sed meas etiam; & quod laudare nullus dignè & plenè possit, nisi Deus ipse qui fecit. Magna fecit mihi Deus qui potẽs est; hactenus enim fecit magna Deus in creatione Angelorum, hominis, cælorum, mundi, in omni gubernatione fecit grandia magnalia, item in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro: verùm illa omnia longè his quæ nunc fecit in me inferiora sunt. Hæc enim sunt Dei illæ miserationes, quæ superãt omnia opera eius, sunt terribilia illa consilia super filios hominum. Non attigerant enim hactenus opera Dei nisi creaturas, non fuerant Dei operationes nisi in creaturis; at hæc magna quæ nunc fecit in me Deus, Deum ipsum attigerunt: qui enim potens est, Filium Dei fecit hominem, Verbo suo vniuit humanitatem, diuina humanis copulauit, increata creatis ineffabili commercio sociauit, terribilia etiam consilia in hunc hominem Deum destinauit, & per hunc hominem fecit. In his magnalibus fuit verè potens Deus, cùm semper sit omnipotens; sed non ita potenter potentiam suam ostenderat atque nunc, nec nomen sanctum & inexplicabile ita declarauerat atque in hoc opere: & tamen hæc ego contineo in vtero meo, quæ miserationum eius, & potentiæ, & maiestatis omnem superant prædicationem. Et misericordia eius à progenie in progenies timẽtibus eum. Quæ dico magna mihi fecisse Deum qui potens est, magna misericordia Dei est, quæ in me quidem excellenti priuilegio initium sumpsit, verùm finẽ in me non fecit, sed proposita à Deo est ad omnes generationes non solùm futuras, sed præteritas etiam omnes: non enim aliunde à creato primo homine salus accepta est, nisi ex hac misericordia quam nunc fecit Dominus; aliunde salus nec fuit, nec est, nec erit, sed hinc est omnibus, non solùm Iudæis, sed gẽtibus omnibus, omnibus omniũ hominũ generationibus; sed ita tamen, si timorẽ Domini recipiant, ad quẽ omnes vocat, quẽ omnes docet Dominus clementissimè. Timor enim initium sapientiæ est, & fons vitæ; neque qui sine timore est, vel præfracto animo est, iustificari potest. Ceterùm omnibus timentibus Deum paratam esse salutem quum manifestatur, vehementer omnes ad salutẽ illis oblatã reuocãtur, & indicitur acerrimè mortalibus timor Dei, vnde ad Deum cõuertantur. Fecit potentiã in brachio suo, disperdit superbos mẽte cordis sui. Timete igitur Deũ omnes generationes, quia Deus fecit magna, & misericordiã in me & omnes generationes. At vnde hoc? Quia in brachio suo æterno, & diuina Filij sui virtute, effecit Pater nouam potentiam, vbi non solùm Filium Dei ex me fecit hominem, sed eundem voluit pro mortalibus

Ps. 85. Ps. 65. Ps. 110. Prou. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca



talibus pati, & brachium suum & potentiam posuit in cruce. Itaque per infirmitatem fecit potentiam diuinam & virtutem in brachio suo æterno, per quam virtutem & in me fecit magna Deus, & in generationes omnes magnalia sua & misericordiam extendit, sed vt in humiles & timentes Deum; superbos verò illa eadem potentia dissipat semper ac deturbat de insana sui cordis elatione; & quò altiùs extolluntur & stolidiùs, eò profundiùs deijcit, & damnat in acerbiores cruciatus. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Ita fait potens illa potentia, vt de sedibus suis, ad quas de sua potentia stolidè & impotenter Lucifer semper contendit, deiecerit illum cum Angelis eius, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei & voluntatem, quacunque fuerit potentia, quacunque sublimitate solia sua posuerit, inde ea euerterit atque detraxerit, & detrahet semper: contrà verò humiles amat, & quò maiore sunt animi modestia & summissione, eò altiùs leuat, & cælestibus donis maiori benignitate exornat. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Opes sunt diuinæ in illius brachij potentia, & cælestis omnium bonorum abundantia & refectio. Esurite mortales, agnoscite vos de vobis omni esse bono, omni spiritus refectione destitutos; suspirate, accurrite ad hoc brachium, ad potentiam huius brachij properate, vestram inopiam & esuriem explicate dolenter quidem, confidenter tamen; implebitur anima vestra bonis omnibus, satiabitur apparente vobis gloria Domini, quæ est in illa potentia; implebitur vestra indigentia diuina gratia, in qua est omne bonum. At contrà vos diuites qui in corde vestro abundaris sine hoc brachio, atque adeò contra huius brachij potentiam, quæ est execrabilis superbia, intelligite hæc si quo pacto ad timorem Domini reuocari possitis. En diuitiæ vestræ thesaurizant vobis infernalium pœnarum cruciatus immensos, & incendunt tartareum ignem contra vos truculentissimè; atque adeò iam nunc existimate vestras diuitias esse vestrum infernum, vestrum ignem, qui deuorat vires omnes mentis vestræ, voluntatis, omnium potentiarum, alienant vos à Deo & vera vita, seruos faciunt Diaboli non vnius, sed multorum, vt vos subdunt multis viris multi: & quò impensiùs amatis diuitias, & illis abutimini, eò crescit magis vestra perditio, & maiorem exercet tyrannidem in vos Diabolus. Et illud breuiter audite: faciunt vestræ peruersæ diuitiæ, vt Deus vos dimittat inanes sua virtute, sua protectione, suo auxilio destitutos; ita fit vt tradamini in manus infernaliũ draconum, atque in obstinationem cordis, & mentis obcæcationem: &, quod vltimum malum est, quum sitis miserrimi, non estis tamen Deo miserabiles, atque adeò in vestra perditione ridet Deus. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini eius in secula. Ita impleuit Deus quæ locutus fuerat, quæ promiserat, quæ iureiurando confirmauerat Abraham, & ijs qui sunt ex eius semine procreati, quæ ita esse futura per omnes Prophetas, qui à seculis vsque omnibus vaticinati sunt, testatus est; non nostris quidem hominum meritis, sed sua bonitate & misericordia permotus in æterna sua prædestinatione, quam nũc ad opus iuxta sapientiæ suæ consilium adduxit, quæ est incomprehẽsibilis Dei misericordia. Suscepit enim puerum suum Israel, & Iacob seruum suum, quod his diebus in me fecit trinus & vnus Deus per mysterium incarnationis Filij Dei Patris, qui ex meis purissimis sanguinibus & substantia factus est homo, verè videẽs Deum, verè potens apud Deum, & bellator verè fortis, & supplantator Satanæ. Hoc verò mysterium & in æterno seculo fuit prouisum, & à creatis omnibus seculis fuit prædicatum, & erit vsque in æternum simul confirmatum. Sit Patri Domini & Filij mei IESV gloria sempiterna. Admirabilis extitit in Elisabeth, Ioseph, & Zacharia exultatio spiritus, quum hoc cæleste canticum audirent; (nam piè meditari possumus spirituali sensu illud audiisse Zachariam, si non corporali, qui iam antea magnam reuelationem acceperat ab Angelo de Ioane & eius ministerio:) quod canticum tanto spiritu, tanta donorum cælestium excellẽtia ex ore virginali profluebat, vt in omnium corda deriuaretur admirabilis lux atque suauitas. Neque verò sanctus IESVS ex vtero non exponebat omnia suo propinquo Ioanni, non magnis donis illum exhilarabat. Fac nos eorum donorum aliqua ex parte participes sanctę puer IESV: particulam aliquam nobis exora sancti pueri sancta Mater Virgo, vt nomen sanctum Domini laudare & magnificare possimus in secula. Amen.

*Ambr. in 12. c. Apoc.*

*2. Cor. 10*

*Psal. 106.*

*Psal. 16.*

*Iac. 5.*

TRANS-



# TRANSITVS MATRIS DEI.

*In cl. imaginem adnotatiuncula.* cl. 150.

*A. Apostoli, & alij sancti Patres portantur ab Angelis Hierosolymam, vt morti Dei Matris intersint, & assumptioni.*

*B. Domus in monte Sion, vbi Maria Virgo Mater est mortua.*

*C. Componit se honestissimè in lectulo, circunstantibus Apostolis & Patribus.*

*D. Adest è cælo Christus cum innumerabilibus Angelis.*

*E. Exspirat suauissimè sanctissimam animam Mater Dei in manus Filij, excellenti cum Angelorum iubilo, & Patrum deuotione.*

## EVANGELIVM MISSÆ.

### Lvc. x.

FActum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddã castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait; Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus; Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

## ADNOTATIO.

*Libet compendio hic adnotare in Euangeliũ, antequam ad imaginem & historiam Assumptionis veniamus. Intrauit IESVS in quoddam castellum. Sapienter Ecclesia hoc Euangelium refert ad festum Assumptionis; describit enim Lucas allegoricè vitã Mariæ Virginis, & mortẽ glorioſam. Virgo castellum est, & vterus eius domus: in quam intrauit IESVS, vbi ex ea carnem Gabriele internũtio sumpsit, & factum est Verbum homo, & natus homo Deus. Propter humilitatem Mariæ excellentem castellum dicitur, siue vicus: sed vt intelligere possimus* κώμην, *id est vicus, receptus scilicet & requies brutorum & hominum ex agris: vt ad Mariæ vniuersale patrocinium mortaliũ & refugium castellum referre possimus. Erat autem Martha simul & Maria in hoc pago; duxit enim vitam vtraque Maria virgo sacrosancta quoad vixit, actiuam simul & contemplatiuam excellentissime. Ex vita actiua anno quartodecimo vitæ suæ Filio Dei ministrauit carnem, vnde facta est Dei hominis Mater. Neque verò hoc solùm Christo præstitit actiua Mariæ Virginis vita, sed vt Deum pareret infantem, Deum lacte nutriret, pueri, iuuenis curam semper gereret, adulti item non ante trigesimum annum solum, sed post illum attentam magis, & magis solicitam. Neque hæc sola fuit actio Virginis quæ erat dignissima, sed vim suæ actionis ad alia virtutum opera summa cum dignitate & fructu extendebat. Fuit quidem hoc exercitium Marthæ in Maria virgine solicitudo, sed placida & suauis; fuit turbatio erga plurima, verum quieta, clara, expedita, dulcis; fuit frequens ministerium, sed quasi à sublimi quadam operatione spiritus profectum, constans atque tranquillũ. Non enim erat vitæ actiuæ praxis in Maria Virgine vt in Martha fuit, vel in alijs solet, vbi vita actiua primas ferè obtinet, coniungitur cõtemplatio diuinarum rerum & gustus: non ita in matre Dei Maria, sed tota quidem erat semper in contemplatione sublimi, conferebat diuina mysteria omnia in corde suo; hinc nihil debi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



litato sensu spiritus, sed potius nobilitato, exibat in plenam atque excellentem actionem. Huiusmodi fuit vita sacrosanctæ Mariæ Virginis Deiparæ vsque ad annum vitæ suæ sexagesimũ tertium (hæc enim dicitur fuisse Mariæ Matris Dei vitæ periodus) tunc autem quod antea desiderauerat vehementer, vt cum Filio esset, intellexit nuntiante Angelo implendum. Itaque tota fuit in diuina Filij & cælestium mysteriorũ contemplatione suspensa atque absorpta, nec, vt semper antea fecerat, vim communicabat actioni actiuæ vitæ: propterea stat Martha, & conqueritur pars inferior mẽtis in Virgine, Domine, nõ est tibi curæ quòd Mater tua tota rapitur in cælum, & hanc vitam relinquere cœpit? Respondet verò Christus, Illa sollicitudine, & turbatione circa plurima, etiam si placida & tranquilla, volo Matrem liberare, nec amplius placet vt huius vitæ necessitatibus cõfligetur. Optimam partem vitæ elegit Maria, contemplatiuam, spiritualem, cælestem, quæ non auferetur ab ea in æternum: transeat in hanc illa etiam actuosa. Ita intelligimus ex excellentissima Filij & rerum diuinarum contẽplatione in summam secundùm Filium paradisi gloriam transijsse, & animam in manus Filij expirasse Mariam Virginem Dei Matrem.

Ad imagines porrò veniamus. Quatuor eas esse, fuit operæpretium, vt prima & secunda posemus mortem & sepulturam, tertia resurrectionem, quarta Virginis sacrosanctæ assumptionem in cælum designare. Nam mortuam verè fuisse Mariam Virginem Matrem, nullus vnquam in controuersiam vertit: Apostolos verò diuina virtute ad eius mortem, sepulturam, & post tres dies resurrectionem, atque in cælum & Paradisum assumptionem celebrandum adductos fuisse Hierosolymam ex varijs orbis regionibus, simul Timotheum, Hierotheum, Dionysium, & alios sanctos Patres, & audisse Angelorum cæleste Mariæ encomium, traditione acceptũ dignissima vsus Ecclesiasticus confirmauit, tum ea quæ de ea scripsit Dionysius ipse Areopagita. Christum porrò Mariæ Virgini Matri apparuisse morienti pie credimus & meditamur. Quid enim esset, si toties legimus & audimus Christum morientibus sanctis apparere, & non credamus sacrosanctæ Virgini Matri Mariæ apparuisse? Esto igitur.

*Damas.*

*Cap. 3. de diu. nom.*

A. Apostoli, & alij sancti Patres ex varijs orbis partibus per aëra à duobus Angelis, tutelari proprio, & Archangelo vel Principe (qui solent addi tutelaribus pro ratione magistratus quem gerunt homines) Hierosolymam vehuntur, ipsis mirantibus rem nouam atque insolitã. Mutatur eorum admiratio in cordis suauitatẽ, & vehemens desiderium, vbi causam audiunt ab Angelis quapropter adæhantur.

B. Hierosolyma, & domus in monte Sion, vbi ferè vixit post ascensionem Filij Maria Deipara Virgo: vnde frequens erat cum socijs mulieribus in visitatione sacrorum locorum vbi Christus mysteriũ passionis suæ & charitatis expleuerat.

C. Cùm hora mortis aduentaret, quam sancta Virgo à Filio præsciuerat, composuit se decẽtissime in lectulo, tota in mentis excellentissima Filij & cælestium rerum cõtemplatione suspensa, & cælesti cordis suauitate delibuta: astant Apostoli & sacri Patres, orant & simul hinc mærent, quòd præsidium viderent se in terris amittere cæleste ac diuinum: illinc gaudent, certò sperantes potentius è cælo patrocinium suscepturam mortalium Virginem gloriosam. Conuenerat iam Angelorum frequens chorus, in Matrem ac Deum hymnos inchoabat.

D. Cum venisset iam hora, & illud momentum quo animam erat spiratura Virgo sancta, ecce tibi adest Christus cum innumerabili multitudine cælestium spirituum, inter quos parentes Virginis Ioachim & Anna versabantur impletur cubiculum diuini luminis claritate, fit in sacro cubiculo Paradisus, concinũt Angeli diuinũ melos suauissimè, dignitatẽ incẽparabilẽ Mariæ Virginis Matris Dei laudibus in cælũ efferẽtes.

E. Spirat illa dulcissimè animam felicissimam, eam excipit Filius, & replet splendore suæ & Patris ac Spiritus sancti diuinitatis, collocat super omnẽ omnium cælestium spirituum beatitatem, & secundùm se excellentissimã gloriam sempiternam: exultant cohortes cælestes de gloria Matris Dei & suæ Reginæ, cõgeminant suas laudes Apostoli.

VIR-



# VIRGINIS MATRIS SEPVLTVRA.

## Ex ecclesiastica traditione.

*In cli. imaginem adnotatiuncula.* cli. 151.

*A.* Paratur funus perquam honorificè.
*B.* Portant feretrum Petrus & Iacobus, & primi quique Apostolorum versus torrentem Cedron.
*C.* Supernè prosequitur funus Angelorum multitudo.
*D.* Perueniunt iuxta hortum Gethsemani, vbi erat paratum sepulchrum nouum, felix tanta hospita futurum: ibi eam sepeliunt cum summis laudibus.

## ADNOTATIO.

*A.* PAratur funeris pompa & piæ exequiæ, in feretro sanctissimum corpus reponitur honestissimè.

*B.* Portant feretrum Petrus, Iacobus, & primi quique Apostolorum summa cum veneratione per mediam ciuitatem & portam auream; descendunt ad torrentem Cedrõ, perueniunt ad latus australe horti Gethsemani, comitantibus sanctis Patribus qui erant adducti, & frequenti piorum numero, tum deuotarũ mulierũ copia. Neque hic fuit ausus quisquã funus impedire, ita prouidente Christo, vt neque Christum sequẽtes ex monte Sion in Olueti, vnde in cælum ascendit; neque procedentes per mediam vrbem quisquam interpellare potuit: tametsi fertur quendam ex Pharisæorum colluuie sacrilego ausu voluisse feretrum deturbare, sed dedisse illico pœnas, siccatis impijs brachijs ac manibus: at cũ miserabili voce deprecaretur veniã à sancta Virgine, animo & corpore supplex, restituta fuisse illi membra dicuntur diuinitus.

*C.* Supernè Angelorum multitudo prosequitur funus, ac celebrat laudibus suis, insistunt Apostoli ac sancti Patres; Christus animam beatissimam sinu suæ diuinitatis, & recondita gloria fouet. At vbi? Vbi voluit ipse, & nos nescimus: quid si in paradiso terrestri? Quid si statim animam in cælestem paradisum euexit? quid si supra montem Olueti sepulchro Matris imminens, quod in radice montis est ad occidentem?

*D.* Perueniunt ad sepulchrum nouum, honestum, felix tanta hospita, quod primarius aliquis vir è pijs Iudæis qui in Christum crediderat sibi paraurerat, vt sibi Ioseph ab Arimathia suum: in eo honorificentissimè collocant corpus Virginis sacrosanctæ, quod Deum susceperit, & vitæ dedit principium. Triduum autem cõcelebrarunt diuinis laudibus & virginẽ beatissimam eius animam & corpus Angeli ex aëre sepulchro imminentes, explicarunt suas laudes Apostoli & Pontifices omnes, pro suo captu singuli. Hierotheus verò (vt tradit Dionysius) post Apostolos omnibus alijs laudãtibus superior erat, totus excedens, totus se deserens, & eorum quæ laudabat consortium patiens; ab omnibus denique à quibus audiebatur, & videbatur, & agnoscebatur, & non agnoscebatur, afflatus Deo, & diuinus laudator esse iudicabatur.

SVSCI-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# SVSCITATVR VIRGO MATER A FILIO.

*In cliÿ. imaginem adnotatiuncula.* cliÿ. 152.

*A.* Ad ſinem tridui adeſt Chriſtus cum militia cæleſtis exercitus innumerabili.
*B.* Clauſo ſepulchro ſuſcitat Matrem, animam eius & corpus maximis donis cumulat.
*C.* Egreditur illa fulgentiſsima immortalitatis gloria ornata, ſtellis duodecim coronata, amicta ſole, & ſub pedibus Lunam habens.
*D.* Excipit eam Chriſtus gratulatione ſumma.
*E.* Eam adorat, eiq; obedientiam eueſtigio defert cæleſtis exercitus, Dei Matrem, Reginam ſuam, & orbis profitetur vniuerſi.
*F.* Ceſſante in terris concentu Angelorum, intelligunt Apoſtoli reſurrexiſſe ſacram Virginem.

## ADNOTATIO.

*A.* AD finem autem tridui ecce tibi adeſt ad ſepulchrum Chriſtus cum militia exercitus cæleſtis innumerabili.

*B.* Animam Matris corpori vnit, & replet excellentiſsimis donis ac dotibus & animam & corpus, ac ſtatim è clauſo ſepulchro Matrem educit.

*C.* Egreditur ipſa fulgentiſsima veſte immortalitatis ac gloria ornata, circundata varietate donorum, dotium, aureolarum beatarum, quaſi ſole amicta, lunam ſub pedibus premens, corona ſtellarum duodecim caput redimita.

*D.* Excipit illam Filius Deus lætitia ineffabili, & immenſa gratulatione.

*E.* Illi obedientiam & reuerentiam exhibent Angeli & alij beati ſpiritus omnes, Reginæ ac Dominæ cæli atque orbis vniuerſi, Matri Dei omnipotentis.

*F.* Ceſſante Angelorũ melodia ad ſepulchrum poſt triduum, intellexerunt Apoſtoli reſurrexiſſe immaculatam Virginem.

ASSV-



# ASSVMITVR MARIA IN CÆLVM;

## Coronatur à Sanctiſsima Trinitate.

*In cliÿ. imaginem adnotatiuncula.* cliÿ. 153.

*A.* Aſſumit in cælum Matrem Chriſtus: illa dilecto Filio innititur ad dexterã honorificentiſsimè.
*B.* Circumuolant cæleſtes ſpiritus pſallentes cæleſte melos & gloriam.
*C.* Collocat tandem Matrem Filius ante diuinitatem, & ad ſanctiſsimam Trinitatem ſtatuit.
*D.* Ab ea coronatur ineffabili gloria, donis, dotibus, & priuilegijs ornatur excellentiſsimis.
*E.* Aperto ſepulchro credunt aſſumptam Apoſtoli à Filio, exultat in ſubilum & laudes eius cæleſtes.
*F.* Ad ſua quiſque loca, vnde fuerat deducti Patres, ab Angelis reducuntur.

## ADNOTATIO.

*A.* ASſumit eam in cælum Filius Deus honorificentiſsimè: illi ipſa innititur ad dexteram glorioſè.

*B.* Circumuolant Angelicæ omnium ordinum cohortes cum ſanctis alys ſpiritibus pſallentes ac iubilantes. Cum hoc triumpho præclariſsimo, cæleſti, diuino euehitur ad cælum empyreum Virgo Dei parens: ei Angeli, & ſpecies creatas gubernãtes, & cælorum motores tranſeunti genua curuant, & obedientiam deferunt Reginæ ſuæ & Dominæ.

*C.* Collocat tandem Matrem filius ante diuinitatem, & ad ſanctiſsimam Trinitatem ſtatuit in empyreo cælo, Deiq; omnipotentis regia. Genibus nixa diuina Virgo adorat trinũ Deum & vnum: Patrem, qui cũ Filium æternum genuiſſet, eundem ipſi dederat generandũ; Filium quem conceperat, genuerat, lactauerat, nutriuerat ſubditum in terris habuerat & obedientem; Spiritum ſanctum, cuius operatione & virtute Filium Dei conceperat. Itaq; à Patre agnoſcitur Mater Filij ſui vnigeniti, à Filio Mater, à Spiritu ſancto ſponſa, & cooperatrix incarnationis Filij Dei: ipſa omnibus diuinis perſonis, vni Deo gratias agit immortales. Magnificat veriſsimè eius anima Dominum, exultat ipſius ſpiritus in Deo ſalutari ſuo; tum verò profundiſsimè agnoſcit & profitetur humilitatem ſuam, ſe ancillam Domini; proſequitur reliqua ex ſuo cantico, quod videt ex parte ſe intellexiſſe & dixiſſe in terris, vt in mortalitate poſitam; ingenti verò gaudio exultat, perfectum ſenſum atque intelligentiam illius cantici conſequuta.

*D.* Diademate autem caput illi redimiunt tres diuinæ perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus excellentiſsimo & honorificentiſsimo, id eſt gloria cæleſti omnem aliam ſpirituum omnium longè ſuperante, ac ſecundùm animam Filij maxima; ſiſtunt illi regiam & thronum ad Filij dexteram, cõſtituunt Angelorum omnium & hominum, cæli & terræ, id eſt vniuerſæ creaturæ Dominam, & Reginã, atque Imperatricem, aduocatam peccatorum, patronam omnium piorum & auxiliatricem.

*E.* Aperto ſepulchro corpus non inuenerũt, ſed ea tantummodo cum quibus fuit cõpoſitum & ſepultum; ſimul fuerunt odoris ſuauitate admirabili repleti ex ſepulchro ſpirantis. Ad cælum igitur oculos & corporis & mẽtis attollentes toti fuerunt in contemplatione reſurrectionis, aſſumptionis, & gloriæ Virginis beatiſsimæ, eximia cordis ſuauitate & iubilo exultantes, & pſallentes Deo & Virgini cæleſtem victoriam & triumphum.

*F.* Apoſtoli & ſancti Patres ad ſua loca, vnde deducti fuerant ab Angelis, ab eiſdem reducuntur cum ſuo mentis iubilo & exultatione: narrant verò Dei laudes & gloriam ſempiternam. Amen.

DE

Universidad de Deusto
Biblioteca



# DE VIRGINIS DEIPARÆ LAVDIBVS.

## MEDITATIO.

*Cant. 8.* QVAE est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum? De Christo Domino in cælum ascendente rogastis sancti Angeli; *Isaiæ 63.* Quis est iste qui ascendit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? & professi eius vitæ & passionis, laboris & meriti fortitudinem, incitabamini ad laudes Christo canendas in æternitatem, in iubilo exultantes de misericordia, & magnitudine virtutis Dei. Quid nunc? Quæ est ista vestra exultatio? Similiter atque tunc ascensionem Filij celebrauimus, nunc Matris assumptionē celebramus, & ad eius laudes dicendas excitamur. Videmus illam de deserto quidē ascendere de orbe terrarum, qui ex se asper est, sterilis, horridus, sine cultu, sine vera hominum societate: sed quid hoc est miraculi? Venit in cælum Filius rubicundus sanguine, quem in passione & cruce effudit, stigmata suæ crucis gerens; eius verò Mater delicijs affluens adscendit? Erat in Filij rubore fortitudo & munitio immensa, diuina formositas & fortitudo; vnde in omnes homines decor, & infinitum robur, & gratia deriuari posset, & in electos deriuabatur tamquam e perenni fonte & infinito. Hæc erant in excelsis eius delicijs, quibus ascendens in cælum exundabat. Hinc verò fluxerunt illæ deliciæ quibus affluens eius Mater ascendit in cælum, cœlestis decor virtutum omnium & donorum spiritus, carnis integritas perpetua & sanctitas, omnium potentiarum perfectio, animæ & corporis nobilitas, gloria cælestis tum animæ tum corporis; & hæc quidem omnia tanta dignitate ac prærogatiua, vt omnium Angelorum & hominum delicias illæ deliciæ superarent, & essent secundùm Filij sui delicias & gloriam excellentissimæ. Feliciter inchoatis, beati Angeli, ornare assumptionem Virginis sacrosanctæ: pergite obsecramus per IESVM & eius Matrem, vt dum inter vos quæritis & respõdetis, possimus nos (quod vehementer desideramus) è micis quæ cadent de mensa vestra cælesti satiari; & facite vt ne nostra indignitas faciat vt illæ pereant, & nos desolati simus & miseri. Quærite igitur & vos nobiscum in simplicitate cordis vestri & humilitate; Quænam ista est quæ ascendit? Virgo sancta est, omnibus virtutibus & donis ornata est, excellens Dei creatura est; si hæc & huiusmodi quæ dicere possumus innumerabilia dicamus, nondum erimus assecuti quod quærimus: dicamus igitur Matrem Dei omnipotentis esse quæ ascendit, & omnia dixerimus. Audite verò. Nam primùm scimus Deum in sua prouidentia & sapientia disposuisse omnem creaturam suæ bonitatis & voluntatis cõsilio antequam fierent, & hanc prouidentiam versatam fuisse præcipuè in prædestinatione rationalis creaturæ. Itaque Dominum IESVM in ea supremam dignitatem obtinuisse apud Deum certum est; hic enim prædestinatus est Filius Dei in virtute, nec habuit natura Christi humana quo altiùs tolleretur, quàm vt Filio Dei in vnitatem personæ diuinæ copularetur: qua in re enituit diuinitatis diuina potentia. *Aug. de prædest. Sanct.*

### VIRGINIS MATRIS PRÆdestinatio secundùm Filij prædestinationem prima atque excellentissima.

AD hoc autem opus, vt ad præstantissimũ, quum retulisset Deus omnia quæ creaturus erat quasi ad exemplar, & ad humanitatis vnionem cum Verbo hæc terminaretur prædestinatio, fuit necessariò coniunctũ cum hoc Dei consilio, vt prædestinaretur illa, vnde carnem accepturus erat Dei Filius, & in cuius vtero vnio sacrosancta esset celebranda. Quocirca præparauit in sua prouidentia Deus illam mulierē Virginem, ex qua fieret Deus homo. Sed cuius erat hæc prouisio? Erat triũ personarum; Patris, cuius Filius erat incarnãdus; erat Filij, cuius erat futura Mater illa Virgo; simul erat Spiritus sancti, quo superueniente erat illa vnio facienda: tota Trinitas illam mulierem elegit, qua in re summa fuit in eam Dei benignitas. Nam non apprehendit Deus Angelos, sed semen Abrahæ, & hoc quidem ex hac Muliere. Præiata igitur in diuina electione & prædestinatione hæc Mulier



lier fuit non solùm Angelis, sed etiam mortalibus omnibus. Neque verò mirum; deligebat enim Pater Sponsam, Filij sui futuram Matrem; Filius quam solam erat habiturus in terris Genitricem, qui solum habebat Genitorem in cælis; Spiritus sanctus, vt per quem erat futura Mater. Quare qualis decebat tantum Sponsum, tantum Filium, talis eligebatur; non enim non erat in Dei æterna lege zelus Domini exercituum in Sponsam, & Filij in Matrem futura reuerentia. Erat in æterna lege præceptum quod sancitũ in tempore est de honore Parentum, neque futura Mater à Filio non magni fiebat: Sponsæ honorem & decus amabat Pater. Quid tandem ex his aliud nos intelleximus & vidimus in cælis? Quid vos colligere aliud deberis, mortales, quàm quòd humana quidem specie & natura Matrem sibi prædestinaret Deus, hac sola natura nobis inferiorem, alijs virtutibus omnibus, donis & excellẽtijs longè superiorem, & secundùm Filium præstantissimam? neque posse creaturam vllam eius laudes pro dignitate prædicare, ne nostros quidem Seraphinos. Nam quum sit reliqua omni creatura donis & gloria sublimior Mater Dei, laus eius omnis, quæ à creatura proficiscitur, tandem in admirationem euadit & silentium, in laudum consummationem exire non potest. Fuit in Dei prædestinatione Filij illa exultatio, ille ludus quem erat habiturus in orbe terrarum, illæ deliciæ cum filijs hominum. Quòd si cum his, cum Matre igitur primùm, ex qua acceptarus erat vnde esset cum ijs. Illa Sapientiæ æternæ creatio, Filij prædestinatio fuit, qua primogenitus ante omnem creaturam ad humanam naturam suscipiendam est præordinatus. Sic qui fecit Deũ hominẽ Filius ipse dicit; Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, id est, in mea humanitate per vnionem illam hypostaticam: ita audiui vt in Iacob inhabitarẽ, & in Israël hæreditatem caperem, & in electis Dei mitterem radices; vt videlicet ex semine Iacob secundùm carnem habitationem acciperem in Matre mea; ibi primum fructum acciperem meæ hæreditatis. Iam enim indè ab vtero Matris meruit Christus prædestinatis gratiam & gloriam, iam indè radices electorum positæ sunt, ordo scilicet & firmitas eorum prædestinationis & salutis. Hæc cùm ita sint, constat omnẽ beatitudinem & laudẽ prouenire ex Filio in Matrem: hinc fecit illi magna qui potens est, & sanctum nomen eius: indè extitit in prædestinatione misericordia, in progeniem & progenies, in omnes Deum timentes: indè deriuatur, indè suo gradu ex diuino munere Dei benignitas in mortales diffusa est. At enim cum prædestinatione sunt illa coniuncta quæ faciũt ad effectum prædestinationis capessendum; neque enim sine his Dei prædestinatio est, etiam si propter hæc non sit: prædestinatus enim Petrus est ad gloriam, sed non sine liberi arbitrij vsu, non sine obedientia & virtutũ exercitio; neq; hæc nisi ex merito Christi prouenire potuerunt. Primũ autẽ locum cùm obtinuerit Mater in Dei æterna prædestinatione secundùm Filium, fit vt in illam excellentem quandam vim sui meriti Christus exeruerit, & illi simul præparauerit sublimem gloriam, cum excellenti gratia, & præcipuo etiam liberi arbitrij vsu, & obedientiæ, ac virtutum omnium, & donorum, cælesti exercitio.

*Epiphanius in sermone de laudibus Virg. Mariæ.*

*Prou. 8.*

*Eccl. 24.*

*Luc. 1.*

### Dei Mater secundùm Filium laudanda.

Quo fit vt simul laudanda Dei Mater sit, quòd post Filiũ summa gloria, summo merito, summis virtutibus fuerit & donis ornata. Ita Christus plenè voluit laudare Matrem: vbi enim mulier illa exclamauit, beatum ventrem qui eum portauerat, & vbera quæ suxerat; sic respondit Christus, vt adiungeret ad Matris dignitatem eius merita & gloriam, & quæ erant coniuncta omnia cum illa sublimitate, fidem, obedientiam, humilitatem, alias virtutes, per quas meruit fieri Dei Mater. Nã quòd meritum non admittit vt Deus homo fiat, vt illa fiat naturæ humanæ & Verbi Dei hypostatica vnio, id vt ex hac Virgine fieret meruit Filius, meruit per Filium Mater. Cooperatum verò est ad hoc Matris meritum liberum ipsius arbitrium præcellenti gratia, virtutibus, & donis diuinitus insignitum & efficax in Filio. Quocirca voluit Christus intelligi, dignitati maternæ quæ erant omnia in illius prædestinatione esse coniungenda, & merita Matris responsione sua celebrare. Nam quum diuino ore pronuntiat; Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud, nonne rationem plenam prædestinationis exposuit? quòd si omnium, an non præcipuè Matris? excellenter Matris. Confirmat verò Christus illo responso quod dixerat Elisabeth: Beata *Luc. 11.* *Luc. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ credidisti ; & quod eadem ipsa Mater in sublimitate spiritus & humilitatis; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Mirabilia audiuimus ô beati Spiritus ; exsultamus in virtute potentię Dei, & maiestate misericordiæ ; & eo magis, quòd quum quæ audiuimus maiora sint quàm pro nostro captu, illud nobis remanet, vt quo altiora sunt, eò magis illa glorificemus docta quadam ignorantia in humilitate nostra in Christo. Quamuis autem vobis iuuantibus aliquid ex illis intelligimus , maiorem tamen eorum desideramus intelligentiam.

## Excellens beatissimæ Virginis prædestinatio.

En vobis. Regem constituamus potentissimum & sapientissimum , ac orbis terrarum Monarcham, cælibem tamen, sed qui consortem & hæredem filium habere velit suæ potentiæ, & sapientiæ, & monarchiæ: dubiũ esse non potest, quin ex omnibus orbis terrarum virginibus excellentissimam eligeret, ex qua illum generaret filiũ. Esset verò eius sapiẽtiæ, vt sciret eligere & vellet; potentię, vt posset eam sibi coniungere, quæ pulchritudine, virtute, gratia, integritate, maiestate, omnium donorum splendore ceteras omnes virgines quàm posset longissimè anteiret; & hanc sibi esse destinaturum antequam duceret. Quòd si eam etiam posset qualem sua sapientia & potentiæ magnitudine esset dignum fabricari, absque vlla dubitatione in illa formanda & ornanda suam omnem sapientiam, & potentiam, & industriam conferret, vt illam sibi talem acciperet sponsam , qualem se dignum esset & decens . Age verò, etiam hoc pone; (quod creaturæ angustia non patitur, intellectus vester assequi potest ex fide) cooperetur etiam Filius ad Matrem eligendam tanta sapientia, tanta potentia quanta Pater. Quid putas? Nónne eodem contenderet Filius quò Pater , & Matrem vellet honorificentissimè parari, & esse omni laude superiorem ? Sua proportione hæc ad prædestinationem Matris Dei conferte , & habebitis , vnde leuare mentem aliqua ex parte possitis ad illius mysterij sublimitatem. Pater æternus non tunc primùm elegit Virginem sacrosanctã, quum in hac mortalitate eam creauit , sed in sua æternitate , antequam mundus fieret, delegit sponsam, ex qua esset generandus homo eius vnicus & coęternus Filius, in cuius generatione illi communicaret suam immensam filiationem , vt diceretur & esset verè Dei Filius qui cõcipiebatur & nascebatur. Iã verò Filius antequam homo fieret, nónne erat apud Patrem, & Deus erat ipse etiã Filius, & vna potentia omnia circa creaturas operabatur , & vna operatione ? Matrem igitur suam simul parabat in sua æternitate cum Patre & Spiritu sancto. Etiam si nomẽ prædestinationis fiebat nobis difficile ô Angeli sancti , hac parabola tamen multum accepimus luminis : verè sancta electa est Mater Dei perfecta , parata est Mater Dei à Deo Patre Sponsa, à Filio Deo Mater, Spiritu sancto in ipsam superuẽturo. Estis vos, sancti Angeli, in perpetuis vestris interrogationibus & laudibus de Matre Dei, Regina vestra & Domina , semper quæritis quæ est hæc ita leuatis continẽter mentes vestras in sublimitatem, & perenni admiratione illam prosequimini & laude : at nos nec assequi vestras laudes possumus, & tanti luminis splendore hebetamur , & maiestate opprimimur, qui alioqui è fragilitate nostra & imperfectione nihil possumus: iuuate nos Angeli omnes, iuuate Angeli custodes , intercedite ad Dominum vestrum & nostrum, ad Matrem Dei & nostram , vt aliquid & luminis nobis interluceat , & virtutis accedat, quo in eius Assumptionis festo die possimus ad illius laudes aspirare. Ades tu præcipuè Virgo Mater Maria, iuua etiam tu nos , quæ plusquam Angeli omnes potens & gratiosa es apud Deum, & secundùm Filium tuum & potentissima & gratiosissima. Ceterùm quod ad nos attinet, illud ipsum postulamus benuolè, vt quæ diximus , quæúe sumus dicturi, ita accipiantur , quasi ex meditatione pia & deuotione : nihil enim per contentionem, nihil ex præiudicio dictum volumus , sed per abundantiam sensus nostri, in humilitate & charitate Dei.

## Gloria Filij, quæ ex sacris litteris colligitur, redundat in Matrem.

Primùm igitur, vt ad sacras litteras veniamus, magnam concipimus cordis nostri exsultationem , vbi illas videmus plenas huius sacrosanctæ Virginis præconijs & gloria: nam quum plenæ sint Christo eius Filio eiusque gloria, quid aliud intelligere possumus, quàm ex ea plenitudine redundare vberrimas laudes



des in Matrẽ? Itaque si hoc solùm in laudem Virginis Mariæ diceretur, cumulatè & diuinè eius gloria esset exaltata. Quid enim quum celebrant scripturæ Christi diuinitatẽ, nónne dicunt Mariam esse Matrem Dei? Quum illius prædicant veram humanitatem, nónne illam humanitatem ex Mariæ sanguinibus & substantia esse procreatam asserunt? Quum humanæ naturæ & diuinæ vnionem in persona Filij Dei extollunt, nónne quam acceperat ex Maria carnem extollunt? Illo enim miraculo non solùm Dei potentia & misericordia exaltata est in altissimis , sed Virgo summa dignitate & gloria nobilitata. Magno item Dei mysterio nascitur ille homo Deus, celebrant illius natiuitatem Angeli, stella, Pastores, Reges, cælum & terra : redundat hæc glotia in Matrem, & adorant Angeli, Pastores, Reges Virginem Matrem præsentes præsentem. Vixit humilis Deus homo inter homines, quæ erat eius summa dignitas; ea etiã dignitas pertinebat ad Matrem: diuinam doctrinam docuit homines Christus, mirabilibus etiã signis confirmauit. Quid? hæc non erant Matris ornamenta? Quid verò attentiùs, & maiori cum maiestate astruxit & confirmauit Filius Mariæ, quàm suam diuinitatẽ? hoc cùm ageret, nónne Mariam Matrem Dei Matrem esse confirmabat? Age , perierat genus humanum vniuersum, æternis supplicijs erant addicendi omnes mortales , obtulit se in acerbissimam passionem, crucem, & mortem hic homo ne perirent homines, sed salutem etiam consequerentur æternam: nónne excelsa est hæc misericordia Christi , & eius infinita laus? Quid? huius laudis nónne magnam partem cepit Mater? Iam quum resurgit à mortuis, quum datur illi omnis potestas in cælo & in terra , quum ad cælos ascendit, quum sedet ad dexteram Dei omnipotentis etiam quà homo, quum mittit Spiritum sanctũ, illa planè est vt diuina cõsummatio gloriæ & laudis Filij, ita Matris eximia præter cæteros. Si gloriari iure solent serui ex gloria Dominorum, & qui in regno viuunt ex Regis sui præstantia ; quid censemus laudis & gloriæ non accessisse à Deo Filio in Matrem? Scripturæ igitur omnes cùm Christum prædicant, prædicant & eius Matrem . Quòd si nusquam non spirant Christum Scripturæ, non illum celebrant, nusquam non vel figuris , vel prophetijs & doctrina prænunciant, vel præsentẽ exhibẽt; nusquã nõ inueniemus Mariæ Matris Virginis laudes , & præconia. Quæramus ab Scripturis in vniuersum quænam ista sit, quæ hodie ad cælos ascendit: en respondent: Ea est quam in Filio eius omnibus locis celebrauimus ; neque enim potuimus de Filio dicere diuinè (vt diximus) nisi de Matre intelligeremus dici excellenter. Hęc cùm audiuimus nos de Virgine Matre, exultat cor nostrũ; confirmat verò exultationem nostram Ecclesia sancta : vbi enim agit dies festos de Maria, ea canit vel etiam docet , quæ de eius Filio scripta sunt; vt intelligamus laudes Filij in Matrẽ redũdare: atq; adeò quæ de Christo propriè dicuntur, ad Matrem etiam transfert singulari priuilegio & applicatione. *Prou. 8. Eccl. 24.*

## Quæ propriè de beatissima Virgine tradiderunt Scripturæ.

Verùm rogemus Scripturas rursum, num de illa propriè aliquid tradiderint . Respondent, Permulta. Ea nobis, fratres, cum summo studio & deuotione legenda sunt. Quis enim non inciteturad laudes Matris Dei decãtandas suauiter quidẽ, vehementer tamen, quum canticum canticorum Salomonis meditatur, id est sublime illud epithalamium nuptiarum Agni? Fugiant hinc terrenæ cogitationes ; leuemus mentem ad Filium Dei, & eius vnionem cum natura humana in suppositi diuini vnitatem: illa fuit, vnde factæ sunt cum Ecclesia Agni nuptiæ. Non potuit altiùs intonare canticum suum Salomon, neque excellentiùs exprimere ; ac propterea verè fuit canticum canticorum. Osculetur, inquit, me osculo oris sui. O verborum & rei diuinitatem adorãdam! Sed quis loquitur? Ecclesia. Cui loquitur? Patri Sponsi. Quid petit? Non iam vt per Angelos, per Moysen, per Prophetas mittat sibi oscula; sed vt eius os contingat , vt Filius ipse veniat, ipse descendat , homo fiat in vtero Virginis sacrosanctæ: ita faciat Filio suo Pater nuptias cum Ecclesia , & in ea excellentes cum Matre. Desiderat Ecclesia vniri Filio per eius incarnationem in thalamo Virginis gloriosæ , vt fiat illa vnio vult sanctissima Trinitas , in quo est vt Filius velit ipse vniri. Quid præterea ? Exigendus fuit à futura Dei Matre consensus. Propterea missus Gabriel tamquam Paranymphus parat Virginem ad consensum. Erat quidem in illo desiderio Virgo sancta vt nubes pluerent iustum; *Cant. 1.* *Luc. 1.* *Esaiæ 45*

Universidad de Deusto
Biblioteca



iustum; terra vt germinaret saluatorem; sed ipsa vt esset illa terra cogitare non poterat eius profunda humilitas: hoc vt veller, ad hoc vt consentiret, id diuina virtute curauit Archangelus. Tandem coniungit mente suum desiderium & voluntatem sublimis Virgo; conueniunt in vnum Dei trini & vnius voluntas, Ecclesiæ, Mariæ Virginis: itaque eodem momento humanitas illa Deo Filio Dei
*Ioan. 1.* vnitur, fit Verbum caro, fit homo Filius Dei, & hoc quidem in vtero virginali Mariæ. Qua humanitate? Ea quæ procreata est è Maria. Quo pacto? Spiritus sancti operatione, obumbratione Virtutis Altissimi. O miraculum omnibus & hominibus & Angelis ineffabile! Et tamen ad hoc perficiendū consensu, opera, concursu Mariæ vtitur Deus. O dignitatem sacræ Virginis incomparabilem! O gratiam & benignitatem Dei immensam in illam. Hoc igitur est initium cantici, quod omne canticum superat, præterquam Mariæ ipsius. Hinc inflammatus Salomon totus fuit in canendis huius cælestis Spōsæ encomijs, quæ mirificè mentem nostram illustrant, & deuotionem in Virginem sanctam accendunt.

## De sacrosanctæ Virginis Deiparæ pulchritudine.

*Cant. 1.* Alia omittamus; ad illa feramur: Ecce tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es. Ita prædicat Sponsus Pater, & Filius, Sponsæ & Matris dignitatem prœconio excellenti. Ecce; rem nouam, admirabilem, singularem. Tu; nulla alia tam pulchra quàm tu, qua pulchritudine decuit ornari Matrem Dei: auget repetitio laudem; Ecce tu pulchra es. Additur verò, Oculi tui columbarum, gratiarum plenitudinem, & Spiritus sancti dona spirantes, sed illis oculis tuis me allexisti, te Matrem vt
*Cant. 2.* cuperem mihi & acciperem. Additur item; Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Inter quas? inter reliquas omnes. Præstantia hæc est Sponsæ Christi & Matris. Illæ etiam si pulchræ sint, etiam si non sint insuaues, nec solicitudine premant; spinæ tamen sunt si ad candorē eximium, si ad suauitatem, venustatem, honorem meæ Sponsæ conferantur. Rursum superioribus ferè verbis eis-
*Cant 4.* dem laudat Matrem Christus, Quàm pulchra
*Hieron. Septuag.* es, &c. oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Replicatio maiorem vehementiam rursus indicat amoris & laudis. Sed quid est quod addit hîc, Absque eo quod intrinsecus latet; vel quod silentio præteritur? Significat Sponsus plures esse laudes quæ tacentur & spiritu cognoscuntur, quàm quæ verbis explicari possint vel alijs, vel ab alijs; plura se scire quàm dicat. Duas addamus ex Salomone Virginis Matris laudum coronas.

## Sine macula.

Quid igitur præterea in Sponsam canis Salomon? Tota pulchra es, amica mea, & macu- *Cant. 6.*
la non est in te. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa & munda genitrici suæ. Quid honorificentius dici potuit? Et quidem hæc in superioribus Sponsi verbis erant, sed nunc dicuntur plenius: celebrat enim disertè pulchritudinem quæ nullam habeat maculam. Qualem verò maculam, vel quam? Qualemcunque, cuiusuis sit illa generis. Quis hîc non intelligat ab omni prorsus peccato non solùm vixisse inuiolatam Virginem, sed conceptam etiam absque originali, de Filij prærogatiua ac præseruatione singulari? Neque hoc solùm celebrat deuotè in corde suo, sed illud simul, ante creationem animæ benedictæ Virginis fuisse simili priuilegio fœtum illum futuræ Virginis à macula & contagione omni præseruatum, vt omni ex parte macula vlla vel in Maria, vel in eius carne nunquam esset. Nam quid magis macula quàm peccatum, etiam originale, quod à Deo perpetuò separat? Quid secundùm peccatum magis macula quàm morbidus ille fomes à peccato existens, & ad peccatum inclinans? quapropter peccatum appellatur, ex cuius contagio suam maculam contrahit fœtus in generatione hominis. Fuit sapientiæ Sponsi decernere, bonitatis & nobilitatis, vel diuinæ virtutis posse, benignitatis facere, vt eius Mater in illas contaminationes non incurreret, ac propterea subdit Salomon singulari priuilegio esse excellentias in Matrem collatas; Vnica est columba Mater mea, vna in qua omnes gratiæ, dona, virtutes, Spiritus sancti ornamenta sunt excellenter secundùm me cumulata. Propterea quæ in vniuersum in scripturis dicuntur de peccato, per exceptionem dicuntur, neque Matrem Dei comprehendunt. Vna est columba mea, vna perfecta mea: cuius mea? Dei Verbi incarnati. Quicquid est in alijs perfectionis



ctionis gratiæ, vel donorū, illud ad huius perfectionem nō attingit, id ab huius perfectione superatur: hanc mihi peculiarem creaui columbam, in qua sit præstantia singularis donorum Spiritus sancti. Hæc Ecclesiæ meæ (quæ mea simul Sponsa est) vnica est imma- *Ephe. 1.*
culata columba & perfecta filia. Habet me quidem caput & Principem primum Ecclesia, sed nullum præterea, nullā præterea quam possit dicere immaculatam; ita perfectum nullum, nullam in quo nō fuerit peccatum: hæc sola est, in qua hoc excellens beneficium accepit à me Sponsa mea Ecclesia: hæc sola est Matri suæ Ecclesiæ electa præter ceteras, hæc munda præter ceteras. Ad has porrò laudes spectauit Gabriel Angelus in salutatione Matris meæ; Aue, inquit, gratia plena, vna tu es gratia plena: non erat gratiæ plenitudo in veteri lege, nunc in Filio tuo, & in te per ipsum est exorta. Erit plenus gratiæ & virtutis Filius tuus, ex cuius plenitudine tu primam plenitudinem accepisti: alij secūdas quasdam accipient, sed tu vna es quæ primam, quæ excellentem consecuta es. Gaude quia vna es singulariter gratiosa, vna præter ceteras pulchra. Hoc priuilegiū à Deo accepisti, quia Dominus tecū est vt in pretiosa eius Filia & Matre futura, vt in electa & munda sua, in vna columba sua, præcellenti benedictione præuenta. Incomparabilis exstat laus Mariæ Virginis Matris ex Cāntico Salomonis, quæ eò est amplior, quòd eū de Ecclesia, & pia anima intelligi simul possit suo gradu, ortum tamen habuit ex vnione Filij Dei cum humanitate in thalamo Virginis Matris, vnde tanquam sponsus prodijt ad sociandum sibi Ecclesiam: quo fit vt singulari munere ad sacrosanctam Virginem illa laus referatur, quæ proximam habuit cum Christo coniunctionem. Hæc igitur canamus, fratres, lætis animis in iubilo cordis in Christo.

## De immaculata Virginis conceptione.

Iuuat autem ac promouet nostram exultationem de laudibus Mariæ, vbi videmus tam claram Ecclesiæ inclinationem ad prædicandam Virginis Matris conceptionē, & à peccato etiam originali immunitatem. Neque verò hic disputandi locus est, sed pietatis inueſtigandæ, & augendæ deuotionis. Nō mouet nos congregationis illius Basileensis decretum, tametsi aliquid illinc præiudicij colligi fortassis possit, quòd post non adeò multos annos non damnauit illud decretum Xistus IIII. nominatim: Quod quum non fecerit, quæ tamē illa congregatio facere voluit, vt renouaret festum Conceptionis iuxta Romanæ & aliarum ecclesiarum institutionem, & indulgentias festum celebrantibus largiretur, hoc legitimè ex principali sedis Apostolicæ authoritate fecit Xistus, & cauit accuratè vt essent hæc sacrosancta. Gaudemus autem quòd ea sint à Synodo œcume- *Sess. 5. ci. vltimo.*
nica Tridentina confirmata. Sancit enim sancta Synodus constitutiones seruandas esse Xisti PP. IIII. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas etiam innouat: cultum igitur festi damnare nullus potest. Iam si cultus auctoritatem voluit Synodus esse inuiolatam, ingens inde accrescit exultationis nostræ alacritas, quum videmus ab Ecclesia Catholica cultum illum qui damnat damnari, quasi nobis viam aperiat & muniat, qua nostram sententiam & deuotionem tenere possimus, & indicet in eo errare nos non posse. Quid? Non est in cordibus nostris magnificiendum quod eodem cap. œcumenicum Concilium decreuit? Adducamus verba ipsa, quæ sunt suauitatis & lucis plena. Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatā & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem. Quæ nam esse potest maior Ecclesiæ inclinatio ad sententiam præseruationis Virginis à peccato originali? Nam hoc certum & indubitatum esse debet, nō intendere Ecclesiam fuisse vnquam peccatum originale in Matre Dei Maria: quare illam, dum de peccato originali agit, exceptam intelligit, nec ad eam pertinere illam tractationem, quæ ad alios omnes necessariò pertinet. Vnde fit, vniuersales illas scripturæ pronuntiationes de peccato originali, de Maria non intelligere Ecclesiam, & non posse nos intelligere. Videtis apertam & claram Ecclesiæ inclinationem ad præseruationis ab originali sententiam; nam à peccato veniali immunem Mariam haberi ab Ecclesia speciali Dei priuilegio, alio loco tradit Synodus. Hæc quum ita *Sess. 6.*
sint, cur non apertè editum decretum fuit *cap. 26.*
de conceptione? Satis habuit Ecclesia pia Mater indicare quid vellet; noluit cogere quem-

Universidad de Deusto
Biblioteca



piam vt contra ſuam perſuaſionem ſentiret vel crederet; ſperans futurum vt ſuauiter per ſe omnes fideles ad illam deuotionem accederent: quod vbi videret, vel non eſſet quod decerneret, vel ſuauiter illud definiret. Apparuit rurſum Eccleſiæ inclinatio quum edidit officium eccleſiaſticũ de Conceptione Pius V. & quidem ex inſtituto ordinis Prædicatorum aſſumptus; nam & conſeruatum eſt nomen Conceptionis, & conſtitutum celebrari ſimiliter atque officium quod eſt de Natiuitate Virginis, nomine Natiuitatis dumtaxat in nomen Conceptionis mutato; quo nihil in eo genere honorificentius. Videmus Eccleſiæ inclinationem fratres, quo quid nobis contingere poteſt optatius? quid ad conſeruandam atque augendam noſtram ſententiam & deuotionem accõmodatius vel vtilius? Quòd ſi quum viuerent qui in contrario ſenſu abundarunt, propter generoſam animi cõſtantiam ad veritatem ſcripturarum propugnandam, illam Eccleſiæ vidiſſent inclinationem, tam apertam, tam claram; & illud præſertim, quæ ex ſcripturis adduci videbantur, Eccleſiam non intelligere de Maria; quid? non cenſemus ſuam ſententiam fuiſſe mutaturos, & in deuotionem immaculatæ Conceptionis Matris Dei inflammandos? Illud etiam quò incitat me animus meus hoc loco non omittam, vt ex meditatione pia. Si quis orationẽ dicere meditaretur qua patrem ſuum laudaret, & ſibi integrum eſſe intelligeret ſi laudaret patrem ex præſeruatione à peccato originali; nec hoc tamen ſciret, ſed etiam ad illam gloriam patris prædicandam videret præmijs ſe eximijs ab Eccleſia inuitari: quid hunc facturum arbitrabimur? nónne prædicaturum eſſe patrem ſuum præter alias animi dotes illud etiam retuliſſe à Deo præſtantiſsimum ornamentum, vt à peccato originali fuerit immunis? Hæc igitur mouerent illum filium erga patrem, pro filiali erga patrẽ pietate, gratitudine, & obſeruantia; moueat nos ad noſtram deuotionem conſeruandam & augendam erga Matrem miſericordiæ, erga ſacroſanctã Matrem noſtram & omnium fidelium, erga Mariam Virginem Dei Matrem. Nõ diſputo, ſed mea deuotione recreor: quocirca nullus interpretetur me hoc facere ad eorum oppugnationem qui contrariam ſententiam meditantur; non hoc facio, nolo facere, non debeo facere: at verba hæc habere videntur vobis fortaſsis nolentibus. At ego enim ſic exiſtimo, neutram partem in hoc negotio ſuam tenere ſententiam abſque rationibus quibus nitatur: nos itaque, vt nihil putamus dici ab alijs, dum ſuam ſententiam confirmant, quod noſtram lædat vel exiſtimationem vel deuotionem; ita æquum eſſe cenſemus vt illi noſtram accipiant. Seruemus autẽ ſimpliciter vtrique, & abſq; vllo præiudicio, Xiſti & Concilij decreta, & abundemus in noſtris ſenſibus in charitate, modeſtia, & ſubmiſsione cordis in Chriſto.

## Encomia beatiſſimæ Virginis adhuc ex ſcripturis.

Agite verò fratres, inueſtigemus rurſus in ſcripturis encomia Virginis Matris. Quid tu magne Moyſes, non agnouiſti hoc Dei miraculum? Agnoui, & celebraui nec ſemel nec remiſsè. Audite. Intellexi ego quum mũdi principium deſcriberem Deo inſpirante, Verbum Dei incarnandum, & typum eſſe primum Adamum ſecundi, terrenum cæleſtis: ibi verò de Matre ſecundi Adam cogitaui præcellenter, vt de Chriſto diuinè; quod declaraui quum ſcripſi;

## Inimicitias poſuit Deus inter Serpentem & Mulierem.

Inimicitiam ponam inter te & Mulierem, *Gen.3.* hoc eſt plenam, & omni ex parte, itaque inimicitias poteſtis vos dicere. Sed inter quam Mulierem? Nõ Heuam, quæ grauiſsimè peccauerat, nec ita in gratiam recepta fuit & in ea confirmata vt peccare nõ poſſet; at inter Eccleſiam vniuerſam intelligi poteſt, non dubium. Verùm illa nullam mulierem habuit ab omni peccato immunem præter Mariam. Hæc igitur perpetua fuit Serpẽtis Satanæ inimica. Huiuſmodi verò inimicitia poſita eſt inter Mariæ prolem & Saranam. Quòd ſi diuina eſt hæc proles, ſi Deus illa proles, vt eſt, fit abſque vlla dubitatione, vt non ſolùm gerat inimicitias perpetuas cõtra Serpentem, ſed vt cauſa etiam ſit inimicitiæ Matris aduerſus Dæmones omnes, & omnia peccata. Quòd dixi priùs de Matre quàm de Filio, ſignificaui id quod erat neceſſarium, non fore Chriſtum hominem ante Matrem, ſed Verbum carnem ex illa eſſe accepturum; vnde prouenirent omnes inimicitiæ contra Dæmones,



mones, omnes victoriæ, omnium operum merita.

## Ipſa contriuit caput Serpentis.

Perge ſanè manſuetiſsime Moyſes, recreas animum noſtrum vehementer. Quod addidi, Ipſa conteret caput tuum, eodem ſpectat: intelligitur verò & de Muliere & de Filio; ijſdẽ enim literis ſcribitur hebraicè pronomen illud הוּא pro maſculo & fœmina. Porrò vt fuit Adam typus & forma futuri Adæ Chriſti, ita ſua proportione Heua Mariæ. Ille in aliquibus propter ſimilitudinem, in pluribus propter diſſimilitudinem fuit Chriſti typus, Heua ſimiliter Mariæ: naturalia enim & gratuita quæ illi acceperunt, ſimilitudinẽ dixerunt ad Chriſtum & Mariam, alia verò diſsimilitudinem. O iucundas enarrationes! Perge amice Dei Moyſes. Habui ſemper in ſummo & diuino honore Chriſtum, habui in maximo eius Matrem: itaque ex his quæ ſcribebam, ſiqua poterãt ad Mariam referri, non omittebam de illa intelligere.

*Gen.3. 2.Reg. 12.*

## Mater viuentium.

Quod enim dixi de matrimonio Adami & Heuæ, & retuli ad Chriſtũ & Eccleſiã, eodem ſimul complexus ſum vnionem Verbi diuini in thalamo Virginis, vnde illa coniunctio Eccleſiæ erat reformanda.

*Gen.2.*

## Arca Noë.

In Arca Noë cõtemplatus etiam ſum Mariam Virginem, tanquam refugium ad quod mortales omnes confugerent, & per quam à Filio eius ſalutem acciperent. Alioqui Mariæ typus fuit Arca Noë: nam vt illa ferebatur ſuper aquas, neque tamen ſubmerſa eſt vel periclitata, Deo eam ſingulari prouidentia & benignitate gubernante, ita Matrem Dei proſpiciebam in mari huius mundi nec eſſe ſubmergendam, nec periclitaturam principali priuilegio Deo eam gubernante.

## Sara & Rebecca.

Significari porrò intelligebam Mariæ fœcunditatem per Saræ & Rebeccæ, virginitatem verò, quòd illæ è ſterilitate generarunt illuſtres viros, (è quorum ſemine Chriſtus erat generandus) hæc ex virginitate Chriſtum ipſum genuit.

## Mariæ Prophetiſſa.

Piam item exhibuit figuram Mariæ Virginis Matris ſoror mea Maria Prophetiſſa, vbi ſumpto tympano in manum præiuit reliquis mulieribus canticum illud, Cantemus Domino, &c. At quantò perfectius tympanum Maria Virgo aſſumpſit! quanto pulſauit ſublimiùs & dulciùs! quanto certiùs & illuſtriùs canticum ſuum animabus noſtris præiuit! Illa faciebat ſoror mea in vmbra & figura, Maria Virgo Mater ea præſtitit in luce Dei & veritate, & cæleſti gaudio, vbi Chriſti crucem celebrauit & reſurrectionem; illud enim fuit diuinum tympanum Chriſtus extenſus in ligno: crucem ſumpſit in manus cordis ſui & ſpiritus Mater Dei, & in ea, & per eã & Chriſti reſurrectionem, celebrauit Filij ſui triumphum, præſens præſentem, de Satana, morte, inferno, peccato. Per mare enim rubrũ, id eſt ſanguinem ſuum, Chriſtus liberauit veros Iſraëlitas, & ſubmerſit in abyſſum inferni contrarias omnes poteſtates. Quo fit vt excellentius tympanum acceperit Maria, dulciùs ac ſublimiùs illud pulſauerit, certiùs atque illuſtriùs præierit pijs omnibus animabus odem præclariſſimam.

*Exo. 15.*

## Rubus ardens incombuſtus.

Iam rubus ardens, ſed incombuſtus, nónne non ſolùm virginitatem Mariæ ſignificabat, ſed à peccato omni & macula immunitatem? cùm tamen ex ardore naturalis libidinis eſſet à parentibus procreanda.

## Arca fœderis.

Arca porrò teſtamẽti inſignem habuit typum Virginis Matris: in illa enim Arca poſitę erant duæ tabulæ teſtamenti; in hac duæ naturæ, diuina & humana, in vnitatem diuinæ perſonæ fuerunt coniunctæ; quo myſterio teſtamentum æternum traditum mortalibus eſt, & lux gratiæ, lex ſpiritus vitæ, non ſcripta in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Frat in illa Arca manna, quẽ panem ſiquis manducaret, moriebatur tamen; in hac panis de cælo verus fuit, quem ſi quis manducauerit, viuet in æternum. Illa virgam habuit Aaron quæ fronduerat, id eſt, quæ florem amygdalarum & fructum dederat; hæc virgam de radice Ieſſe, & florem in vtero ſuo habuit, & fructum ſuper quem requieuit Spi-

*Exo. 25.*

*Nu. 17.*

*Eſa. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Sed ita tamen, vt ex analogia ad virgam Aaron significetur accepturus esse Christus æternum Sacerdotium, & præuenturus fructum suę passionis iam inde non solùm ab illa Arca, sed ab Adam ipso, suæ crucis applicatione. Consideraui prærerea vbi
Exo. 17. scriberem de petra, eiectã aquam copiosam, & consideraui quidẽ magna cum animi consolatione, non solùm de petra quæ erat Christus, fluere infinitum illum fontem miserationum, & gratiarum, & salutis in mortales, sed fontem illum simul contemplabar fluere ex petra, Maria Virgine, vniuersæ creaturæ inuiolabili atque impenetrabili, soli Deo, eiusque Filio peruia.

## Ciuitas refugij.

Addam adhuc vnum typum Mariæ benignitatis, reliquos vos poteritis scrutari. Ci-
Deut. 4. uitates refugij ego separaui tres trans Iordanem, reliquas indixi separandas citra Iordanem: illæ omnes significabant Mariæ Matris misericordiæ refugium & patrocinium, & maiori quidem gratia. Nam illa refugia protegebant eum qui occidisset nolens proximũ; Mariæ patrocinium apertum est & obuium cuiuis peccatori ad Matrem omnis pietatis confugienti. Quòd illæ essent plures ciuitates, erat imperfectionis, quòd vna omnibus refugium præstare non posset: hæc nostra ciuitas sat est vna; omnibus enim laborantibus, & eius refugium implorantibus, eadem semper præstò est. Non possumus tibi, Moyses Sancte, satis pro dignitate de beneficio quod ex te accepimus gratias agere vel etiam habere; agimus & habemus quibus te scimus esse contentum excellenti tua in omnes benignitate.

## Debora & Iahel.

Ad alia pergamus fratres, en fauet nobis Mater Dei Maria Virgo, videns suas laudes in Filium ferri. Quid igitur dicemus de Debora & Iahel? nónne ex illius verbo & ductu
Iudic. 4. superauit Barach exercitum Siſaræ & gentiũ, & hæc clauo transfodit huius caput? Duæ igitur mulieres illam confecerunt victoriam, & & potentiã Regis gentium euerterunt. Quid Mater Dei? non excellentior fuit Prophetis & Ductrix exercitus Domini exercituum quàm Debora? nónne potentior quàm Iahel? Quoties hac duce profligarunt hostes Christi Principes Christiani! quoties per hãc Duces hostium interfecti sunt! quoties similiter opitulata Mater Dei Maria est in prælijs tum spiritualibus, tum exterioribus! At illæ non erant virgines: eò hæc nostra Virgo excellentissima maiori potentia illa operatur. Illæ duæ fuerunt quæ illic debellarunt, hæc sola quàm frequenter, quàm gloriosè de hostibus Filij sui triumphauit!

## Anna Helcanæ.

Anna Helcanæ magna solicitudine petebat à Deo prolem vt haberet, quali præsagiret quanta esset futura illa proles; ita enim solẽt sanctæ mulieres non ad voluptatem, sed ad Dei gloriam ampliorẽ matrimonio vti. Exaudita est à Deo; impetrauit Filium Deo grata mulier & sancta, qui in magnum illum Samuelem euasit. Quomodo poterat exorare tantum Propheram, tantum Principem in Israël, nisi per tot orationes, per tot lachrymas, per tam vehemens desiderium? Cecinit pro
1. Reg. 2. gratijs eximium illud canticum, ad Mariæ alludens propter mysticam significationem, non propter solum illum Samuelẽ: & tamen in Maria præstantiora illa fuerũt omnia. De-
Isaie 45. siderabat enim vt nubes pluerent iustum, vt
Isaie 64. dirumperet Deus cælos, & descenderet; sed faciebat eius humilitas vt non in se id expeteret: sed hæc eadem fecit humilitas, vt in eam potiùs descenderet Deus, & ex ipsa carnem acciperet, & homo fieret, & Propheta, & Princeps Israël excellentior longè quàm Samuel, quàm omnes Prophetæ, quàm omnes Reges & Principes.

## Regina astans à dextris Regis.

Iam Dauid Regem à Deo electum interrogemus, quænam ista sit quæ ascendit. Illam ego meam ciuem, meam filiam, & Matrem ac Dominam semper in corde meo secundũ Christum Domini celebraui; peculiariter verò Psalmo quodam, quum de eius Filio gloriosè prædicarem, coniunxi propriam Matris
Psal. 44. celebritatem. Eructauerat cor meum ex vbertate laudum Christi verbum bonum & perfectum: ad Matris etiã laudem illa laus cùm spectaret,



spectaret, eam ex illa cordis abundantia expressi; Astitit, inquam, Regina à dextris tuis, Christe IESV, pro sublimitate donorum qua Reginam Matrem ornasti. Neque enim tantummodo Regina illa Ecclesia est (quamuis & ea est) sed plenior erit ille Ecclesiæ etiam consessus ad Christi dexteram, si illum primo loco inter omnes Ecclesiæ filios demus Virgini Matri Dei. Nam vt plenus est Filij consessus ad dexteram Patris, quia illi, qua homo est, sunt quàm reliquis creaturis dona altiora communicata, quo fit vt adorationem etiam recipiat diuinã humanitas cum diuinitate; ita sublimis Mariæ est post Christum cõsessus, quia post alias creaturas omnes potiora à Filio accepit dona, & sola adepta illud donum est, vt Mater Dei appelletur, sit, atque adoretur. Quum igitur Ecclesia ad Christi dexteram astet, in eo statu siue consessu principem locum obtinet Virgo Mater Dei Maria. Itaque illa quoque Mariæ dignitas Ecclesiæ sanctæ tribuitur vt illius Matri.

## Terra cui benedixit Dominus.

Doce nos alia Matris Dei præconia beate Dauid. Omnia non possum, pauca indicabo. Nam quum & ego, & alij, & præcedentes Prophetæ, & sequentes, & iusti homines feruenter orauerimus, & sine intermissione quidem pro aduentu Christi, id ego cùm alijs locis
Psal. 84. significaui, tũ Psalmo qui est lxxxiiii. expressi desiderium, spem, orationem meam, & omnium Patrum in spiritu; totus enim ille est Psalmus diuinis mysterijs aduentus Meschiæ plenus: primus tamen versus, & qui ad finẽ sunt Psalmi, atque adeò omnes mirificè celebrant Dei incarnationem, eius etiam fructum. Intellexi in spiritu futuram Dei incarnationem ex terra Israël, semen Abraham & meum sciebam apprehensum iri à Verbo Dei in terra illa, quam propterea Deus elegerat, cui propterea benedixerat. Hãc igitur electionem & benedictionem primùm celebraui, explicui ad hæc effectum benedictionis. Auertisti captiuitatem Iacob: hæc est redemptio facta per Christum omnis Iacob & Israël, & veteris testamenti & noui; Omnes enim vnus Is-
Rom. 9. raël fuimus Christi & sumus. Verùm quónam pacto, quo mysterio hæc facta sunt? Per Christum, quem nobis peperit Maria. Addidi igitur, Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis: misericordiam tuam illam magnam, quam es facturus per Christum, quam per fidem & reuelationem tuam intelleximus in spiritu, fac iam tandem vt illam non solùm mente videamus, sed oculis & sensu cernamus. Hoc fiet si des nobis IESVM Filium tuum in carne, qui nostræ naturæ sit particeps, & humanitatis cõsors. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Ita singuli dicebamus ex certitudine promissionis diuinæ quę erat de Christo; tum intelligebamus futurum, vt in aliqua Virgine ex Israël loqueretur Deus pacẽ & faceret, quum carnem susciperet. Ita totum Psalmum, & hos præcipuè versus intelligebam de futura Virgine, in qua erat adimplenda salus omnium, & incarnandus Deus: quo pacto erat intellectura illa eadẽ Virgo, sed propter humilitatem non de se. Et super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Ostendi

his

Universidad de Deusto
Biblioteca



his verbis efficaciã redemptionis & pacis quæ erat futura in Christo; is enim pacem & dedit & dabit prædestinatis omnibus efficaciter : ij verò erunt qui ex corde conuertuntur ad Dominũ, nõ stultè & vanè : alijs omnibus offeret sufficienter. Verumtamẽ prope timentes eum salutare ipsius. Reuera enim propè erit Christi salus ijs qui humiles erunt & Dei timentes ; atq; adeò propter humilitatẽ Deum conceptura est Virgo illa sancta; & promeritura vt inhabitet gloriosus Deus gloria ipsa in terra illius Virginis, inde in nostra. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Hîc incarnationẽ ipsam Verbi æterni indicauit: in ea enim vnione diuinæ naturæ cũ humana in vnitatẽ personæ diuinę cõiuncta misericordia Dei est cum veritate, & ad rem ipsam deducta est misericordia Dei. Quasi intelligatur misericordia in veritatis fuisse inquisitione, & veritas in misericordiæ, atq; in vtero sanctæ illius Virginis sibi obuiã venisse & fuisse cõiunctas, & ex his summo cõplexu & amoris diuini significatione iustitiã fuisse cũ pace copulatã, adductã mortalibus iustitiam sempiternam.

Terra de qua veritas orta est.

Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Vnde hoc est, magne Dauid, vt veritas de terra oriatur , quæ nescit nisi spinas & tribulos germinare? *Gen. 3.* Quænã ista terra? Hæc illa est terra quã præparauit Dominus, Virginis sacrosanctæ, quã omni benedictione & gratia ita repleuit , vt Dei iustitia è cælo prospiciente, veritas ex eius vtero oriri potuerit, ac verè orta sit.

Quæ dedit fructum suum.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suũ. Nã dedit Dominus ipsam benignitatẽ, & omne bonum; quod cũ dedit, terra nostræ Virginis dedit fructum suum. Ita facta illa diuina vnio est in augustissimo Mariæ Virginis thalamo, sancto Spiritu superueniente, & obũbrante virtute Altissimi, & concepit Virgo , & peperit Deũ & hominẽ, infinitã benignitatẽ. Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. Procedet à Christo iustitia omnis ; non enim ab alio erit salus, quæ otiosa tamen nõ erit, sed perpetuò actuosa, & quasi in via cõtinenter progredietur & augebitur, & erit in continuo exercitio virtutum & meritorũ in Christo. Magnũ accepimus beneficium ex hac tua doctrina Regie Propheta, & exultauimus ad præconia Mariæ Virginis Matris. Illud præterea piè credimus, cũ ab Angelo salutata sacra Virgo est, in huius Psalmi fuisse meditatione & oratione, vt de alia virgine, quæ erat tamen eadem ipsa.

Via viri in adolescentula.

Ad Salomonẽ redeamus , & ad eius Prouerbia veniamus, in quibus testatur *Pro. 24. ex Lxx. Hier. in Ezech.* posuisse in corde suo, & dedisse disciplinam, & pœnitentiam egisse. Quid ergo Salomon ? Tria, inquit, sunt difficilia *43. Pro. 30.* mihi, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viã nauis in medio mari, & viã viri in adolescentia : talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit , & tergens os suũ dicit , non sum operata malum. Magnum existimemus accepisse nos beneficium, quòd hunc locũ ad Christi mysteria eiusque Matris possimus referre. Nã quod legimus, in adolescentia, est quidem probandum, nam ea est vulgata editio: sed nihil erit alienum si etiam



etiam ex hebræo adolescentulam, & quidem Virginem interpretemur : est enim hebraicè עַלְמָה, Almah, quod nomen pro adolescentula Virgine accipitur in scripturis. Age verò, cùm aliquos videamus priora de Christi ascensione, resurrectione , & inter homines conuersatione, quartum de incarnatione in vtero Virginis intelligere, pro nostra item deuotione nos illa meditemur atque interpretemur Christo propitio. Primo loco igitur dicamus intelligi habitationem Verbi in sublimitatibus diuinitatis, & eius missionem à Patre, & in terras descensum : secundo Virginis viscera , quibus se insinuauit Verbum in incarnatione , nihil ex illius integritate perfecta & firmitate minuens, nihil illi offensionis afferens vel detrimenti: tertio indicari Matris Virginis vterũ, vbi nutritus est Christus nouem mensibus, vnde veluti enauigauit & exiuit inuiolato vtero, integra virginitate: hinc quartum euadit , quod non solùm ignoratur, sed etiam facit vt sint quatuor supra naturæ humanæ captum difficilia ; nam quartum vno complexu illa tria continet, & explicat tres illas parabolas : legimus enim hebraicè, Et quatuor non noui. Viam enim ingredi voluit Dominus ad homines , fieri homo, & ita ad eos venire; eam viam ingressus est in vtero Virginis secretæ & mysterio plenæ, ibi factus homo : indè viam ingressus in mundum, nascens ex Virgine ; inde factus est via, veritas, & vita sempiterna. Sed quorsũ attinet illud quod subditur? Acerrima ea est exprobratio & condemnatio Iudæorum impietatis & malitiæ. Hæc enim est salus, Iudæe impie, Synagoga malignãs , quæ à te quærenda primùm fuit , & tamen illam salutem tu *Act. 3.* proiecisti, & eius auctorem & consummatorẽ IESVM truculẽtissimè interfecisti. Quod cùm feceris, tamen rectè te fecisse semper cõtendis impudentissimè , semper probas impijssimè iure esse crucifixũ IESVM pro suis sceleribus, & vt ita dicant obstinatè tui posteri curas diligenter & doces. Ergo quæ dicta diuinè sunt , illa quatuor captum humanum superant, pro eorum bonitate, & laude diuinitatis: quæ tu fecisti , malitiam & vituperationem omnem omni interuallo antecedũt. Non potuit vehementior sceleris tui & impietatis fieri amplificatio ; vt enim illa sunt optima, ita tuum facinus pessimum ; vt illa omnibus præconijs prædicanda, etiam si difficilia, ita tua malitia omnibus execrationibus abominanda & incredibilis meretrix conscelerata. Sed quid est quòd parũ æquus videatur Salomon esse mulieribus ? Nam quum inter viros vnum excepisset quem laudaret, *Eccl. 7.* inter mulieres nullam reperit. Hæc insignis est nostræ mulieris Virginis Matris Dei laus, quam item excipit Salomon. Cur enim diceret; Ex his mulieribus inueni nullam? nam ita est hebraicè. Ex quibus his dixit, nisi ex ijs de quibus dixerat, Inueni amariorẽ morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius : qui placet Deo, effugiet illam ; qui autem peccator est, capietur ab illa. Ex his igitur dixit nullam inuenisse se ex omnibus mulieribus, quæ habẽt vnde illa timẽda sint & cauẽda. Mente enim retinebat quæ de Alma dixerat, sciebat quæ in Cantico, præter ea quæ superiùs adduximus, de Maria Matre Dei decantauerat;

Hortus conclusus, &c.

Hortus conclusus soror mea , sponsa mea *Cant. 4.* hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus; fons hortorũ, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Pulchra es amica mea, suauis & decora si- *Cant. 6.* cut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quid videbis in Sunamite, nisi cho- *Cant. 7.* ros castrorum ? Quibus locis excellentiam Virginis Mariæ Sponsus præclarissimè commendat. Non potuit igitur sublimiùs exaltare Virginem sacrã Salomõ ; & quomodo erit consentaneum, tantam Virginis maiestatem & sanctitatem inter vulgares mulieres commemorasse ? Et Ecclesiasten quidem vltimo loco scripsit Salomon, & existimatur ea fuisse de suis peccatis pœnitentia. Exhilarantur animi nostri mirificè, fratres, dum hæc de sacrosancta Virgine meditamur: sint Christo gratiæ immortales. Sed pauca ex Prophetis alijs dicamus, & veniemus Christo duce ad laudes Virgini Matri canendas ex æterno Dei Euangelio.

Laudes beatissimæ Virginis ex alijs Prophetis.

Quænam est ista quæ ascendit, euangelice *Ecce vir-* Propheta Isaia ? Insignem habui ego mentis *go concipiet.* meæ illustrationem de Matre Dei Maria & alias semper, & ibi præcipuè cùm dixi ; Ecce *Esa. 7.* Virgo concipiet, & pariet filium , & vocabis nomen eius Emmanuel: butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum , & eligere bonum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



bonum. En rem nouam, inauditam, admirabilem, adorandam. Respiciet Deus, pro suæ misericordiæ immensitate, non ad vestram indignitatem, domus Dauid, sed ad benignitatem suam infinitam. Quis vnquam vidit tale? quis cogitauit? En grauida est Virgo, ecce parit Virgo, sed Virgo illa abscondita, & plena mysterio, diuina Virgo illa alma, quæ ab æternitate præordinata est vt fieret Mater vnigeniti Filij Dei; ibi verò magis abscondita: abscondita item, quòd nullam habuit similem, nec habitura est; quòd omnes Virgines superabit sanctitate, integritate, omni omnium virtutum excellentia.

## Alma.

Alma, cuius mysterium omnibus gentibus ignotum fuit; tantummodo illud reuelauit per suos Prophetas Deus, & demonstrauit in nouissimis temporibus. Ibi verò fuit item in primis absconditum hoc mysterium, tum ex miraculo conceptionis, tum ex natiuitatis. O plenam diuinis Mysterijs Virginem sacrosanctam! Neque verò hîc obgannierit putris aliquis Iudæus dixisse me iuuenculam, non Virginem: audi Iudæe vecors; Halmah nullibi legitur, nisi pro iuuencula Virgine, etiam Prouerb. cap. 30. nec dixi, accipiet in vtero, sed, habet; nam hoc fuit futurũ signum quod superaret omne signum, siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà: quod non esset, si Virginem dicerem accepturam in vtero, vel habituram in vtero cõmuni ritu, sed extraordinario & admirabili; alioqui apertè videre posset, nisi cæcus esset, semen Chanaan, nõ Israël, verbis me expressisse mysterium Virginitatis.

## Virgo pariens.

Etenim Virginem dixi grauidam per nomen, parientem Virginem per præsens participium, quæ interpretantur qui fideles sunt per futurum simpliciter, quòd non dubitent de Mariæ virginitate, & idem intelligunt quod ego dixi hebraicè. At vos cogit veritas hebraica, vt idem atque illi confiteamini, quibuscunque verbis explicetis, vt ego Deo inspirante dixi. En rem nouam omnibus miraculis superiorem. En Virginem grauidam, parientem, persistente videlicet virginitate, inuiolata virginitate. Et vocabis nomen eius Emmanuel. Virgini hoc dicendum prædixi ab Angelo, quod expressit Euangelista Matthæus, & declarauit nomen Emmanuel per nomen IESVS; nam Emmanuel est in IESV: hypostaticam enim vnionem duarum naturarum in vnitatem personæ diuinæ significat Emmanuel; IESVS idem significat, sed simul salutarem nobis prædicat illam Domini præsentiam & vnionem.

Butyrum & mel comeder. Dulcissimè veram humanitatem Christi & humilitatem explicaui; vsitato puerorum cibo vtetur, verè comeder, verus erit homo, verè proficiet sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines; hoc enim est quod dixi, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum siue, ad reprobandum malum, & bonum eligẽdum: humanitatis perfectionem in principijs moralibus explicui, & in totius vitæ excellentia: quum alioqui Deus esset is omnipotens qui butyrum & mel comederet, de Spiritu & sacrosancta Virgine generatus & factus homo. Hoc per me reuelauit Deus mysterium sublimius cælo, profundius omni profunditate atque inuestigatione. Idem alijs verbis expressi vbi sum varicinatus; Egredietur virga, Maria Virgo, de radice, vel trunco Iesse: quibus verbis Virginis excellentiam significaui, quasi de vno trũco arboris, excisis alijs ramis, singulare quoddam germen dicerem exoriens, ex cuius virgæ radicibus, id est, ex purissimis Mariæ sanguinibus, exoriretur flos infinitæ & pulchritudinis & flagrantiæ IESVS Nazarenus, germen sanctum, innocens, impollutum, custos, & nostra omnium corona.

Luc. 2.

Esa. 11.

Illud etiam mirabile est Virginis sacrosanctæ præconium, fratres, quod vaticinatus est Hieremias Propheta; Vsquequo delicijs dissoluêris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram;

Hier. 31.

## Fœmina circundans Virum.

Fœmina circundabit Virum. Naturã humanam vniuersam compellat Propheta, quæ in cõcupiscẽtijs carnalibus & corruptionibus volutabatur inquieta & rebellis: tãta verò erãt hæc mala, vt nisi magno Dei miraculo, & admirabili opere, sanari non possent. En igitur tibi filia vaga & rebellis, rem nouam creauit Dominus super terram, ad quam si fidem dirigas, spem conijcias, quam si amore complectaris, vnde si vim spiritus accipias, illis liberaberis corruptionibus, inquietudinibus, rebellionibus. Sed quænam illa nouitas est, illud nouum, ô Propheta, quod Deus erat creaturus, quod tu videbas quasi creatum? Illud erat quidem creatum in æternitate prædestinationis diuinæ, quod postea ad opus deduxit Deus, illa erat incarnatio Filij Dei, vnio duarum naturarum in vnitatem Verbi diuini. Hoc enim opus Angelis & hominibus adorandum & suspiciendum creauit Deus in vtero Virginis, fecit Filium suum hominem, & quidem perfectum hominẽ & robustum, in tanta carnis & ætatis infirmitate. Itaque verè fœmina circumdedit & complexa vtero suo est Christum, Deum & hominẽ, vtrumque verum, vtrumque perfectum; nam & humanitatem perfectè assumpsit, cum suis videlicet naturalibus infirmitatibus: alioqui quod ad animam attinet, omni fuit iam inde ab initio incarnationis perfectione ornatus, summa gloria, summa gratia, alijs omnibus & donis, & virtutibus, & excellentijs quæ cum eius beatitate constare possunt. Eodem momento obtulit sese Patri suo pro salute mortalium Virille, pro restitutione sedium cælestium, vnde exciderant Angeli; & pro prædestinatis hominibus meritus est efficaciter, pro omnibus sufficienter. Verè perfectus fuit homo Christus in ipso momento incarnationis suæ, verè Mulier Virum robustum & perfectum circumdedit, atque inuiolata Virgo concepit. Nam quòd dicit fœmina, eodem nomine appellata est in creatione sua virgo Heua. O glorioſam & incomparabilem fœminam, quæ tanto miraculo Deum & Hominem concepit!

Vnum addamus, fratres, locũ ex Ezechiele Propheta ad laudem Mariæ, & ad nouum testamentum veniemus Christo propitio. Mirificè prædicat Mariæ Virginitatem Ezechiel, & Verbi diuini incarnationem, vbi de porta sanctuarij exterioris, quæ ad orientem respicit, vaticinatur: sed meditemur, obsecro, mysterium ex verbis ipsis.

## Porta Sanctuarij.

Ezec. 44. Et conuerti me, inquit, ad viam portæ sanctuarij exterioris quæ respicit ad orientem, & erat clausa; & dixit Dominus ad me; Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam; eritque clausa Principi.



## Clausa Principi.

Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino; per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur. Mysticè describit Ecclesiæ mysteria ad finem prophetiæ suæ Ezechiel; superiori autem capite iam attigerat huius portæ orientalis diuinam celebritatem.

## Porta Orientalis.

Et duxit, inquit, me (Angelus scilicet Domini) ad portam quæ respiciebat ad viam orientalem: & ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem, & vox erat quasi aquarum multarum, & terra splendebat à maiestate eius. Et vidi visionem secundùm speciem quam videram quando venit vt disperderet ciuitatem, & species secundùm aspectum quem videram iuxta fluuium Chobar. Et cecidi super faciem meam, & maiestas Domini ingressa est templum per viam portæ quæ respiciebat ad orientem, & eleuauit me spiritus, & introduxit me in atrium interius, & ecce repleta erat gloria Domini domus. Et audiui loquentem ad me de domo, & Vir qui stabat iuxta me dixit ad me; Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorũ vbi habito in medio filiorum Israël in æternum. Et non polluent vltrà domus Israël nomen sanctum meum ipsi & Reges eorum in fornicationibus suis, & ruinis Regum suorum, & in excelsis; qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum; & postes suos iuxta postes meos; & murus erat inter me & eos, & polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt, propter quod consumpsi eos in ira mea. Nũc ergo repellãt procul fornicationem suam, & ruinas Regum suorum à me; & habitabo in medio eorum semper. O verborum & rerum pondera! Ita præfatur in sublimitate mysterij Propheta ad Virginitatem Matris, & incarnationem Verbi æterni, atque adeò ea apertè significat quæ initio huius capitis recensentur. Quid igitur nobis designat hæc orientalis porta? Alia mysteria Ecclesiæ sanctæ, & in his præcipuè sacrosanctam Virginem Matrem, in quam propriè quæ Dominus hîc per Prophetam exponit concurrunt omnia summo consensu. Ingressurus erat in mundum oriens

Exec. 43.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Luc. 1. Zach. 3. & 6.*

ex alto, & oriens germen, vt alius Propheta dixit, Verbum Dei, & per portam aliquam erat in orbem ingressurus: nam carnis assumptio is erat ingressus. Qua igitur ingressus est? Per mulierem, sed Virginem & ante partum, & in partu, & post partum. Ea est Maria semper Virgo, porta perfectè semper clausa; neq; enim vnquam aperta fuit, ac prorsus vir non est ingressus per eam. Subditur verò potentissima ratio & causa; Nam Dominus Deus Israël ingressus est per eam portã, Filius Dei Patri consubstãtialis & coæternus. Sed quando? Quum sumpsit ex Virgine inuiolata carnem. Hactenus diuinitas explicatur Christi, & ingressus in vterum virginis; quasi intelligas respicere nos orientem, è summo cælo descendere Filium Dei de cælis, omnipotentemSer monem Dei exilientem de cælo è regalibus sedibus venire: quæ aliud nihil sunt, quàm Filium mitti à Patre in terram, & fieri carnem, quum in sinu tamen Patris semper maneret, in eadem Patris diuinitate & immobilitate sempiternus. In hãc ergo portam clausam descẽdit Filius Dei, in ea mysterium illud immensum incarnationis à tota Trinitate confectum est. Propterea addit Propheta; Eritq; clausa Principi, id est pro Principe, vel cum Principe illo excellenti, Christo videlicet, quia erat in illa clausus, & propter illum erat clausa perpetuò illa porta & vterus. Rẽ præterea planiùs exponit Ezechiel; Princeps, inquit, ipse, ille magnus, Princeps videlicet pacis, cuius principatus super humerum eius; nam pulchra & suauis extendi meditatio hîc potest: tanto enim molimine exprimit hebraica veritas hunc Principem, id est Christum, vt bis eum eodem nomine pronunciet, & ad primum addat duos articulos, quorum prior vim habeat coniungendi, alius amplificandi: ad secundum verò nomẽ Principis addit pronomen, quod item emphasim habet. Hæc magna; illud etiã salutare & mysterio plenum, quòd cùm alibi alijs nominibus Christus appelletur, hoc loco illo nomine, Princeps, celebretur, quod à tollendo, siue remittendo sit; vt significetur Princeps ille, qui solus peccata tollit mundi, & remittit per suum Principatum, hoc est, crucem. Princeps igitur ille sedebit, vel manebit, in ea porta: facta enim in clauso Virginis vtero incarnatione, mansit in eadẽ porta Christus nouem menses, & comedit panem coram Domino, nutritus eo tempore è sacra Virginis substantia. Sed qua ingressus est Princeps? Per viam vestibuli siue fornicis portæ. Et quódnam est hoc vestibulũ siue fornix? Si porta est sacrosancta Virgo, vt est, vestibulum eius sunt eius amplæ atque sublimes virtutes, & consensus ille diuinus; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum; ornamentũ portæ excellens. Verùm qua egredietur Princeps Christi? Per viã eiusdẽ portę clausę nascetur, illibata Virginis sacrosanctæ integritate. O excelsum mysteriũ! Sit benedictus Dominus in Matre Virgine sua, & sanctificetur in sanctis operibus omnibus, quæ in illa designauit.

*Esaiæ 9.*

## Virginis Beatissimæ præconia ex Euangelio.

Ad lucem Euangelij accedamus, fratres, & laudes Deo & eius Virgini Matri canamus ex perfecto lumine, & huc conferamus quæcunque in veteri testamento præconia dicta sunt de Maria; nam ad hoc pertinent omnia. Quid enim illa celebrant? Quid tam longè clamant Prophetæ, nisi quæ in nouo & æterno testamento erant gerenda? Illæ igitur laudes huius gloriæ sunt laudes & præconia. Meditemur ergo primùm de eius nomine, quod est מִרְיָם, Miriam; quod græcè & latinè in Matthæo enuntiatur Maria; præterquã quòd semel hebraicè Mariam effertur; græcè Maria scripsit Marcus, Lucas ferè dixit hebraicè Mariam, bis tamen græcè Maria, Latinus interpres semper appellat nomine latino vel græco, nunquam vsurpat hebræum. Hæc cùm ita sint, ex vtroque vsu possumus nostram deuotionem & laudem Mariæ excipere. Ex Miriam enim prædicantur excellentes illius virtutes & dona; esse exaltatam ad supremum dignitatis gradum secundùm Christum, superare omnes Angelos & homines dignitate, virtute, gloria; esse mundi Dominam, Regis scilicet æterni Reginam Matrem, illuminatricem non hominum solùm & magistram, sed Angelorum. Sed simul fuit in Maria amaritudo, vel etiam myrrha maris; magna enim fuit eius contritio & dolor velut maris è passione Filij, quod erat vaticinatus Simeon. Hæc magna sunt Virginis Dei præconia: sed aliud tamen deuotè cogitemus nobis significare Ecclesiam, vbi constanter nomine Maria vtitur, vt principium complectatur, vnde illæ nominis hebræi siue syri accipiuntur significationes. Nam quũ simpliciter nomen Maria

*Miriam Maria. 13.6., 6.c. 1.c. Euang. & 1. Act.*

*Thren. 2 Luc. 2.*



Maria vsurpatur, quid aliud quàm alluditur in spiritu ad montẽ illum sacrum Moria, qui Mariam propiùs repræsentat? Nam præterquam quòd eadem illa complectitur quæ Miriam significat, addit excelsam illam significationem, vnde aliæ omnes emanãt vt è fonte: quòd prouiderit Deus in monte & sublimi Mariæ humilitate victimam holocausti, & idem Deus יְהוָה Iehouah Dominus fuerit prouisus ipsa victima holocausti. Nam ad hoc conceptus est Christus, ad hoc natus, vt fieret pro mortalium salute victima holocausti; hoc etiam egit iam indè à sua conceptione in vtero Matris Mariæ sua oblatione, & ex vtero Matris promeritus est apud Patrem nostram redemptionẽ, & vitam sempiternam.

*Moria.*

*Gen. 22.*

Sed quæ est ista Maria Virgo quæ ascendit, ô Matthæe & Luca sancti Euangelistæ? Cuius nos generosissimam & Filij eius genealogiam tradidimus vt sapientissimè, ita concordissimè: nam quòd Ioseph describimus, ita intellexim⁹ describi Mariæ & Christi. Incepimus enim mysterium Virginis Mariæ exponere & celebrare, secretam enim Virginem dixerat Mariam Esaias, simul Matrem, quod disposuit Dei sapientia vt fieret intercedente vero matrimonio, sed virginali & sacrosancto. Ita verè nupsit diuina dispensatione ac reuelatione Maria Ioseph, quum vouisset ipsa antea virginitatem, & simul Ioseph. Certè Hieronymi rationes quas adducit vt credat virginem Ioseph, eædem faciunt vt dici possit vouisse. Ita præsens & verus fuit matrimonij consensus, verus maritus Iosephus Mariæ, verum matrimonium; quale in paradiso Adami & Euæ: sed hoc perpetua virginitate, & vtrinq; confirmatum atque nobilitatum, illud in paradiso dumtaxat ad tempus. Sponsa Maria & Ioseph semper fuerunt in suo virginitatis & virtutum paradiso, Adam & Eua non fuerunt. Quæ cùm ita sint, verè traditur Mariæ genealogia, quum Iosephi veri mariti virginalis describitur. O verè secretũ, & mysterio diuino plenũ matrimonium! O cælestẽ spõsam! O excellentem sponsum! Occultam voluit Christus matris suæ virginitatem, ne illius existimatio periclitaretur, si non ex marito vulgaretur peperisse mulierem. Fuit semper Christo Matris suæ honor & decus pretiosissimum, neque voluit vlla ex parte lædi posse; vnde & illud factum est, vt maritum habere illam vellet: ita enim & calumniæ omnes abigebantur, & parabatur testis fidelissimus & secretissimus illius virginitatis, tum comes & administer Virginis. Illud quoque contra Satanam prouidebat sapiens & potens Deus, vt mysterium incarnationis Dei Diabolo absconderetur, neque hæc causa negligenda est, quam sancti tradunt constanter; non enim ne posset intelligere eius virginitatem prouisum est, sed vt ne intelligeret. Quod eò magis est verisimile, quòd cùm adolescentulam viro fœcundo videret matrimonio coniungi Dæmon, neglexit continenter obseruare rem matrimonij, vidit grauidam, credidit ex viro. Adde, imò præpone his Dei principalem & præsentem prouidentiam. Quare planè nesciuit Satan virginitatem Mariæ, nesciuit Iosephi, nesciuit mysterium incarnationis. Nam cùm illa Dei prouidentia de ignorantia virginitatis coniuncta alia est, ne audiret Dæmon Angelum annunciantẽ diuinum illud mysterium Mariæ, non respondentem Mariam, non quę dixit postea Angelus Dei Iosepho, non quæ Elisabeth, non quæ respondit Maria: alia horum verba audiebat, hæc non audiebat. Sed quis erat animus vtriusque vbi matrimoniũ contrahebant, voto præsertim virginitatis Deo cùm essent consecrati? Non gerebantur hæc humano consilio sed diuino, & cœlesti reuelatione omnia; quę faciebat vt esset vtrinque securitas virginalis matrimonij, ex fide reuelationis & verbi Dei ad eos facti: dabat enim hoc mysterium (quod ipsi nouerant) animorum certam firmitatem. Alioqui ipsi ita coniungebantur, vt futuri perpetuò virgines: quod exemplum peperit subinde in Ecclesia virginalia matrimonia; qua in re primus fuit Ioannes Euangelista; hunc sequuntur qui ex matrimonio rato ad religionem euolant. Verùm quorsum Maria & Ioseph matrimonium contrahebant ante annunciationem, qui poterant virginitatem tueri cælibes? Notabatur apud Hebræos si qua mulier semen non daret in Israël, nec virginitatis in muliere ex professo fuit in lege exemplum priusquam in Maria. Fuerunt virgines viri nonnulli, sed hi excellentes, & quorum factũ dignitas personæ tuebatur: virginitatem igitur non decuit Mariam publicè profiteri, sed potiùs velare matrimonij legitimi obtentu, & voti virginitatis protestatione, quod alioqui factum esse creditur diuina prouidentia & reuelatione. Neque verò quicquam de ijs quæ in illo matrimonio diuinis miraculis

*S. Tho. 3.p.q.28 ar.4. Scot. 3. d.4.q.2.*

*Luc. 1.*

*Hier. l. 1. contra Iouin. & Ignat. in epistola ad Philipp.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



erant futura cogitabant, Deus sciebat & prouidebat. Erat tamen primaria & continens eorum oratio (sicuti piorum omniū Hebræorum) vt veniret desideratus gentibus, desiderium collium æternorum; vt distumperentur cæli, & descenderet Deus; vt rorarent cæli desuper, & nubes pluerent iustum; vt aperiretur terra, & germinaret saluatorem. Hæ erant in Maria eximiæ prouisiones & præparationes mirabilium quæ in illa facturus erat Deus, præter virtutum & donorum omnium excellentias, quibus illam ornauerat omnipotens. Dic igitur præterea, diuine Luca, quæ subsequutæ sunt laudes Mariæ. Quænam ista est quæ ascendit? Illa, de qua (quum apud Deum temporū plenitudo venisset, & sanctissimum beneplacitum) amplissimæ sunt in cælo laudes celebratæ, & cælestis lætitiæ ingentes gratulationes, vbi Gabriel missus ad incarnationis mysterium est à seculis inauditum virgini inuiolatæ annunciandum.

*Act. 2.*
*Gen. 49.*
*Esaiæ 64*
*Esaiæ 45*

## A Deo per Gabrielem salutata.

Quanta enim illa est gloria virginis, & dignatio, vt Deus eam tam sublimiter salutaret, tam gratiosè, tanto cum diuinitatis splendore Archangelum lectum de sua manu legatum mitteret, qui suo nomine virtutē illi demonstraret, & magnificentiam Altissimi & beneuolentiam! Sed qualis fuit beati Gabrielis salutatio, hoc est, Dei per Gabrielem? Quum ab æternitate sua duo Pater æternus prouideri vellet, & in quibus præcipuè gauderet, Filium Christum IESVM, & eius secundùm humanitatē Matrem: (illum enim elegit apud se inter viros supremæ dignitatis & perfectionis, tum Matrem inter fœminas summæ) hæc igitur quum constituisset Deus, voluit de sua benignitate hoc facere sublimium illorum operum principium, vt illud suum Mariæ communicaret gaudium antequam esset Mater. Ergo salutatio Archangeli illa fuit diuini gaudij significatio: Gaudeo ego infinito gaudio de Filij mei & tua electione & gratia, volo te tamen huius mei gaudij esse participem. Aue & gaude; toram enim te feci gratiosam, & gratia plenam plenitudine præstanti, & meæ diuinitatis excellenter participem. Benedixi tibi plusquam reliquis mulieribus omnibus. Harum rerum cælestem sensum significauit Deus Mariæ per Angelum. Quocirca fieri non potuit vt tanta laudum magnitudine ne perfecta humilitas turbaretur, atque adeò gratia ipsa quam prædicabat Angelus, operabatur sanctā illam & necessariam turbationem. Quid autem? Cur turbabatur? Nouerat Angelum esse qui loqueretur, familiaritatem cum Angelis habere consueuerat, quæ piè credimus in tam eximia sanctitate Virginis, & præclara electione. Qualis igitur illa erat turbatio? Humilitatis fuit illa turbatio ingens incrementum, & profundissimus in spiritu sensus, quæ alioqui erat eximia quædam Dei adoratio, & diuinæ maiestatis reuerentia, & sancti timoris Dei excellens operatio. Hæc cùm ita sint, quid est quod Angelus subdit; Ne timeas Maria? Confirmat potiùs quæ erat in Maria sancti & perfecti timoris & reuerentiæ accessionem. Alium timorem ne admittas, inquit; quem habes retine; quem vt etiam augeas, rem tibi explicabo apertiùs, quo intelligas magnam fuisse causam tam eximiæ salutationis. Intellige te gratiam inuenisse apud Deum, non tantùm communem & ordinariam, sed singularem & excellentem: ecce enim faciet Deus rem illam nouam super terram, illud admirabile signum dabit; Concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM: expones enim nomen Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quod illi posuerat Deus per Esaiam: sic enim erit vobiscum Deus, vt sit vestra salus æterna, Saluator vester sempiternus. Erit hic diuina magnitudine magnus, vt qui vocabitur ab altissimo Patre altissimus Filius; is cui dixit Pater in æternitate; Filius meus es tu, ego hodie genui te in splendoribus sanctorum ante Luciferum. Huic dabit Pater regnum sempiternum in mortales omnes, in creaturam vniuersam, quod regni Dauid (vnde ducet ortum secundum humanitatem) promissa perpetuitas præfigurabat. Hæc cùm audisset Maria, & robur diuinum gratiæ & donorum cælestium à Deo per Angelum quum se accepisse sentiret, credidit quidem planè ita futura omnia vt Angelus pronunciabat, sed tamen è sublimi laudandi Deum & glorificandi desiderio petit rationem qua Virgo conciperet & pareret. Ita professa est se illam esse Almam, id est, secretam virginem, cuius rei mysterium ignoraret. Simul hac interrogatione diuino consilio faciebat, vt respondente Angelo eius virginitas cælesti testimonio confirmaretur. O te beatā Mariam, in qua

*Hier. 31*
*Isaiæ 7.*
*Psal. 2.*
*Ps. 109.*



in qua tantam fidei lucem & robur posuit Deus! Video enim te constanter credere quòd sis quidem conceptura & paritura Altissimi Filium absque tuæ virginitatis detrimento, quam Deo vouisti, quam habet Deus pretiosam & sacrosanctam; illius enim voluntate illam ipsi obtulisti in perpetuum sacrificium: illa tua iam non est, sed Dei; ille & vult magis quàm tu, & potest illam magis conseruare, & facere illustriorem; summo enim & à seculis abscondito mysterio illam consecrat. En tibi, inquit Angelus, quo pacto concipies & paries Filium: erit illud sublime & diuinum opus, non viri cuiuspiam, sed Dei, sed totius Trinitatis superbenedictę. Eminebit verò in illo Dei amor infinitus, & Dei potentia: non enim propter vlla præcedentia merita illud fiet, sed propter Dei in mundum dilectionem, & diuinæ sapientiæ beneplacitum; & superabit hoc opus opera omnia quæ fecit, quæue facturus est Deus. Propterea producto amori diuino Spiritui sancto diuina hæc operatio attribuitur, & virtuti Altissimi Dei Filio, qui est virtus Patris. Spiritus sanctus in vno temporis momento ea omnia explebit in vtero tuo, quæ faciant fœtum rationalis animæ capacem; te veræ matris officia præstante: quod vt possis, faciet virtus Altissimi tibi obumbrans, & te diuinæ Spiritus sancti operationi attemperans, vt illo operāte tu etiam tuas matris partes obeas. Eodem autem momēto consummato fœtu & creabitur rationalis anima, & corpori vnietur, & fiet diuina illa vnio duarū naturarum in persona Filij Dei totius Trinitatis sanctissimæ operatione: quæ operatio sua proprietate dabitur superuentioni Spiritus, & diuinæ virtutis, id est, Filij Dei obumbrationi. In hac verò operatione tibi nihil erit cum diuinitate commune; solus Deus creabit animam Christi, & corpori vniet, solus Deus vniet humanitati diuinum Verbum, solus Deus faciet hominem Deum. Ita tu fies Mater hominis & simul Dei: quæ enim fueras futura mater puri hominis si præueniente Deo vnita non fuisset diuinæ personæ singularis illa humanitas antequam esset persona in se, fies eodem momento per incarnationem Filij Dei vera Mater non hominis puri, sed hominis Dei, hoc est, diuinæ personæ in humanitate subsistentis, de gratia Dei incomparabili, & mysterio Angelis & hominibus admirabili & adorando. Audiunt hæc Angeli omnes, laudant in excelsis diuinam misericordiā, sapientiam, potentiam: audit sacra Virgo, credit, intelligit, prædicat in corde suo summa fide, profunda humilitate & admiratione.

Verùm quid est, beate Gabriel, quod subdis quasi ad argumentum fidei, exemplum conceptus Elisabeth? scis tu credere Mariam, nec egere confirmatione tuorum verborum. Scio, nec quæ dixi ad confirmationem proposui, sed ad animi eius exultationem, & Dei laudis prædicationem; simul voluit Deus sua consilia familiariter Sponsæ suæ communicare, vt solet amicis mysteria sua nota facere. Illud etiam prouidebatur, vt caperet consilium sacra Virgo visitandi Elisabeth, ex qua visitatione tot consequerentur Dei sacramenta in Ioanne, in Elisabeth, & vt Maria in laudem diuinitatis excellentissimè exultaret. Et hæc quidem ita annunciaui diuinitus futuræ Dei Matri benedictæ. Quòd si in horum auditione tanta est animorum & fidei recreatio & suauitas, quid non sentire debetis in ipsa tantarum rerum repræsentatione & diuino opere? Fecit Deus per mea verba, vt omnes Mariæ virtutes, quæ erant eximiæ, præclarissimum acciperent incrementum; ex qua virtutum plenitudine prodijt diuinus ille consensus, & perfecta oblatio diuinæ Virginis præeunte fide; Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Quo temporis puncto excelsa illa opera, quæ dixi, completa sunt; Verbum caro factum est, & Deus homo, summum opus compleuit Deus, misericordias suas & miserationes fideles, reuelatus est Filius Dei, reuelabuntur filij Dei, exultantibus Angelis omnibus, & laudantibus Deum in altissimis: exultat vniuersa creatura & nobilitatur assumpta humanitate in vnitatem diuinæ personæ. Quæritis quæ est ista quæ ascendit? Hæc est illa Maria Virgo Mater Dei, Angelorum & hominum Domina, cæli terræque Regina, in qua tot mirabilia operatus est Deus, sublimia, diuina, adoranda. Hæc læta sunt, & plena cordis exultatione & iubilo in excelsis.

*Ioan. 1.*

## De Ioseph dubitatione, seu varia cogitatione.

Verùm consequi videntur tristia; Ioseph dubitatio, vel cogitationum varietas de sacrosancta Virgine. Doce nos, obsecro, for-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tissime Gabriel, quid hîc sit mysterij. Planè magnitudo diuinæ prouidentiæ hîc laudibus est efferenda. Confirmatio hîc enituit virginitatis Mariæ, & zelus ingens Dei de Virginis Matris existimatione. Sacrauerat Deo suam virginitatem voto Maria, sacrauerat Ioseph; hic sanctus erat vir, illa sanctissima virgo, vterque vtrique erat notus & perspectus: erant omnia in illo matrimonio plena integritate, sanctimonia, spiritu, diuina luce & gratia. Ignorabat Ioseph quid egisset cum vxore Angelus, atque adeò venisse ad ipsam Angelum nesciebat: subito autem intuitu ex quadam familiari & maritali licentia ad eam ingressus cognouit grauidam. Sciebat scripturas; virginem nouerat concepturam, & secreto quidem mysterio, id est almam. Obuersabatur illius animo Mariæ sanctitas, & votum virginitatis; diuino instinctu recolebat cõtractum matrimonium; considerabat completas Danielis hebdomadas, sceptrum, & regiam authoritatem de tribu Iuda videbat ablatam: cogitabat tandem esse illam conceptionẽ per miraculum factam; præsertim cũ ex ipsa rem, vt facta esset, audiret, contemplaretur verò eius humilitatem profundiorem, vultum lucem diuinam aspirantem & maiestatem, plenam Deo sacram Virginẽ. Quid ergo est, bone Angele, quòd tanto molimine Euangelista animi Ioseph labores videtur describere? Erat iustus, propterea noluit illã quasi exemplum maleficij facere; voluit occultè dimittere. Omnia hæc diuina prouidentia conferebat in confirmationem virginitatis Mariæ: sed ita conferebat, vt nihil permitteret in ambiguitate Ioseph quod Mariæ integritatis existimationem læderet: nihil enim aliud toto animi discursu quàm inquirebat quid sibi esset agendum in tanto rei miraculo, quod faciebat ignorantia incarnationis Filij Dei. Inuenit eam vterum ferre de Spiritu; neq; enim contrà ipse cogitare, vel in animum suum inducere poterat. Est grauida Virgo Deo sacrata, tam incomparabili sanctitate Virgo est grauida; ex me non est: videntur autem in ipsam conuenire tam multa Prophetarum oracula. Quid si hæc facta esset Mater Meschiæ & Dei nostri? hoc ego nescio, sed habeo huius rei diuinas coniecturas multas & magnas: in contrarium abducere animum nulla ratione possum; sancta est Maria, diuina Virgo est. Quum hæc animo verfaret, è rei nouitate & magnitudine æstuans, eius virtus, & iustitia, & sanctitas faciebat vt boni potiùs omnia consuleret quàm mali, & ad secura consilia spectaret. Iam primùm nihil prorsus est quòd eam vel accusem, vel quauis ratione in discrimẽ illam sanctæ existimationis adducam: nec tamen audeo propter ipsius sanctitatem & virtutis gloriam, vel propter meas coniecturas quòd à Spiritu sancto sit grauida, & facta Mater Dei, celebrare solemnes cum ipsa nuptias: vnde consequeretur quòd ego cum illa essem habitaturus, virgo quidem cum Virgine, sed ita tamen habitaturus vt cum vxore, illam habiturus vt subditam, atque in alijs rebus obsequentem. Hæc verò sunt quæ non patitur meus pudor, & coram tanta maiestate & gloria necessaria animi mei humilitas, & erga ipsam reuerentia. Non potest mea abiectio atque indignitas esse cum tam excellenti dignitate, & cum tam diuino splendore: optimum erit factu si eam dimittam, sed occultè. Verùm hoc fieri non poterit, nisi eam publicè ducam, & domum ad me accipiam, & nuptiæ solita solemnitate celebrentur: ita enim celabitur eius conceptio sacrosancta; postea autem inueniam aliquam rationem qua illam dimittam, nec cum illa habitem. At verò in hoc ipso sentio difficultatem; indignus planè sum qui etiam cum illa celebrem nuptias, virginales quidem, sed nuptias tamen. Tum illud me mouet; quam rationem inueniam, qua illam possim probabiliter postea dimittere. Denique eò res euasit in mentis eius ratiocinatione, vt timeret accipere; & eò magis, quòd difficulter rationẽ inueniret qua illam à se dimitteret & separaret, cum qua tamen esse, præsertim vt maritum, etsi virginalem, non patiebatur eius sancta humilitas & virtus. Hæc cùm videret Pater Deus, affuit viro sancto adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, aufert ab eius animo omnem perplexitatem, replet eius mentem suaui splendore incarnationis Filij sui, & per me illi exponit totius rei mysterium: vnde diuinitus datum est testimonium Matris Dei Mariæ intemeratæ & perpetuæ virginitati, non modò contra hæreticum Heluidium, sed etiam contra eos qui sacrilego ore ante illum in perpetuitatem virginitatis Matris Dei erant blasphematuri. Id verò fuit non impiarum solùm mentium, sed perditè intemperantium; igitur si tu maritus fuisses Mariæ, ab ea non abstinuisses. At antequam ad eam accederes, te dedisset præcipitem Deus in profunditatem infimam

*Aug. 14. Serm. de Natiu. Domini.*

*Diuinũ testimonium virginitatis Mariæ.*



simam inferni, donec solueres vltimum quadrantem tuorum omnium maleficiorum in æternum. Hæc igitur est quæ ascendit, quam Deus tanta gloria est dignatus, vt non solùm Virginem Matrem Filij sui esse vellet & faceret, sed etiam tanto honore prosequeretur, vt eius virginitatis integritatem perpetuam, nõ fortissimo solùm Ioseph mariti testimonio confirmaret, sed simul angelico, & diuino: vt & Creator ipse, & creatura vtraque, spiritualis & corporalis, tantum mysterium sua testificatione corroboraret. Contigit autem illa Iosephi ambiguitas eodem incarnationis die,
*Mat. 1.* subsecuta verò nocte visitaui ego illum, quod erat coniunctum cum mea ad Virginem legatione, & edixi, domum ad se vt duceret cælestem Sponsam, Deo fœram, celebraret solemni ritu nuptias. Iis verò diebus consilium suum viro suo exposuit illa, & desideriũ quod per me acceperat visendi cognatam Elisabeth senem & sterilem, sed diuina dispensatione è Zacharia marito sene grauidam. Ita debitam reuerentiam coniugi Iosepho delatum iri, & comitem se habituram itineris & adiutorem, ac futurum vt eius virginitatis & pudoris existimationi pleniùs consuleretur. En autem excipit te Lucæ Euangelica lux, è qua iam ego te incepi docere. Gratias tibi ago te dignas magnanime Gabriel. Euge beate Luca, tibi datum à Deo est vt plura de Maria prædicares quàm alij Euãgelistæ, quod in magna est parte laudis tui Euangelij ponendum. Ergo aliquid nobis adde ad ea quæ te docente in alijs meditationibus perstrinximus.

## Beatissimæ Virginis encomia ex mysterij Visitationis meditatione.

Nullus est finis, fratres, præconiorũ cælestis Virginis. Vobis est rursus eius Visitatio læto & deuoto spiritu meditanda, lætitiam vinidam & suauem in corde ex contemplatione incarnationis Verbi Dei retinentibus: quæ gratia maiorem vobis excitet deuotionem & desiderium illa mysteria percipiendi quæ in visitatione Elisabeth fecit Dominus. Concipiat igitur animus vester sensum
*Luc. 1.* spiritualem iurisiurandi quod à diebus seculi iurauerat Deus daturũ se vobis, vt sine timore de manu inimicorum liberati seruiretis illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vestris. Ita cùm facti fueritis Elisabeth, exultabit in vobis Ioannes, id est, gratia diuina, & augebit in corde vestro Deus spiritum suum, & os replebit sublimibus Matris Dei Mariæ encomijs. Aderit vobis quasi gestãs in vtero Virgo sacrosancta, admirabimini in iubilo cordis vestri, & laudabitis præsentiã Filij Dei & Virginis. Ex profunda verò humilitate magnanimiter in exclamatione exultationis & admirationis spiritus in Deo benedicet anima vestra Matri, benedicet fructui ventris eius, & omnia quæ in vobis sunt benedicent & laudabunt nomen sanctum Dei. Audietis cæleste Matris Dei canticum, cuius spiritualis intelligentia faciet, dante Christo, iuuante Matre, vt magnificet anima vestra Dominum, & exultet spiritus vester in Deo salutari vestro & mortalium omnium. Adhæc videbitis in Ioannis nomen & significatã gratiam consentire Elisabeth, tũ Zachariam, hoc est, Dei iusiurandum, & Dei memoriam ad illud adimplendum. Cõsiderabitis cognatorum & vicinorum congratulationes, cum his vos cõiungetis animo & deuotione; simul dicetis cũ omnibus vicinis & montanis Iudæis admiratione ducti & timore; Quisnam hic, iam non erit, sed fuit & est? quã sublimis apud Deum hic est, quo maior inter natos mulierũ nemo surrexit! Audietis diuinum & suaue canticum Zachariæ Spiritu sancto repleti, quum prædicat diuinitus vniuersum Christi œconomiæ mysterium, visitationem mortaliũ & redemptionem, harum rerũ firmitatẽ & robur quũ celebrat, & securitatem, per natum ex semine Dauid Christum, horum mysteriorum vt affert testimonium ex omnibus Dei Prophetis ab initio seculorum temporalium. Deinde gustum lætum accipietis & efficacem, vbi excellentiam fructus horum mysteriorum corde percipietis: & dirigetur iter vestrum in via pacis Christi & Dei.

## Ex mysterij Natiuitatis Christi contemplatione.

Porrò autem hæc animorum vestrorum exultatio Bethlehem vos ducet, quam agnoscetis cælestis panis & diuinæ nutritionis factam domum: contemplabimini atque adorabitis cum Maria, cum Ioseph, cum pastoribus, cum multitudine cælestis militiæ non solùm Regem seculorum, sed panem simul Angelorum, & manna de cælo & viuum & verum, quod Deus dedit mundo sine compa-
*Luc. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratione quàm illud Moysis præstantius. Insinuabit se vobis illius cælestis virtus, suauitas, refectio. Adorabitis quidem ipsam Bethlehem propter illum panẽ, sed simul domum aduertetis esse non solùm panis, sed gladij
*Psal. 18.* & belli. Natum esse in ea gigantem illum, exultantem in magnitudine virtutis suæ ad currendam viam potentissimi belli, & præliorum contra Satanam, mundum, carnem, mortem, infernum. In mundum venisse
*Luc. 11.* fortiorem illum armatum, qui cum Satana dimicaret, illum vinceret, eius arma & spolia auferret. Quæ meditatio excitabit & armabit vos, vt ipsi cum vestro robustiore contra diabolum depugnetis, & illum sub pedibus vestris conteratis velociter. Sumetis enim ex Bethlehem robur & arma. Verùm & illud considerabitis, esse Bethlehem Ephrata, id est, vbertatem frugiferam & crescentem, & erigemini in spem viuam & veram diuinæ in cordibus vestris nutritionis, & donorum spiritualium vbertatem ex hac Ephrata sen-
*Phil. 3.* tietis; atque superiorum obliti ad anteriora continenter extendemini, & diuinæ operationis incrementa sumetis, & vestræ cooperationis adhibebitis. Hanc verò vbertatem deriuari in vos percipietis per robur illius panis, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris contra omne quod Deo & eius gratiæ aduersatur. Quòd si tanta extat suauitas, tantus prouentus cælestium fructuum ex meditatione Bethlehem & eius significatione, quid non sperandum ex illius meditatione propter quam celebratur hæc Bethlehem? nam hæc iucunda est Bethlehem & fructuosa propter aliam Bethlehem, quæ vobis dedit illum panem, illa arma, etiam frugum exundantiam, ex qua nata est salus mũdi æterna, Christus Dominus & Deus noster. Hæc est quæ veriùs dat vobis panem Angelorum, hæc quę arma cælestia, quæ diuinam fœcunditatem. Quid enim est boni quod à Christo non accipiatis, modò velitis, & per Christum? Hunc dat hæc sancta & diuina Mater; quare omnia bona cum illo. Iam verò hinc sentimus, fratres, incitari nos ad sublimioris Bethlehem meditationem, à Bethlehem Matris ad Filij: hic enim tandem est Berhlehem, propter quam & prima & secunda celebratur; ille
*Colos. 1.* est vera domus, vbi habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, lumẽ infinitum, salus sempiterna, vbi panis vitæ, arma cælestia, abundantia bonorum omnium immensa. Hæc domus est nostra, domus refugij, domus refrigerij, & salutis, & vitæ æternæ. Incomparabilia sunt Bethlehem mysteria, & tamen hæc sunt omnia in tua gloria & laude, sacrosancta Bethlehem Maria.

## Ex adoratione Pastorum.

Dum adhuc in Bethlehem sumus, ecce veniunt pastores Ephratæi, quos deducit qui apparuerat illis Angelus ad trinam Bethlehem, ad Ciuitatem, ad Mariam, ad Christum. Consunguntur pastorum Tutelares Angeli, militia cælestis exercitus è cælo lætis vocis prosequitur. Quid vos mouit pastores? Angelus. Sed quis potissimùm? Magni consilij Angelus, Saluator noster, qui est Christus Dominus: ad hanc diuinam Bethlehem festinamus adorandam, tum ad eius Matrem cælestem puerperam sua item adoratione & obseruantia prosequendam. Auemus etiam videre sanctificatam ciuitatem, nostram, in qua sanctitas infinita nasci dignata est, suo item honore afficere atque adorare. O splendidissimum infantem! in te, parue puer, agnoscimus quæ audiuimus ab Angelo omnia, quæ suis laudibus & melodia glorificarunt innumerabiles Angeli. O Matrem diuinam, & omni admiratione & creata laude superiorem! Tu peperisti nobis hodie Saluatorem mundi, tu Christum Dominum, Filium Dei, Patri cælesti consubstantialem & coæternum, qui creauit cælum & terram, qui è cunis, quæ creauit, gubernat & regit. Gaudeamus fratres, Mariam virginem Matrem Dei laudat diuinitus simplicitas, humilitas prædicat, exaltat pastoralis cura: excitemur nos ad eiusdem Encomia celebrãda ex cordis nostri simplicitate, tum ex cura & solicitudine nostri gregis, id est nostrarum potẽtiarum & actionum. Perge Luca sancte, oramus te. Quid? illa non fuit excellens Mariæ Dei Genitricis laus? De nullo enim dicitur quòd cõseruaret omnia verba, & conferret in corde suo; de hac dicitur: & primũ proponitur post *Luc. 2.* pastores, idem significatur duodecimo anno. Illic complexus sum omnia verba quæ de IESV dicebantur ad præsentationem vsque, omnia item gesta quæ ad Christum attinebãt; duodecimo autem anno reliqua omnia omnis etiam Christi ætatis; nam in verbis intelliguntur etiã gesta ex hebraismo. Ergo cõseruabat beata Virgo omnia quæ de Christo erãt. *Luc. 2.*

Sed



Sed vbi? Apud se, in corde suo. Ibi enim
*Esai. 24.* in mentis exultatione dicebat, Secretũ meum mihi, secretum consilium Dei mihi: dilectus meus mihi, & ego illi. Neque verò alijs communicabat, nisi forsitan Sponso, qui etiam erat mysteriorum particeps: conseruabat verò, vt vtiliter suo tempore posset pios docere. Mysteria enim de Christi incarnatione & deitate, virginitate Mariæ, & huiusmodi, non euulgabantur passim ante eius miracula, & resurrectionem, & ascensionem, & Spiritus sancti missionem: eorũ præcipua erat secretaria Dei Mater Maria. Neque tantùm conseruabat fideli memoria & spiritu, sed ea simul conferebat in corde suo, quod est excellens Virginis Matris Dei priuilegium. Quid enim est cor, nisi spi-
*Gregor. 1. Reg. 9. Orig. in 2. cap. Matt. tract. 23.* ritualis sensus, & mens in Deum erecta? Quid cor? Mens quæ speculatur & ostendit fontem & principium eorum quæ speculamur, quod est Deus. Hac igitur vi, & altiori quidem quàm nos capimus, conferebat in corde Maria. Sed quid conferebat? Noua cum veteribus ex thesauro quem à filio nacta erat: reuelationes scilicet quas ipsa acceperat, quæ verba audierat, quæ gesta obseruauerat, ea cum veteris scripturæ mysterijs & prophetijs conferebat inuicem, & ad Deum referebat, ad Deum per ea leuabatur; denique perfectam meditationem de omnibus in corde suo exercebat, & sublimi contemplatione fruebatur. O beatissimam Virginem! O eximiam sacrosanctæ Virginis dignitatem!

## Ex Circumcisionis mysterio.

At enim reuocant nos à gaudio nostro lachrymæ Christi. En circumciditur, abscin-
*Luc. 2.* ditur caro infantis Dei, luget Mater, plorat Ioseph. Lugeamus & nos quæ illi lugebant, non solùm vulneris Christi dolorem, sed ea propter quæ illud Christus patiebatur. Hinc tamen ad Angelos, qui ad circumcisionem Dei conuenerant, animum aduertamus, qui per virginalia Matris ministeria Filium Dei demulcebant ac solabantur. Contemplemur item aliud ministerium quod gessit Virgo sacrosancta; indicauit enim quo nomine esset filius suus nuncupandus; IESVS, inquit, est nomen eius: confirmat idem Ioseph; vter-
*Luc. 1. Matt. 1.* que enim ab Angelo ita audierat: ita de Matre etiam Isaias fuerat vaticinatus. Hoc excellens fuit Virginis Dei Matris ministerium, vt per ipsam nomen Filio Dei & suo poheretur quod est super omne nomen, in quo oportet omnes homines saluos fieri: quod ministerium Iosepho item fuit communicatum propter mysterium matrimonij, & secretum magnum incarnationis Dei; putabatur enim Iosephi filius, qui tamen erat Dei.

## Ex stellæ apparitione, & pueri IESV lactatione.

Augentur Dei in Mariam beneficia, & præstantia eius singularis amplificatur. Nata erat stella Magis in oriente è præsepio, Mariæ verò in spiritu & contemplatione ad præsepium; accedebat ad alia dona cælestis huius stellæ lux, erat intenta ad infantis Dei curationem & lactationem, sugebat Deus ex ipsius vbere lac, vnde eius substantia humana cresceret; sugebat ipsa ex infante diuinum lac, quo in spiritu crescret & donis cælestibus. Intellexit deinde quæ gesta erant Hierosolymis ad Regum aduentum. Erat quidem in magna sublimium rerum cõtemplatione, sed tamen simul illam incepit solicitare metus ab Herode, periculum filij, quæ tamen in summa cordis tranquillitate, sublimi quadam de diuinitatis prouidentia, fides ac meditatio dulciter abigebat.

## Ex Magorum adoratione.

Veniunt Magi, adorant quidem puerum *Matt. 2.* plena ac diuina adoratione, munerantur mystìcis oblationibus; solius enim erant hæc pueri, & ad Regem Deum moriturum pro morralibus deferebantur: sed faciebat eius adorationis maiestas, vt sua in Reginam Matrem adoratio deriuaretur, atque à Magis offerretur. Quid enim? Venerabatur Matrem infans ex illo mysterio, & illi gratulabatur; & Magi nihil horum sentiebant? nihil post Filium de Matre cogitabant? nullo honore censebant prosequendam tanti Filij Matrem? Et quod tu præstares matri Regis humani, illi non facerent in Matre Dei omniporentis? Magnificarunt ergo Filium Magi & adorauerunt; suo item honore venerati sunt, & adoratione, Matrem: in quo officio damnarunt hæreticorum superbas & inanes arrogantias & impietates. Magna hæc laus peruenit à Magis in Mariam.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



## Ex Mariæ largitate in pauperes.

Num illud non magnum similiter in laudibus Mariæ locum obtinet, quòd quum aurum obtulissent singuli Reges principali & regia munificentia, illud tamen non seruauit Maria, non Ioseph, sed statim abscedentibus Magis in pauperes distribuerunt? Itaque vigintiseptem diebus verè ad suam paupertatem erant reducti, & pauperum oblationem templo in purificatione obtulerunt. Qua in re & amorem paupertatis, & generosam liberalitatem, & in proximum singularem charitatem Deo consecrarunt. Neque enim pati potuit Virginis sanctissimæ benignitas & misericordia, videre tantam pauperum multitudiuem quæ ad censum conuenerat, & suæ tribus paupertū, afflictari rerum necessariarum inopia, & se esse opulentam, nec illis subuenire. Vnde factum est vt expletis diebus purgationis Deo oblati duo turtures vel pulli columbarum preciosius sacrificiū Deo facerent, quo suam paupertatem & Deo repræsentabant, & Filij assumptam profitebantur.

## Ex mysterio Purificationis & Oblationis in templo.

Sed assequi quis possit, quæ beata Mater Virgo, vbi pro se sacrificium, vbi pro Filio redemptionis pretium offerebatur, in animo & corde meditaretur? Quanta Dei laude exsultabat! quæ sacrificia Filio ipsa, quod redemptionis pretium Filius Patri offerebat! quàm sublimi intelligentia contemplabatur quæ à Simeone iusto & timorato viro gerebantur, quæ dicebātur! Illud autem verbum, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, quanta mentis attentione audiuit! quanto sensu spiritus & cordis percepit! quanta animi promptitudine ad illum doloris gladium recipiendum sese obtulit! Frequens quidem erat eius meditatio de passione & morte Filij sui, recens etiam ex oblatione Magorum, vbi myrrham vidit offerri; sed commemoratio Simeonis rem quasi ob eius oculos posuit, & gladium eundem, quem erat passura, quasi præsentem eius cordi infixit. Intelligebat enim diuinus Mariæ spiritus, quam erat contradictionem præcipuam passurus Christus, fore passionem & crucem, eamque vt ad matrem ad se pertinere, & vehementissimum dolorem sibi esse allaturam. Quare acri verbo, & efficaci, illum doloris sensum expressit Euangelista, non leui, & quasi obiter. Neque enim potest pia mens ferre quòd dubitasse dicatur Maria de Filij mysterijs vel leuissimè, vbi vidit illum crucifigi; quod etiāsi quidam ex veteribus dixit, dici tamen ex Augustino nec debet nec potest. Fuit perpetuò in fide Filij constantissima Mater: sensit dolores passionis & crucis Filij vt acerbissimè, ita patientissimè atque fortissimè. Equidem sicubi lego in fide dubitasse Mariam, videre videor extinctam tunc Christi Ecclesiā fuisse, nusquam integritatem Ecclesiæ constitisse, nusquam extitisse eius mysticum corpus. Nam si amisit fidem Maria, quis dicere potest alios retinuisse? Euge fidelissima Maria, summum fuit in te collatum Filij beneficium, sublimis laus, vt cùm continenter senserit Christus gladium suarum contradictionum & futuræ crucis, similiter tu atque ille senseris.

*Luc. 2.*

## Ex vicissitudine rerum, gaudij, mœroris, &c.

At video te, Virgo diuina, varijs rerum vicissitudinibus excipi; gaudio nunc, nūc mœrore de Filio. Mirificum fuit tuum gaudium de illius natiuitate, de pastoribus, de Angelorum frequentia; succesit tamen dolor de circuncisione: hunc leniuit aduentus Regum, adoratio, & muneratio; verùm non caruit ne hæc quidem lætitia sua solicitudine, propter nefaria Herodis consilia. Leuata tamen es in spem viuam & veram de Filij prouidentia: itaque constantissimo spiritu ad templum vigesimo septimo die venisti palàm, & legis ceremonias solēni & publico ritu obiuisti cum animi tui eximia exultatione magnanimiter. Et tamen denuo conterreris de fuga in Aegyptum; quasi securitatem illam eò dumtaxat attinere intelligeres, donec offerretur in templum puer, & tu ipsa legem purificationis seruares; dein timendum esse, quærendas latebras, esse fugiendum, & longè quidem in alienam regionem & regnum. Hac verò in re aliam succedere videbas diuinitatis prouidentiæ rationem, vt per fugam humanitatem Filij sui significaret Deus, & faceret potentem in infirmitate, & in periculo securum. Referebat autem sapiens Virgo hanc rerum vicissitudinem ad Filij mysteriorum œconomiam;



miam; modò enim celebrabatur eius diuinitas, modò eius humanitas demonstrabatur: fuga humanitatem indicabat, & circuncilio, & oblatio in templum: prouidentia & securitas ab atrocitate Herodis, Angeli, pastores, Reges diuinitatem; natiuitas vtramque. Modus enim nascendi inuiolata Matris virginitate, conseruata integritate, diuinitatem prædicabat; natiuitas verò ipsa per se ex muliere hominem ostendit. Ceterùm fugit in Aegyptum Ioseph & Maria, & Christus ascendens super leuem & immunem omni peccato virgineam nubem. Si non corruerunt tunc omnia Aegypti simulacra, certè conturbata sunt omnia dæmonia Aegypti ingrediente Domino in Aegyptum. Nam verisimile est obseruasse Dæmonem quid rerum circa recēs natum infantē ageretur; quem etiamsi Deum esse non nouerat, timebat tamen vehementer ex signis quæ de illo videbat. Propterea quum Herodem ad illius necem incitasset, ac etiam principes Iudæorum, & sentiret nihil in illum permitti, anxiè sequebatur in Aegyptum, illo contentus interim quòd crederet, qui fugeret, eum hominem esse, Deum non esse.

*Isaiæ 19.*

## Ex peregrinatione in Ægyptum.

Ceterùm quanta in hac peregrinatione elucet Virginis & dignitas & laus! Portat ipsa puerum Deum, ipsa sinu fouet, suo ipsa lacte nutrit primùm, deinde ablactat, manibus suis operatur vnde vel ipsa sufficiat nutriendo filio, vel illum ablactatum puerilibus cibis sustenter. Subseruit & iuuat suis operis Sponsus sacer; generosè fert Maria paupertatem, fert item Ioseph lætè, habitant humiliter, cibis, vestibus, cultu vtuntur tenuibus. Contemplabantur tamen continenter thesaurum quem habebant in Christo; hinc erant illis omnia dulcia, omnia excelsa, omnia diuina. Vt enim Christus gerebat simul in vnitate diuinæ personæ humanitatem & carnis imbecillitatem, ita & Ioseph, & præsertim Maria, illud mysterium summum hinc profunda rerum externarum pauperie, illinc sublimi rerum diuinarum contemplatione adorabant. Erat paradisus Dei illa peregrinatio. Nam quid amœnum magis, quid magis suaue Mariæ euenire potuit, quàm vt subinde ex suis vberibus & pectore lac sugeret Filius Dei & suus? Quid illi in maioribus delicijs esse, quàm vt Deo ablactato ipsa pararet, ipsa offerret cibum? quàm vt videret in spiritu Angelos illum obseruātes, illi subseruientes, illū adorantes, nonnunquā etiam in corpore assumpto vt æquales pueros illi colludentes, quod pia nō refugit meditatio? Et hæc quidē peregrinatio gratissima Mariæ Virgini fuit, & omni animi & spiritus oblectatione plena.

## Ex reditu ex Ægypto, & habitatione in Nazareth.

At enim, en tibi ex Aegypto in terrā Israël euocatur ab Angelo: hic lætus quidem fuit nuntius, sed ita tamen, vt eum nō multò pòst timor exceperit ab Herodis filio Archelao: quæ solicitudo fecit, vt in Galilæam Nazareth ad domunculam Ioseph & Mariæ discederēt. Et ipsi quidem videntur fuisse habitaturi in Bethlehem, propter natiuitatis Christi memoriam & deuotionem, & circuncisionis, & Regum Magorum adorationis; vnde etiam facilè & frequenter Hierosolymam possent commeare ad templum; sed latere volebat IESVS, & longè à principali Iudæorum frequentia & celebritate & Archelao habitare. Erat alioqui iucundissima illa Nazareth habitatio, & plena diuinis mysterijs: ibi fuerat Virgo cælestis concepta & nata, ibi nutrita donec templo præsentaretur, ibi, cùm redijsset, desponsata Iosepho matrimonio virginali, ibi salutata ab Angelo diuinitus, ibi Filium Dei vtero conceperat superueniente Spiritu sancto, obumbrante Altissimi virtute: sciebat nomē vrbis sanctæ diuinæ proli Christo conuenire; quocirca fuit illinc Dei prouidentiæ, hinc excellentis etiam consolationis, quòd in Nazareth habitaret Virgo sacrosancta cum Filio & Iosepho.

## Ex ascensu in templum, & Filij amissione per triduum.

Fuit autē habitatio Virginis in Nazareth cum IESV à reditu ex Aegypto vsq; ad Christi baptismum, quod tempus fuisse creditur vigintiquatuor annorum. Cum Ioseph etiam fuisse creditur donec ad virilem ætatē venisset Christus, & egere nō videretur officijs & subsidijs Iosephi Mater. Neque verò hoc tempore rerum vicissitudines non est experta Virgo Mater: illam in primis vbi anno duodecimo vitæ suæ Christus remansit solus in Hierusalem.

*Luc. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



rusalem. Versabatur in suo perenni paradiso Virgo sancta, & animi incomparabili consolatione & suauitate ante illud tempus; ascendebat ad templum singulis annis ad solemnem diem Paschæ, Filium à se nunquam separabat, in illius erat sublimi contemplatione, eius fruebatur conspectu diuino, animi illustrationes multas & magnas ab ipso identidem accipiebat. Ex templo illo materiali & perituro leuabatur eius mens ad templum quod erat eius Filius, in quo habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter: at verò omnia hæc anno duodecimo respersa fuerunt amaritudine, vbi illum amisit sancta Virgo. Vbi es vita cordis mei? neque enim ad Patrem adscendisti; semper enim in eius sinu es. Scio completurum esse te tuum vitæ huius mortalis cursum, & voluntatem atque mandatum quod à Patre accepisti impleturum: vbi, vbi tamen nunc es? Deus es omnipotens, & Patris voluntatem absque vlla dubitatione obis: sed tamen eo magis mihi est dolendum quòd tecum non sim, quòd te reliquerim, quòd oculos à te auerterim. Illud tamen me solatur: certò enim mihi persuadeo diuino mysterio & prouidentia tuam à nobis absentiam hanc esse factam. Dolebat beata Virgo, & vehementer dolebat; sed ita tamen, vt indubitata spe, constantique patientia consolaretur suum dolorem, & meritum cordis non solùm non imminuebat, sed augebat; vt Sanctis solent esse fructuosæ desolationes, & spiritualis vtilitatis plenæ. Non est passus bonus puer IESVS longiorem Matris mœrorem esse & solicitudinem, sed iuxta doloris magnitudinem vberiori eam lætificauit consolatione & gaudio. Nõ solùm autem Filium inuenit, sed gloriosissimè cum Doctoribus disserentem summa cum omnium admiratione reperit. Ceterùm quod hanc Mariæ Virginis videri poterat spiritus exultationem diminuere, vbi audit à Filio; Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? tantum abest vt imminueret, vt auxerit etiam. Quæ enim verba dixit IESVS, ad vtrunque ferebantur, Mariam & Ioseph; sed non similiter, non æqualiter; sed ad Mariam longè sublimiùs, vt erat eius spiritus longè excellentioribus donis ornatus quàm Ioseph. Nam de Maria quę in sacris litteris prædicantur, è singulari priuilegio prædicantur. Quo fit, vt, Quid est quòd me quærebatis, Matri cùm diceret IESVS, excelsam aperuerit quandã diuinitatis cum Matre præsentiam, qua totam eius animam, spiritum, mentem ineffabili in se vnione possidebat. Hanc vnionem habuit cum ipsa Deus etiam cùm Filium quærebat, & mysterio factum est vt ea ad sensum nõ pertingeret, quasi per illam desolationem incrementum acciperet. In qua spiritus leuatione intellexit beata Virgo vnam esse Filij & Patris æterni voluntatem, humanam autem Filio cum diuina liberè quidem, necessariò tamen esse coniunctam, datum autem esse mysterio suæ in terris œconomiæ, vt Matrem ipse relinqueret, quo se Patrem ostenderet habere, propter quem parentes sint relinquẽdi. Significatum præterea est planè per mortẽ se illam relicturum; sic impleri debere Patris mandatũ quod acceperat de mortalium redemptione. Mater autem tanto huic mysterio subseruiebat, dum quæreret, dum dolenter quæreret, dum diceret; Fili, quid fecisti nobis sic? Hæc verò & quæ gerebantur omnia pio corde, & sublimi spiritu recipiebat & conseruabat, ac de ijs diuinè meditabatur Virgo sacrosancta; repleuerat eam Filius Dei cælesti luce & gaudio. Ceterùm ostendit sanctus puer se futurum in Matris obedientia, illi subditum, tum etiam Iosepho; sat temporis restare antequam denuo esset ipsi Mater relinquenda; interim nihil esse verendum quòd eam relinqueret. Ita lætitia & diuino spiritu pleni, laudãtes Deum & puerum IESVM Nazareth in Galilæam sunt reuersi.

## Ex Filij subiectione, colloquijs, & vita vsque ad trigesimum annum.

Nec his septemdecim annis, qui ad trigesimum vsque eius annum interceserunt, quicquam de Christo scriptum est, nisi quòd erat subditus illis. Viuebat quasi priuatus sub Matre, sub patre putatiuo; illis in rebus omnibus obsequi & subseruire, in externis & domesticis functionibus, Iosephum etiam iuuare in suo artificio. Quid putamus non sensisse consolationis Virginem Matrem, vbi videret obeuntem operas humiles Filium Dei? factum famulum suum & Iosephi? quòd tanta diligentia, studio, & industria, tam consummatè omnia sua officia obire, tam alacriter operas explere IESVM videret? Nónne rursum



rursum Nazareth facta tunc est deliciarũ cælestium paradisus, vt Aegyptus, & plusquam Aegyptus fuerat? quo paradiso fruebatur item Ioseph, sed excellentiùs multò Maria Virgo Dei Mater. Quis porrò mente consequi posset vel cogitatione, & digna animi deuotione adorare, quæ erant diuina colloquia inter Filium & Matrẽ illis septemdecim annis? quàm eximia dona Filius Matri gratificabatur? quoties Mater Filium de rebus diuinis secretò interrogabat? quoties inter eos sermo fuit de tota carnis Christi dispensatione, de passione, cruce, & morte; de resurrectione, & ad cælos ascensione; de missione Spiritus sancti paracleti; de mundi gubernatione, de iudicio vniuersali, de gloria paradisi sempiterna? Quæ omnia & cõseruabat in corde beata Virgo, neque euulgabat; & in corde suo summo cũ spiritus sui sensu & deuotione conferebat. Sunt hîc plurima quæ meditari in consuetudine tam sublimi, tam diuina possimus, ex quibus innumerabilia priuilegia intelligamus profecta à Filio IESV in Matrem, a Patre Deo in Sponsam. Vbi illud etiam contemplabimur, mista fuisse omnia suis vicissitudinibus gaudij & mœroris: nam vt audiebat de laboribus, & doloribus, & passionibus Filij futuris; ita de eius gloria, de merito, de triumpho. Sed illud iucundum est meditari, de Filij obsequijs vt sancta virgo laborabat & simul gaudebat; illud propter IESV defatigationem, hoc propter eius in obeundis illis laboribus & seruitijs gloriam, & singulare meritum. Eo igitur tempore trãquilla omnia, omnia quietis & sanctæ pacis plena.

## Ex Christi baptismate, ieiunio, tentatione.

At vbi venit tempus baptismatis IESV, & per illud datum est initium Baptismatis Sacramento, & ianuæ Sacramentorum, desecẽdit autem Spiritus sanctus sicut columba, & venit super IESVM, & audita vox est de cælis dicens; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; Euangelium Christi tunc consecratum fuisse à Deo intelligimus, & principium prædicationis Euangelicæ factum. Ibi verò facies rerum mutata, ibi rursum Matrem reliquit IESVS, secedit ad acre & diuturnũ ieiunium: ibi exerceri cœpit beatissima Virgo è laboribus, è periculis Filij continua solicitudine & anxietate. Verùm pacatus fuit primus annus satis, nisi quòd à Satana est appetitus IESVS trina tentatione; sed sciebat illum nocere non posse Filio. Accepit tamen ex ieiunio IESVS singularem animi consolationem Virgo sancta, dum ille voluit cibum sibi offerri per Angelos à Matre paratum, quod piè meditamur. Gaudebat porrò Virgo pia quòd Filium videbat iam non latere, sed fieri incipere eius nomen & gesta celebria, animos hominum ad sequendum Christum cõmoueri, Ioannem esse totum in IESV prædicatione & laude, parari omniũ animos ad pietatem. Hæc fuerunt Euangelij primordia trigesimo anno Christi, quo tempore Discipulos quidem habuit, sed non firmos adhuc, non plenè addictos, sed piè tantùm familiares.

*Mat. 3.*

*Mat. 4.*

## Ex miraculo ad Cana Galilææ.

Ventum est ad Cana Galilææ: ibi iam incipit fieri inclytus Filius Mariæ edito miraculo, ibi confirmatur discipulorum in ipsum fides & pietas. At Maria ex charitate in sororem & nepotẽ Joannem solicita interim est, ne in confusionem veniant deficiente vino: hoc insinuat Filio; Vinum non habent: nec amplius dicendũ sciebat, nec opus esse Filio Deo. Oratio Mariæ hæc fuit ad IESVM & pia & efficax. Quid autem respõdit Christus? Duo. Quid mihi & tibi est mulier? Et; Nondũ venit hora mea. Primum fuit Matri optatissimum atque gratissimũ, vt audiret ex ore Filij professionem acrem & clarã suæ diuinitatis, vnde exstabat summa Virginis Matris gloria, & animi incomparabilis exultatio. Sum quidem Filius tuus, quod discipuli sciunt, norunt alij, sed non omnes quòd patrẽ non habeam inter homines vllum, sed in cælo Deum omnipotentem, qui me & ab æterno generauit & generat: hic est mihi verus & vnicus Pater, & ipsi ego vnicus Filius. Altero verbo suam humanitatem futuræ mortis significatione asseruit, & Matris animum perstrinxit. Quæ quum ita sint, miraculum quod ex me oras faciam quidem, sed volo intelligant omnes, non inde me illud facturum quod ex te accepi, non vnde sum Filius tuus, sed ex eo quod accepi à Patre, quod maius est omnibus: hæc est vna substantia mihi communis cum Patre & Spiritu sancto: sum enim Patri meo cõsubstantialis. Quid potuit ad laudem sacrosanctæ Virginis excellentius dici, vel honorificentius prædicari? Quámnam arbitramur

Universidad de Deusto
Biblioteca



inde proueniſſe in Mariam mentis illuſtrationem, & cordis ſuauitatem? Ergo voluit Chriſtus miracula quæ erat innumerabilia editurus, ſuæ eſſe diuinitati tribuenda, voluit tamen ſimul fidem veræ humanitatis confirmari. Aequalis enim eſſet periculi eum verum Deum negare, vt verum hominem; propterea humanitatem ſuam acerrimè item aſſeruit: nihil enim potuit illam ſolidiùs declarare quàm timor mortis, quàm mors; quam intellexit ſuam horam: vt nihil vehementiùs & fortiùs exponere ſuam diuinitatē, quàm ſi diceret, vt dixit; Quid mihi & tibi eſt mulier? Hæc verò mortis ſignificatio fuit quidem Matri acerba, ſed ira tamen, vt excellenti illa diuinitatis Filij inſinuatione fuerit mitigata, atque condita ſuauiſſimè.

## Ex geſtis alijs & prædicatione Chriſti.

Meditemur porrò, fratres, quid rerum gerebat ſancta Virgo quo tempore Chriſtus erat in Euangelij prædicatione, & excelſis ſuis operibus, & diuinis miraculis, antequam poſtremò veniret Hieroſolymam. Domi arbitror illam ſeſe continuiſſe plerumque, totam in ſublimem contemplationem geſtorum Chriſti ſuſpenſam. Ad eam tamen pias mulieres confluxiſſe, quas ipſa ad pietatem, & religioſos mores informabat, illarum animos ſolabatur diuina ſuauitate: de Filio cum ipſis agebat, loquebatur de eius doctrina, miraculis, diuina virtute; ita demum cum illis agebat, vt nouerat Chriſtum velle, vt facultatem à Chriſto accipiebat. Omnia verò illi per nuncios ſignificabat Filius; etiam, quod piè meditari poſſumus, illi omnia in ſpiritu reuelabat. Erat eius tunc vita exercita operoſiùs & ſolicita magis, vbi videbat bellum indictum eſſe & geri à Filio contra Dęmones omnes, contra peruicaciam Iudæorum & immanitatem; è contrario autem exitiale ab his contra Filium: hinc omnia timebat, illinc omnia ſperabat. Hæc faciebant aliquando vt domo egreſſa ad Filium proficiſceretur, & cum illo familiariſſimè ageret; in quo rerum ſtatu res eſſent præſens à præſente intelligeret, & diuina animi conſolatione & luce repleretur. Ita contigiſſe intelligimus vt renunciaretur aliquando IESV quòd eius Mater & fratres, id eſt cognati, ipſum quærerent, & reſpondiſſe IESVM; Mater mea & fratres mei ij ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt. In eandem item ſententiam illi mulieri reſpondiſſe, quæ vocem extollens de turba dicebat; Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti; Quinimo, inquit, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Sed quorſum attinent hæc Chriſti reſponſa? Turbā, & mulier etiam illa nondum ſpiritus cognationem & vim cognoſcebat; de ijs quę ſibi erant nota loquebatur, quæ verò à Chriſto gerebantur excellenter, quaſi è naturæ nobilitate proficiſcerentur, & facultate, ſuſpiciebat ac mirabatur, & ad generis præſtantiam & humanam ſanctitatem referebat. Et ita cogitabant quidem vulgo omnes humanitus & demiſsè iudicantes, nihildum de IESV diuinitate intelligentes: niſi excipias mulierem illam, iuxta quod ſenſit Beda. Hanc perſuaſionem voluit Chriſtus extirpatam; propterea conſtanter prætulit neceſſitudinem ſpiritus illi quæ ex carne exiſtit, & opera ſpiritus carnis operibus, etiamſi hęc mala non ſint, anteposuit. Nihil verò in his expreſſit, tametſi inſinuauit, de ſuæ carnis myſterio, nihil expoſuit de ea coniunctione atque vnione quæ Filio Dei cum carne & humanitate ſua intercedebat, è cuius dignitate & virtute naſcebantur omnes ſpirituales neceſſitudines. Illinc enim meritum Chriſti erat efficax gratiæ, omnium donorum, omnium neceſſitudinum ſpiritualium; quòd Deus eſſet qui merebatur pro nobis, qui nobis applicabat ſuam paſſionem & mortem: quo fiebat vt de ſua cum Matre cōiunctione diuina non reſponderit apertè Chriſtus, ſed illam ſepoſitam voluerit, & ſupra aliam omnem carnis neceſſitudinem intellexerit eſſe exaltatam. Quaſi diceret; Vos veſtras carnis nobilitates & excellentias magni æſtimatis, æſtimādæ tamen longè altiùs ſunt ſpirituales, quæ proueniunt non ex naturali generatione, ſed ex æterna quam ego habui à Patre meo, tum ſupernaturali quam ex Matre accepi: & tamen hanc diuinam fœcunditatem Mater mea non habuiſſet, niſi illud è cognatione ſpirituali fuiſſet promerita; qua in re cœleſte illud myſterium elucet, & Dei ineffabilis prouidentia. Non eſt enim merita Maria vt ego fierem homo, ſed gratia illa vnionis meæ hypoſtaticæ vnicam habuit cauſam Trinitatis noſtræ vnam bonitatem, & miſericordiam, & voluntatē. Hoc nō meruit Maria: illud meruit, vt in ipſa, vt ex ipſa expleretur illa miſericordia, & fieret

*Luc. 11.*

*Luc. 8.*



fieret vnio illa diuina: verùm vt illud mereretur accepit per præuiſum meum meritum, quod non habuiſſem niſi ex ea carnem ſumpſiſſem. Præuiſa enim mea incarnatio & meritum fecerunt in illa priùs ſpiritualem cum Deo coniunctionem, vnde poſſet ita parari vt Mater mea fieret. Inexhauſtus eſt fons tuæ laudis & gloriæ magne IESV, vnde exſtat iugis illa Matris tuæ laus, exundat illa Mariæ Virginis ſublimis gloria.

## Ex Iudæorum odio & calumnijs in IESVM.

Conflictabatur magna ſolicitudine & animi anxietate, timore etiam, ſancta Virgo toto tempore prædicationis Chriſti, quum funeſtum & exitiale odium Iudæorum aduerſus Filium intelligeret, calumnias & contradictiones atrociſſimas, abiectum à ciuibus ſuis extra ciuitatem, ductum ad ſupercilium montis vt illum præcipitem darent; miſsis poſtea ſatellitibus voluiſſe Principes & Phariſæos eum comprehendere & ducere vinctū, ſubinde voluiſſe illum lapidare; creſcere coniurationem Principum, Phariſæorum, Scribarum, Seniorum aduerſus IESVM. Erant initia dolorum hæc: videbat quaſi expediri atque diſtringi amarum illum gladiū quem olim ipſi prædixerat Simeon.

## Ex venditione & reliquis Chriſti paſsionis myſterijs.

Ventum enim tandem eſt ad Iudæ venditionem, ad horti timores, & agoniam, & ſudorem ſanguineum; comprehenditur & ligatur IESVS, trahitur ad Annam, vbi accepit alapam; perducitur dein ad Caipham, & damnatur ad mortem: illuditur, conſpuitur, colaphis cæditur ſumma cum contumelia & opprobrio; concluditur in domeſticum Caiphę carcerem, ligatur ad columnam in tetro loco, ibi quod reliquum fuit noctis ſimiliter cæditur, eiſdem afficitur contumelijs. Rurſum manè ab vniuerſo concilio condemnatur ad mortem, & tradendus decernitur Pilato Præſidi, & interimendus. Siſtitur Pilato, accuſatur vt falſiſſimè, ita inuidioſiſſimè; mittitur ad Herodem, ab eo irridetur, indutus veſte alba tanquam fatuus ad Pilatum remittitur. Ibi teterrima contentione agant Principes contra Pilatum illum defendentem, petunt Barabbam horridum latronem potiùs liberari quàm IESVM. Eorum clamoribus adductus Pilatus illum imperat crudeliſſimè flagellari, dein atrocibus ſpinis coronari. Ibi rurſum ſubſannatur, arundine corona eius verberatur & caput; ſtatuitur in conſpectu Iudæorum à Præſide, vt ad tantam eius miſeriam miſericordia commouerentur. Fit è cōtrario vt in maiorem rabiem, & odium, & inſectationem incitentur. Tandem traditur eorum voluntati à Pilato vt crucifigatur: tollit crucem prorſus afflictus & debilitatus, ducitur cum duobus latronibus ad Golgotha. Principes, ne ſub pondere crucis moreretur, illa eum leuant, vt crucifigi poſſet viuus, hoc eſt, crudeliori & contumelioſa magis morte interire. Venitur ad Golgotha, guſtat teterrimum vinum ipſi oblatum: ibi eum crucifixerunt primùm, dein crucem leuauerunt & ſtatuerunt, vtrumque cum ſummo eius cruciatu; qui per tres horas continenter ſæuiſſimas accipiens acceſſiones, tandem attulit illi mortem crudeliſſimā atque ignominioſiſſimam. Poſtquam expiraſſet, traiectum eſt eius latus lancea, & effluxit ex eo ſanguis & aqua. Hic eſt gladius ex tam multis gladijs compoſitus atque compactus, qui animam ſacroſanctæ Virginis pertranſiuit & penetrauit. Erat acerba antequam ad hæc veniretur afflictiſſimæ Matris & anceps ſolicitudo, metus, anxietas, anguſtia: ſed quæ nunc narramus, Mariæ animam totam ita occuparunt, ita cruentarunt, vt ea omnia quæ in præcipiti erant, quæ ab ea timebantur, & de quibus eius erat ſolicitudo & anxietas, quaſi coniuratione facta in cor afflictiſsimum Mariæ irruerent. Vnus dolor alium excipiebat, vnum cruciatum alius attingebat, & atrocior quidem, donec, ipſo concedente, Chriſto vitam abſtulerint. Hi gladij erant animæ Mariæ infixi, anima autem eius, ſuprà quàm explicari poſsit, dolore, amaritudine, cruciatu erat exacerbata atque confecta: ſpiritus tamen virtute, & animi excelſa quadam fortitudine ſuſtentabatur iuuante Filio, neque quicquam à generoſiſsima Virgine vel dicebatur, vel agebatur, quod maieſtate Filij, & Matris dignitate non eſſet dignum. Itaque aſtantem deſcribit Ioannes iuxta crucem, vbi extremi erant Filij cruciatus & vicina mors, extremi ſimul Matris dolores. Porrò cùm audiret à Chriſto IESV, Ecce filius tuus, conſolationem quidem accepit aliquam

Universidad de Deusto
Biblioteca



de Filij acerbissimè morientis erga se solicitudine, & amoris significatione; sed id ipsum eam affligebat amarulentiùs, quòd ipsam relinqueret, & videret simul ad extremā lineam vitæ venire Filium. O dignam tanto Filio Matrem! O fortitudinem Virginis incomparabilem! O laudem & gloriam Matris Dei omni præconio superiorem! Tu concepisti Filium Dei & peperisti, tu lactasti & nutristi, tu curam illius gessisti tot annos, tu vicissitudinem laborum, solicitudinum, & dolorum; tu paupertatē cum illo sustinuisti: venit prædicationis tempus Euangelij æterni; ibi inceperunt quidem illæ cessare vicissitudines, sed fieri labores & dolores animæ tuæ continui, atque adeò augeri in horas & momenta cruciatus tui, vt Filij; donec & ille in mortem veniret, tu in dolorum tuorum & cruciatuum finem. Hæc autem omnia tanta patientia pertulisti, tanta longanimitate, constantia, magnanimitate, vt etiam inde constaret te omni virtutum excellētia esse ornatissimam, nec illa potuisse pari quemquam, præter te & Filium. Quæ omnia quamuis merita erant tua, & gratię & gloriæ tuæ incrementa ingentia per Filij tui meritum, simul tamen (quæ tua fuit semper charitas incomparabilis in mortales) pro mortalibus Deo ea offerebas in Christo; quemadmodum per Christi merita & satisfactionem infinitam applicant sancti hominibus sua merita & satisfactionem ex eius exundanti misericordia & benignitate, quasi è thesauri infiniti fonte riuulos emanantes.

## Ex Christi sepultura.

Præterierant iam summi illi tui dolores, cælestis Virgo, in morte Filij; fuit tamen adhuc reliquus luctus & doloris sensus in eius depositione è cruce & sepultura; sed quem non solùm virtutum tuarum splendor illustrabat, sed fulgor etiam ab anima Christi ex inferno, à corpore ex sepulchro excipiebat. Vt autem fecit te sibi cōformem Filius in suis doloribus, ita in consolationibus & gloria: vt enim erat ille medius quidam Christi status non glorificata humanitate, donec resurgeret; ita Matris Christi erat media quædam vitę conditio, non consummata lætitia de Filio. Verùm breuis hæc fuit mora.

## Ex Christi Resurrectione, Ascensione, &c.

En resurgit à mortuis Filius, illi primùm omnium apparet, replet eius animam, mentem, cor, splendoribus diuinis, & omni suauitate. Auget hæc dona in ascensione, in Spiritus sancti missione, & ita implet, ita auget, vt illam gratiæ & donorum excellentiam excipiat præcellens gaudium, & in perpetuū confirmet de Filio & rebus cælestibus; imprimat verò eius cordi dulcissimā illius præsentiam, & lætissimam vnionem.

## Ex sacrorum locorum frequentatione.

Erat sacrosancta Virgo postea cum nepote Ioanne, insignia mysteriorum Christi & passionis, quum erat Hierosolymis, cum mulieribus obibat assiduè summa cordis deuotione, & totius animæ consolatione; Ioannis vtebatur ministerio & opera.

## Ex Diui Ioannis Euangelistæ obsequijs & colloquijs.

O te beatum, Ioannes, qui eandē Matrem haberes quam Deus! Quis cogitatione assequi possit tua cum Matre Dei colloquia de gestis Christi, de eius diuinitate, de rebus cælestibus? Quàm multa per illam à Deo didicisti! Et quid mirum si altiùs intonas tuum Euangelium quàm cælū est, & cæli cælorum? Docuerat quidem te Christus, subseruierat Christi doctrinæ Mater Christi. Quoties tu ad Mariam, non Salome, sed Matrem tuam & Christi, adduxisti Apostolos, quoties discipulos, vt doctrinam haurirent cælestem ex ore diuinæ Virginis! Hîc iam non conseruabat tantùm Maria verba Christi, & gesta, & mysteria, sed simul diuino verborum splendore, suauitate, gratia, efficacia enunciabat. Itaque Deus tantisper illam voluisse in terris viuere creditur, dum traditiones sacras quas à Filio acceperat, & per eius gesta obseruauerat, Ecclesiæ communicaret.

## Ex Diui Ioannis Apocalypsi.

Sed tu tamē sublimis Euāgelista & Prophe-
ta Ioannes præclarissimam post eius assumptionem accepisti de Matre Dei tuæ mentis illustrationem. Apparuit tibi signum magnum in cæ- Apoc. 12



lo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarū duodecim. Significauit enim illa mulier Mariam Virginem, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se sanctæ Ecclesiæ demonstrauit: vt quo modo Virgo pariens Virgo permansit, ita & Ecclesia omni tempore membra eius pariat, & virginitatem non amittat. Aug. de lib. ad Catech. cap. 1.

## Maria Ecclesiæ Mater & Filia.

Summa fuit semper coniunctio Mariæ virginis & Ecclesiæ, summum huius coniunctionis mysterium. Nam quum sit Ecclesiæ corporis membrum præcipuum Mater Dei Maria, & quidem alijs membris omnibus excellentius, Mater tamen eius est Ecclesia: sed ita Mater, vt per eam accipiat vt mater sit & eius, & omnium qui de Ecclesia censentur. Nónne habet Ecclesia à Christo vt Mater sit, & per Christum? At hunc attulit Ecclesiæ Maria. Itaque quicquid habet Ecclesia boni, quicquid dignitatis, id habet à Deo, habet etiam suo gradu à Maria; debet Deo, debet etiam Mariæ, ex qua illa accepit per vnicum Mediatorem Christum. Neque enim voluit Deus hunc esse Mediatorem, nisi ex virgine Maria conceptum & natum: vt intelligamus Mariam peperisse nobis Deum, dedisse Mediatorem & Redemptorem. Quocirca mater est vtraque vtriusque; Ecclesia Mariæ, Maria Ecclesiæ: hæc illius, quia hæc est corpus Christi, illa huius corporis membrum; Maria Ecclesiæ, quia vt hæc esset Mater non solùm illius, sed omnium filiorum suorum, à Maria accepit, quæ illum concepit & peperit, per quem est Mater. Hinc fit vt Ecclesia Mariam honore principali prosequatur, vt Matrem Sponsi sui Dei, & omnium bonorum auctoris & cōsummatoris; Maria Ecclesiæ honorē tribuat, vt ex qua nata ipsa fuerit, & educata, & eò deducta vnde Dei Mater eligeretur. Accepit igitur Ecclesia Christum à Maria verum Deum & verum hominem. Hic enim quum sit Dei Filius æternus, ex tempore natus est ex filia Ecclesiæ Maria. Hic factus est Sponsus Ecclesiæ per eius ex Maria incarnationem. Hic frater Ecclesiæ est; nam Filius Dei naturalis, vt Ecclesia filia Dei adoptiua. Christus Ecclesiæ caput, vt à quo accipiat illa omnem influxum gratiæ, & donorum, & charismatum, omnem connexionem spiritus & subministrationem: Ecclesia corpus Christi, vt quæ ab eo vnionē spiritus acceperit & habeat, ab eo pascatur, augeatur, gubernetur, fœcunditatem accipiat spiritualem gignendi, nutriendi, augendi, gubernandi filios suos. Ecclesię quoad vixit subdita fuit Maria, erat etiam in Petri Christi Vicarij obedientia. Verùm quū ita excellat Ecclesia, vt sit gloriosa, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed sit sancta & immaculata: non tamen habuit vnquam, non est habitura membrum aliquod, aliquem fidelem, cui gratia, donis, prærogatiuis cælestibus, omni virtutum præstantia non longè antecelleret Maria. Quid? Illa non est excellentia Mariæ singularis, vt vis spiritualis quam à Deo accepit Ecclesia, ad illam filiam generandam non attigerit, sed illa singulari priuilegio à Deo sit spiritualiter generata? Non enim fuit, vt aliæ infantulæ, ab originali peccato per sacrificium Ecclesiæ ministerio purgata & consecrata, sed à Deo proximè sanctificata in conceptione, & ab omni peccato præseruata, & præstanti gratia & donis nobilitata, & in ea perpetuò confirmata, etiam si pro ea similiter atque pro alijs puellulis sit oblatum postea sacrificium. Creauit ergo illam filiam Deus, & dedit Ecclesiæ, & eius corpori inseruit diuina prærogatiua.

## Eadem dicuntur de Maria quæ de Ecclesia.

Hæc cùm ita sint, quid mirum si hæc mulier quæ Ioanni apparuit, significet & Mariā & Ecclesiam; & quæ de vna dicuntur, alteri & possint & debeant accommodari pro prophetica mysterij ratione? Es tu sanctissima Maria castitate & integritate Virgo, fœcunditate mulier & Mater. Amiciuit te Pater Deus sole, hoc est lumine Filij sui, qui lumen est infinitum & æternum, quum hoc lumen carni in vtero tuo vniuit: & hoc quidē vteri tui summum lumen fuit in æternitate prædestinatū, vnde in omne tempus, in omnes generationes deriuatum est lumen diuinum in mortales. Excellenti quidē ante incarnationis mysteriū lumine vestita fuisti, superamicta rursum ampliori gratia vbi salutauit te Angelus, & parauit te Deus ad Filij sui conceptionem. Conceptio Filij tui Dei, illa verò est quæ te immenso sole & luce, Deo ipso amiciuit, quē ipsa tu in eius humanitate circumdedisti, & Virgo. Mater. Amicta sole.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſuo amictu induiſti. Verè fuiſti diuino ſole IESV induta Virgo cæleſtis, & aſtitiſti Regi Filio Regina Mater in veſtitu candido & deaurato. Vbi igitur luna in Maria? vbi imperfectio? vbi mutabilitas? Nullibi eſt. Vbi luna in ſolis lumine ſplendidiſſimo? Nullibi eſt, nullibi eſſe poteſt; nuſquam in Maria locum inuenit luna, ſed eſt ſub pedes eius abiecta: vt diuinam vim intelligamus in Maria, qua ab ipſa omne peccatum, omnis imperfectio, omnis macula & inſtabilitas fuit perpetuò profligata atque ſubacta per filij lumen & virtutem. Sed qualiſnam eſt huius diuinæ mulieris corona? Eſt eius caput redimitum diademate ſtellarum duodecim, id eſt, excellentijs duodecim Patriarcharum & Apoſtolorum, tum Angelorum omnium: omnes enim confitentur ſua dona ab huius Virginis antecelli, & hac præclariſſima laude illam celebrant atque coronant. Porrò cùm dicatur in vtero habere mulier, quis non videat mulierem tanta amplitudine diuinæ gratiæ inſignem ſummo miraculo factam fuiſſe grauidam; hoc verò myſterium expoſuiſſe Deum nobis per Gabrielem, vbi ſuperueniente Spiritu ſancto dixit diuinitus Mariam virginem, obumbrante Altiſſimi virtute, futuram eſſe Matrem, concepturam, & pariturum Filium Dei? Verùm quid illud eſt, quòd dicatur hæc mulier clamare parturiens, & cruciari vt pariat? Sublimi hîc intelligentia opus eſt. Mariæ quidem eſt hic clamor, hæc parturitio, hic cruciatus vt pariat; non in conceptione, non in vteri geſtatione, non in partu; in nullo horum illa quæras, quia nihil illorum in Maria fuit. Quænam igitur clamat? Eccleſia, & per hanc etiam Maria. Sed vbi? Non in myſterio conceptionis & partus Mariæ, non de his; ſed de myſtica ſignificatione conceptionis & partus filiorum Dei, quæ exprimũtur in Draconis bello & prælijs perennibus quæ aduerſus Filium & Matrem, aduerſus Eccleſiam gerit iam inde è cælo. Nihil enim molitus eſt Lucifer contra veritatem & Deum, quod non intelligatur contra Chriſtum feciſſe, contra eius Matrem, contra Eccleſiam. Nam in Deo Chriſtus ſemper fuit, & Maria, & Eccleſia in præcipua prædeſtinatione: in his permiſit Deus veritatem & ſe impugnari. Confecto igitur primo prælio in cælo, quod geſtum eſt contra Luciferum & Angelos eius, & eo profligato à Michaele & ipſius Angelis; exarſit Dæmon in veritatẽ & Deum, & ita contra Chriſtum, Mariam, Eccleſiam, in quibus erat Dei veritas & Deus: itaque voluit illos euertere, & illam conceptionem & natiuitatem delere. Cæca enim machinatione & malitia cùm pugnet contra veritatem, pugnaſſe intelligitur contra Chriſtum, Mariam, Eccleſiam, quaſi Mariæ Filium deuoraturus. At inſano & irrito molimine illud conatus eſt; peperit enim Maria hominem, ſed ſimul Deum: itaque peperit Filium ſuper omnes cælos ad Dei æqualitatem leuatum, quò Satan nec leuari, nec attingere poteſt: quare Dæmoni in cælum raptus eſt Filius natus, qui ſemper erat in cælo. In cælum item raptus eſt Chriſtus, quum Satanam in deſerto ſuperauit trino triumpho; poſtremò in cruce, in reſurrectione, in aſcenſione, in ſeſſione ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

*Luna ſub pedibus eius.*

*Corona ta ſtellis duodecim.*

*Grauida*

*Parturiens.*

*Raptus eſt filius in cælum.*

## Ex Draconis bello contra Eccleſiam.

Et verò nec antea ceſſauit, nec poſt hæc, belligerare contra Eccleſiam Draco, & in ea contra Mariam: verùm contra neutram prævalere potuit eius armorum vel violentia, vel artes veteratoriæ & peſtilentes. Nam eodem Eccleſia confugit quò raptus dicitur Filius Dei & Virginis, ad ſummam omnium creatarum rerum ſolitudinem, diuinitatem; quò eam leuarunt alæ duæ, virtutum altera, altera donorum Spiritus ſancti, & vtrorumque exercitiũ & volatus perpetuus. In ea enim perfectione contemplationis, & diuinarũ actionum ſtadio, parauit illi Deus perennẽ habitationem, vbi eam paſcit cibo cæleſti per tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc eſt, quanto tempore bellum gerendũ eſt contra aduerſarias poteſtates, & præſertim tempore perſecutionis Antichriſti. Similiter intelligitur bellum Dæmonis contra Matrem Dei Mariam, ſimiliter illius ad Deum refugium, & erga illã protectio & ſecuritas. Cognouit igitur Satan non poſſe fidem, non virtutes, non dona, non ſanctas operationes eripi vel ab Eccleſia, vel à Maria; vim enim expertus eſt in Eccleſia Dei eſſe & in Maria, quæ ſuperari à nulla creatura poſſit. Quocirca cùm vinci ſe à veritate ſentiret, perſecutionibus, laboribus, anguſtijs, cruciatibus, mortibus, lanienis aduerſus Eccleſiam exarſit & inſaniuit, hæc permittẽte Deo ad ſplendorem maiorem illius & gloriam. Neque hæc ſolùm extrinſecus in illam permiſit, ſed innumerabiles ſpiritus & mentis afflictiones: illas quidem exteriores non permiſit in Matrem ſuam, has internas permiſit, & quidem acerrimas animi anguſtias, dolores, afflictiones de laboribus & pœnis filij, de perſecutionibus, de paſſionibus, cruce, morte; ſimul de Eccleſiæ neceſſitatibus, de perſecutionibus & laboribus, de afflictionibus & malis omnibus. Hic verò fuit clamor parturientis Eccleſiæ, hic cruciatus vt pareret. Inuocauit enim Eccleſia perpetuò in ſuis laboribus Chriſti aduentum, conceptionem, natiuitatem: inde idem auxilium animi ſuſpirijs, & valida deprecatione expetiuit Maria. Hæc autem voluit impedire permiſſa Satanę à Deo poteſtas; per afflictionum enim flumen & rapacitatem Eccleſiam ad ſe trahere expetiuit & peſſumdare. Verùm audiuit terra vocem mulieris vtriuſque, hoc eſt orationem. Sed quænam terra? Vis Dei incarnati præuiſa & accepta Deo in æternitate, Filius Dei factus homo. Illa terra fuit puriſſima caro è Virgine ſacroſancta aſſumpta, fructus ille terræ quem dedit Virgo diuina. Hęc terra, hic Chriſtus Deus homo, hic IESVS profligauit Satanam, abſorpſit eius fluminis violentiam, & truculentiam eius tentationis, & bella ſuperauit glorioſiſſimè.

*Simile bellum contra Mariã.*

## Ex prælijs cum ſemine mulieris.

Quid inſanis præterea draco abyſſi? Nihil poſſum aduerſus Filium, nihil cõtra Matrem, nihil in Eccleſiam: contendo prælia facere cum ſemine mulieris, cum particularibus hominibus, cum Eccleſijs itẽ particularibus. Præcipuum autem bellum meum exardebit contra pios, contra eos qui obſeruant mandata Dei, qui teſtes Dei ſunt, & ad martyrium pro Chriſto aſpirant, & martyrio pro eius nomine coronantur: neque enim de alijs ſum admodum ſolicitus. Eſt veteratrix hæc tua ſuperbia & truculenta, bellua execrabilis & peſtilens: contra pios bellum geres, & prælia multa facies; ſed exanguia illa erunt & profligata. Alios etiam, quos tu contemnis, iuuabunt Sancti ſuis victorijs de te, & Mater Dei Maria, & Eccleſia, & Chriſtus, & Deus: & tu tandem conculcaberis, & in ignem proijcieris, ac ſepelieris in æternum cum tuis diabolis omnibus, & cùm vniuerſa fæce hominum damnatorum per tuum maleficiũ; quod tamen ipſum non impunè feres: qua enim ex parte pœna maiori affligi poteris, ea ad cumulum tuæ antiquæ damnationis affligêris draco tartaree. Agimus vobis gratias ingentes in humilitate cordis noſtri in Chriſto ſancti Angeli, Prophetæ, Euangeliſtæ; excellentia myſteria & laudes de virgine Matre glorioſa à Deo veſtra interceſſione & auxilio intelleximus. Verùm vt dona cæleſtia ſuo ingenio deſideriũ cordis explẽt ſimul & excitant, ita nos accendimur nunc magis ad Virginis ſacroſanctæ præconia inquirenda ac celebranda.



## Ex gaudio & celebritate Angelorum in Virginis Aſſumptione.

Obſecramus Angeli ſancti, non nihil nobis aperire dignemini, pro veſtra in nos ſingulari charitate & patrocinio ſalutari, quã habuiſtis exultationẽ vbi ad vos ad cæleſte Regnum aſſumpta eſt Virgo Dei Mater Maria? quã celebritatẽ illi exhibuiſtis? Nõnulla perſtringemus per tuum Tutelarem, Nam vbi primùm intelleximus eam eſſe aſſumendam ad Deum & ad nos, ampliſſimo gaudio fuimus exhilarati; maiori etiam cùm vidimus Chriſtum deſcendere ad illam adducendam, & eius aſſumptionem diuinè ornãdam. In deſiderio fuiſſemus, vt omnes comites iremus Chriſto; delecti tamen à diuinitate ſumus qui aſcendentes ſuſciperemus, alij profecti ſunt cum Chriſto. Iam inde feſtiuitate & celebritate ornatum eſt cælum vniuerſum: quaſi videres ad nouum ſplendorem & dignitatem recipiendam id parari, & ad nouas laudes Deo canendas, & Virgini velut geſtire: totam viam ad montẽ vſque Sion, montem item ipſum, & Mariæ Virginis habitationem cæleſtibus floribus & periſtromatis ornatam: oppletum totum itineris ſpatium Angelorum frequentia, hinc inde exſpectare aduentum Chriſti & Matris; non ceſſare à laudibus vtriuſque. En ſuſcitat Matrem Filius, decorat glorioſam animam, & corpus replet gloria, vtrumque donis incomparabilibus exaltat, diuino triumpho ad cælum leuat, paradiſo infert, ſupra omnes Angelorum hierarchias & ordines ſecundùm ſe in ſumma ſede cælorum, in ſummo honore & gloria apud Deũ collocat, Reginam ac Dominam conſtituit ac pronunciat. Data mihi fuit omnis poteſtas in cælo & in ter- *Mat. 28.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



in terra, datur nunc Matri meæ Mariæ Virgini in vtrumque ſumma ſuper omnem puram creaturam. Concidimus in genua noſtra ſupplices, in iubilo omnes adorauimus Deum & Chriſtum eius; adorauimus ſua adoratione excellenti Matrem Dei, profeſſi ſumus illam noſtrum omnium eſſe Reginam ac Dominam: illi cecinimus laudes cæleſtes, quales nulli præterea creaturæ. Neque verò exiſtimetis quæ præconia nos modulati ſumus, nō eſſe ſupra veſtrū captum, altè cecinimus Matri Dei, & Angelicos modulos edidimus in ſublimitate: ſed vobis aliquam partem noſtri cantici indicabimus.

## Ex ſingulorum ordinum Angelorum iubilis.

Exultante enim tota cœleſti ciuitate, iubilante cælo, noſtri Seraphim excellentiorem amoris Dei flammam Mariæ quàm ſibi deſulerunt, Cherubim ſublimiorem Dei ſcientiā, Throni altiorem in illa Dei thronum quàm in ſe agnouerunt, in quo emineat diuina maieſtas atque adoretur; Dominationes ſuam Dominam & Imperatricem veneratæ ſunt; Virtutes miraculis diuinioribus quàm ſe ornatam profeſſæ ſunt, maiorum item eſſe virtutum & ſignorum fœcundam; Poteſtates illam in aduerſarios ſpiritus potentiorē quàm ſe accepiſſe ſiculiatem. Iam verò principatum in Eccleſiam, & in alias hominum monarchias, illam obtinere ſuo præſtantiorem Principatus teſtati ſunt, & certius gerere patrocinium; quum ſuum ſciant in Deo certiſſimum. Archangeli in commiſſas ſibi cōgregationes exercere gubernationem ſuā principalem magis & altiorem. Poſtremò Angeli eſſe quidem ſalutares ſe ſingulis hominibus, ſe illos iuuare, protegere, gubernare, atque dirigere; vnam tamen illam inſtar eſſe omnium confeſſi ſunt ſingulis hominibus & vniuerſis. Habemus nos quidem perennem in Deo noſtro beatitatem, & illam quidem ſtatam & firmam, & quæ in gradu cuiuſuis noſtrum augeri non poſſit, neque verò minui: verùm gloria quæ ex illa promanat, & exit in gaudium & laudes de multiplici Dei ſapientia & donis in nos & in Eccleſiam, (quæ accidentaria appellari poteſt) illa, inquam, gloria ſingularem accepit acceſsionē in aſſumptione Matris Dei in cælum; quæ & de illa, & de alijs eius donis ſubinde augetur. Itaque iubilamus ſemper de Virgine ſacroſancta, Hierarchicas actiones ab illa ſubinde recipimus.

## Ex ſimili beatarum animarum iubilo ac celebritate.

Quid vos beatæ animæ, quæ inter Angelorum choros ſedes à Deo accepiſtis, quid tunc agebatis? Similiter atq; Angeli aſſumptionem Matris Dei Mariæ Virginis celebrabamus: & quidem quo in ſuperiori Angelorum ordine eramus collocatæ, ita altiori laude illam proſequebamur, noſtrum Angelorum ordinem æmulatæ diuinitus. Addidimus proprias Patriarchæ; Nos fidem de Filio tuo, diuina Virgo, accepimus, conſeruauimus, propagauimus; tu illum dediſti, & totam ſpem & fidem noſtram repræſentaſti. Nos exultauimus vt diem Chriſti videremus, vidimus in ſpiritu, & gauiſi ſumus; tu verò illum concepiſti, peperiſti, ſouiſti, lactaſti, cibaſti, tot annos cum illo vixiſti, ſubditum habuiſti & obſequentem: tu verè & diuinè illum audiſti, vidiſti oculis tuis, perſpexiſti, tu manibus tuis contrectaſti, tibi eximio priuilegio manifeſtata eſt vita æterna quæ erat apud Patrem. Nos autē Prophetæ, quum fuerimus toti in vaticinijs de Filio, & de te ſimul, ſuauiſsima Virgo Mater, ſublimi ſpiritu diceremus, dignitatis tuæ tamen amplitudinem & ſplendorem nunc pleniùs cognoſcimus, & ex maiori luce & ſpiritu laudamus & benedicimus te, & prædicamus in iubilo, exaltantes Dei miſericordiam & veritatem. Nos verò alij, qui ex lege veteri credidimus in ſuum Filium, & illius merito ſumus conſequuti gloriam ſempiternam, ſumma te admiratione & laude proſequimur Mater Dei. Quum enim nos tot ſacrificijs Filium tuum, tot oblationibus, cæremonijs, tot mandatis, tot ſeruitijs, tot purgationibus, tot feſtis, tot Sacerdotibus & Leuitis Chriſtum ſignificauerimus, & adorauerimus futurum, tu tamen octo verbis illum & concepiſti, & præſentem exhibuiſti moralibus omnibus adorandum: vt plus videamus valuiſſe apud Deum tuum illum conſenſum, quàm omnia noſtra ſacra, & cærēmonias. Sit Filius tuus benedictus in ſecula, ſis & tu in æternum benedicta. At vos Apoſtoli & ſancti Patres, qui cum ipſa in terra vixiſtis, vel qui etiā eius morti, & reſurrectioni, & aſſumptioni interfuiſtis, quid laudum attuliſtis & tunc, & nunc offertis? Eramus quidem tunc Spiritu Dei ornati,

Ioan. 8.

Luc. 2.

1. Ioā. 1.



nati, & cæleſtes Dei Genitrici laudes diximus, iuxta quod ſingulis Spiritus dabat eloqui; nunc verò & illa retinemus quæ tunc diximus, & auguſtiora facimus & excellentiora, & plurima addimus, lumine diuinæ gloriæ illuſtrati, quæ ſuperant captum veſtrum: illud tamen non tacebimus, quod veſtræ intelligentiæ nonnihil erit accommodatum. Quum eſſet in terris nobiſcum poſt Filij aſcenſionem, tota fuit in noſtra inſtitutione: itaque docebat nos Deus & Chriſtus per ſe quidem, ſed per ipſam etiam, & per Angelos. Fuit illa Eccleſiæ magiſtra diuino quodam priuilegio: nunc verò vt Angelorum omnium eſt purgatrix, illuminatrix, & perfectrix; ita & noſtra Apoſtolorum, & beatarum animarum omnium. Quid præterea alij ſancti Patres Virgini Mariæ Deiparæ in terris viuentes laudis & encomij obtuliſtis? quid verò nunc in cælo triumphantes? Semper Eccleſia Dei, & Patres Eccleſiæ, & Doctores Matrem Dei præcipuo, & poſt Filium eius maximo præconio, veneratione, deuotione ſumus proſequuti; neque vllus noſtrū fuit qui illam non ſummis laudibus extulerit. Omnes eſſe Matrem Dei prædicauimus, concepiſſe Deum hominem & peperiſſe, Virginem fuiſſe & ante partum, & in partu, & poſt partum, eſſe perennem & diuinam Virginem, de Spiritu ſancto obumbrante Altiſſimi virtute concepiſſe ex puriſſimis ſuis ſanguinibus, nullo prorſus viri commercio. Nullus fuit qui non ex ſcripturis illam, ex traditione Eccleſiæ, ex ſua ſingulari cordis pietate quàm potuit excellentiſſimis encomijs ornauerit. Nam etiamſi nihil aliud quàm quæ nunc perſtrinximus dixiſſemus, cum ijs omnes laudes quæ poſſunt in Matrem Dei Mariam conferri, & debent, ampliſſimè fuiſſemus complexi: hæc ergo ſat fuerit ſi ſignificauerimus; nam quæ nunc in cæleſti gloria perſequimur, & ſuperiora ijs ſunt quæ in terris diximus, & in nobis deſiderium laudandi Virginem Matrem non explent, ſed augent continenter, & veſtrum ſuperant captum. Colligite vos ex noſtris ſcriptis quæ veſtro ſtudio aſſequi poteritis, nobis iuuantibus in Chriſto. Agimus vobis gratias immortales pro cæleſti veſtra erga nos benignitate, clariſſima cœlorum lumina. Hoc ergo conabimur veſtro patrocinio & ope freti in Chriſto: non tamen omnium proſequemur monumenta; ſed aliqua ſi referamus, exiſtimabimus aliorum omnium præconia attuliſſe, & reuera offeremus Chriſto & Matri Dei Mariæ ſacroſanctæ.

## Ex ſanctorum Patrum ſcriptis.

Irenæus. Sicut Heua inobaudiens facta, & ſibi & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt mortis; ſic & Maria habens prædeſtinatum virum, tamen virgo obaudiens, & ſibi & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis. Et paulò inferiùs: Sicautem & Heuæ inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alligauit virgo Heua per incredulitatē, hoc virgo Maria ſoluit per fidem. Et alibi: Quemadmodum Heua per Angelicum ſermonē ſeducta eſt, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius; ita & Maria per Angelicum ſermonē euangelizata eſt, vt portaret Deum, obediens eius verbo: & ſicut illa ſeducta eſt vt effugeret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo: vti virginis Heuæ Virgo Maria fieret aduocata.

*Lib. 3. cap. 33.*

*Lib. 5.*

Cyprianus. Genitrix eſt & obſtetrix Maria, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet cliētelam; attrectat, amplectitur, iungit oſcula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio: nullo dolore, nulla naturæ contumelia in puerperio; vltro maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt, nec oportuit vellicari quod ſponte prodibat; nihil in hac re perijt vltio, nec præcedens delectatio aliquā expertijt pœnarum vſuram. Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt; ideoque innoxiam affligi non decuit, nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniurijs, quoniam plurimùm à ceteris differens, natura communicabat non culpa: eratque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec ante nec deinceps meruit obtinere, quòd erat ſimul Mater & Virgo, ſingulis titulis inſignita. Vnde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria; quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intus & extrà, Chriſti præſentia fruebatur. Et pòſt paulò: Angelica ſanè non eſt credendum ibi miniſteria defuiſſe: nec receſſerat à venerabili pectore Matris Spiritus ſanctus, ad verbum Gabrielis illapſus. Poſſidebat domū ſuā, & templū, quod ſibi cōſecrauerat, adornabat, celebrabat

*De Natiuitate Chriſti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bat sacrarium suum , & sanctimoniæ Thalamum honorabat ; lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat ; legem mentis lex carnis non infestabat , rebellio nulla quietem spiritus affligebat. Paruulus sugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defecatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor Matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum,imbuebant, eratque vtrinque mira iucunditas , cùm pia sanctæ Matris & deuota humilitas , & sancti sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur.

*Euang. de Annunciat.* Athanasius. Et quandoquidem ipse Rex est qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus & Deus ; ea propter & Mater quæ eum genuit, & Regina , & Domina , & Deipara propriè & verè censetur : licebitque nobis ita congruenter dicere , dum ad ipsam , & ad eum, qui ex ea genitus est, carniferum Filium respicimus. Nunc scilicet ad- *Ps.44.* est Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate ; eò quòd secundùm sexum fœmineum Regina , & Domina, & Mater Dei appellari debeat. Eaque nunc vt Regina assistens à dextris Filij vbique regnantis , quasi in vestitu deaurato incorruptionis & immortalitatis circumamicta & variegata , sactis & solemnibus verbis celebratur : non quidem secundùm spiritualem simplicitatem, aut quasi sine corpore & carne assistat , sed quòd induta sit (quantum spectat ad sanctissimam eius carnem) incorruptibilitate & immortalitate. Variegata rursus est quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem fulciunt. Nam ex carne eius , & ex ossibus eius , veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam , vt vicem eius expleret, costam sibi finxit , nimirum istam incarnationem , eamque semel indutam perpetuò gestat. Ac proinde ista noua Eua mater vitæ appellatur, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalitatis omnium viuentium. Dicimus eã igitur iterum , & semper,& vndequaque beatissimam. Sicuti ergo quum ad ipsum respicimus,Regem , Dominum & Deũ appellamus ; ita quoque quum ad eam oculos reijcimus,Reginã, Dominam, & Deiparam esse animaduertimus,idque cõtemplatione oculi mentalis. Adest Regina à dextris tuis vestitu deaurato , circũamicta varietate. Et iam,scilicet , audi Filia Dauidis & Abrahæ,& inclina aurem tuam in preces nostras,& ne obliuiscaris populi , neque nostri qui sumus de familia & domo Patris tui. Parentes enim tui sumus secũdùm generis prosapiæque rationem,nostraque filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te Matrem, Regeneratricem , Dominam, ac Heram cognominari, eò quòd ex te prodijt Rex, Dominus, ac Deus noster,assistentem illi, nobis quidem terribili,tibi autem dulci,omnemque gratiam largienti. Qua de causa factum est vt gratia plena appellata sis , vtpote quæ omni gratia abundares, idque per superuentum in te Spiritus sancti. Ideoque vultum tuum de- *Ps.44.* precantur omnes diuites plebis; ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus , recordare nostri sanctissima Virgo , quæ etiam à partu Virgo permansisti , & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum,tu quæ gratia plena es. Nam ideo his vocibus vt ex re ipsa desumptis, & natura laudatorijs , præcipuè in tuum encomium vtimur,si quando hymnus, si quando laus tibi,siue à nobis, siue ab vniuersa creatura offertur. Tibi,inquam , gratiosæ Dominæ nostræ, Reginæ , Heræ, Matri Dei , arcæ sanctuarij. Ecce iam nunc & in exordio dici , vt primitias laudis tibi hoc encomium Archangelus contexit dicens: Aue gratia plena , Do- *Luc.1.* minus tecum ; beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ,& hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in cælis benediceris, & in terris beata prædicaris. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: istiusmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis constat; qui aut flammei , aut magni Regis Dei cognitores appellantur. Beata tu in mulieribus, & beatus vterus tuus Dei gestator,& vbera quæ ille adhuc infantulus suxit. Secũda verò hierarchia,quæ in se Dominationes, Virtutes,Potestatesque complectitur,ad te respectans clamat, vtpote quę hæc didicerit à sublimiori hierarchia , priusquam initiata sit; Benedicta tu in mulieribus , & benedi- *Ibid.* ctus venter tuus , qui Deum concepit, & mammillæ quæ Deum educauerunt puerum factum. Iam tertia ex Principibus Angelis, & Archangelis acies , quibus mandatum & permissum fuit à Deo mittente, vt per vnum Gabrie-



Gabrielem Archangelum ederet splendidissimum & capacissimum hymnũ in hæc verba: *Ibid.* Aue gratia plena, Dominus tecum. Ab istis deinde nos hierarchiæ terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes , siue quòd didicimus , siue quòd mutuo hæc verba sumpserimus, exaltamus te magna & canora voce dicentes: Aue gratia plena, Dominus tecum. Intercede Hera & Domina,& Regina,& Mater Dei pro nobis; quoniã ex nobis tu oriunda es,& is qui editus est ex te carnigerus Deus, noster est: quem decet gloria, & magnificentia, omnisque honor,& adoratio, & gratiarũ actio, cum Patre initij experte, & cum sancto, bono, viuifico Spiritu,& nunc,& semper,& in secula seculorum, Amen.

*Hom. 2. de Nat. Domini.* Eusebius Emissenus. Agnosce,ô verè beata Maria,gloriam tuam illam, inquã, gloriam quam tibi vel Angelus nunciauit, vel Ioannes per os Elisabeth matris adhuc de secreto vteri prophetauit. Benedicta itaque tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & vnde mihi hoc, vt veniat Mater Domini mei ad ad me? Exulta Mater salutis humanæ: ecce Domini mei vniuerso mundo per tãta retro secula promissũ prima susципere mereris aduentũ; habitaculuu immensæ maiestatis efficeris; spem terrarum, decus seculorum , commune omne gaudium peculiari munere nouẽ mensibus sola possides ; initiator omnium rerum abs te initiatur,& profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit quod etiam pro te soluat. A peccati etenim veteris nexu per se non est immunis nec ipsa Genitrix Redemptoris: solus ille licet ex debito renascatur , lege tamen veteris debiti non tenetur. Parum tamen tibi cum ceteris commune matribus est; medicũ enim dolorum nostrorum sine dolore paris , sanatorem deprauati seculi atque corrupti sine vlla pudoris corruptione progeneras. Nec enim decebat vt qui ad hoc venerat vt violata in integrum restitueret , aliquid de materna integritate violaret. Ecce vno partu tuo vniuersorum nascitur vita seculorum , profers in lucem lucis parentem ; & Saluatorem hominum, Angelorum patrem, vocare mereris Filium tuum . Hic est ille etiam ab initio quasi Deus signis & prodigijs demonstratus, in Patriarchis prætentus , Prophetarum vocibus nunciatus. Hic est ille qui sub nubilo legis coruscans , scripturarum omnium claues in se & aperiens & claudens , ac testamenti veteris vmbras aduentus sui luce discutiens ; Verbum caro factum venit in mundum , non deposita , sed sepositа maiestate : perfectus Deus , & verus homo, vnus Christus ; non alter ex Patre , alter ex Virgine: inde diuina, hinc humana substantia ; duplex natura ; sed tamen Dei & hominis vna persona: ita coniunctus Deus homini , sicut anima corpori . Ita est pro nostra salute misericors humiliata maiestas, vt tunc non adimeret dignatio dignitatẽ ; assumpta est enim humanitas,non absumpta diuinitas: ad nos quidem per Matrem venit, sed tamen cum Patre regnauit. Et quid mirum? Lux ipsa quamlibet infundatur terris, ordine tamen suo nihilominus fulget in cælis. Hic est ille agnus Dei , qui tollit peccata mundi ; qui ante Reges & Principes pia pro impijs stetit victima : qui & Sacerdotem egit semetipsum offerendo , & sacrificium obtulit moriendo.

Ephrem. Intemerata prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Domina mea glorioßissima cademque optima, sublimior cælicolis , purior solis radijs & splendoribus,honoratior Cherubim,& polyomatis, id est,multoculis spiritibus,sanctior Seraphim , & nulla cõparatione ceteris omnibus superis exercitibus glorioßior , spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum præconium, & honor Martyrum , Sanctorum lætitia , & lumen studioßorum Abraham, Isaac, & Iacob , decus Aaron , Mosis splendor, & Gedeon vellus , Hierarcharum cœtus, & omnium Sanctorum , ac Virginum corona ob fulgorem inaccessa. Acerra aurea, lucerna micantissima, vrna cæli manna gestans, tabula scriptam legem ferẽs mortalibus, arca vera , charta diuinissima , omnium princeps, circumspecta & lucifera virgo, consolatio sanctissima , & omnium dux, sacratissima puella. O rube incombuste,& pa- *Exod. 3.* tens prædium , & viridans Aarõ illius virga. Virga profecto exstitisti,& flos Filius tuus. E *Esa. 11.* radice Dauid & Salomonis germinauit Christus noster creator, Deus & Dominus omnipotẽs,altissimus & solus. Tu, quoad corpus, Deum & Verbum genuisti ; Virgo ante partũ,virgo in partu,virgo post partũ. Claues nõ excussit Deus creator tuus in tuo virginali vtero absque semine carnẽ indutus, te , ô celebertima, talẽ præseruans,qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati sumus Christo Deo

Universidad de Deusto
Biblioteca



Deo meo, Filio tuo: tu peccantium, & consilio destitutorum adiutrix, tu portus procella vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima: tu orphanotũ susceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus: tu solitariorum stabilimentum, & spes mundanorum, tu Virginum decus, corona, & gaudium, tu mundi lætitia, ô Domina, Princeps, Regina præstantissima, & perquam benedicta, puella veneranda, Dominorum Domina purissima; sub alis tuis custodi me & protege. Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quàm plurimis Creatorem Deum meum, & Iudicem offendi, ne aduersus me glorietur Satanas exitiosissimus, ne in me exsurgat execrandus inimicus meus, ne seruum tuum à tua spe destitui cognoscamus, ne calumnietur me detractantium lingua. Non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera; ex vlnis equidē maternis tibi, Domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum: ne maleuolus Satanas me ad infernas portas adducat; tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima mater, imploro: & aduoluor tibi Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis Filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa quæ patraui scelera tollat me de medio, & miserrimam animam ceu leo diripiat, vel velut sterilem ficum infelicem me excidat. Sed obsecro vt Christū meum adeam, & subeam aulas illas Beatorum, vbi non sunt lachrymæ, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustiæ, sed lætitia inexhausta, voluptas Iustorum, deliciæ & exultatio, gloria & splendor. Imple os meum gratia dulcedinis tuæ, illumina mentem ô gratia plena; moue linguam meam & labia ad laudes tibi alacri & læto animo canendas, & præcipuè melos illud Angelicum celebratissimum, quod Gabriel in Nazareth seruili habitu ad te Virginem & Matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit, salutationem maximè congruam & dignissimã, mundi salutem, cunctarumque animarum tutelã. Dignare, Virgo, te tuũ famulum laudare, & dicere; Aue Dei splendidissimum & luculentissimum vas; aue Domina Maria, gratia plena; aue in mulieribus Virgo beatissima; aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodijt; aue illustrissima lux, Mater & Virgo; aue quæ mirificè Regem omnium peperisti; aue per quam nobis sol præclarissimus illuxit; aue Domina cunctis sublimior; aue canticũ Cherubim, & hymnus Angelorum; aue pax, gaudium, & salus mundi; aue generis humani lætitia; aue Patrum præconium, & Prophetarum decus; aue Martyrum pulchritudo, & corona Sanctorum; aue piorum gloria, & in solitudine degentium hymnus; aue præclarissimum hierarchiarum cælestium ornamentũ; aue hymnigraphorum omnium oratio; aue præstantissimum orbis terræ miraculum, aue terrigenarum omnium delectatio; aue paradise deliciarum & immortalitatis; aue lignum vitæ, & gaudium, & voluptas; aue vallum fidelium, & mundi salus; aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix; aue progenitoris illius Adam resurrectio; aue iucunda libertas; aue omnium parens; aue flos gratiæ & consolationis; aue refugium peccatorum & hospitium; aue propitiatorium laborantium; aue refugium in Hierosolymis; aue throne mei Creatoris glorioſissime; aue æui splendor illustrissime & micantissime; aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorum; aue conuersorum refugium; aue virorum iuxtà mulierumque Regina & tutela, aue mundi Mediatrix glorioſissima; aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix; aue Domina sceptrum fidelibus tuis impetrans; aue gloria & lætitia omnium Sacerdotum; aue Virgo solatium solitariorum; aue porta cælorum, ascensus omnium; aue reseramentum portarum paradisi; aue quæ mœrores sedasti adornatrix omnium; aue eadem quæ lenijsti oppressorum molestiam; aue clauis cælorum & regni Christi; aue portus optime huius vitæ nautarum; aue animæ meæ spes bona & fida; aue Christianorum omnium firma salus; aue lumen præfulgens, quo mundus illustratur; aue Mater Christi Filij Dei viui; aue nostri genitorum protectio luculenta & gloria; aue quæ nullo spatio comprehensum in sinu comprehendisti; aue quæ Christum vitæ datorem educasti, Christum pientissimũ omnium Creatorem, Deum, dulcem IESVM meum, altorem mundi, hominum amantissimum, omnipotentem Patrem meum, cui competit gloria, honor, & potestas in secula, laus & magnificẽtia cum æterno Patre & Spiritu sancto, nunc, & semper, & in secula seculorũ. Precibus Dei Genitricis semper Virginis, & exercitus cælestium, ac cœtus Angelorum,



rum, Cherubim, Seraphim, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, Sanctorum studioſorum intercessionibus, & omnium Beatorum supplicationibus miserere tuæ creaturæ Deus mi clementissime: à dextris in hora iudicij colloca humiles seruos tuos. Ne, ô Domine vitæ author, ad opera quæ nos mortales legem præuaricari commisimus adspexeris, quin potiùs aspice ad mitissimam humanitatem tuam. Amen.

Subdit idem. Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo Dei Sponsa Domina nostra, quæ Deum Verbum hominibus mirifica tua conceptione conciliasti, & rebellem humani generis naturam cælestibus consociasti; vnica spes desperatorum, oppressorum subsidium, ad te currentiũ auxilium præsentissimum, omnium denique Christianorum perfugium; me sceleſtum peccatorem, & fœdis meis cogitationibus, verbis, factis factum vilissimum, atque adeò voluptatum mollitiem animo seruili & abiecto amplexatũ, ne auerseris quæso: quin potius sicut humanissimi Dei Mater es, ita me peccatorem humaniter suscipe, & meam sordidissimam, indignisque labijs expressam orationem admitte, nec nõ tuũ quidē Filium, meum autem herum & Deum, materna tua liberalitate volens exora; vt mihi quoque mitissima illa suæ pietatis viscera referet, & posthabitis innumerabilibus peccatis meis ad pœnitentiam me conuertat, probeque sua complere mandata concedat. Adsis mihi semper Virgo misericors, clemẽs, & benigna, in præsenti quidem vita feruens protectrix & auxiliatrix, hostiles impetus repellens, & me deducens ad salutem, ac in supremo vitæ momento miseram meam animam conseruans, & tenebrosos malorum Dæmonum aspectus ab ea procul abigens; in terribili autem die iudicij ab æterna damnatione me liberans, postremò inaccessæ tui Filij & Dei gloriæ me hæredē efficiens. Quam per intercessionem fauoremque tuum, Domina mea sanctissima Dei Mater, te etiam atque etiam oro, assequi valeam, gratia, miseratione, & humanitate vnigeniti Filij tui Domini & Dei Saluatoris nostri IESV Christi, cui conuenit gloria, honor, & veneratio cum æterno eius Patre, & sanctissimo optimoque vitæ author Spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

*2. lib. de Trinit. sub finẽ. Luc. 1.*

Hilarius. Spiritus sanctus desuper veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Spiritus sanctus desuper veniens Virginis interiora sanctificauit, & in his spirans qui vbi vult spirat, naturæ se humanæ carnis immiscuit; & id quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumpsit. Atque vt ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret, virtus Altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem eius veluti per vmbram circumfusam confirmans, vt ad sementiuam ineuntis Spiritus efficaciam corporalem diuinæ virtutis inumbratio temperaret. Euacuans se enim ex Dei forma, & formam serui accipiens, & Filius Dei etiam Filius hominis nascens, ex se suaque virtute nõ deficiens, Deus Verbum cõsummauit hominem viuentem. Nam quomodo Filius Dei hominis Filius erit natus, vel manens in Dei forma formam serui acceperit; si non potente Deo Verbo ex se & carnem intra Virginem assumere, & carni animam tribuere, homo Christus IESVS ad redemptionem animi & corporis nostri perfectus est natus; & corpus quidem ita assumpsit, vt id ex Virgine cõceptum formam eum esse serui efficeret? Virgo enim non nisi ex sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamuis tantum ad natiuitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen IESVS Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam: sed omnis causa nascendi inuecta per Spiritum tenuit in hominis natiuitate quod Matris est, cùm tamen haberet in originis natiuitate quod Dei est. Hinc igitur maximũ illud ac pulcherrimum susceptæ hominis sacramentum Dominus ipse ostendit dicens: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cœlo. Quòd descendit de cælo, conceptæ de Spiritu originis causa est: non enim ex se corpori Maria originem dedit, licet ad incrementa partumque corporis omne quod sexus sui naturale est contulerit. Quòd verò hominis Filius est, susceptæ in Virgine carnis est partus: quòd autem in cælis est, naturæ semper manentis potestas est, quæ initiata conditaque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coarctauit, Spiritus virtute ac Verbi Dei potestate in forma serui manens, ab omni intrà extraque cœli mundique circulo cæli ac mundi Dominus non abfuit.

*Et lib. 10 de Trinit. non longè ab initio.*

*Phil. 2.*

*Ioan. 3.*

*In hom. de humana Christi geuer.*

Basilius. Quoniam verò ea tẽpestate nulla puritate par Mariæ virginitas inter homines

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad effectum sancti Spiritus excipiendum est reperta, & illa iam desponsatione erat occupata, electa est beata Virgo, ita vt nihil detrimenti ex desponsatione accesserit virginitati. Et paulò pòst. Itaque priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Vtrumque Ioseph reperit, & conceptionem, & causam è Spiritu sancto. Et paulò pòst: Ne metuas, inquit, accipere Mariam cõiugem tuam. Ostendit quòd illam non sit abominatus, nec molestè tulerit, sed quòd eam metuerit, vt Spiritu sancto plenam. Et alibi: Suscipe, salua, miserere, & custodi nos Deus gratia tua. Sanctissimæ & intemeratæ Dominatricis nostræ, Dei Genitricis & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorantes, nos ipsos ad inuicẽ, atque omnem vitam nostram Christo Deo commẽdemus. Ter idem repetit.

*Matt. 1.*

*In Liturgia.*

*Ad Cledonium ad initũ.*

Gregor. Nazianz. Si quis sanctã Mariã Deiparã nõ credit, extra diuinitatem est. Si quis Christũ per Virginẽ tanquã per canalem decurrisse ac defluxisse, ac non in ea diuino modo, quia absq; viri opera; humano, quia procreationis lege, formatum esse dixerit, in simili impietate versatur. Si quis creatum hominem fuisse, Deumque postea subijsse pronunciauit, damnationi obnoxius est: hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga. Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex Matre, non autem vnum atque eundem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat.

*In 1. c. Luc.*

Ambrosius. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiã, quã nulla alia meruerat, consequuta est; vt gratiæ repleretur authore. Eodẽ capitulo: Verè desponsata, sed Virgo, quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata sed nupta; concepit nos Virgo de spiritu, parit nos Virgo sine gemitu: & ideo fortasse sancta Maria alij nupta ab alio repleta, quia & singulæ Ecclesiæ spiritu quidem replentur & gratia, iunguntur tamen ad temporalis speciem Sa-

*In idẽ c.*

cerdotis. Rursus: Liquet quia faciendum esse crediderit, quæ quomodo fieret interrogauit; vnde & meruit audire; Beata quæ credidisti. Et verè beata, quæ Sacerdote præstãtior, quũ Sacerdos negasset, Virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum diuinam operationem suam inchoauit à Matre; vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Et bene quæsiuit quomodo fieret; legerat enim quia Virgo conciperet, non legerat quemadmodum Virgo generaret: legerat, vt dixi; Ecce Virgo in vtero accipiet; quemadmodũ autem acciperet, in Euangelio primùm Angelus est loquutus. Et alibi: Ergo saltauit Propheta Dauid ante Arcam. Arcam autem quid nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem Arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem: illa intra semet legem; hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat; hæc verbum. Verum tamen Arca intus foriśque auri nitore radiabat; sed & sancta Maria intus foriśque virginitatis splendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro, ista cælesti. Et alio loco: Aduertimus quia quotannis in die solenni Paschæ sancta Maria cum Ioseph Hierusalem petebat: vbiq; impigra deuotio, vbique assiduus Virgini comes pudoris adiungitur. Nec inflatur Domini Mater quasi secura de meritis, sed quo meritum maius agnouit, eo votum vberius exsoluit, officiũ copiosius detulit, munus religiosius vexit, mysticum tempus impleuit. Et agens de Virginibus:

*Esa. 7.*

*Ser. 80.*

*Lib. 10. de viduis*

Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaq́ue B. Marię, in qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est Magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de ceteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiã mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum; corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto diuitiarũ, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non homines, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quãdo vitauit inopem? Eos solos solita cœtus virorũ inuisere,

*Lib. 2. de Virg. tom. 1.*



inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, vt primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarũ; vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniã, officiorum redundantiam; alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hîc congeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumq; obuius qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non priùs cupiditas quàm necessitas fuit; & tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus; qui frequẽter in somnis aut lecta reperit, aut somno interrupta continuat, aut dispositа gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiã conueniret, & hoc ipsum cũ parẽtibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forẽsi stipata comitatu, nullo meliore tamẽ sui custode quàm se ipsa: quæ incessu affectuq́ue venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Et tamẽ alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem: plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quæ virtutes magistras habet; quia quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur; sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? vt eam parẽtes dilexerint, extranei prædicauerint? quæ digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat: quũ etiã tum sibi minùs sola videbatur cùm sola esset. Nã quẽadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eã vbi reuisere solebat inuenit; & Angelũ Maria quasi viri specie mota trepidauit, quasi nõ incognitũ audito nomine recognouit; ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo: vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit: sed quæ primo titubauerat aspectu, postea promisit obsequium.

Ioannes Damascenus. De sancta & super-laudabili semper Virgine & Deipara Maria in prætactis mediocriter tractauimus, & quod maximè opportunum visum est repræsentauimus; quòd propriè & verè Deipara & est, & nominatur. Nunc reliqua compleamus: ipsa enim ante secula prægnitiuo Dei consilio prædefinita est, & diuersis similitudinibus & oraculis Prophetarum per Spiritum sanctum figurata & prædicata, in prædefinito tempore ex Dauidica radice pullulauit, propter factas ad ipsum repromissiones. Iurauit enim, inquit, Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et rursus: Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar; semen eius in æternum manebit, & thronus eius vt sol in conspectu meo, & luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Et Esaias; Egredietur virga de radice Iesse, & flos ex radice eius adscendet. Enimuero quòd Ioseph ex Dauidica tribu descenderit, Matthæus & Lucas sacratissimi Euangelistæ dilucidè monstrarunt: sed Matthæus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioseph, Lucas autẽ per Nathan; sanctæ verò virginis generationem ambo siluerunt. Decet autem scire, nõ fuisse morem Hebræis, neque diuinæ scripturæ, genealogias texere mulierum. Nam Lex fuit, tribum non desponsare ex alia tribu: arqui Ioseph ex Dauidica descendit, & iustus erat, hoc enim de ipso diuinum testatur Euangelium: non igitur præter legẽ sanctam Virginem ad desponsationẽ duxisset, nisi ex eius sceptro descendisset. Cùm igitur ostenderit Euangelista descensum Ioseph, satisfactum esse putãdum est. Præterea id nequaquam latere par est, quòd lex erat, viro moriẽte sine prole, fratrẽ eius defuncti coniugem sibi nuptijs copulare, & suscitare semen fratri. Quod igitur partu edebatur secundùm naturam, secundi, id est illius qui genuit, erat; secundùm verò legem, eius qui obierat diem. Ex serie igitur Nathan filij Dauid, Leui genuit, Melchi & Panthera; Panther genuit Barpanthera sic ab eo denominatum. Hic Barpanther genuit Ioachim, Ioachim verò genuit sanctam Deiparam. Ex

*Orthod. fid. lib. 4. c. 15.*

*Pſ. 131.*

*Pſ. 88.*

*Esa. 11.*

*Mat. 1. Luc. 3.*

*Deut. 25*

Universidad de Deusto
Biblioteca



serie Salomonis filij Dauid Mathã duxit vxorem, ex qua genuit Iacob. Mortuo autẽ Mathan, Melchi qui erat ex tribu Nathan filius Leui, frater verò Pantheris, nupsit vxori Mathan, matri quidem Iacob, & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres vterini Iacob & Heli: Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli verò ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli ex tribu Nathan sine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis vxorem eius, & suscitauit semen fratri suo, & genuit Ioseph. Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob, ex descensu à Salomone, secundùm verò legem filius Heli ex Nathan. Ioachim ergo venerãdam & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna sterilis facta, per votum & repromissionẽ habuit Samuelem, hunc in modum & hæc per supplicationem & repromissionẽ à Deo Deiparam profert: vt & in hoc nulla illustriũ & gloriosarum posterior habeatur. Parit ergo gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam, quod profectò Mariæ nomine significatur. Nã reuera facta est Domina omnium creaturarum, cùm conditoris omnium effecta est mater. Editur partu in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita, & carnali concupiscentia mẽtem sequestrãs, & sic virginem animam cum corpore cõseruans, vt decebat eam quæ in sinu Deũ susceptura esset. Sanctus enim existens in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum sanctum & admirabile altissimi Dei dignè demõstratur. Quia ergo obseruabat virgines nostræ salutis inimicus propter Isaiæ prædicationem dicentis;

*Esa.7.* Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus; vt deciperet eum qui semper in sapientia gloriatur, ipse qui deprehendit sapientes in astutia eorũ, in desponsationem puella Ioseph à Sacerdotibus traditur, vt nouus liber litteras scienti. Nam desponsatio custodia Virginis erat, & virgines obseruantis depulsio. Quando autẽ venit plenitudo temporis, missus est Angelus Domini ad ipsam, annuncians Domini conceptionem. Et sic concepit Filium Dei consubstantialem, Patris virtutem, non ex volũtate carnis, neque ex voluntate viri, id est ex congressu & semine, sed ex Patris bona volũtate, & cooperatione Spiritus sancti suppeditauit Creatori creari, & plasmatori plasmari, & Filio Dei & Deo incarnari & humanari, ex puris & illibatis carnibus eius & sanguinibus, primæ Matris absoluens debitum. Nam quẽadmodum illa sine commixtione ex Adam plasmata est, sic ista nouum Adam lege partus in vtero tulit, quem peperit super nariuitatis naturã. Natus est enim ex muliere, sine Patre, & ex Patre sine Matre: & quoniam ex muliere, lege partus; quoniam sine Patre, super naturam est natiuitatis. Et quoniam consueto in tempore (nam nouem menses complens, & decimum attingens nascitur) id fit lege partus; quòd autem sine dolore, supra legem partus est. Cuius enim voluptas non præcesserit, neque pariendi dolor subsecutus est: secundùm Prophetam dicentem; Priusquam dolorem partus sentiret, peperit. *Esa. 66.* Et rursus; Priusquam adueniret tempus dolorũ partus, effugit, & peperit masculum. Natus est igitur ex ea Filius Dei, & Deus incarnatus; nõ deifer homo, sed Deus incarnatus; nõ vt Prophetæ actione vnctus, sed totius vngẽtis præsentia: vt homo quidẽ factũ sit quod vngit, & Deus quod vngitur, nõ trãsmutatione naturæ, sed vnione secundũ hypostasim. Idẽ enim erat vngens, & qui vngebatur; vt Deus vngẽs se ipsum vt hominem. Quomodo igitur non est Deipara quæ Deum incarnatum ex se genuit? Sic propriè & verè Dei Genitrix est, & Domina, quæ omnium creaturarum dominatrix, ancilla & Mater omnium conditoris effecta. Quemadmodum verò qui conceptus est, Virginem concipientem seruauit; sic & natus, ipsius virginitatem seruauit illæsam: solùm transiuit per eam, & clausam seruauit ipsam. Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas per consuetum parientiũ egressum; tametsi nõnulli fabulantur per latus diuinæ Matris ipsum editum fuisse. Non enim impossibile illi erat per clausam portam trãsire, & illius non lædere signacula. Manet igitur & post partum virgo, & semper virgo; nullo modo enim vsque ad mortem viri admisit contactum. Etsi scriptum est; Et non *Matth.1.* cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum; sciẽdum tamẽ est, quòd primogenitus est qui primus genitus est, & si etiam vnigenitus fuerit. Hoc enim primogenitum primò natum ostendit, non omnino autem commanifestat & aliorum generationem.



nem. Hoc autem, donec, determinati temporis præfinitionem significat, non autem nũciat quod postea. Dicit enim Dominus; Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: non quòd post seculi consummationem separandus sit: nam ait diuinus Apo- *Matth. vlt.*

*1. Thes. 4.* stolus; Et sic semper cũ Christo erimus, post communem resurrectionẽ intelligens. Quomodo enim quæ genuit Deum, & ex consequentium experientia miraculum agnouit, viri consortium admisit? Absit hoc; non modestæ cogitationis est talia cogitare, ne dicam agere. Sed ipsa beata, & super naturam donorum digna effecta, dolores partus quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum lacerum reparturiens; & quẽ Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectum videns, tanquam gladio cogitationibus decerpitur. Et hoc est; Tuam ipsius animam pertransibit gladius; quemadmodum illi prædixerat Dei expectator Simeon, Dominum gestans in vlnis. Sed commutat tristitiã gaudium resurrectionis, Dominum carne mortuum rediuiuum prædicans. *Luc.2.*

*Lib.3. Orthodoxæ fidei c.2. Luc.1.* Idem Damascenus. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Rursus dixit illi Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Hæc autem ad illum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Post igitur consensum sanctæ Virginis Spiritus sanctus superuenit in eam, iuxta sermonem Domini quem dixerat Angelus instruens ipsam, & virtutem diuinitatis Verbi susceptiuam præbuit, simul autem & generatiuam. Et tunc obumbrauit ei Dei altissimi in sua subsistens hypostasi sapientia & virtus, Filius Dei Patris consubstantialis, velut diuinum semen, & construxit sibi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali & intellectuali, primitias nostræ consperfionis, non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum; non paulatim per additamenta expleta figura, sed vno contextu absoluta: ipsum autẽ Dei Verbum carnis suppositum hypostasisque est.

*Orthod. fid. lib.3. c.12.* Idem Damascenus. Deiparam, Dei genitricem, Deique parentem & propriè & verè sanctam Virginem celebramus. Nam vt verus Deus est qui ex ipsa natus est: ita vera Dei genitrix verum Deum ex ipsa incarnatum genuit. Deum enim dicimus ex ipsa natum esse, non vt diuinitate principium Verbi, vt Verbum esset, ex ea accipiente; sed vt ipso Dei Verbo ante secula sine initio ex Patre genito, & sine initio & sempiternè existente cum Patre & Spiritu sancto, in nouissimis temporibus propter nostram salutem in vtero eius inhabitante, & ex ipsa incommutabiliter incarnato & genito. Non enim hominẽ nudum genuit sancta Virgo, sed Deum verũ, non nudum, sed incarnatum; non ex cœlo corpus traducentem, & vt per canalem transeuntem, sed cõsubstantialem nobis carnem susciepientem, in se ipso sustentatam. Si enim cælitus corpus acceptum est, & non ex ea natura quæ secundùm nos sumptum est, quæ vtilitas humanationis? Humanatio enim Dei Verbi propter hoc facta est, vt ipsa quæ peccauit, & cecidit, & corrupta est natura, vinceret eum qui seduxerat tyrannum, & sic à corruptione liberaretur. Quemadmodum diuinus inquit Apostolus; Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio ex mortuis. Si primum verum, & secundum. Quòd si quidem dicit; Primus Adam ex terra terrenus, secundus Dominus ex cælo: nõ corpus dicit ex cælo, sed ostendit quòd non nudus homo est. Ecce enim & Adam ipsum nominauit, & Dominum; & vtrumque simul significauit. Adã enim interpretatur terrigena: terrigena autem insinuat quòd hominis natura ex terra plasmata est; Dominus verò diuinæ substantiæ est insinuatiuũ. Rursus autẽ inquit Apostolus; Misit Deus Filiũ suum *Gal. 4.* vnigenitum, natum ex muliere: non dixit per mulierem, sed ex muliere. Significauit igitur diuinus Apostolus, quòd ipse est vnigenitus Filius Dei & Deus, qui ex Virgine natus est homo; & ipse qui ex Virgine natus est, Filius Dei & Deus est. Natus quidem corporaliter secundùm quod homo factus est, non in præplasmato homine inhabitans, quemadmodũ in Prophetis, sed ipse substantialiter & veraciter factus homo, id est in sua hypostasi animatam carnem anima rationali & intellectuali sustentans, & ipse factus est illi hypostasis: hoc enim designat natũ ex muliere. Quomodo enim ipsum Dei Verbum sub lege factum est, si non homo nobis consubstantialis factum est? Vnde iure optimo & pro veritate Deiparam incõtaminatam nominamus Mariam: hoc enim nomen omne dispensationis mysterium commendat. Nam si Dei- *1.Cor.15*

Universidad de Deusto
Biblioteca



para est quæ genuit, re vera Deus est qui ex ipsa genitus est, re vera etiam & homo. Quomodo enim ex muliere genitus natusque Deus est ante secula hypostasin habens, nisi homo factus est? si autem ipse qui ex muliere natus est, Deus est; vnus est profectò qui ex Deo Patre natus est secundùm diuinā & sine initio substantiam, & qui nouissimis temporibus ex Virgine natus est secundùm initium habentem & temporalem substantiam, id est humanam. Hoc autem vnam hypostasin, & duas naturas, & duas natiuitates Domini nostri IESV Christi significat. Christiparam autem nequaquam dicimus sanctā Virginem, quia ad renuendum vocabulū Theotocos, id est Deipara, & Dei genitrix, scelestus, & odibilis, & cum Iudæis sapiens Nestorius id adinuenit, vt vas contumeliæ in contumeliā solius verè honoratæ super omnem creaturam Deiparæ, tametsi ipse cum patre suo Diabolo disrumpatur. Nam & Dauid Rex Christus dicitur, & Aaron Princeps Sacerdotum: hæc enim vngebātur, Regnum & Sacerdotium: & omnis deifer homo, Christus, id est vnctus, dici potest, sed non natura Deus. Vnde & Deo odibilis Nestorius natū ex Virgine Deiferum dicere anhelauit. Nobis autem absit deiferum ipsum aut dicere aut cogitare, sed Deum incarnatum. Ipsum enim Verbum caro factum est conceptum ex Virgine, prouenientis quidem ex assumptione Deus, & ipsa iam caro ab ipso deificata: quasi tribus simul factis vna cum deductione ad esse, assumptione, existentia, & deificatione eius à Verbo. Et sic intelligenda & dicenda Deipara Virgo, non solùm propter naturam Verbi, sed etiam propter deificationem humanæ carnis, quorum simul conceptio & existentia miro operata sunt modo: conceptio quidem Verbi, carnis autem in ipso Verbo existentia, ipsa Dei Matre ineffabiliter suppeditante plasmationem Plasmatori, & humanationem Deo factori vniuersi, & deificanti quod assumpsit: saluante vnione ea quæ vnira sunt talia qualia vniebantur; non quidem diuinum dico solùm, sed & id quod humanū Christi; & quod super nos, & quod secūdùm nos. Neque enim factum priùs secundū nos, posteriùs factū supra nos, sed semper ex præcipua hypostasi ambo subsistere; propterea quòd ex ipso conceptionis articulo in ipso Verbo existentiam habuit. Quod igitur humanum est, secundùm propriam naturam tale est, Dei verò & diuinum ineffabiliter & super naturam. Præterea & carnis animatę proprietates gessit: illas autem suscepit dispensationis motus naturalis ratione, ordine secundùm veritatem naturaliter obseruato.

Epiphanius in sermone de laudibus beatissimæ Virginis Mariæ: Quid dico, & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto cunctis superior existit, natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu angelico: cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minimè sufficit, immo verò nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.

Idem eodem sermone: Per te, ô sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissoluit; per te pax cælestis donata est mundo; per te illuminati sunt fines terræ; per te homines facti sunt Angeli; per te homines appellati sunt amici, serui, & filij Dei; per te homines meruerunt esse conserui Angelorum, & cum eis familiariter conuersari; per te notitia cælestis à terra transmittitur in cælos; per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altissimum; per te crux resplenduit per vniuersam terrā, in qua quidē cruce pependit Filius tuus Christus Deus noster; per te mors conculcatur, & spoliatur infernus; per te ceciderunt idola, & excitata est notitia cœlestis; per te cognouimus vnigenitum Filium Dei, quē sanctissima Virgo peperisti, Dominum nostrum IESVM Christum.

*In 2. ca. Esaiæ.* Hieronymus. Nos autem virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit fruticem cohærentem, de qua & suprà legimus; *Isaiæ 7.* Ecce Virgo cōcipiet, & pariet Filium: & florem Dominum Saluatorem, qui dicit in Cantico canticorū; *Cant. 2.* Ego flos campi, & lilium conuallium. Et alibi: *In 44. Ezech.* Pulchrè quidam portā clausam, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur, & Dux cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt: quæ & ante partum, & post partum Virgo permansit. Etenim tempore quo Angelus loquebatur; Spiritus sanctus veniet super te, & Virtus Altissimi obumbrabit te; quod autē nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; & quando natus est, Virgo permansit æterna. Item: Taceo de Anna & de *In prol. Sophon.* Elisabeth, & cæteris sanctis mulieribus, quarū velut siderū igniculos clarū Mariæ lumen, abscondit.



*In 1. ca. Matth. 1. Cor. 6. Rom. 1.* absconditur. Rursum: Si quis fornicariæ cōiungitur, vnum corpus efficitur; & in lege præceptū est, non solùm reos, sed & cōscios criminū obnoxios esse peccati: quomodo Ioseph, cùm crimen celaret vxoris, iustus scribitur? Sed hoc testimonium Mariæ est; quòd Ioseph sciens illius castitatē, & admirans quod euenerat, celat silentio cuius mysterium nesciebat. Et alibi: *Ad Eusloch. de cust. virginit. Esaiæ 11* Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascender. Virga Mater est Domini, simplex, pura, syncera, nullo extrinsecus germine cohærēte, & ad similitudinem Dei vnione fœcunda. Virgæ flos Christus est, *Cant. 2.* dicens; Ego flos campi, & lilium conuallium. *Dan. 2.* Qui & in alio loco lapis prædicatur abscissus de monte sine manibus; significāte Prophetā Virginem nasciturum de Virgine. Rursus *Lib. 1. aduers. Pelagianos.* idem: Elizabeth & Zacharias (quo testimonio quasi impenetrabili veteris clypeo) nos docere possunt, quanto inferiores sunt beatæ Mariæ Matris Domini sanctitate, quæ conscientia in se habitātis Dei liberè proclamat; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo. In quo animaduerte, quòd beatam se esse dicat, non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.

*In Liturgia siue Missa tom. 5.* Chrysostomus. Precibus, Domine, eius quæ genuit te Deiparæ & semper Virginis Mariæ, Sanctorū omnium, Potestatum spiritualium, pretiosi Prophetæ, Præcursoris, ac Baptistæ Ioannis, sanctorū gloriosorū Apostolorū, & S. Nicolai, cuius & memoriam celebramus, miserere & serua nos. Ibidem: Defende, serua, miserere, custodi nos Deus tua gratia. Sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis memoriā agētes, nosmetipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram Christo Deo nostro commendemus. Quod iden- *In eadē.* tidem repetit. Rursus: In memoriā & honorem Virginis Mariæ & Sanctorum (vt Ecclesia Romana facit) offert Sacrificium. Præterea inquit: Offerimus tibi rationalem hunc cultū pro in fide requiescentibus maioribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, Praconibus, Euāgelistis, Martyribus, Confessoribus, continentibus, & omni spiritu in fide initiato; præcipuè pro sanctissima, immaculata, super omnes benedicta Domina nostra Deipara & semper Virgine Maria. Vt verè dignum & iustum est glorificare te Deiparā, & semper beatissimam, & penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, & gloriosiorē incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperisti, verè Deiparam te magnificamus. Aue gratia plena Maria, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; quoniam Saluatorem animarum peperisti nostrarum. Et inferiùs: Deus remitte, dimitte, ignosce mihi peccatori peccata mea, & voluntaria, & inuoluntaria, siue in cognitione, siue in ignorantia, siue in verbo, siue in opere, siue in concupiscentia feci, omnia ignosce: quoniam bonus, & humanus, longanimis, & multæ misericordiæ. Et intercessione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, dignum me fac; vt sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remissionem peccatorum, in vitam æternam, in purgationem malarum mearum cogitationum, in illustrationem mandatorum tuorū: quoniam te decet gloria, & honor, & adoratio Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nūc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Et pòst paulò: Gratias agimus tibi Domine, humane benefactor animarū nostrarum, quoniam & hodierno die dignatus es nos supercælestibus tuis & immortalibus mysterijs; dirige nostram viam, & confirma nos in timore tuo omnes, custodi vitam nostram, stabili nostros gressus, precibus & supplicationibus sanctæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.

*Ser. 2. de Annūt. tom. 10.* Augustinus. Adest nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper Virginis Mariæ; ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata die solemni. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium conuallium, per cuius partū mutatur natura Protoplasiorum, delētur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infelicitatis elogium, quo dicitur; *Genes. 3.* In dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominū peperit. Eua enim luxit, ista exultauit: Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit; quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit; inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit: vtrobique miraculum, & sine corruptio-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ne grauida,& in partu Virgo puerpera. Descendit Angelus de cælo missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium,ac beatam
*Luc. 1.* salutando Mariam; Aue,ait,gratia plena;Dominus tecum.Impleta est ergo gratia, & Euæ euacuata est culpa. Maledictio Euæ in benedictionem mutatur Mariæ.Aue, inquit, gratia plena; Dominus tecum: tecum Dominus in corde,tecum in ventre, tecum in vtero,tecum in auxilio.Gratulare beata Virgo: Christus Rex è cælo suo incarnatur in vtero tuo: ex sinu Patris in vterum dignatur descendere Matris. Benedicta tu, inquit, in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem attulit mũdo; auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria; Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit; illa percussit, ista sanauit.Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur: læta igitur Maria gestat infantem, exultans amplexatur Filiũ, portat à quo portabatur. Paulò inferiùs: O beata Maria, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum;te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit : noli morari Virgo, nuncio festinanter responde verbum,& suscipe Filium;da fidem, & senti virtutem. Ecce, inquit,ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.Nec mora, reuertitur nũcius, & virginalem thalamum ingreditur Christus: efficitur subitò prægnans beata Dei Genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix.
*Ibidem. Isaia 7.* Rursus:Recole,Maria,in libro Esaiæ Prophetæ Virginem quam parituram legisti, & gaude atque exulta, quia tu esse meruisti. Et subditur: O felix obedientia, ô insignis gratia, quæ dum fidem dedit humiliter , cœli in se opificem incorporauit! Impleuit in ea Do-
*Oseæ 6.* minus quod dudum prædixerat; Obedientiã, inquit,malo quàm sacrificium, & scientiam Dei,plusquã holocausta. Hæc fuit vera obedientia,omniq́ue sacrificio gratior;hæc volũtas cunctis hostijs acceptior; hinc promeruit gloriam,quam ipsa postmodum hausit.Ecce,
*Luc. 1.* ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum,ac laudum præconia rependere,quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito ? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaq; quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones; & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.Sit per te excusabile,quod per te ingerimus; fiat impetrabile ,quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus , redona quod rogamus , excusa quod timemus; quia tu es spes vnica peccatorum : per te speramus veniam delictorum , & in te,beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria,succurre miseris:iuua pusillanimes, refoue flebiles , ora pro populo, interueni pro clero , intercede pro deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen , quicunque celebrant tuam commemorationem. Assiste parata votis poscentium , & repende omnibus optatum effectum:sint tibi studia assiduè orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi, qui viuit & regnat in secula seculorum.

Idem. Adest nobis,dilectissimi fratres,dies *In festo Assump. ser.2.* valde venerabilis, dies omnium Sanctorum solennitates præcellens. Adest,inquam, dies inclyta, dies præclara , in qua è mundo migrasse creditur Virgo Maria. Et ideo laudes intonet vniuersa terra cum summa exultatione,tantæ virginis illustrata excessu : quia indignum valde est vt illius recordationis solennitas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus Authorem vitæ suscipere : satisq́ue præposterum iudicium est, vt cùm sanctorum celebramus victorias Martyrum , illius solennitatem illis non præferamus,quę huic mundo edidit Principẽ Martyrum.In hac siquidem die competenter Sponso illi cœlesti proclamat beata Virgo; Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate *Psa.72.* tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Hodie,inquam,& ipsa à Sponso,Filio,& Domino,congruè audiuit; Iam hyems transijt, *Cant. 2.* imber abijt & recessit; surge proxima mea, Sponsa mea,columba mea, & veni.Hæc ideo dicimus , quia sicut iam in cõsuetudinem suscepit Ecclesia, hodierna die ad cœlos assumpta fuisse creditur Virgo Maria. Et rursum: *Eod.Ser.* Loquamur aliquid de laudibus sacratissimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli,quid in eius laudibus referemus, cùm, etiam si omnium nostrũm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cœlo est de qua loquimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur. Hæc est enim



enim quæ sola meruit Mater & Sponsa vocari.Hæc primæ matris damna resoluit,hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater
*Gen.3.* enim generis nostri pœnam intulit mundo,
*Luc.2.* Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo:auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit:illa percussit,ista sanauit. Hæc enim mirabili atque inæstimabili modo omnium rerum & tuum peperit Saluatorem. Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus sanctus? Quæ tam speciosa,vt eam Deus sibi eligeret Sponsam? Quæ tam casta, vt esse posset Virgo post partum? Hæc est Dei
*Cant. 4. Ezech. 44.* templum,fons ille signatus,&porta in domo Dei clausa.Ad hanc namque,vt dixi,Spiritus sanctus descendit,hanc virtus Altissimi obũbrauit.Hæc est immaculata cpitu , fœcunda partu; Virgo lactans, Angelorum & hominũ cibum nutriens. Meritò namq; beata singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Denique
*Ioan.1.* tantum se ad cœli fastigia subleuauit, vt Verbum in principio apud Deum de superna cæli arce susciperet. O felix Maria, & omni laude dignissima!O Virgo Dei Genitrix gloriosa! O sublimis puerpera,cuius visceribus Author cœli terræq́ue committitur.O felicia oscula lactantis labijs impressa! cùm inter crebra indicia reptantis infantiæ , vtpote verus ex te Filius,tibi Matri alluderet;cùm verus ex Patre Dominus imperaret. Nam Authorem
*Luc.2.* tuum ipsa concipiens edidisti in tempore puberem,quem habebas ante tempora Conditorem.O felix puerperium,lætabile Angelis, optabile Sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis ! Qui post multas assum-
*Mat.27.* præ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris,potatus felle,affixus patibulo, vt te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit. Sed quid dicam pauper ingenio,cùm de te quicquid dixero , minor laus est quàm dignitas tua meretur?Si cælum te vocem , altior es; si Matrem gentium dicã, præcedis;si formam Dei appellem, digna existis; si Dominam Angelorum vocitem , per omnia tu esse probaris.Quid ergo de te dignè dicam,quid referam, cùm nõ sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes ? Has interim laudes subeat lingua carnis , quas semper ardenter profert anima. Nunc nostras peto vt aures doctrinarum tuarum demulceas organis.Plaudat nunc tympanis scena tuis, & voloces articuli puerperæ concrepẽt. Concinãt lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina miscẽtur. Audiamus fratres, audiamus pro mentis affectu, audiamus quẽadmodũ tympanistriarum doctrinis concrepet beata Virgo Maria; audiamus inquam,& huic harmoniæ moribus respondeamus. Denique cùm hæc mulier beatissima ab Ange- *Luc.1.* lo iam salutata,Spiritu sancto repleta , plenitudine diuinitatis afflata, ad Elizabeth venisset cognatam , post exultationem Ioannis in vtero matris, hæc Domino decantauit cantica laudis;Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo,&c. Et inferiùs,vbi ex deuotione quædã repetit Augustinus:Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis persoluet , quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunq; meritis tuis impares gratiarum actiones ; & cùm susceperis vota , culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacratiũ exauditionis,& reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus:accipe quod offerimus , impetra quod rogamus,excusa quod timemus ; quia nec potiorem meritis inuenimus quàm te, ad placandam iram Iudicis, quæ meruisti esse Mater Redemptoris & Iudicis.Succurre ergo miseris,iuua pusillanimes,refoue flebiles,ora pro populo , interueni pro clero , intercedẽ pro monachorum choro , exora pro deuoto fœmineo sexu:sentiant omnes tuum iuuamẽ quicunque deuotè celebrant tuum nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cælorum peregrinis ; & cùm te lætantem semper aspicis, fletus nostros, quæsumus,ipsa ad Deum admittas, eumq́ue vt proprium Filiũ pro nobis interpelles. Nos enim adhuc in terra hac affligimur , persequimur, iniurijs lacessimur,opprobrijs afficimur, esurimus,sitimus,somnum patimur , in carcere retinemur.Tu verò in cælestibus regnis prælata es cunctis Virginum choris , tu Agnum, quocunque perrexerit, sequeris: tu virgineos choros, & ab incentiuæ carnis illecebris alienos,per albentia lilia, rosasq́ue vernantes,ad fontes perennis vitæ potandos inuitas : tu in illa Beatorum felicissima regia primi ordinis dignitatem adepta,plantis rosidis oberrãs inter paradisi amœnitatem,gramineosq́ue crocos, tenero poplite pergis , feliciq́ue palma violas immarcescibiles carpis : tu concinis sine fine

Universidad de Deusto
Biblioteca



ne fine choris coniũcta ſummis: Angelis Archangeliſque ſociata, indefeſſa voce Sanctus clamare non ceſſas: tu in cubiculo Regis beatitudinem gemmis & margaritis ornata aſſiſtis: tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis, teque ipſe Rex Regum & Matrem veram, & decoram Sponſam præ omnibus diligens, amoris amplexu ſibi aſſociat. Nec mirum ſi dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominem natũ toties oſculata es in terris. Has ergo tuas felicitates poſſidens, conuertere ad noſtrarum miſeriarum ſalutem. Inter hæc igitur, fratres, cum toto mentis affectu beatiſſimæ Virginis nos interceſſionibus committamus, omnes eius patrocinia omni niſu imploremus; vt dum nos ſupplici eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedula prece commendare dignetur in cælis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium. Sed quid nobis prodeſt hanc interpellare vocibus, niſi etiam humilitatis eius exempla teneamus? Curemus ergo, dilectiſſimi fratres, vt cùm huius diei feſtiuitati intereſſe cupimus, veſtimẽtis humilitatis atque charitatis induti appareamus. Nõ nos inuidia alienæ felicitatis torqueat, nõ ira vſq; ad diuiſionẽ dilanier, non cupiditas Chriſtum à nobis excludat, non ſeculi triſtitia exurat, non proſperitas eius incautè decipiat, non luxuria inquinet, nõ immunditia polluat, non elatio corrumpat, non ſuperbia inflet: vt dum virtutibus ornatos, charitate coniunctos, humilitate fundatos, beata Dei Genitrix ſuæ nos intereſſe feſtiuitati perſpexerit, ardentiùs nobis ſubuenire feſtinet apud Filium & Dominum ſuum IESVM Chriſtum Deum & Saluatorem noſtrũ, qui coronis perennis regni glorificat Sanctos ſuos, & eſt æterna laus & expectatio omnibus electis eius. Ipſi gloria, virtus, poteſtas æterna, & nunc, & ſemper, per immortalia ſecula ſeculorum. Amen.

*Hom. 6. cõt. Neſtorium dicta Epheſi.* Cyrillus Alexandrinus. Alacrem video congregationem Sanctorum omnium, qui hîc promptè à ſancta Deipara Maria Virgine vocati conuenerunt: ideoque licet in multa degam triſtitia, in gaudium tamẽ me iſta ſanctorum Patrum præſentia conuertit. Adimpletum nunc apud nos eſt dulce illud verbum *Pſ. 132.* quod pſalmiſta Dauid dixit; Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in idipſum. Salue itaque per nos ſancta ac myſtica Trias, quæ nos omnes ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Deiparæ conuocaſti. Salue per nos ſancta Deipara, pretioſus totius orbis theſaurus, lampas inextinguibilis, corona virginitatis, ſceptrum rectæ doctrinæ, templum inſolubile, locus eius qui loco capi nequit, Mater & Virgo, per quam in Euangelijs benedictus nominatur qui venit in nomine Domini. Salue quæ incomprehenſibilem in ſancto virginali vtero comprehendiſti, per quã ſancta Trias per vniuerſum orbem glorificatur & adoratur, per quã cælum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quã Dæmones fugantur, per quam Diabolus tentator cælo decidit, per quam prolapſum plaſma in cælum recipitur, per quam vniuerſa creatura idolorum veſania detenta, ad cognitionem veritatis venit, per quam ſanctum contingit Baptiſma credentibus, per quam oleum eſt exultationis, per quam per totum orbem fundatæ ſunt Eccleſiæ, per quam gentes ducuntur ad pœnitentiam. Et quid multa commemoro? per quam vnigenitus Dei Filius ijs qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant lux reſplenduit, per quam Prophetæ prænunciarunt, per quam Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt, per quã mortui excitantur, per quam Reges regnant, per ſanctam videlicet Trinitatem. Et quis adeò valet eloquio, vt plurimùm laudatam Mariam ſatis celebret? Ipſa & Mater eſt & Virgo. O rem admirandam! miraculum hoc me ſtupidum reddit.

*Ser. 5. de Epiphania.* Leo primus. Præceſſerant quidem multa documenta quæ corpoream natiuitatem Domini manifeſtis indicijs declararent: ſiue cùm beata Maria Virgo fœcundandam ſe Spiritu ſancto, pariturамque Dei Filium audiuit & credidit; ſiue cùm ad ſalutationem ipſius in vtero Eliſabeth nondum natus Ioannes prophetica exultatione cõmotus eſt, quaſi etiam intra matris viſcera iã clamaret; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

*In epiſt. ad Flau.* Idem. An fortè ideo putauit Dominũ noſtrum IESVM Chriſtum non noſtræ eſſe naturæ, quia miſſus ad B. Mariam Angelus ait; Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei; vt quia conceptus Virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda eſt illa generatio ſingulariter mirabilis, & mirabiliter ſingularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota ſit generis; fœcunditatem enim Virgini Spiritus ſanctus dedit, veritas autem corporis ſumpta de corpore eſt, &

*Prou. 9.* ædificante ſibi Sapientia domum, Verbum caro *Ioan. 1.* factum eſt, & habitauit in nobis; hoc eſt, in ea carne quam ſumpſit ex homine, & quam ſpiritus vitæ rationalis animauit.

*In 1. Reg. c. 1.* Gregorius magnus. Poteſt autẽ huius mõtis Ramathaim Sophim nomine beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei Genitrix deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinẽ electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, vſque ad ſoliũ Deitatis erexit? Huius enim montis præclariſſimam dignitatem *Eſa. 2.* Eſaias vaticinatus ait; Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit: nam ſicut mons altitudinem, ita domus deſignat habitationem. Mons quippe & domus aptè dicitur, quæ dũ incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, Dei vnigenito, in quo recumberet, ſacrũ præparauit vterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem hanc diuina fœcunditas non leuaret: & domus Domini nõ fieret, ſi in eius ventre per aſſumptã humanitatẽ Verbi diuinitas nõ iaceret. Sed rectè mons frugifer dicitur, de qua optimus fructus, id eſt nouus homo generatur: quam certè in fœcunditatis ſuæ gloria pulchram ornatamque Propheta reſpi-*Eſa. 11.* ciens, ait; Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. De huius nãque *Pſ. 66.* montis fructu Dauid Deo exultans ait; Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Terra quippe fructum ſuũ dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, ſed ſancti Spiritus obumbratione. Hinc eidẽ *Pſ. 131.* Regi & Prophetæ à Domino dicitur; De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã. Hinc *Eſa. 4.* Eſaias ait; Erit fructus terræ ſublimis. Nã quẽ Virgo genuit, non ſolùm homo factus fuit, ſed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eãdem beatam Virginẽ Eliſabeth ſalutante di-*Luc. 1.* citur; Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Rectè igitur mons Ephraim dicitur, quæ dũ ineffabili dignitate diuinę generationis attollitur, in eius fructu arida humanæ cõditionis germina reuireſcunt.



Addere libet locum ex Origene, propter doctrinæ pietatem & authoritatẽ. Origenes hom. 1. in diuerſos, in cap. 1. Matth. Hæc, inquit, co (Ioſeph) cogitante. Quærendum eſt nobis, nunquid cogitauerit vt occultè eã dimitteret; & ſi cogitabat vt eam dimitteret; & ſi ita ſuſpicionem in eam habebat, quomodo iuſtus erat? Si ergo non eſt ſuſpicatus, vel tale aliquid cogitauit, cur eam dimittere volebat, vt immaculatam & ſanctam vellet dimittere? iniuſtum enim & hoc erat. Sed ſimplicitatem ſenſus audi huius orationis. Iuſtus erat Ioſeph, & illa Virgo immaculata erat; ſed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutẽ myſterij, & ſacramentum quoddam magnificum in ea cognoſcebat, cui approximare ſe indignum exiſtimabat. Ergo humilians ſe ante tantam & tam ineffabilem rem, quærebat ſe lõgè facere: ſicut & beatus Petrus Domino ſe *Luc. 5.* humilians aiebat; Recede à me Domine, quoniam ego peccator ſum: vel ſicut ille Centurio ad eũndem Dominum mittens dicebat; *Mat. 8.* Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, *Luc. 7.* quia neque me ipſum dignum exiſtimaui ad te venire: vel ſicut ſancta Eliſabeth ad ipſam beatam Mariam locuta eſt, dicens; Et vnde *Luc. 1.* hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Sic & Ioſeph iuſtè humilians ſeſe in omnibus, cauebat & timebat ſibimetipſi tantæ ſanctitatis coniunctionem adhibere. Idcirco occultè volebat eam dimittere: dimittã eam, dicens, & à me longè faciam eam, & à cognitione mea; maior eſt enim eius dignitas, ſuperexcellit eius ſanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideo volebat occultè dimittere eam. Hæc ergo eo cogitante, Angelus Domini per viſum apparuit illi, dicens; Quid dubitas ô Ioſeph? quid imprudenter cogitas? quare irrationabiliter meditaris? Deus eſt enim qui generatur, Virgo quæ generat: huius generationis miniſter es, & non largitor; ſeruus, & non Dominus; mancipium, & non plaſmator. Propterea miniſtra, ſerua, cuſtodi, fer curam, intende & huic qui naſcitur, & huic quæ generat.

Idem eadem homilia: Ioſeph fili Dauid, ne *Mat. 1.* timueris accipere Mariam Coniugem tuam. Ne timueris, ne trepidaueris, ne conturberis; ſed ſecurus & intrepidus accipe eam ſecundũ legis præceptum Vxorem tibi nominatam; ſed ſecundùm nuptiarum conſuetudinem & coniunctionem longè alienam. Accipe ergo eam

Universidad de Deusto
Biblioteca



eam ſicut commendatum cæleſtem theſaurum, deitatis diuitias; ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam iuſtitiam. Accipe eam ſicut Vnigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut domũ Dei, ſicut Creatoris omnium propriam, ſicut Regis cæleſtis Sponſi domum immaculatam. Ita ergo Ioſeph fili Dauid, ne timeas accipere eam tibi commendatam, tuæ religioſitati creditã, ſertua, ſer curam, attende; fugiens ab Herode duc in Aegyptum; iterum remeaturus poſt Herodis mortem, deduc in terram Iſraël. Ne timueris accipere Mariam Coniugem tuam. Coniugem audiens non expauescas, non cõturberis, nec tu, neque quiſquam ſequentium vſque in conſummationem ſæculi. Cõiugem eam dico propterea, vt Diabolo virginitatem eius occultem, & vt Iudæorum prauitatem excludam atque deijciã, & legis inſtituta non deſtruam: & in conſequentibus demonſtrabo
*Ibid.* quòd iſta nec tua Coniux ſecundùm conſuetudinem cõiugij habeatur, nec iſte qui generatur tuus Filius eſſe credatur. Quod enim ex ea naſcetur, de Spiritu ſancto eſt. Quia ſcilicet cooperator huius natiuitatis Spiritus ſanctus eſt. Verùm hæc hactenus ſat multa ex veteribus Patribus. Nam qui recentiores fuerunt, non minorem in Deiparam Virginem deuotionem conceperunt, ad maiores etiam Virginis ſacroſanctæ laudes (ſi quid tamẽ addi potuit) aſpirarunt; & infinitum eſſet ſi omniũ conari vellemus præconia in Virginem recenſere. Illud igitur eligamus fratres, vt ſilentio potiùs myſtico & humili illam laudemus, & profiteamur maiorem eſſe omni noſtro encomio, ſuperiorem omni noſtra prædicatione; eſſe nos indignos qui illam laudemus. Quas laudes in illam conferunt Angeli & Sancti Dei, quas Eccleſia, illi nos voluntate & deuotione noſtra offeramus, illam excellenti ſua veneratione adoremus, illam inuocemus in Chriſto IESV Domino noſtro. Amen.

Deo gratiæ, & Deiparæ Mariæ Virgini.

# INDEX ADNOTATIONVM ET IMAGINVM IN EVANGELIA DOMINICALIA,

ordinem temporis ipſius Euangelicæ hiſtoriæ continens.


1. *Annuntiatio.* *Adnotatione* cvij. *pag.* 405.
2. *Viſitatio.* cxlix. 577.

## ANNO I. VITÆ CHRISTI.

3. *Natiuitas Chriſti.* v. 16.
4. *In aurora de Paſtoribus.* vj. 23.
5. *Circumciſio Chriſti.* vij. 29.
6. *Aduentus Magorum.* viij. 32.
7. *Adoratio Magorum.* ix. 35.
8. *Purificatio.* xx. 78.

## ANNO CHRISTI XII.

Dominica prima poſt Epiphaniam.
9. *Cum Doctoribus diſputat IESVS.* x. 43.

## ANNO CHRISTI XXIX.

Dominica quarta Aduentus.
10. *Ioannes concionatur.* iiij. 11.
Dominica tertia Aduentus.
11. *Mittunt Iudæi ad Ioannem.* iij. 8.

## ANNO XXX.

Dominica prima Quadrageſimæ.
12. *Tentat Chriſtum Dæmon.* xxv. 90.
13. *Secunda & tertia tentatio.* xxvj. 92.
14. *Angeli miniſtrant Chriſto.* xxvij. 95.

## ANNO XXXI.

Dominica ij. poſt Epiphaniam.
15. *Nuptiæ ad Cana Galilææ.* xj. 46.
Feria ij. poſt Dominicam iiij. Quadrageſimæ.
16. *Eijcit primò vendentes de Templo.* lvij. 177.
Dominica quarta poſt Pentecoſten.
17. *De copioſa captura piſcium.* cxxxj. 507.
Feria quinta poſt Dominicam iij. Quadrageſimæ.
18. *Sanatur ſocrus Petri.* l. 157.
Dominica quinta poſt Pentecoſten.
19. *Compeſcitur iracundia.* cxxxij. 512.
Feria vj. poſt Cineres.
20. *De dilectione inimici.* xxiij. 84.
Feria iiij. Cinerum.
21. *De ieiunio.* xxj. 80.
22. *De theſaurizatione.* xxij. 82.
Dominica xiiij. poſt Pentecoſten.
23. *Docet Chriſtus fiduciam habendam Deo.* cxxxix. 535.
Dominica prima poſt Pentecoſten.
24. *Docet Chriſtus; Eſtote miſericordes.* cxxviij. 496.
Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.
25. *Cauendũ à falſis Prophetis.* cxxxiij. 517.
Dominica iij. poſt Epiphaniam.
26. *Mundatur leproſus.* xij. 52.
27. *Sanatur ſeruus Centurionis.* xiij. 54.
Feria quinta poſt Dominicam iiij. Quadrageſimæ.
28. *Ad Naim ſuſcitatur filius viduæ.* lx. 184.
Dominica quarta poſt Epiphaniam.
29. *Sedat procellam maris IESVS.* xiiij. 57.
Dominica xviij. poſt Pentecoſten.
30. *Sanatur paralyticus.* cxlij. 548.
Dominica xxiij. poſt Pentecoſten.
31. *Sanatur Hæmorrhoiſſa, ſuſcitatur filia Iairi.* cxlvij. 565.
Dominica ſecunda Aduentus.
32. *Mittit Ioannes duos Diſcipulos ad IESVM.* ij. 6.
Dominica xij. poſt Pentecoſten.
33. *Incidit in latrones viator.* cxxxvij. 530.
Feria v. poſt Dominicam in Paſſione.
34. *Vngit pedes IESV Magdalena.* lxix. 209.

## ANNO XXXII.

Feria vj. poſt Dominicam iij. Quadrageſimæ.
35. *De Samaritana.* lj. 160.
36. *De eadem Samaritana.* lij. 164.
Dominica xx. poſt Pentecoſten.
37. *Filium Reguli ſanat IESVS.* cxliiij. 555.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Dominica Sexagesimæ.
38. *Parabola seminantis.* xvij. 66.
Dominica quinta post Epiphaniam.
39. *Parabola de zizanijs.* xv. 60.
Feria secunda post Dominicam tertiam Quadragesimæ.
40. *Malè accipitur IESVS in patria.* xlvij. 145.
Dominica quarta Quadragesimæ.
41. *Quietem agunt Discipuli iubente Christo, postea trans mare nauigant.* liiij. 168.
42. *Docet, & sanat languidos; distribuuntur turbæ quasi per contubernia.* lv. 171.
43. *Satiat quinque millia hominũ.* lvj. 174.
Sabbatho post Cineres.
44. *Ambulat super mare IESVS.* xxiiij. 87.
Dominica iij. Quadragesimæ.
45. *Sanatur Dæmoniacus cæcus & mutus.* xlvj. 141.
Feria quarta post Dominicam primam Quadragesimæ.
46. *Quærunt signa à IESV Iudæi.* xxx. 101.
Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimæ.
47. *Sanatur languidus.* xxxij. 108.
Dominica xvj. post Pentecosten.
48. *Sanatur hydropicus.* cxl. 538.
Dominica secunda post Pentecosten.
49. *Vocatio ad cœnam magnam.* cxxix. 500.
Feria tertia post Dominicam in Passione.
50. *Non ascendit ad festum IESVS: quærunt eum Iudæi.* lxvij. 202.
Feria iij. post Dominicam iiij. Quadrag.
51. *Docet IESVS, concitantur contra eum Iudæi.* lviij. 178.
Feria secunda post Dominicam in Passione.
52. *Mittunt Iudæi ministros vt IESVM comprehendant.* lxvj. 200.
Sabbatho post Dominicam iij. Quadrag.
53. *Liberatur Adultera.* liij. 166.
Sabbatho post Dominicam iiij. Quadrag.
54. *Docet IESVS in templo.* lxiiij. 194.
Feria secunda post Dominicam ij. Quadrag.
55. *Incredulis prædicit damnationẽ IESVS.* xxxiiij. 114.
Dominica Passionis.
56. *Acerrima confutatio Iudæorum, & eorum contra IESVM conatus.* lxv. 197.
Feria iiij. post Dominicam iiij. Quadrag.
57. *Sanatur cæcus natus.* lix. 181.
Dominica secunda post Pascha.
58. *De Pastore bono, ostio, ostiario, ouili.* cxxj. 467.
Feria quarta post Dominicam in Passione.
59. *Malitiosè Iudæi IESVM interrogare aggrediuntur.* lxviij. 205.
Feria quarta post Dominicam iij. Quadrag.
60. *Explicat doctrinam de Traditionibus.* xlix. 152.
Feria quinta post Dominicam primam Quadragesimæ.
61. *De Cananæa.* xxxj. 104.
Dominica xj. post Pentecosten.
62. *Sanat IESVS surdum & mutum.* cxxxvj. 527.

## ANNO XXXIII.

Sabbatho post Dominicam j. Quadrag.
63. *Transfiguratio Christi.* xxxiij. 111.
Dominica octaua post Pentecosten.
64. *Villicus accusatur.* cxxxiiij. 511.
Dominica iij. post Pentecosten.
65. *De oue centesima, & decima drachma perdita.* cxxx. 503.
Sabbatho post Dominicam secundam Quadragesimæ.
66. *De Prodigo adolescente.* xlij. 135.
67. *Profundit omnia Prodigus adolescens.* xliij. 136.
68. *Fit subulcus.* xliiij. 137.
69. *Accipit illum pater benignissimè.* xlv. 138.
Feria tertia post Dominicam tertiam Quadragesimæ.
70. *Docet humilitatem Discipulos, & correctionem fraternam.* xlviij. 149.
Dominica xxj. post Pentecosten.
71. *De singulari inhumanitate serui Regij, & ingratitudine.* cxlv. 558.
Dominica Septuagesimæ.
72. *De conuentione ex denario diurno.* xvj. 62.
Feria v. post Domin. secundam Quadrag.
73. *De diuite Epulone.* xxxvij. 124.
74. *De morte Epulonis & Lazari.* xxxviij. 126.
75. *Ex Inferno interpellat Abrahamum Epulo frustra* xxxix. 127.
Feria sexta post Dominicam quartam Quadragesimæ.
76. *Mittuntur nuntij à sororibus de graui morbo Lazari,* lxj. 186.
77. *Venit IESVS Bethaniam.* lxxij. 188.
78. *Suscitat Lazarum IESVS.* lxiij. 191.
Feria sexta post Dominicam Passionis.
79. *Concilium de nece IESV.* lxx. 212.
Dominica Quinquagesimæ.
80. *Prænunciat IESVS suam crucem Apostolis.* xviij. 71.
Dominica xiij. post Pentecosten.
81. *Curat IESVS decem leprosos.* cxxxviij. *pag.* 533.
Feria iiij. post Dominicam secundam Quadragesimæ.
82. *Petitio matris filiorum Zebedæi.* xxxvj. 121.
83. *Sanatur vnus cæcus ante Iericho, & duo post Iericho.* xix. *pag.* 75.
Feria ij. Maioris Hebdomadæ.
84. *Cœna apud Simonẽ leprosum.* lxxj. 216.
Dominica in Ramis Palmarum.
85. *Ducitur asina & pullus ad IESVM.* lxxij. 221.
86. *In conspectum Hierusalem venit IESVS.* lxxiij. 223.
87. *Ingressus solemnis in ciuitatem.* lxxiiij. 229.
Feria iij. post Dominicam primam Quadragesimæ.
88. *Eijcit iterum IESVS vendentes de templo.* xxix. 99.
Sabbatho post Dominicam Passionis.
89. *Veniunt Gentiles ad IESVM.* lxxv. 233.
Dominica decima post Pentecosten.
90. *De Pharisæo & Publicano.* cxxxv. 524.
Feria vj. post Dominicam secundam Quadragesimæ.
91. *Paterfamilias plantat vineam, & locat agricolis:* xl. 129.
92. *Extra vineam filium occidunt.* xlj. 132.
Dominica xix. post Pentecosten.
93. *Facit Rex nuptias filio.* cxliij. 551.
Dominica xxij. post Pentecosten.
94. *De soluendo tributo.* cxlvj. 561.
Dominica decimaseptima post Pentecosten.
95. *De primo mandato interrogatur IESVS.* cxlj. 541.
Feria iij. post Domin. ij. Quadragesimæ.
96. *Quomodo credendum docentibus Pharisæis & Scribis.* xxxv. 117.
Dominica xxiiij. post Pentecosten.
97. *De Antichristo.* cxlviij. 573.
Dominica prima Aduentus.
98. *Quæ Iudicium vniuersale proximè præcedent.* j. 1.
Feria secunda post Dominicam j. Quadrag.
99. *Iudicium vniuersale.* xxviij. 96.
Feria quinta Hebdomadæ sanctæ.
100. *Cœna legalis.* lxxvj. 237.
101. *Cœna communis, & lauatio pedum.* lxxvij. 241.
102. *Sanctissimi Sacramenti & sacrificij institutio.* lxxviij. 246.
103 *De gestis post sacram communionem.* lxxix. 251.
Dominica tertia post Pascha.
104. *De eo quod dixit Christus; Modicum & non videbitis me.* cxxij. 470.
Dominica iiij. post Pascha.
105. *De eo, quemadmodum Spiritus sanctus arguit mundũ de peccato.* cxxiij. 473.
Dominica quinta post Pascha.
106. *Orationis perfectio docetur.* cxxiiij. 476.
107. *Orat Christus in horto.* lxxx. 254.
108. *Veniunt ad hortum armati.* lxxxj. 263.
109. *Malchi auriculæ abscissio.* lxxxij. 268.
110. *Capitur Christus.* lxxxiij. 271.
111. *Ducitur ad Annã primùm.* lxxxiiij. 274.
112. *Interrogatur ab Anna, negat eum Petrus.* lxxxv. 275.
113. *Trahitur ad Caipham IESVS, negat iterum Petrus.* lxxxvj. 279.
114 *Adiuratio Caiphæ, confessio diuinæ Christi, tertiò negat Petrus.* lxxxvii. 285.
115. *De gestis in carcere Caiphæ post dimissum concilium.* lxxxviij. 290.
116. *De gestis manè in pleno Principum & Seniorum concilio.* lxxxix. 291.
117. *Ducitur IESVS ad Pilatum, & Iudas laqueo se suspendit.* xc. 294.
118. *Quæ primùm gesta sunt apud Pilatum.* xcj. 295.
119. *Quæ gesta sunt apud Herodem.* xcij. 300.
120. *Quæ gesta sunt postquam reductus est ad Pilatum.* xciij. 304.
121. *Flagellatur Christus.* xciiij. 312.
122. *Coronatur spinis IESVS.* xcv. 319.
123. *Gesta post Coronationem, antequam ferretur sententia.* xcvj. 325.
124. *Fert sententiam Pilatus contra IESVM.* xcvij. 335.
125. *Ducitur IESVS extra portam ad Caluariæ montem.* xcviij. 338.
126. *Quæ gesta sunt postea ante crucifixionem.* xcix. 344
127. *Crucifigitur IESVS.* c. 349.
128. *Erigitur Crux.* cj. 357.
129. *Quæ gesta sunt post erectam crucem, antequam emitteret spiritum.* cij. 363.
130. *Emissio spiritus.* ciij. 391.
131. *Quæ gessit Christus descendens ad Inferos.* ciiij. 395.

Universidad de Deusto
Biblioteca



132. *Deponitur Christi corpus è cruce.* cv. 397.
133. *De Christi sepultura.* cvj. 399.
134. *Resurrectio Christi gloriosa.* cviij. 411.
135. *Apparet Matri Mariæ Virgini.* cix. 414.
136. *De primo aduentu mulierum ad sepulchrum.* cx. 417.
137. *Angeli apparent mulieribus.* cxj. 421.
138. *Veniunt Petrus & Ioannes ad sepulchrum.* cxij. 425.
139. *Apparet Magdalenæ.* cxiij. 429.
140. *Apparet mulieribus.* cxiiij. 433.
141. *Apparet duobus Discipulis euntibus Emmaunta.* cxv. 439.
142. *Apparet Discipulis absente Thoma.* cxvj. 445.
Dominica prima post Paschæ.
143. *Apparet Discipulis & Thomæ.* cxvij. 450.
144. *Apparet septem Discipulis ad mare Tiberiadis.* cxviij. 454.
145. *Frandet cum septem Discipulis IESVS.* cxix. 458.
146. *Apparet in monte Thabor.* cxx. 460.
147. *Ascensionem Christi præcedentia proximè.* cxxv. 479.
148. *Ascensio Christi in cælum.* cxxvj. 482.
149. *Sacra dies Pentecostes.* cxxvij. 489.
150. *Transitus Matris Dei.* cl. 583.
151. *Virginis Matris sepultura.* clj. 585.
152. *Suscitatur Virgo Mater à filio.* clij. 586.
153. *Assumitur Maria in cælum, coronatur à sanctissima Trinitate.* cliij. 587.
*De laudibus B. Matris Virginis.* Pag. 588. *& sequentibus.*

# APPROBATIO.

Vidi has Adnotationes & Meditationes in Euangelia per anni cursum in Ecclesia legi solita Reuerendi Patris Hieronymi Natalis, Sacerdotis Societatis IESV: quæ quidem sanam omnino & Catholicam doctrinam continent, magnæque eruditionis, & pietatis, ad fidelium corda ad virtutem & vitæ Christianæ profectum inflammanda: quare dignum opus iudico quod typis excudatur, ad communem vtilitatem.

*Ita censui Romæ, die vltimo Iulij, 1579.*

Ego Doctor Franciscus Toledo.

Series chartarum.

†. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.
Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Ss.
Tt. Vu. Xx. Yy. Zz. AA. BB. CC. DD. EE. FF. GG. HH.

Omnes sunt terniones, præter H H. duernionem.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MARTINI NVTII,
ANNO DOM. cIↃ. IↃ. xcv.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca